Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/patrologiaecursu126mign

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CXXVI

HINCMARI RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI, JOANNIS VIII, MARINI I, ADRIANI III, PONTIFICUM ROMANORUM, BERTARII ABBATIS CASSINENSIS, ETC., ETC.

HINCMARI TOMUS POSTERIOR. — CÆTERORUM TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE, SUCCESSORES,

IN VIA DICTA: *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1879

CLICHY. — EX TIPYS PAULI DUPONT, VIA DICTA BAC-D'ASNIÈRES. 852.7.79

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

DEC - 5 1931

2126

SÆCULUM IX.

HINCMARI

RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI

OPERA OMNIA,

JUXTA EDITIONEM SIRMONDIANAM AD PRELUM REVOCATA.

VARIA ACCESSERE MONUMENTA

QUÆ SUPPEDITARUNT

SURII, PERTZII, ETC., COLLECTIONES MEMORATISSIMÆ

SEQUUNTUR

JOANNIS VIII, MARINI I, ADRIANI III,

PONTIFICUM ROMANORUM

EPISTOLÆ ET DECRETA.

TOMUM CLAUDUNT

S. BERTARII ABBATIS CASSINENSIS, HARMOTI SANGALLENSIS ABBATIS, S. REMBERTI HAMBURGENSIS EPISCOPI, AIMOINI MONACHI SANGERMANENSIS, RATPERTI SANGALLENSIS,

Scripta vel scriptorum fragmenta quæ supersunt.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

HINCMARI TOMUS POSTERIOR. — CÆTERORUM TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE, SUCCESSORES

IN VIA DICTA : *AVENUE-DU-MAINE*, 189; OLIM *CHAUSSÉE-DU-MAINE*, 127

1879

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXXVI CONTINENTUR.

OPERUM HINCMARI CONTINUATIO.

Epistolæ.

EPISTOLA PRIMA.

EPISCOPORUM DIŒCESEON RHEMENSIS ATQUE ROTHOMAGENSIS [a] AD LUDOVICUM GERMANIÆ REGEM [b].

(Ex Actis prov. eccl. Rhem. tom. I, pag. 247).

Domno LUDOVICO, regi, glorioso, episcopi Rhemorum diœceseos atque Rothomagensis, qui adesse potuimus.

Excusant cur ad conventum Rhemensem venire non potuerunt.

Litteras dominationis vestræ quique nostrum habuimus, quibus jussistis ut vobis VII Kalendas Decembris Rhemis occurreremus, quatenus ibi nobiscum et cum cæteris fidelibus vestris de restauratione sanctæ Ecclesiæ, et de statu ac salute populi Christiani, tractaretis. Sed nos ad placitum illud occurrere non potuimus, et propter incommoditatem et brevitatem temporis, et propter inconvenientiam loci; et, quod est lugubrius, propter confusionem tumultus exorti. Sed et divinis legibus, quas et vos observaturos cum vestris fratribus nobis denuntiastis, cantum esse dignoscitur, quia sicut nec archiepiscopi sine coepiscopi, ita nec coepiscopi sine archiepiscoporum consensu vel jussu, nisi quæ ad proprias pertinent parochias, debent præsumere, et in tam angusto tempore archiepiscoporum litteras non valuimus de conventu habere. Quapropter noverit vestra sublimitas quia mandatum vestrum nostra non contempsit humilitas; sed, sicut longe est ante nos dictum, qui jubet impossibile, facit se contemptibilem.

II. *Queruntur quod eorum monitis et consiliis hactenus non paruerit.*

Sed et tractatum de restauratione sanctæ Ecclesiæ, et statu ac salute populi christiani, quod nunc vos nobiscum habere velle dicitis, justius et rationabilius illud haberi potuisset, si nostris, quin potius divinis consiliis et observationibus atque obtestationibus superno respectu obtemperare voluissetis, quia non nostra scripsimus, mandavimus, diximus sed quæ, dictante charitate, quæ Deus est, in litteris sacris invenimus, et quæ naturæ insita recognoscimus. Cæterum quæ contra illa quæ scripsimus, mandavimus, diximus, acta sunt vel aguntur, naturalis legis morbus et vitium etiam a minus sapientibus esse dignoscitur. Qua de re prudens quisque resipiscat, et sapiat quam granditer Deus offenditur quando in sic grandibus et apertis non ignoranter peccatur. Unde scriptum est: *Descendant in infernum viventes* (*Psal.* LIV). Id est, labantur in peccatum scientes. Quæ divina permissione merito mundi patientis, propter communia peccata nostra, pastorum scilicet et gregum, propter delicta regis et regni, eveniunt sicut scriptum est: *Immissiones per angelos malos, viam fecit Dominus semitæ iræ suæ* (*Psal.* LXXVII). Tamen, sicut Veritas protestatur, non erit sine ultione vindictæ nec ipsi virga furoris Domini. Sic legimus, sic audivimus, sic vidimus, et pro certo sic cito videbimus: quoniam licet peccatores simus, sed pœnitentes, et in divina clementia fortiter confidentes, ministerium sacrum operante Spiritu sancto suscepimus, sine quo sacra non ministramus, et nobis dictum a Veritate veraciter scimus: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X).

III. *Quod sæpius illum ad ineundam cum fratre concordiam hortati sunt.*

Et licet dominatio vestra melius noverit de quibus scriptis, mandatis et dictis dicamus, tamen non ab re est si etiam et nos illa ad memoriam vestram reducamus. Primo quidem per Hildegarium [c], venerabilem episcopum, scriptis at dictis; secundo per Æneam [d], honorabilem episcopum, litteris et verbis; item per Æneam verbis, deinde per Hincmarum Rhemensem et Wenilonem Rothomagensem episcopos; iterum per eosdem, cum aliis quos ipsi vocastis, ea quæ saluti fuerunt congrua sufficienter audistis, quando sicut et ante petivimus, ut frater vester et omnes fideles illius ante vestram fideliumque vestrorum præsentiam in rationes loco et tempore congruo venissemus, et quæ male gesta forent, vestro consilio et auxilio cum Dei adjutorio fuerint emendata. Pro quibus omnibus dictis non obaudientibus valde timemus quod dicitur: *Si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt* (*Joan.* XV), et reliqua quæ Dominus comminatur. Et si illa non sunt exaudita, putari potest et nec ista, quæ vos dicitis apud nos velle quærere et audire, exaudientur. Videturque quibusdam, ut sicut Dominus, quando quæsivit ficus in ficulnea cui maledixit, cum non esset, teste Evangelio, tempus ficorum, aliud voluerit significare; ita et in hoc citato et incongruo conventu, remota do-

[a] Hincmar, archevêque de Reims; Immon, évêque de Noyon; Ermenfroi, évêque de Beauvais; Hincmar, évêque de Laon.

[b] On attribue cette lettre à Hincmar de Reims.

[c] Hildegaire, évêque de Meaux.

[d] Enée, évêque de Paris.

BQ 310 .M35

minationis vestræ sinceritate, de qua nihil contra puritatem volumus autumare, alia quædam possint intelligi. Et quia beatus Petrus omnem monet episcopum ut paratus sit ad satisfactionem omni poscenti se rationem, quæ nunc videmus, pro tempore damus fideliter dominationi vestræ consilia.

VI. *Ut consideret cur in fratris regnum venerit, et utrum talia sustinere velit, qualia fecit.*

Primo quidem in ipsa radice cordis adventum vestrum in hoc regnum inspicite, et coram oculis Domini, cui secundum Psalmistam cogitatio hominis confitetur, statera æquitatis ponderate; et quidquid hortatores et consiliarii ac laudatores vestri vobis dicant, ad cor redite; et quidquid ad accusationem et commendationem adventus vestri invenire et dicere potueritis, vestram conscientiam interrogate; et si talia sustinere vultis qualia facitis, judicate. Et illam horam quam certi estis quia nullo modo poteritis effugere, quando anima vestra de corpore exiet, ante mentis oculos ponite, quando totum mundum et omnem potestatem, et omnes divitias, et ipsum corpus derelinquet, et sine adjutorio uxoris ac filiorum, et sine solatio et comitatu drudorum atque vassorum nuda et desolata exibit, et quidquid cogitavit et ordinare disposuit, infectum dimittet, sicut dicit Scriptura : *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum* (*Psal.* CXLV) ; et videbit omnia peccata sua et sentiet, videns diabolos se constringentes et coartanctes, et quidquid contra charitatem et fidem debitam cogitavit, parabolavit, et fecit in isto sæculo et per dignos pœnitentiæ fructus non emendavit, ante oculos semper habebit, et effugere volet, et non valebit. Nam certum est quia ad omnes homines, quando egrediuntur de corpore, veniunt diaboli, et ad justos et ad peccatores : sed et ad ipsum Christum venit, in quo suum nihil invenit, sicut scriptum est : *Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV).

Et crede nobis veraciter, rex utinam semper bone et christiane, nec longe est, sed satis et plusquam speretur, prope tibi est illa hora. Propterea non te seducant ista quæ vides. In tempore quippe patris vestri vidimus per aliquos incepta et facta quæ in tempore isto, per istos qui ista conficiunt videmus fieri, et per alios videbuntur compleri. Et quando tibi adveniet hora exitus tui, sicut rident nunc, quando per te obtinent quæ volunt, in hora voluntatis suæ; sic ridebunt et in hora exitus tui, et quærent quomodo per alium teneant quæ per te obtinuerunt. Quod et fieri potest ut quidam etiam quærant in tempore tuo. Sed et illi, nisi dignam pœnitentiam egerint, miserabiliter ad illam horam venient exitus sui, sicut venerunt et illi qui defecerunt a patre tuo cum fratre tuo. Nam ut illi ordinantes seditiones in paternam reverentiam sic et isti vos excitantes in fraternam dilectionem, nomen pacis et statum Ecclesiæ, et salutem ac unitatem populi obtendere stu-

A duerunt; et latebat sub melle venenum. Et completum est in illis, complenturque in istis Psalmistæ dictum : *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum* (*Psal.* XXVII); et reliqua quæ sequuntur. Et receperunt illi in sæculo isto quæ nota sunt et receperunt in sæculo altero quæ in judicio plenius cognoscentur. Quorum isti intuentes exitum, timere debuerant actionem : et facient si illos respexerit Dominus qui respicit humiles et custodit parvulos, Et sic pestilente flagellato, ut scriptum est, sapientior erit parvulus ; et sapient, quia non repellet Dominus plebem suam, nec obliviscetur in finem : Quoniam *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam* (*Psal.* XI), dicit Dominus. Alioqui sicut tunc dixit illis, ita ex B nunc dicit Dominus istis : *Tacui, nunquid semper tacebo? quam si parturiens clamabo* (*Isa.* XLII). Nondum venit hora mea, sed nunc est hora vestra, et potestas tenebrarum. Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia venient dies in te. Roga tibi, quæsumus, in tali loco ubi bene possis intendere homiliam sancti Gregorii legere in lectione Evangelii : Videns Jesus civitatem, flevit super illam. Precamur vos, Domine ut et diem ante mentis oculos habeatis, quando cum omnibus hominibus anima vestra proprium corpus recipiet, et venietis ante faciem æternis judicis in conspectu omnium angelorum et hominum : in qua die, sicut dicit sanctus Paulus, judicabit Dominus unumquemque, non per alienum testimonium, sed occulta uniuscujusque per cogitationes accusantes, C aut etiam defendentes, quando recipiet uniuscuisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum. Et non despicientur tunc nostra verba quæ scripsimus, ab eis qui nunc illa contemnunt; quando sine dubio replicata erunt in testimonium in ipso tremendo judicio, et nullus illorum te tunc adjuvabit, qui nec seipsum adjuvare sufficiet, quando ibunt qui talia agunt qualia audimus et sentimus atque dolemus, si in talibus perseveraverint, in ignem æternum, et justi, qui injusta patiuntur, in vitam æternam.

V. *De eis quæ crudeliter et impie, qua transibat, fiebant, ut ea prohibeat et compescat.*

Quia tanta et talia crudelia et abominanda fieri, per parochias quas pertransitis, audivimus, et quæ-D dam sentimus, quædam sentire timemus, et illis qui senserunt et sentiunt condolemus, quæ calamitatem et miseriam quam a paganis [a] patimur, superant, quoniam a christianis in christianos a parentibus in parentes, a rege christiano in regem christianum, a fratre in fratrem, contra omnes leges divinas et humanas aguntur : contra quos clamat Ecclesia a paganis afflicta : *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt* (*Psal.* LXVIII) : Et nos omnes cunctique patientes, *Sustinuimus pacem, et non venit; quæsivimus bona, et ecce turbatio* (*Jer.* XIV); propterea talia

[a] *Paganis*, par les Normands, qui n'étaient pas encore convertis au christianisme.

prohibete, compescite et sedate; quoniam palatium vestrum debet esse sacrum, et non sacrilegum. Palatium enim regis dicitur propter rationabiles homines habitantes, et non propter parietes insensibiles, sive macerias. Et rex a regendo dicitur, ut se sub Deo et bonos cum Deo puritate cordis, veritate oris, firmitate stabilitatis regat, et pravos a pravitate corrigat et in rectitudinem dirigat. Et si quæ male facta sunt emendare venistis, pejora quam viderimus a christianis in christianos fieri, ingerere non debetis. Et si pacem facere advenistis, pacem pacifice ab auctore pacis obtinere debetis. Et si discordiam effugare et charitatem redintegrare venistis, illam quam Christus per Paulum docuit, monstrare debetis. Ait enim: *Charitas non est ambitiosa, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt; non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati* (*I Cor.* XIII); quæ est de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta; quæ operatur per dilectionem, et non per potestatem, vel indebitam cupiditatem: sine qua charitate, sicut scriptum est, etiamsi qui tradiderit corpus suum ut ardeat, nihil illi prodest. Quam omnibus Dominus in signum dedit, ut sciant si quisque est christianus, aut si intrabit in regnum Dei, an non, dicens: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* X.) Nam qui in primordio fidei discipuli appellabantur, nunc christiani dicuntur. Et ipsa est vestis nuptialis, quam qui non habuerit, de nuptiis cœlestis convivii in futuro judicio ejicietur in tenebras exteriores, et in ignem æternum, ubi erit fletus et stridor dentium.

VI. *Ut contra paganos potius arma convertat; et illos qui ab illis fugiunt, vexari a suis non sinat.*

Ipsa charitas vos contra paganos accendat; ut qui tunc moti non sunt ad pietatem ut nobiscum irent contra eos, qui de isto regno amplos habebant et habent honores (quod si facerent, et zelo recto accensi unanimiter vellent, expelli aut disperdi pagani, adjuvante Domino, poterant), vel nunc quacunque intentione a dominatu illorum per vestram ordinationem sancta liberetur Ecclesia, et regnum, quod contra eos redimitur, a tributo indebito eripiatur. Sed et qui fugiunt a facie paganorum, cum in illas partes venerint in quibus degitis, refugium tranquillum inveniant, et non talem deprædationem ut nec incolæ vivere nec fugientibus solatium possint præbere. Quia nunc peccatis nostris exigentibus completur quod olim dictum est per prophetam: *Qui fugerit a facie leonis, irruet in ursum; et cum intraverit domum, et innisus fuerit super parietem, mordebit eum coluber. Et cum effugerint arma ferrea, irruent in arcum æreum* (*Amos* V.) In omni enim parte miseri, proh dolor! afflictionem inveniunt.

VII. *Ut privilegia et immunitates ecclesiarum conservet, rectoresque illarum non inquietet, nec possessiones diripi permittat.*

Et si Ecclesiam Dei, sicut nobis scripsistis, quæ-
A ritis restaurare, debita episcopis et sibi commissis ecclesiis privilegia intemerata, sicut divinitus constituta sunt, custodite. Præcepta et immunitates et honorem earum, sicut avus et pater vester conservaverunt, conservare curate. Et quæ frater vester dominus noster, qui et paterna donatione, et vobiscum, cum vestris vestrorumque fidelium mutuis firmitatibus, regni partem accepit, pro cultu et honore ecclesiarum egit, similiter conservate; et rectores ac pastores ecclesiarum ut patres et Christi vicarios colite, sicut sancta Scriptura præcipit, dicens: *Sacerdotes Dei sanctifica, et magnatis humilia caput tuum* (*Eccli.* VII). Eorumque spiritualia consilia obaudite, iterum dicente Scriptura: *Interroga patres tuos, et annuntiabunt tibi; majores tuos, et*
B *dicent tibi* (*Deut.* XXXI); Et item: *Interroga sacerdotes meos legem meam* (*Agg.* II); et Dominus per Malachiam prophetam: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II). Eosque tempore incongruo et inopportuno nolite inquietare; sed liceat eis ministerium sacrum, ad quod ordinati sunt, in populi salutem peragere: sibique domestica cura subjectos nolite concutere, et non sinatis dehonestare, sive opprimere. Ut presbyteris honor congruus et jura debita, quæ canones et capitula avi et patris vestri statuerunt, conserventur, satagite. Ut episcopi quietam libertatem suas parochias circumeundi, et prædicandi ac confirmandi, atque corrigendi habeant, ordinate. Ut missus reipublicæ, id est minister comitis, cum ipsis, si jusserint, eat,
C qui liberos homines incestuosos, si per admonitionem presbyterorum venire ad episcopum noluerint, eos ad episcopi placitum venire faciat, commendate. Ut si episcopus pro quacunque necessitate ecclesiastica ad vos direxerit, ad quem suus missus veniat per quem quæ rationabiliter petierit, obtinent, in palatio vestro, sicut comes palatii est in causis reipublicæ, ministerio congruum constitutum habete. Ut temporibus a sacris regulis constitutis comprovinciales synodos cum episcopis, et speciales cum presbyteris, habere quiete possint, annuite [a]. Res et facultates ecclesiasticas, quæ sunt vota fidelium, pretia peccatorum, stipendia ancillarum et servorum Dei, deprædari et ab ecclesiis discindi nolite sustinere; sed fortiter, ut rex
D christianus et Ecclesiæ alumnus resistite atque defendite. De quibus consecratis Deo rebus quod habent liberi homines ecclesiis servientes per dispositionem rectorum ipsarum ecclesiarum, ideo constituerunt apostolorum successores hoc ordinari, ut quia creverunt fidelium vota, et increverunt fidelium mala, augeretur per dispensationem ecclesiasticam regni militia ad resistendam malorum nequitiam, quatenus ipsæ ecclesiæ defensionem haberent et pacem, et christianitas obtineret tranquillitatem. Quapropter sicut et illæ res ac facultates de quibus vivunt clerici, ita et illæ sub consecratione immuni-

[a] Il paraît que Louis de Germanie avait défendu aux évêques de tenir des conciles.

tatis sunt, de quibus debent militare vassalli; et pari tuitione a regia potestate in ecclesiarum usibus debent muniri. Quia vero Carolus [a] princeps, Pippini regis pater, qui primus inter omnes Francorum reges ac principes, res ecclesiarum ab eis separavit atque divisit, pro hoc solo maxime est æternaliter perditus. Nam sanctus Eucherius Aurelianensium episcopus, qui in monasterio sancti Trudonis requiescit, in oratione positus ad alterum est sæculum raptus, et inter cætera quæ, Domino sibi ostendente, conspexit, vidit illum in inferno inferiori torqueri. Cui interroganti, ab angelo ejus ductore responsum est, quia sanctorum judicatione, qui in futuro judicio cum Domino judicabunt, quorumque res abstulit et divisit, ante illud judicium anima et corpore sempiternis pœnis est deputatus, et recipit simul cum suis peccatis pœnas propter peccata omnium qui res suas et facultates in honore et amore Domini ad sanctorum loca, in luminaribus divini cultus et alimoniis servorum Christi ac pauperum, pro animarum suarum redemptione tradiderunt. Qui in se reversus sanctum Bonifacium et Fulradum, abbatem monasterii sancti Dyonisii, et summum capellanum regis Pippini ad se vocavit, eisque talia dicens in signum dedit ut ad sepulcrum illius irent, et si corpus ejus ibidem non reperissent, ea quæ dicebat, vera esse concrederent. Ipsi autem pergentes ad prædictum monasterium, ubi corpus ipsius Caroli humatum fuerat, sepulcrumque illius aperientes, visus est subito exisse draco, et totum illud sepulcrum interius inventum est denigratum, ac si fuisset exustum. Nos autem illos vidimus qui usque ad nostram ætatem duraverunt, qui huic rei interfuerunt, et nobis viva voce veraciter sunt testati quæ audierunt atque viderunt [b]. Quod cognoscens filius ejus Pippinus synodum apud Liptinas congregari fecit, cui præfuit cum sancto Bonifacio legatus apostolicæ sedis Georgius nomine [c]; nam et synodum ipsam habemus, et quantumcunque de rebus ecclesiasticis, quas pater suus abstulerat, potuit, ecclesiis reddere procuravit. Et quoniam omnes res ecclesiis a quibus ablatæ erant, restituere, propter concertationem quam cum Waifario Aquitanorum principe habebat, non prævaluit, precarias fieri ab episcopis exinde petiit, et nonas ac decimas ad restaurationes tectorum, et de unaquaque casata duodecim denarios ad ecclesiam unde res erant beneficiatæ, sicut in libro capitulorum regum habetur, dari constituit, usque dum ipsæ res ad Ecclesiam revenirent. Unde et domnus Carolus imperator, adhuc in regio nomine constitutus, edictum fecit ut neque ipse, nec filii ejus neque successores, hujusmodi rem agere attentarent: quod manu propria firmavit, cujus plenitudinem habemus, et de quo capitulum excerptum A in libro Capitulorum ejus, quicunque librum illum habet, et legere voluerit, invenire valebit. Hanc etiam relationem et in scripturis habemus, et quidam nostrum etiam viva voce domnum Ludovicum imperatorem patrem vestrum referre audivimus. Sed et sacri canones Spiritu sancto dictati, eos qui facultates ecclesiasticas diripiunt, et res ecclesiasticas indebite sibi usurpant, Judæ traditori Christi similes computant. Et sancti qui cum Deo in cœlo regnant, et in terris miraculis coruscant, divino judicto tanquam necatores pauperum ab Ecclesiæ liminibus et a cœlesti regno secludunt. De quibus sacrilegis in prophetia psalmi prædictum est: *Qui dixerunt: Hereditate possideamus sanctuarium Dei. Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam* B *ante faciem venti. Et sicut ignis qui comburit sylvam, et sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia* (*Psal.* LXXXII.)

VIII. *Ut monasteria laicis a Carolo concessa religiosis personis restituat.*

Monasteria etiam religiosa atque præcipua canonicorum et monachorum atque sanctimonialium habitacula, quæ ab antiquo tempore parentes vestri sub religioso habitu constituerunt, et in eis rectores et rectrices fecerunt, et quando parentes vestri primatum regni tenuerunt, et etiam quando sanctus Remigius Francos ad fidem, cooperante Domino, convertit, et cum rege ipsorum baptizavit, et frater vester dominus noster partim juventute, partim fra- C gilitate, partim aliorum callida suggestione, etiam et minarum necessitate, quia dicebant petitores, nisi eis illa loca sacra donaret, ab eo deficerent, et ipse aliquando per vos, sicut nunc patet, aliquando per fratrem vestrum regnum destitutus ab eis perderet, talibus, sicut scitis, personi commissit, debito privilegio restituite. Nam idem frater vester et divina inspiratione, et sacerdotali redargutione, et etiam ab apostolica sede commonitus, ex aliqua parte quæ perpere egit, correxerat: quæ autem adhuc incorrecta erant, quomodo emendare posset, sæpe gemebundus quærebat. Absit autem ut vos, qui pro restauratione sanctæ Ecclesiæ huc venistis, aut illa quæ ipse emendavit deterioretis, et sicut ille offendit, et vos offendatis, aut quæ ipse necdum D emendare potuit, inemendata sinatis: qui sæpe, sicut, et nos testes sumus, fratres vestros de talibus, monuistis, et in omni annuntiatione quam communiter faciebatis, promptissime inde disputabatis; sicut et secus Teudonis villam, in loco qui *Judicium* dicitur, capitula quæ habemus cum vestris fratribus acceptastis, et in chirographo apud Marsnam manu propria confirmastis. Contra quod si forte aliquis

[a] *Carlus* ou *Carolus*, Charles-Martel.

[b] Malgré le temoignage des évêques du concile de Quierzy, on doit regarder cette pretendue vision de saint Eucher comme une fable.

[c] Le concile de Lestines a ete tenu par l'ordre de Carloman, maire du palais, en 743. Hincmar prétend que Georges, legat du saint-siege, y assista avec saint Boniface, c'est une erreur: Georges ne fut envoye en France qu'après la mort de cet évêque.

egit, non propterea vos immunes eritis, si illud quod, teste Domino, pepigistis et confirmastis, observare, quod absit, non studueritis. Neminem quippe adjuvat quod aliena mala reprehendit, nisi et ipse illa caveat : quod demonstrat Paulus, dicens : *Putas, o homo, quod tu evades judicium Dei, qui eadem agis quæ judicas?* (*Rom.* II.)

IX. *Ut rectores monasteriorum sollicite provideant ut servi et ancillæ Dei secundum ordinem vivant.*

Rectores etiam monasteriorum, quibus monasteria committitis, firmiter et obnixe præcipite ut secundum ordinem et habitum ac sexum, quo inhabitantes constituti sunt sollicite et solerter prævideant ut secundum debitum ordinem servi vel ancillæ Domini vivant, et necessaria stipendia in victu et vestitu, et cæteris quibusque habeant, et domos ac servitores, prout competit, sicut religiosi et habitus et conversationis rectores, eis provideant, susceptionem etiam hospitum et pauperum nullomodo negligant. Quin et inconvenientes personæ, et res tales quæ religioni non congruunt, in monasteria non introducantur, non dicimus : quoniam religiosos rectores providentiam et curam debitam inde sumere debere non ignoramus.

X. *Ut hospitalia peregrinorum ad hoc ad quod deputata sunt, episcoporum concilio a rectoribus suis administrentur.*

Hospitalia peregrinorum, sicut sunt Scottorum, et quæ tempore antecessorum vestrorum regum constructa et constituta fuerunt, ut ad hoc ad quod deputata sunt teneantur, et a rectoribus Deum timentibus ordinentur, custodiantur, ne dissipentur, obtinete. Sed et rectoribus monasteriorum et xenodochiorum, id est hospitalium, præcipite ut sicut canonica docet auctoritas, et capitula avi et patris vestri præcipiunt, episcopis propriis sint subjecti, et monasteria atque hospitalia sibi commissa ipsorum regant consilio ; quoniam episcopi paternam sollicitudinem eis, secundum ministerium illorum, studebunt impendere. Et quia sæpe unicuique in omni ordine competentem legem et justitiam, una cum fratribus vestris, frequenti annuntiatione perdonastis, ecclesiastici et religiosi habitus viri ac feminæ, atque peregrini et pauperes, in quibus specialiter Christus suscipitur, perdonationem vestram sibi sentiant semper adesse.

XI. *Quod regem ita vitam instituere conveniat, ut omnibus sit exemplo.*

Et quia de statu et salute populi christiani, sicut nobis scripsistis, vultis quærere, primo a vobis ipsis incipite, qui alios debetis corrigere, sicut scriptum est : *Medice, cura temetipsum* (*Luc.* IV) ; et munda debet manus a sordibus esse, quæ alienas sordes curat detergere. Et quæ in aliis debetis corrigere, nemo in vobis juste valeat reprehendere. Super quantos enim estis in regni culmine, tantorum moribus debetis servire, et sicut lucerna super candelabrum in domo posita, bonitatis exempla monstrare ; quia omnium oculi in vos debent intendere : quos si malo exemplo destruxeritis, qui per vos et a vobis in bonum debuerant ædificari, sub tantis sine dubio in futuro sæculo pœnis vos necesse est torqueri. Propterea oportet ut qui rex estis, et dominus appellamini, in illum semper suspenso corde suspiciatis quo videlicet, Rege regum et Domino dominorum, nomen regis et domini mutuatis. Et sicut ille disponit orbem terræ in æquitate, et ad hoc, sicut in libro Sapientiæ dicitur, constituit hominem ut ipse similiter faciat, imitamini illum, si vultis regnare cum illo. Quia qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare, qui dicit : *Estote et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* (*Matth.* V). Et si dixeritis quomodo possum esse perfectus, cum alia scriptura dicat : *Si quis in verbo non offendit, ille perfectus est vir*, non cadit a perfectione qui non peccat malitiæ cupiditate : *Septies, enim cadit justus et resurgit : impii autem corruunt in malo* (*Prov.* XVI). Et : *Justus, cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam* (*Psal.* XXXVI). Qualitercunque vero quis peccet, cupiditatis voluntate aut fragilitatis necessitate, nemo illi prævalet melius indicare quam conscientia sua, quæ non potest latere oculos inspectoris sui. Propterea ita oportet vos vivere, judicare et agere etiam in occulto, quasi sitis semper in publico ; quia sæpe talis vos verbo laudabit, qui corde acriter reprehendet, sæpe etiam illa quæ vobis et in vobis laudaverit, apud alios de vobis reprehensibilia judicabit. Si autem, ut dicimus, adjuvante Domino, vivere, judicare et agere prævalebitis ; si vos non stimulaverit amor privatus ; si vos non inflammaverit cupiditas gloriæ, divitiarum, possessionum, et potentatus ; si non plus credideritis alienæ linguæ, quam propriæ conscientiæ ; si vos non roserit tinea adulationis ; si non vos usserit livor alienæ felicitatis ; si vos non vexaverit neglectus animæ et amor carnis ; si credideritis regem Christum non pro se, id est non pro sua necessitate mortuum , sed pro nobis, ut viveremus qui mortui eramus ; et vos plus studeatis aliis vivere in salutis suæ utilitatibus, quam vobis ipsis in propriis voluntatibus ; si scieritis vos esse morituros, et vos credideritis de factis propriis rationem Domino reddituros ; et quæ digne receperitis, sine fine vel immutatione aliqua habituros.

XXII. *Quomodo domesticos regere, quid Deo, quid subditis reddere, et quales palatii ac reipublicæ ministros constituere debeat.*

Domum vestram domesticam sic nutrite, regite et disponite, ut quando regni populus ad vos convenerit, in vobis et in domesticis vestris videant qualiter se atque domum, cum tanta humilitate atque castitate, quam sobrie, quam juste, quam pie nutrire, disponere debeant, et gubernare : quia sicut quidam sapiens dixit, secundum mores domini erit familia custodita. Et ideo domus regis schola dicitur, id est disciplina ; quia non tantum scholastici, id est disciplinati et bene correcti sunt, sicut alii ; sed potius

ipsa schola, quæ interpretatur disciplina, id est correctio, dicitur, quæ alios habitu incessu, verbo, et actu, atque totius vanitatis continentia corrigat. Et vos, sicut paxillus non bene infixus, nisi in Domino virtutum innixi fortiter fueritis, et vos cadetis, et qui in vobis pendent, labentur. Quapropter, sicut Dominus sub potestate constitutos ex tentatorum occasione docuit reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo ; ita et vos qui sub Deo estis et super homines estis, reddite quæ sunt Dei Deo ; et sicut Cæsar æquus, quæ subditorum sunt subditis reddite. Reddite Deo puram et immaculatam fidem et sincerissimum cultum in sacerdotibus, in ecclesiarum privilegiis, in sacris locis, in ecclesiasticis et religiosis viris ac feminis, in defensione Ecclesiæ et christianitatis, in æquitate et justitia populi christiani, in sublevatione et tranquillitate et consolatione omnium indigentium, sicut præmisimus. Reddite illi quotidianum pensum in quotidiana oratione, in justis et assiduis eleemosynis. Offerte illi devotionem vestram in sacris oblationibus et lacrymis secundum magnitudinem ac multitudinem quotidianorum peccatorum profusis. Reddite subditis judicium cum misericordia, justitiam cum æquitate. Studete exaltare humiles et Deum timentes, et debellare atque humiliare superbos. Studete a bonis plus diligi, quam timeri. Curate ut mali, si non propter Deum, vel propter timorem vestrum malum agere metuant. Non plus apud vos lingua dolosa, manus plena, obsequium indebitum valeat, quam veritas, æquitas et sinceritas, scientes scriptum : *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit* (*Isa.* XXXIII.) Unde consequenter intelligi debet, et non aliud. Munus enim est a lingua, favor ; munus a manu, donatio ; munus ab obsequio indebita subjectio. Constituite ministros palatii qui Deum cognoscant, ament, et metuant, qui maximam curam gerant quatenus quicunque necestuosi palatium adierint, et per quos perrexeritis, patrem et consolatorem mirantes, gaudendo vos videre accurrant, non, qualiter dicere nolumus, gemendo et maledicendo refugiant. Constituite comites et ministros reipublicæ qui non diligant munera, qui odiant avaritiam, qui detestentur superbiam, qui non opprimant neque dehonestent pagenses [a], qui messes et vineas et prata ac sylvas eorum nequaquam devastent ; qui eorum pecora vel friskingas [b], vel quæcunque illorum sunt, non prædentur, neque diripiant, et per violentiam ac mala ingenia quæ illorum sunt nullo modo auferant, qui episcoporum suorum consilio quæ Dei sunt, et Christianitati conveniunt, faciant ; qui placita non pro acquisitione lucri teneant, sed ut casæ Dei, et viduæ, ac pupilli, et populus justitiam habeant, et plus litigantes ad concordiam, salva justitia, revocare studeant, quam committere ut ipsi inde aliquod lucrum possint habere : quos si pacificare non potuerint, tunc sicut rectum est, justum judicium decerni cum A magna sollicitudine faciant, scientes scriptum esse : *Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, id est, facere judicium et justitiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo* (*Mich.* VI). Id est, ut quod illi placet, tibi placeat et facias ; quod illi displicet, tibi displiceat et non facias. Quod si per fragilitatem feceris, non contumaciter vel pertinaciter in tuo malo facto perseveres ; sed statim pedem sicut a ferro calido revoca, et in viam voluntatis Domini Dei tui dirige. Et sicut scriptum est : *Quia sunt viæ quæ videntur hominibus bonæ, et ducunt ad interitum* (*Prov.* XVI) fac sicut Scriptura tibi præcipit, quicunque es homo. *Interroga de via bona, et ambula per eam* (*Jer.* VI), quia sicut dicitur in Evangelio : *Ampla via est quæ ducit ad perditionem, et multi vadunt per eam : arcta* B *et angusta via est quæ ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam* (*Matth.* VII). Propterea quicunque es homo, audi prophetam, et ora cum propheta : *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper* (*Psal.* CXVIII). Et : *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, et viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei* (*ibid.*). Quia sicut Jeremias propheta dicit : *Non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos* (*Jer.* X) sed *a Domino dirigentur gressus viri, et viam ejus volet* (*Psal.* XXXVI). Ipsi comites similiter quantum potuerint, similes sibi timentes Deum, et justitiam diligentes per se ministros constituant, qui sicut seniores suos benignos et affabiles pagensibus suis viderint, et ipsi pro modulo suo illos imitari in omni bonitate et justitia certent.

C

XIII. *Ut eos qui propter has seditiones excommunicati sunt, ad Ecclesiæ pacem revocare studeat.*

Homines etiam potentes sæculi, qui inter istas seditiones legis jugum et justitiam æquitatis refugerunt, et talia ac tanta fecerunt pro quibus ecclesiasticam et episcopalem excommunicationem meruerunt, ad leges et justitiæ tramitem revocate ; et ut ad suos episcopos humiliter, sicut eis necesse est, veniant, jubete vel cogite ; et ut Ecclesiæ, in quam peccaverunt, aut cum debita necessaria humilitate satisfaciant, aut humiliter et veraciter se excusent, qualiter absolvi a Domino per ministerium episcopale valeant, suadete, atque regia potestate præcipite. Et si forte vos, vel quicunque alii de eorum societatis et conjunctionis communicatione infecti et con- D demnati sunt, pœnitentiam quiscunque se recognoscendo faciat ; quia, teste sacra auctoritate, non poterit absolvi a suis, qui peccatis damnabiliter gravatur externis. Sicut orans Deum sanctus propheta David demonstrat, dicens : *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* XVIII.)

XIV. *Judices villarum regiarum qualiter constituendi sint.*

Judices denique villarum regiarum constituite qui non sint cupidi, qui non diligant avaritiam, et

[a] *Pagenses*, paysans.

[b] *Friskingas*, jeunes porcs.

usuras nec ipsi faciant, nec pecunias regias vel suas ad usuras donent, neque a suis subditis usuras fieri sinant : quæ omnia vos super omnes ministros vestros odire debetis et fugere. Et servos regios judices non opprimant, nec ultra quod soliti fuerunt reddere tempore patris vestri ab eis exigant ; neque per angarias in tempore incongruo illos affligant ; neque per dolos, aut per mala ingenia, sive inconvenientes precationes, colonos condemnent : quia si per tales vel alias hujusmodi factiones pondus argenti vel auri habueritis in arca, majus et gravius pondus erit peccati quod habebitis in conscientia vestra et anima. Ædificent villas vestras moderatis castitiis, ut et honestas necessaria sit, et familia non gravetur. Laborent et excolant terras et vineas in tempore cum debita sollicitudine, salvent et dispensent laborata cum fideli discretione, faciant nutrimenta congrua et necessaria ; custodiant silvas, unde habeant pastiones ; defendant et excolant prata, unde habeant pabula ; quatenus non sit vobis necesse per quascunque occasiones quorumcunque hortatibus circuire loca episcoporum, abbatum, abbatissarum vel comitum, et majores quam ratio postulat paratas [a] exquirere, et pauperes ecclesiasticos et fidelium vestrorum mansuarios in carricaturis et paraveredis [b] contra debitum exigendis, gravare, et peccatum de facultatibus indebite consumptis in animam vestram congerere. Neque et comitibus vel fidelibus vestris plus studeatis quam lex et consuetudo fuit tempore patris vestri, de hoc quod de francis accipiunt, exquirere. Quin potius habeatis unde sufficienter et honeste cum domestica corte vestra possitis vivere, et legationes palatium vestrum adeuntes recipere, et, sicut scriptum est, unde possitis de justis laboribus necessitatem patientibus tribuere : quia rex et largus debet esse, et non quod largiatur de injustitia vel iniquitate debet conquirere. Judices vero villarum colonos distringant ut non ecclesiasticos homines vel francos pauperiores, aut alienos servos, propter privilegium regium opprimant, aut silvas vel quæcunque aliorum sunt in sua vicinitate devastent. Quia rex justus, qui justitiam debet diligere, ministros et colonos impios et iniquos non debet habere ; sed omnibus in se et in suis debet imitationem debitam demonstrare : quia si ipse Deum dilexerit, omnes boni diligent illum ; et si ipse Deum timuerit, omnes mali timebunt illum. Et rex atque sui ministri per amorem Dei bonum faciant, et omnes bona facere doceant, et per timorem Dei mala fugiant, et omnes in illis mala fugere discant. Missos etiam tales per regnum constituite, qui sciant qualiter comites et cæteri ministri reipublicæ justitiam et judicium populo faciant, qui sicut comitibus præponuntur, ita scientia, justitia ac veritate eis præemineant.

XV. *Ut synodus episcoporum regni exspectetur, in qua quid facto ipsis opus sit deliberent. Quanta* A *reverentia regibus debeatur, et quod episcopi ad sacramenta adigendi non sint.*

Hæc, quia litteris vestris significastis, quod nobiscum de restauratione sanctæ Ecclesiæ, et statu ac salute populi christiani, tractare velletis, dominationi vestræ scripto respondere curavimus : quia et pro inclementia aeris, et pro inconvenientia temporis, et propter imminentem diem Domini nostri Natalis, venire ad præsentiam vestram nequivimus. Operamini vos interim ista quæ cum fidelibus vestris sine nostra corporali præsentia operari valetis. Et cum tempus congruum et sacris canonibus designatum advenerit, quando et pro paganorum infestatione, et pro exorti tumultus ac deprædationum atque rapinarum miserrima nimis confusione, nobis B licuerit cum dominis et confratribus ac comprovincialibus archiepiscopis et coepiscopis synodum, favente Domino, celebrare, quæ his sunt residua, cum eis sicut cum magistris et patribus tractare, et vestræ dominationi debitum consilium dare studebimus. Et si Deus soliditatem et salutem Ecclesiæ atque regni in manu vestra adunare et prosperari decreverit, quæ cum archiepiscopis et coepiscopis nostris plus congruere divinis dispositionibus viderimus, agere sub famulatu recti regiminis vestri studebimus. Potens est enim Deus minus bonum initium in perfecte bonum commutare processum, cui noscitur esse possibile quod impossibile solent homines judicare. Si enim sapientia vestra dignum judicat loqui et tractare cum vicino rege ejusque fidelibus, secedente C de ista parte regni domino nostro, fratre videlicet vestro, multo magis nos oportet exspectare tempus canonicum, ut cum fratribus et comprovincialibus archiepiscopis et episcopis loquamur, quia generalis causa imminet totius Cisalpinæ ecclesiæ. Maxime autem nobis necesse est loqui cum illis archiepiscopis et episcopis, qui consensu et voluntate populi regni istius dominum nostrum fratrem vestrum unxerunt in regem sacro chrismate divina traditione, quemque sancta sedes apostolica mater nostra litteris apostolicis ut regem honorare studuit et confirmare. Legite libros Regnum, et invenietis quanta reverentia reprobatum et abjectum a Domino Saul ducere dignum duxit sanctus Samuel, cujus locum in Ecclesia nos licet indigni tenemus. Et attendite quam magni penD dit sanctus David, in loco illius electus, et unctus a Domino, mittere manum in Christum Domini ; cum Saul non solum ex alia progenie, verum ex alia tribu erat ; et illum rejectum, et se electum a Domino cognoscebat ; et nihil firmitatis Sauli David fecerat, sed plurimum adjutorium et devotam servitutem ei impenderat. Et neque bello auferre, neque ingenii dolo, illi regnum subripere attentavit. Et cum multos ad hoc suasores et auxiliatores habuisset, nulli autem ut hoc moliretur accommodavit,

[a] *Paratas*. Frais de réception.

[b] *Carricaturis et paraveredis*, carrorum et equorum ad subvectionem operis.

quamvis multas persecutiones et morti proximas ab eo sæpissime sustinuerit. Insuper et bene scitis quid de illo jusserit, qui, licet mendaciter, pro illius tamen gratia acquirenda se manum misisse in Christum, id est unctum Domini, nuntiavit : nam si est aliquis qui hæc ignoret, nos ei dicimus quia gladio eum interficere jussit. Sic et qui infideliter et contumaciter in unctum qualemcunque Domini manum mittit, Dominum Christorum Christum contemnit, et in anima procul dubio spiritalis gladii animadversione perit. Hæc dicimus, non ut exaggerationes contra dominationem vestram incongruas exquiramus, sed ut evidentius pro qualitate nostri ministerii, quid, excepta debita fide et beneficienta, nobis in fratre vestro reverendum sit, demonstremus. Talem nempe vos debemus et volumus credere, ut nec vos regni augmentum cum animæ vestræ detrimento velitis habere, neque nos cum tali dedecore ad adjutorium ecclesiastici regiminis et gubernationis recipere, ut sine sacerdotio simus ; quo privati erimus, si contra Deum et rationis auctoritatem, nos, ecclesiasque nostras vobis studuerimus committere. Ecclesiæ siquidem nobis a Deo commissæ non talia sunt beneficia, et hujusmodi regis proprietas, ut pro libitu suo inconsulte illas possit dare, vel tollere : quoniam omnia quæ Ecclesiæ sunt, Deo consecrata sunt. Unde qui Ecclesiæ aliquid fraudatur aut tollit, sacrilegium secundum sanctam Scripturam facere noscitur. Et nos episcopi Domino consecrati, non sumus hujusmodi homines ut sicut homines sæculares in vassallitico debeamus nos cuilibet commendare, sed ad defensionem et ad adjutorium gubernationis in ecclesiastico regimine nos, ecclesiasque nostras committere, aut jurationis sacramentum, quod nos evangelica et apostolica auctoritas vetat, debeamus quoquomodo facere. Manus enim chrismate sancto peruncta, quæ de pane et vino aqua misto per orationem et crucis signum conficit corpus et Christi sanguinis sacramentum, abominabile est, quidquid ante ordinationem fecerit, ut post ordinationem episcopatus sæculare tangat ullo modo sacramentum. Et lingua episcopi, quæ facta est per Dei gratiam clavis cœli, nefarium est ut sicut sæcularis quilibet super sacra juret in nomine Domini et sanctorum invocatione ; nisi forte, quod absit, contra eum scandalum acciderit Ecclesiæ suæ ; et inde sic temperanter agat, sicut, Domino docente, constituerunt rectores Ecclesiæ synodali concilio. Et si aliquando sacramenta ab episcopis exacta aut facta fuerunt, contra Deum et ecclesiasticas regulas, quæ Spiritu sancto dictatæ et Christi sunt sanguine confirmatæ, irrita sanctæ Scripturæ paginis declarantur ; et exigentes atque facientes medicamento exinde salutaris pœnitentiæ indigent [a]. Propterea exspectate, domine, patienter sicut princeps christianus Ecclesiæ filius, et honorate sanctæ Ecclesiæ rectores ; ut vos honoret qui nobis dixit : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x). Et : *Honorantes me honorabo, et hi qui temnunt me, erunt ignobiles* (I *Reg.* II). Et : *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei* (*Zach.* II). Et in psalmo : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (*Psal.* CIV); quoniam : *Qui malignantur*, id est maligna agunt, *exterminabuntur : sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram* (*Psal.* XXXVI), hoc est regnum Dei. Et cum venerit tempus et locus, sicut superius diximus, loquemur cum nostris confratribus; et sicut Domini justis dispositionibus viderimus convenire, sine dubio faciemus. Et non est rationabilis causa quæ contra hoc quod petimus vos debeat stimulare : quia non sumus hujusmodi homines ut cum cognoverimus voluntatem Domini, velimus aut debeamus quomodo resultare, vel rixas et dissensiones seu seditiones, quas vulgus *werras* nominat debeamus commovere, conserere, vel tenere, quos Dominus pacis prædicatores et sectatores voluit ordinare, et peccata nostra atque nobis commissorum, et etiam totius populi, constituit plangere et curare, et bellum cum vitiis, et pacem cum fratribus jussit habere. Nos equidem pacem et quietem, non rixas et bella, optamus et quærimus : Quia sicut dicit Apostolus : *Non sunt nobis carnalia arma, sed spiritalia, et potentia* (*II Cor.* x), quibus sumus calceati pedes in præparatione evangelii pacis, induti lorica justitiæ et galea salutis, accincti lumbos in veritate, habentes scutum fidei et gladium Spiritus sancti : quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Et non militamus terreno regi, sed cœlesti, pro salute et nostra et terreni regis, et totius populi nobis commissi : quorum officium est nulli nocere, contra neminem infideliter agere, omnibus autem velle prodesse. Tandem, domine nobis rex, contra Deum et contra animam vestram non audiatis illos qui dixerint, si forte vobis dixerint : non tibi sit curæ, rex, quæ tibi referunt illi fellones atque ignobiles ; hoc fac quod tibi dicimus, quoniam cum nostris, et non cum istorum parentibus, tenuerunt parentes tui regnum. Nos autem obsecramus dominationem vestram, attendite potius, si christianus rex estis, sicut et Deo gratias egistis, et in illum creditis, et per illum regnare vultis, *Per quem*, sicut scriptum est, *reges regnant* (*Prov.* VIII), et cujus est regnum, imo orbis terræ et plenitudo ejus, quia idem Deus in carne veniens, qui solus rex fieri potuit et sacerdos, et in cœlum ascendens suum regnum, id est suam Ecclesiam, inter pontificalem auctoritatem et regiam potestatem gubernandum disposuit, et non elegit ad hoc divites et nobiles, sed pauperes et piscatores, et sicut scriptum est : *Ignobilia et contemptibilia mundi elegit, ut confundat fortia* (*I Cor.* I). Et fieri potest ut tales vobis ista dicant (si forte minus necessario Deum timentes vobis dixerint) cum quorum parentibus diabolus, qui secundum Scripturam : *Est rex super omnes filios super-*

[a] Voyez le concile de Pontyon, de l'an 876, où Hincmar prêta le serment de fidélité au roi

biæ (*Job* XLI), regnum Christi, quod est Ecclesia, conturbaverit, et nunc eos in regno suo, id est in inferno, retineat, et secum in sæcula retinebit. Pro certo autem sciatis quia cum nostris parentibus, id est cum apostolis, Christus, Rex regum, regnum suum, id est Ecclesiam, conquisivit, ampliavit, et rexit, et per nos et nobiscum, utinam non ad judicium nostrum dicamus! eamdem Ecclesiam, id est regnum suum, quotidie acquirit, auget, atque gubernat idem Dominus Jesus Christus, sicut dictum est a Domino Ecclesiæ per prophetam: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* (*Ps.* XLIV; id est pro apostolis, creavit tibi episcopos, qui te regant et doceant. Cum qua Ecclesia nobis a Deo commissa, rex christiane et domine, sicut litteris vestris jussistis, jejuniis et orationibus, ac litaniis, Dominum summum gubernatorem in navi sanctæ Ecclesiæ fluctuante in hoc mare, id est sæculo naufragoso, peccatis nostris communibus dormientem pulsare et excitare, et pro vobis deprecari studebimus: ut quantocius pro sua ineffabili pietate evigilet et imperet ventis et mari, id est tentationibus diabolicis et inquietudinibus sæcularium hominum, ut redeat quantulacunque tranquillitas, gratia et misericordia ejusdem Domini nostri Jesu Christi, cui est et sit potestas et honor, et gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA II.

AD NICOLAUM PAPAM.

De vacatione sedis Cameracensis, et de Balduini et Judith conjunctione: deque Rothadi depositione, ac hæresi Gothescalci.

(Ex Sirmondo.)

Domino unice singulariterque suspiciendo Patrum Patri, et summa veneratione honorando, reverentissimo papæ NICOLAO, HINCMARUS, nomine non merito Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus.

In epistola vestræ sanctitatis, per Odonem episcopum episcopis in regno Lotharii pro præjudicio Cameracensis Ecclesiæ directa, relegi vestram auctoritatem sciscitaturum, cujus neglectu eadem Ecclesia ultra decimum mensem pastore vacaret. Unde ne ut negligens a vestro apostolatu succensear, indico auctoritati vestræ, post directas Lothario et episcopis regni ejus, atque Hilduino, qui eamdem Ecclesiam irregulariter occupat, ita ut antequam ipsas mitteretis epistolas, hactenus præjudicium permanere: neque Lotharium regem et legatis et litteris, prout potui, sæpe et eo usque commonuisse, donec regiis suis litteris mihi respondit, Hilduinum ad vestram auctoritatem suum legatum misisse, et nihil aliter de præfata Ecclesia nisi ut egerat disponere debuisse, donec a vobis inde responsum acciperet.

Balduinus quoque in proximo nunc decurso mense Octobrio, quinto Kalendas Novembris, per duos homines suos mihi litteras auctoritatis vestræ direxit, in quibus continetur, ut easdem litteras coepiscopis provinciæ nostræ legerem, et Judith paternis ac maternis obtutibus præsentandam susciperemus, si tamen intelligeremus, quod confestim præfatus ex-

A cellentissimus rex noster, quæ de illa vobis scriptis et verbis per legatos vestros apostolatui vestro renuntianda spopondit, adimplere vellet. Quod si eorum animos ad in protelandum esse intentos investigare possemus, nequaquam eam reciperemus. Alioquin, id est si aliter egissemus, gratia et communione vestra frui nequaquam valeremus. Quam vestræ auctoritatis epistolam ut oportuit reverenter suscepi, et coepiscopis nostris eam relegi, et pro præfata Judith apud patrem et matrem illius quantum potuimus, ut mandastis communiter intervenimus et paternis ac maternis obtutibus eam præsentare studuimus. Post quæ voluimus, quia sic nobis secundum sacras regulas, sicut eas intelligimus, visum fuerat (non enim sine dignis pœnitentiæ fructibus B absolvi posse putamus, quod anathematis vinculo a sacris regulis innodatum videmus) ut juxta ecclesiasticam traditionem prius Ecclesiæ quam læserant satisfacerent, et sic demum quod præcipiunt jura legum mundialium exsequi procurarent. Sed quoniam litteras vestras, quæ inde nihil præceperunt, imo etiam nullam protelationem in eorum conjunctione fiendam significaverunt, sibi sufficere voluerunt, et sine vestra auctoritate, ad quam clamaverant, cogi nisi alio se mode submitterent non debuerunt: ex altera epistola vestræ sanctitatis eis retuli, quod non leges ecclesiasticas dissolvistis, sed preces pro eo misistis, qui puniri secundum leges mundanas poterat, quatenus locum pœnitendi haberet quod contra leges divinas admiserat. Sic et Salvator noster, qui vult omnes homines salvos C fieri, et neminem vult perire, in cruce apud Patrem jure sacerdotis pro suis persecutoribus intercessit; quod in eis qui post passionem ejus crediderunt, et compuncti pœnitentiam egerunt, qui cum Patre omnia donat efficaciter impetravit. Ad cujus instar apostolorum vicarius, ad quorum limina confugerunt, et catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ summus pontifex, quod in hominem regem et in leges mundi peccatum est perdonari petistis: ut quod in regem cœli et terræ, et in leges cœlestis regni offensum erat, haberent inducias per pœnitentiam abolendi. Econtra carnales, et etiam quidam eorum qui antea conjunctioni hujusmodi contradicebant, hac defensione ut eis visum fuerat se protegentes, sed sicut se habet veritas salute nudantes, ab istius D novissimæ vestræ epistolæ verbis recedere noluerunt, quam sine protelatione eorum conjunctionem debere fieri demonstrare dicebant. Dicenti vero mihi, quia pro nulla potestate terrena quod de ecclesiasticis regulis intelligeretur dimittere deberem: maxime cum etiam mecum, imo cum Deo, domnus rex noster filius vester Carolus faceret: quasi consulendo mihi quidam hoc dederunt consilium, in quo non meis, sed verbis eorum utar, quæ mansuetudo vestra, velut exemplum et doctrix disciplinæ Dei, mitis et humilis corde ac patiens æquanimiter sustinebit, dicentium, ut quia non sæcularis, sed ecclesiastica pietas de hoc mihi negotio

imperaret, conspirationem resistentium aliquantulum declinarem, ne quisquam æmulus noster vestræ sanctitati suggereret, quasi in contemptum sancti Apostolatus vestri et sedis apostolicæ hoc egissent, et vestræ mansuetudinis erga me animum commoveret, et quamcunque excommunicationem, sicut pro Rothado actum fuerat (quod tamen ad me non parvenit, nisi quantum Odo episcopus, et postea Luido detulit), antequam ad auctoritatem vestram gestorum seriem inde mittere valuissemus, vel quomodo res gesta fuerit per legatos vestros resciretis, obtineret. Præsertim cum in hac epistola vestræ auctoritatis legatur, quod si aliter egissemus quam in ea scriptum est, gratia et communione vestra frui nequaquam valeremus. Quo contra mihi dicenti hoc in epistola vestra ob id posuisse, ne femina illa a nobis deciperetur, et non ob hoc, ne Ecclesiæ satisfaceret, responderunt, cur aliter vellem vestram epistolam intelligere, quam vobis placuit eam componere, cum de in præterito mihi transmissis ejus sensum possem manifeste cognoscere. Quapropter memor præteritarum epistolarum mihi et episcopis regni filii vestri domni Caroli a vobis missarum, attendens etiam quæ in epistola nuper per Luidonem mihi benignitas vestra mandaverat (hæc enim in Antisiodoro post adventum Luidonis ventilabantur) inter metum præteritarum et spem posterioris epistolæ mihi mitiora monstrantis, contentionem in hac causa dissimulando vitavi, et condescensionem quasi in tempus aliud differendo dissimulavi : exspectans ut in causæ hujus quæ instat dispositione vestra, ex Rothado discere valeam qualiter de reliquo in hujusmodi agere debeam. Sicque nihil nobis de ecclesiastico ministerio eis interdicentibus, sed tamen quod valuimus nostram præsentiam ab hoc negotio subducentibus, Balduinus et Judith jura legum sæcularium quæ elegerunt exsequi studuerunt. Domnus etiam noster rex filius vester huic desponsationi et conjunctioni interesse non voluit : sed missis publicæ rei ministris, sicut vobis promisit, secundum leges sæculi eos uxoria conjunctione adinvicem copulari permisit, et honores Balduino pro vestra solummodo petitione donavit.

Denique ad epistolam vestræ auctoritatis, ad quam me misistis, obedienter audiendam, generaliter omnibus episcopis regni domni nostri Caroli regis gloriosi pro Rothadi causa per Odonem episcopum transmissam, sicut litteris exiguitati meæ directis sanctitas vestra præcepit, conveni, et simul cum eisdem venerabilibus episcopis, quantum ex me fuit, mox antequam synodus solveretur, vestram jussionem de eodem Rothado, ne aliqua mora vestræ præceptionis implendæ, aut de superventione paganorum, aut de alia qualibet causa interveniret, adimplere curavi, sicut et legati domni regis ac nostri et litteræ pleniter vestræ notum facient sanctitati. Sed quoniam causa interveniente, quam vobis ipsi legati referent, statim ut præcepimus datis litteris,

A et designatis nostris vicariis, ad vestram præsentiam cum eodem Rothado ire non potuerunt, et ob id diutius quam voluerimus immorati fuerunt : interea Luido legatus domni nostri regis a vestra rediens sanctitate pridie Kalend. Decembris vestras apostolicas litteras domno nostro regi filio vestro in civitate Antisiodoro detulit ; et quia filius ejus atque æquivocus Carolus, qui patris animum in quibusdam offenderat, et ob id ad ejus præsentiam quorumdam suggestione aliquantulum venire distulerat, patrem legatis suis petiit, ut meam parvitatem cum aliis quibusdam suis fidelibus pro eo ad ipsius vestigia deducendo transmitteret : quatenus nostro interventu patrem placabiliorem invenire valeret, exiguitatem humilitatis meæ domnus rex illuc
B in suum venire servitium jusserat. Quo mox ut veni, mihi litteras vestras legendas donavit. In quibus licet pro sua dignatione sublimitas vestra humilitatem meam sine ulla meriti prærogativa benigne tractaverit, et a mea insipientia scripta, sapientia vestra, supra id quod scio atque intelligo, non tamen absque inducto cauterio, laudare dignata fuerit : tamen in eis videor mihi videre vobis multiloquium meum increscere. Unde dignetur sanctitas vestra dignanter suscipere, quod beatus Augustinus de suo multiloquio Domino dominorum audacter non dubitavit dicere (*lib.* XV *de Trinit.* in fine), cum se inde apud eum voluit excusabilem reddere, inter alia scribens : « Loqui multum non est nimium, si tamen est necessarium. »

Qua de re, sanctissime domine et Pater reve-
C rentissime, æquanimiter sustinete modicum quid insipientiæ meæ, sed et supportate me, si adhuc quiddam de Rothadi causa vobis jam sufficienter notissima quasi repetens scribo. Cum quo, quia vobis placet cui cuncta bona placent, mittimus vicarios nostros, non ut accusatores ad confligendum, sed ut a Rothado, atque a vicinis nostris, qui causam pleniter ac veraciter aut nesciunt aut scire non volunt, accusati. Quod non in contemptum sedis apostolicæ, appellantem Rothadum secundum Sardicenses canones sedem apostolicam, sed eum qui ad electorum judicium de certis capitulis provocavit, juxta Carthaginenses et Africanos canones, ac decreta beati Gregorii, regulariter judicavimus vestræ summæ auctoritati humiliter intimandum.
D Absit enim a nobis, ut privilegium primæ et summæ sedis sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontificis pro sic parvo pendamus, ut controversias et jurgia tam superioris quam etiam inferioris ordinis, quæ Nicæni et cæteri sacrorum conciliorum canones, et Innocentii atque aliorum sanctæ Romanæ sedis pontificum decreta, in synodis provincialibus a metropolitanis præcipiunt terminari, ad vestram summam auctoritatem fatigandam ducamus. At si forte de episcopis causa nata fuerit, unde certa et expressa in sacris regulis non habeamus judicia, et ob id in provinciali vel in comprovinciali nequeat examine diffiniri, ad divinum oraculum, id est

apostolicam sedem nobis inde est recurrendum. Si etiam de majoribus causis a provinciali episcopo ad electorum judicium non fuerit provocatum, et in aliqua causa idem episcopus fuerit judicatus, id est a gradu suo in comprovinciali synodo dejectus, et putat se bonam causam habere, et appellaverit qui dejectus est, et confugerit ad episcopum Romanæ Ecclesiæ, et voluerit se audiri : si justum putaverit ut renovetur examen, scribendum est ab his, qui causam examinarunt post judicium episcopale, eidem summo pontifici, et ad illius dispositionem secundum septimum Sardicensis concilii capitulum renovabitur examen. Nam de metropolitano per sacras regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab apostolica sede pallium accipit, sicut Leo ad Anastasium, quod et Nicænum concilium innuit, et cæteri Romanæ sedis pontifices in decretis suis ex sacris canonibus monstrant, sedis ipsius pontificis etiam ante judicium est sententia præstolanda. Is enim est qui secundum Ezechielem prophetam moratur in gazophylacio quod respicit viam meridianam et excubat in custodiis templi (*Ezech.* XL., 45). Et nos metropolitani ad comparationem illius sumus qui in ministerio altaris, quod est ante faciem templi, in quo carnes incenduntur, servimus, et controversias carnalium in synodis provincialibus laborantes dirimimus, et de majoribus ac majorum causis ad examen summæ sedis pontificis post judicium referre curamus. Homines enim sub illius potestate sub nobis commilitones habemus, et dicimus huic vade et vadit, et alio veni et venit : quoniam ut Leo dicit (*epist.* 82, *ad Anastasium*) : « Et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret. De qua forma episcoporum quoque orta est distinctio, et magna ordinatione provisum, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et per quos ad unam beati Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non moleste ferre debet aliquem sibi esse prælatum : sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat. » Quam Rothadus a suis exigere magis, quam sacris regulis sategit dependere, cum etiam sancti angeli in cœlo legantur suis potioribus obedire. Et ideo ad hoc pervenit ut dejici promeruerit, quem per plures annos et beneficiis impensis, et monitis atque obsecrationibus, per me et per coepiscopos, ac per quoscunque familiares potui, ad obediendum sacris regulis commonere curavi. Multoties etiam et per litteras metropolitanas, et ex apostolicæ sedis auctoritate, minas ei inculcare curavi, et ex lectione catholicorum quam graviter offendebat ei ostendere studui ; ad quæ respondebat, quia nihil aliud facere sciebam, nisi ei meos libellos tota die ostendere. Unde a multis et frequen-

A tissime redargutus fui, cur incorrigibilem et ministerio sacro inutilem tandiu scienter contra Dei voluntatem et sacram auctoritatem portarem. Ego vero, quamvis sæpissime et regem, et coepiscopos ac vicinos suos, et etiam me multo sæpius, quasi ex studio ad iracundiam provocare satageret, licet non posset, sciens periculosissimum esse in sacerdote perturbatam et præcipitem iram, præcipitemque proferre sententiam, et persecutionum supplere sævitiam, dissimilitudines morum, contumacias inobedientium, et malignarum tela linguarum, diu illum non sine timore de periculo animarum sibi commissarum portavi, et cum amplius portare non debui, ad plurimorum episcoporum concilium, ut vel eos audiret, deduxi : quorum non
B audire consilium, sed adversum me postulare judicium maluit. Ad cujus petitionem ut ei satisfacerem, ut vel sic erubesceret, et a cœpta se stultitia revocaret, judicio me devinxi, velut jam vestræ sanctitati plenius aliis litteris intimavi, et replicare me pro vestræ auctoritatis satisfactione cogit necessitas, ut cognoscatis quoniam nihil in eum egi animo inimico, sed zelo divino, quantum in conscientia mea perspicere valeo. Sed et domno regi, ac episcopis regni ejus, et quamplurimis tam ecclesiasticis quam sæcularibus viris, hæc sunt nota quæ dico. Post depositionem autem illius, obtinui ut unam abbatiam valde bonam ei domnus rex et episcopi consentirent, et omnes nos illi sicut patri de nostris impendiis serviremus : quatenus qui in deliciis vitam semper perduxerat, non frangeretur. Tantum
C ut seditiosus et molestus Ecclesiæ cui præfuerat esse non decertaret. Quod primum quidem acquievit. Sed, ut dicunt qui hoc se scire testantur, quidam episcoporum regni Lotharii, zelo amaro contra nos ducti, quia illorum consiliis de Waldrada non acquievimus, et etiam aliqui de Germania, ut quidam dicunt, ad Ludovici sui regis suasionem, quoniam cum eo non feci sicut Rothadus in fratris sui de regno expulsione, persuaserunt eidem Rothado, ut non se a seditione movenda concrederet, et ipsi apud vos obtinerent ut restitueretur. Nunc autem, sicut jussistis, ad vestram præsentiam et dispositionem illum perduci apud domnum nostrum regem filium vestrum obtinuimus, credentes quia quod Domino inde placabilius erit, cordi vestro inspirare
D dignabitur. De quo quia benignissima dignatio vestra mihi servo per Luidonem dignata est scribere, ut juncto mihi integro collegio fratrum, secundum modum ibi descriptum, vestra apostolica censura fretus, studerem illum pristino reintegrare decenter officio : sciat reverentissima et amantissime colenda dulcissima vestra paternitas, hoc me agere nequivisse, pro his quæ continentur in subditis. Videlicet quia cum litteris ad vestram auctoritatem deferendis idem Rothadus jam commissus erat eis, qui ad vestram præsentiam illum deducerent, et mihi non erat possibile integrum fratrum collegium convocare : quoniam, ut supra scripsi, a diœcesi nostra

longius eram remotus, in filii vestri regis nostri servitio : et quoniam sine illorum judicio, qui in ejus depositione fuerant, et quibus inde scripsistis, restitui regulariter non valebat : et episcopi aliarum provinciarum per meam convocationem in multis occupati congregari non poterant. Sed et coepiscopi Rhemorum provinciæ ab ipsa synodo, in qua epistolam sanctitatis vestræ audivimus, causa resistendi Normannis ad suas sedes festinare maturaverunt. Pauci etiam numero episcopi, qui mecum in filii vestri regis nostri erant obsequio, cum eis benignitatis vestræ commendationem de Rothado relegi, responderunt non se scire talem vitam atque intelligentiam, taleque studium sacri ministerii in eo fuisse, ut in hoc se miscere auderent; præsertim cum is, qui antea aliquam reverentiam de dejectione sua habebat, et semper inobediens et sacris regulis, et regiæ dignitati, et metropolitano privilegio fuerat, nunc effrenatius ad multorum malum exemplum, et plurimorum benevolentium scandalum, desævire et negligentius atque perniciosius vivere voluntatibus suis serviens cum libertate deberet. De eo autem quod benignitas animi vestri pensans non belluinum, sed humanum hominis animum, scripsit dicens : « Fortasse cognoscet dilictum suum, et sua sponte in judicio quo judicatus est perseverare deliget. Quod si fecerit, apud regem Carolum, dilectissimum videlicet filium vestrum, agendum est, ut liberalitate sua eidem congrua beneficia, quibus sufficienter cum suis sustentari ac honorifice degere possit, benigno mentis largiatur affectu : » sciat dignatio vestra, non illum esse hujusmodi temperantiæ. Nam ab eo quod cœpit nunquam potuit revocari.

Quæ etiam ego famulus vestræ dominationis meditatus sum cum corde meo, et conferens cum fidelissimo filio vestro domno meo rege glorioso, in hac causa providi, vestræ sapientissimæ auctoritati scribere dignum duxi. Id est, quia licet fretus vestræ auctoritatis litteris, per Luidonem meæ exiguitati directis, quarum mentionem fecistis in epistola, quam filio vestro domno nostro regi misistis, quasque illi relegi, apud eum obtinere possem, ut missis suis, qui Rothadum ad vestram deducendum præsentiam susceperunt, mandaret, quatenus ab arripiendo Romam itinere exspectarent, donec opportunum tempus episcopos regionum nostrarum convocandi adveniret : quia non erat ratio, ut aliis notificaretur, cur Rothadi transmissio tardaretur antequam episcopis vestræ auctoritatis epistola legeretur, poterat fieri, ut qui me divina clementia et sua benignitate et amoris devotione colunt, et aliquid æstimant esse cum nihil sim, cognoscentes meo obtentu id accidisse, in me scandalum paterentur, quasi contemni aut negligi facerem vestram commendationem, qui intra constitutos a vobis dies in epistola per Odonem episcopum missa, ad obediendum vestram accelerari fecerim quantum potui jussionem. Et si quando in unum convenirent, episcopos, qui sciunt et me una cum eis scire norunt Rothadi negligentiam et diutinam in sacro ministerio inutilitatem, de ejus restitutione alloquerer, omnes me insufflarent, et amentem penitus judicarent. Si etiam Rothado, ut se concrederet, quod non suæ salutis intuitu faceret, beneficia nos impetratusos promitteremus, quoniam pene omnes in istis provinciis sciunt, quia secundum Carthaginenses et Africanos canones, et decreta beati Gregorii, electorum se commisit judicio, et amplius quam quingenti interfuerunt diversi ordinis viri, videntes quando calix aureus cum gemmis a caupone et tabernaria per missum regis de illius pignore sumptus et delatus fuit in synodum, et scientes coronas argenteas a Judæo, cui illas dederat, resumptas, et facultates ecclesiasticas ab eo suppressas, et latenter commendatas, indeque receptas et Ecclesiæ redditas, et vascula argentea, quæ non pauci ponderis a longo tempore in Ecclesia pependerunt. Sed et alia, quæ sui decessores ac prædecessores, cæterique fideles pro remedio animæ suæ eidem Ecclesiæ obtulerunt, ab eo sine consensu metropolitani ac coepiscoporum, et sine œconomi ac presbyterorum et diaconorum suæ Ecclesiæ consensu pro libitu suo donata. Cum etiam beatus Gregorius multoties in epistolis suis ex sacris canonibus scribat, quæcunque episcopus post ordinationem episcopatus acquisierit, omnia esse Ecclesiæ in qua exstitit ordinatus. Unde constat quia nec ipse sine œconomo et conscientia clericorum illa debeat dispensare.

Sed et omnes urbis incolæ ac populi, qui cum rege et episcopis ad synodum convenerunt, et ut revera ad spectaculum currentes, eum viderunt usque ad ostium synodi venientem, et inde ut maniaticum redeuntem : quique sciunt quantam benignitatem regis et fratrum spernens, qualiter de certis capitulis, unde sacri canones expressa decreverunt judicia, judicatus lacrymantibus rege et episcopis durior saxo recesserit, putarent nos, qui eum secundum sacros canones (sicut eos intelleximus, judicavimus, et postea ut ipsi præcipiunt canones per coepiscopum nostrum qui eidem judicio interfuit, prius judicium nostrum de eo referre, et nunc illud ipsum cum nostris litteris atque vicariis, sicut jussistis, ad apostolicam sedem, quæ paternos canones servandos confirmat, et confirmatos ac observandos sua observatione demonstrat, dirigere procuravimus,) de vestræ auctoritatis justitia et æquitatis libramine dubitare, et ideo ut se concrederet locarium ei promittere, sicque nos ut insanos merito denotarent. Cum etiam si fieri posset, quod ab illa prima et sancta sede ac summo apostolatu vestro fiendum non creditur, ut talis a vobis cognitus restitutus in ordine nominetur, nulla nobis de cætero conscientia de sibi a vobis commissis animabus esset periculum. Et cum omnes in istis regionibus sciant quam negligens et contemptor sacrorum canonum, et quandiu quamque patienter atque benigne fuerit toleratus, et a quam invitis, quia se

corrigere noluit, secundum sacras regulas, sicut eas intelleximus, fuerit judicatus, nullam habere possemus verecundiam de restitutione illius, si foret facta a vestri summi pontificatus pietate, quia omnes senes cum junioribus scimus nostras Ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ, et nos episcopos in primatu beati Petri subjectos esse Romano pontifici, et ob id salva fide, quæ in Ecclesia semper viguit, et, Domino cooperante, florebit, nobis est vestræ apostolicæ auctoritati obediendum. Nobis quippe cum aliis quibusque scriptum est, quia Jesus erat subditus parentibus suis (*Luc.* II, 51), nobisque item scriptum est : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis* (*Heb.* XII, 17) ; et : *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam* (*Philip.* II, 3) ; et : *Et si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei* (*I Cor.* XI, 16.) Propterea locutus cum fidelissimo filio vestro, domno meo rege glorioso, illi replicavi, quod sæpe inculcavi, quodque libentissime accepit et adimplere cupit, quia sicut Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo, et ipsius est regnum et cui voluerit dabit illud, ita ipse supra fundamentum apostolicæ petræ suam fundavit Ecclesiam, quam et ante passionem et post resurrectionem suam, speciali cura et singulari privilegio beato Petro, et in illo suis commisit vicariis. Cujus sedem suæque sedis pontificem qui honorat, illum honorat qui dixit : *Qui accipit si quem misero, me accipit* (*Matth.* X, 40); et ab ipso honorabitur dicente : *Honorantes me honorificabo, et qui contemnunt me erunt ignobiles* (*I Reg.* II, 30).

Idcirco quia multi sciunt qualiter se Rothadi reclamatio habeat, et quidam inde aliter dicunt, et omnes generaliter sciunt, quoniam vestra auctoritas illum cum nostris vicariis ad suum præcepit destinari judicium, dignum et justum est, ut quemcunque episcopum Romanus pontifex ad se Romam venire mandaverit, si infirmitas vel gravior quæcunque necessitas vel impossibilitas, sicut sacri præfigunt canones, eum non detinuerit, ad illum venire studeat, multo magis etiam is, quem pro tali querela ad se quocunque modo clamantem præsentiæ suæ indicat exhibendum. Et quicunque viderit vel audierit, quod rex et episcopi apostolicæ sedis summum pontificem prompte obaudiunt, et honorant, et promptius et humilius eis subjecti sui obedient. Nam, ut beatus Gregorius dicit, sicut languente capite subjecta membra in cassum vigent : ita gloria et honore coronato, id est honorificato ac decorato capite, subjecta membra ejus honore ac decore fulgebunt. Et Rothado in nullo poterat melius satisfieri, quam si ad vestram pergeret præsentiam, et ei tantorum subscriptionibus episcoporum, qui Deo et vobis mentiri nolunt, et allegationibus tot vicariorum eorumdem episcoporum, fuerit illum bonam causam nequaquam habere ostensum. Quamobrem sibi ipsi, et non vobis reputare debebit, quia sine bona causa se et multos alios fatigavit.

A Unde illum vestra discretissima pietas, quæ compassionem proximo, et rectitudinem dictare vitiis novit, suis apostolicis litteris sufficienter præmonuit : quique inter alias secordias tantæ duritiæ esse dignoscitur, ut cum multoties sine ullo respectu timoris vel amoris divini, et absque ulla humana verecundia, per tot annos et in tantis causis, toties sacris canonibus, et decretis sanctæ sedis Romanæ pontificum, et suæ metropolis privilegio, ac synodalibus judiciis resultaverit, et per tantos annos tantisperque toleratus a sua stultitia se revocare contempserit, a rege et episcopis multipliciter obsecratus in hoc adduci potuit, ut sacris canonibus et decretis sanctæ sedis Romanæ pontificum, et secundum ea suæ metropolis privilegio de B cætero se obediturum subscriberet, quoniam sine horum observatione nemo nostrum potest esse episcopus, et sic pace fraterna in omnibus potiretur. Postea autem sua sponte in libello suæ professionis, per quem ad electorum judicium provocavit, hæc se observasse impudenter, quia scientibus cunctis mendaciter, synodo misit, et sic ad judicium provocavit, quæ se servaturum ne judicaretur subscribere detrectavit. Quod ideo, sicut postea nobis dixerunt qui ab ipso audierunt, subscribere noluit, quod et nos eprcepimus, ne vinceretur : sed si in nostra rex et episcopi permaneremus sententia, Romam iret antequam vinceretur, et quando illuc veniret, his per vestram jussionem, cum a vobis foret nobis nolentibus absolutus, subscriberet : non C intelligens, imo intelligere non valens (excæcavit enim eum malitia sua) vestram auctoritatem sapientissime intelligere, quare Dominus de cœlo alloquens Paulum et dicenti : Quid me jubes, Domine, facere ? non omnia quæ agenda illi erant exposuit, sed ad Ananiam, a quo agenda auditurus et accepturus erat, illum direxit (*Act.* IX, 6). Sic et angelus Cornelium, postquam illum exauditum esse denuntiavit, ad Petri doctrinam atque obedientiam misit (*Act.* X, 5). Quem licet ante baptismum sancto, ut ita dicamus, Spiritu baptizatum, beatus Petrus illius baptismate, qui baptizat in Spiritu sancto, et in quo credentium corda fide purificantur, baptizari præcepit. Unde facta questione contra eum etiam a minoribus suis, tamen fidelibus, cur ad gentes intraverit, isdem apostolorum princeps summorum gratia D donorum repletus, et innumerabilium miraculorum potestate suffultus, querelæ non ex potestate, sed ex ratione respondit, causamque per ordinem ea mansuetudine exposuit, qua humilitate præfato Cornelio se adorare volenti dixit : *Vide ne feceris : nam et ego ipse homo sum sicut et tu* (*ibid.*, V, 26). Si enim in querela fidelium, ut Gregorius dicit, aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placavit, atque in causa reprehensionis suæ humiliter rationem reddidit, et etiam testes adhibuit, dicens : *Venerunt autem mecum et sex fratres isti* (*Act.* XI, 12). Cujus humilem auctoritatem, et

mansuetissimam potestatem, et rectissimam prædicationem dicentis : *Non dominantes in clero, sed forma facti gregis (I Petr.* v, 3), secutus beatus Gelasius in decretis suis ad omnes episcopos de institutis Ecclesiasticis dicit (*epist. 6 ad universos episcopos*): « Cumque nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, et cum sedes apostolica super his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio, devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est, quemquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere : satisque conveniens sit, ut corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. » De Barnaba quoque et Saulo dicente veraciter, Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Dominum Patrem. Qui postquam diutius fruiti sunt apostolorum consortio, non ipsis apostolis, sed juxta fidem sacræ historiæ, ministrantibus Domino prophetis et doctoribus, qui erant Antiochiæ, dixit Spiritus sanctus : *Separate mihi Barnabam et Saulum in opus ministerii, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos (Act.* xiii, 2). Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt vocati apostoli, et in sequenti anno, id est quarto decimo post passionem Domini, licet qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus sit et Paulo inter gentes, tamen juxta condictum Jacobi, Cephæ et Joannis, gentium magisterium una cum Barnaba Paulus accepit. Idem quoque Paulus apud Corinthios negligentibus rectoribus de incestuoso scripsit : *Congregatis vobis et meo spiritu, tradidi hujusmodi in interitum carnis Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini (I Cor.* v, 4). Ipsi enim Corinthiorum rectores illum tradiderunt in interitum carnis Satanæ : et Paulus cognito ejus opere, sua auctoritate cum illis, et comperta ejus pœnitentia, ipsi eum restituerunt, et Paulus sua auctoritate cum illis : *Cui* inquiens, *aliquid donastis, et ego, nam et ego si quid donavi, propter vos in persona Christi* (*I Cor.* ii, 10). Hinc beatus Gregorius (*Moral.* lib. xxxiii, cap. 8) : « A bono, inquit, vestro non dissentio, meum sit quod ipsi fecistis. Cui velut si dicere præsumamus, quare ita caute discipulis te copulas ? quare vel te illorum, vel illos tuis actionibus tam sollicita mente discipulorum confirmas ? *ut non circumveniamur,* inquit, *a Satana* (*ibid.* v, 11). Non enim ignoramus cogitationes ejus, id est ne hoc quod bene mens inchoat ipse in malitiæ finem vertat. Et Innocentius : Hæc ad Corinthios apostolica est declarata benignitas, ut in uno spiritu ductam ac reductam sententiam boni semper indifferenter sequantur. » Et Leo ex Apostolo (Leo, *epist. 88, ad Anastasium*) : « *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius* (*I Cor.* x, 24) ; et : *Unusquisque proximo suo placeat in bono ad ædificationem* (*Rom.* xv, 2). » Non enim poterit

A unitatis nostræ firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculum charitatis astrinxerit : quoniam sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra. Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit. Et hæc quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus et si ordo est generalis, non tamen communis est dignitas omnibus.

Hæc autem servata altiori intelligentia circa supradictos sunt acta, et a prædictis docta, ut cognoscatur, qualiter minores potioribus debeant obedire, et potiores minoribus providere, et ordo a Deo dispo-
B situs ab omnibus et in omnibus valeat conservari. Unde summus Ecclesiæ pastor docet : *Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus* (*I Petr.* iv, 11), qui servis suis commisit negotia sua, et unicuique secundum propriam virtutem. Sicut et de Spiritu sancto scriptum est, qui dona dividit singulis prout vult. Et hinc juxta Sardicense concilium (*can.* 7), summus primæ et sanctæ sedis Romanæ Pontifex, pro examinis renovatione ad se reclamantis et confugientis cum sua clamatione dejecti provincialis episcopi, non statim singularitate privilegii et auctoritatis suæ restituit : sed remittens eum ad provinciam, ubi causa patrata fuerat, et in qua juxta Carthaginenses canones, et jura legis Romanæ, causa
C potest diligenter inquiri, et quod non sit difficile testes producere, veritas inveniri, aut finitimis episcopis dignatur scribere, aut e latere suo mittit, qui habentes ejus auctoritatem præsentes cum episcopis judicent, et diligenter causam inquisitam diffiniant, aut dignatur credere episcopos sufficere, ut negotio terminum possint imponere. Et Innocentius (*epist.* 1, *ad Victricium*) si, quæ causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exortæ, congregatis secundum synodum Nicænam ejusdem provinciæ episcopis jurgium præcipit terminari. Et Bonifacius de Maximo scribit (*epist.* 2, *ad episcopos Galliæ*), ut ad provinciam venire cogatur, et illic se constituto præsentare judicio, et quidquid de illo duxerint provinciæ episcopi decernendum, cum ad eum relatum foret, sua fir-
D maretur auctoritate : quatenus, ut idem ad Hilarium scribit (*epist.* 3), metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet, sicut scriptum est in Nicæno concilio, ut sicut apud Alexandriam, quia et urbis Romæ episcopo parilis mos est, similiter et apud Antiochiam cæterasque provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis. Unde bene placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus simul episcopis congregatis provinciæ, discutiantur hujusmodi quæstiones. Et hæc dico, non, quod absit, præjudicans summæ sedis apostolicæ, et sancti apostolatus vestri in ali-

quo potestatem, cui in omnibus sum, sicut rectum est, obedire paratus : sed quia summum auctoritati vestræ obsequium præstare me puto, cum ea quæ sentio, aut ad probationem, aut ad correctionem humiliter sapientiæ vestri magisterii pando, et Rothadi mores vobis intimare procuro, ne mea negligentia, qui eos novi, vos lateant, quatenus certius quod vobis placuerit de illo vestra auctoritas decernere valeat. Quem si nunc in depositione judicium vestrum manere decreverit, scimus de benignitate et modestia ac pietate filii vestri domni regis Caroli, quoniam quidquid de illo præfato filio vestro præceperitis, et rationabiliter poterit adimplere, sine ulla retractatione obediet. Sed et coepiscopi nostri de Ecclesiarum suarum stipendiis abundantissime illi impendent. Mea etiam exiguitas, sicut nunquam ad retributionem mali propter contemptus et contumelias ab illo mihi illatas pervenire volui : ita quidquid benignitatis potero, libentissime abundantius etiam quam unquam fecerim, impendere procurabo. Si vero sine ulla satisfactione tam diutini contemptus sacrorum canonum, et sedis apostolicæ decretorum, ac suæ metropolis privilegii, atque synodalium judiciorum, quibus nec obedire, nec se obediturum de cætero profiteri vel subscribere voluit, et absque professione, vel subscriptione suæ correctionis et obedientiæ, coram fratibus suis, quorum multoties regularia spreverat monita, cum inde pluraliter in Leonis et Gregorii epistolis relegatur. Si etiam, ut illa prætereamus, quæ ob sacerdotii verecundiam et opprobrium sæcularium, sequentes Africanum concilium, nec ad notionem in synodum deduci permisimus, parvi pensis et sine aliqua correctione dimissis eis capitulis auctoritati vestræ sub fidei stipulatione directis, pro quibus fuerat judicatus ab episcopis, ad quorum judicium provocaverat, secundum expressa sacrorum canonum et apostolicæ sedis decreta, Cœlestino dicente (*epist.* 2, *episcopis per Apul. et Calab.)* : « Quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur ? » Me vestræ pietati placuerit illum restituere, ut primæ sedis et matris ac magistræ omnium Ecclesiarum pontificis, cunctorumque episcoporum patris atque magistri, regulare judicium ferre convenit, æquo animo feram. Credo tamen diligentissimam discretionem vestram provisuram contemptum ac contumaciam subjectorum erga prælatos suos, et libertatem impune delinquendi contra canones sacros, quæ hinc in nostris regionibus poterunt, ut quibusdam videtur, noxias vires accipere : præsertim cum sapientissimæ auctoritati vestræ constet esse notissimum, demonstrare Sardicense concilium in septimo ruo capitulo, qualiter dejecti et ad se clamantis episcopi restitutionis vel in depositione permansionis executio, cum indemnitate simpliciter judicantium, ab apostolica sede debeat celebrari. Quod et Innocentius, et Bonifacius, verum et Leo in decretis, et Gregorius evidentius in epistolis suis demonstrant. Carthaginensis concilii, imo apostolicæ sedis, quæ in suis idem præsedit vicariis, decreta sequentes : videlicet ut a quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati, unde nobis et conscientia perhibet testimonium, et omnibus qui interfuerunt notum factum fuisse dignoscitur, quoniam illum servare quam judicare maluimus, si pro sacrorum canonum neglectu eorum judicio, per quos, Spiritu sancto inspirante, promulgati sunt, cum eo quem corrigere nequibamus damnari pariter non timeremus. Et idcirco nullo inimico animo, nulla cupiditate aut gratias depravati, flentes illius incorrigibilem secordiam et irrevocabilem pertinaciam, regularia in eum judicia exsecuti sumus, quæ ab eo suspendere diutius non præsumpsimus. Vestra etiam sapiens et summa auctoritas in decernendo attendet Apostolum docentem, quia *quorumdam peccata præcedentia sunt ad judicium, quorumdam etiam et subsequuntur* (*I Tim.* v, 24). Quæ sicut beatus exponit Ambrosius (*in Apolog. David*, c. 6), ac si posita in bilance, in judicio sunt examinanda, utrum bona opera amplius pensando remuneranda præcedant, et mala facta minima misericorditer dimittenda demonstrent, an male facta amplius pensando præcedant, ut mereantur damnationis judicium, et bona paucula suffocent. Quia et nos pro modulo nostro, non solum utilitatem, verum et noxietatem in Rothado cum factis suis pensavimus, et velut ficulneam infructuosam, terram rationalem diutius inutiliter occupantem, et etiam post plura tempora, pluresque admonitiones, quasi cophinos pinguedinis sibi appositos non recipientem, sed sterilem permanentem, non sine dolore cordis succidendum providimus.

Et cum hæc ita se habeant, absque dubitatione confido, quia illud, quod in præfato Carthaginensis concilii capitulo sine ulla interpellatione subsequitur, decretum vestri moderaminis nequaquam præteriret : Sane, inquit (*concil. African.*, can. 89), si ex consensu partium electi fuerint judices, etiam a pauciore numero quam constitutum est, non liceat provocari. Qui numerus constitutus in duodecimo superiori capitulo demonstratus, et consensus partium expetitus, in dijudicatione Rothadi constat fuisse completus. Quorum et si judicium pro quacunque causa forte rationabiliore, et adhuc nobis incognita, vestræ summæ auctoritati, quam multa nobis occulta non transeunt, placuerit, refragari, quia meum est mea vobis obediendo committere, et non judicia vestra discutere sustinebo, et contra vestram restitutionem regularem, si forte in eo agenda visa fuerit (in qua vestra disponet auctoritas, qualiter isdem victor, ut solet, et voti compos quæ sunt episcopi de reliquo faciat), non recalcitrabo : ducens pro magno, si a diutinis et multis

molestiis, quas ab illo et pro illo passus sum, jam tandem aliquando valeam respirare, et nunquam mihi contingat ulterius contra illius inquietudines inutiliter laborare. Et quod non solum ab ecclesiasticis personis, verum et multo magis etiam a sæcularibus nostra judicia contemnuntur, et pro nihilo ducuntur, dicentibus eis, et ad medium devocantibus illa, quæ mihi vestræ auctoritati non sunt ascribenda, ut non animum dulcedinis vestræ in aliquo moveam, quod summopere cavere desidero. Si qui in provincia nostra, quorum querela illo restituto ad vos valeat pervenire, de majoribus causis de cætero quædam commiserint, sicut de quibusdam rebus frequentius quam in istis retroactis temporibus committuntur, ne a Deo damner silentio, eos commonere studebo, et si corrigere se voluerint congaudebo, sin autem, ad vestrum eos judicium provocabo. Qui si ire voluerint, vestra sancta sapientia quid inde melius viderit decernere procurabit. Si autem ire noluerint, facient quod sibi utile judicaverint. Me utinam hinc a divina damnatione sententia sancti Ambrosii liberet, qua dicit : Si, inquiens, quis potestatem non habet quem scit reum abjicere, aut probare non valet, immunis est. Sicque, ut puto, quia in multis occupatus, et itineris longitudine atque insoliditate obstrictus, de omnibus, antequam insolentium querela ad vos perveniat, ad apostolicam sedem referre non valeo, infirmitate gravatus, et gratias Deo termino jam vicinus, potero præcavere ne a quocunque sanctitatis vestræ animus erga me moveatur, ut aliqua mihi excommunicatio intentetur. Et licet noverim secundum Apostoli Evangelium, redditurum Dominum unicuique secundum opera ejus *(Rom.* II, 6), testimonium reddente illis conscientia, et inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium, in die qua judicabit occulta hominum : et ut Leo dicit : Si quid per servitutem nostram, videlicet sacerdotalem, bono ordine et gratulando impletur affectu, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum, et quod secus fuerit, ratum esse non poterit : modis omnibus, quantum ipse donaverit, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, providere studebo, ne a communione sedis apostolicæ, quod absit, quolibet modo extorrem me ultimus dies, qui mihi incertus est, et subito venire potest, inveniat. Erit enim, quamvis tardius quam necesse sit, quoniam ego gravis peccator, gravi carcere corporis diu inclusus teneor, merito in multis afflictus, providentissimo Domino providente, et tempus et persona in Rhemorum Ecclesia, quando et in qua ab apostolica auctoritate privilegium integratum sibi ex antiqua consuetudine collatum et conservatum habebitur : quæ nunquam excepto Romano pontifice primatem habuit, nisi quandiu ejecto sine ullo crimine ab ea suo pontifice Rigoberto violentia tyranni Milonis tempore Caroli principis pastore vacans, Bonifacio apostolicæ sedis legato aliquandiu, sicut et Ecclesia

A Treverensis, commissa fuit. Inter quas, Rhemensem scilicet et Treverensem Ecclesiam (has enim duas tantum provincias Belgica regio habet), hæc semper distinctio fuit, sicut in ecclesiasticis monumentis invenimus, et vetustissimam consuetudinem semper obtinuisse comperimus, ut isdem episcopus non loci, sed dignitate ordinis prior secundum sacras regulas haberetur, qui foret in qualibet istarum Ecclesiarum metropoli antea ordinatus. Mihi vero necesse erit me taliter gerere, ne toties auctoritatis vestræ epistolas excommunicationes intentantes et objurgationes, quas raro et magna necessitate fiendas in apostolicorum virorum litteris legimus, ferentes de reliquo accipiam, sicut istis temporibus, peccatis meis merentibus, frequenter accepi. Quod si sancti-
B tati vestræ placuerit, non vobis opus agere in postmodum erit, donec apostolica vestra jussio me inobedientem in aliquo contra regulas sacras per contemptum, quod absit, invenerit. Qui enim quare Dominus in Evangelio centurionis fidem laudet dicentis : *Dic verbo et sanabitur puer meus* (*Matth.* VIII, 8) intelligit, quam operatorium sit episcopi, imo sicut in Paulo in se loquentis Christi, quanto magis pontificis apostolicæ sedis verbum, et quam obedienda sit ipsius præceptio, etiam sine ulla admirationis adjectione cognoscit. Quod et scientibus inculcare, et nescientibus intimare sapientibus et insipientibus debitores debemus episcopi : quibus si de reliquo verba iniquorum prævaluerint adversum nos, sicut jactitant proferentes, non erit necesse de provincialibus synodis, in quibus hactenus labora-
C vimus, magnopere laborare : quippe quoniam erit et lex et spes sibi quisque. Quod quidem vestra humilitati meæ scripsit sublimitas, primo vos commotos esse ad Rothadi causam inquirendam cura, qua pro universis fratibus vestris constringimini, cum debita reverentia gratanter accepi, intelligens quia in numero fratrum nos qualescunque metropolitani computari debemus. Ea propter, sicut vestræ discretioni providendum est, ne subjecti episcopi a metropolitanis irregulariter condemnentur, ita nihilhominus providendum est, ut metropolitani a subditis suis episcopis non irregulariter contemnantur. Deinde quod perfectissime scripsistis secundo, quoniam sedem apostolicam Rothadus noscitur appellasse, et ne videamini Ecclesiæ vestræ
D privilegiorum detrimenta diebus vestris æquanimiter tolerare, et hoc nihilominus a nobis et ab omnibus est rectissime suscipiendum, et solertissime conservandum. Quod et ego pro modulo meo, servandum esse volui et volo, et, favente Domino, in hac devotione maneho, sciens privilegium metropolitanæ sedis Rhemorum, cui me divina dignatio servire disposuit, in summo privilegio sanctæ sedis Romanæ, manere, et privilegium esse sedis Romanæ, si sua auctoritate privilegium sibi subjectæ sedis fecerit vigere, et studuerit confirmare.

De eo vero quod tertio loco ad medium devoca-

stis, scribere aliud nihil præsumpsi, nisi quia causa Rothadi a causis illorum, de quibus scripsistis, est pene in cunctis dissimilis. De eo quod tandem apostolica vestra benignitas indignitati meæ scribere est dignata, ut hæc vobiscum cogitem, et quod de Rothado decernitis approbem, et non ad mei injuriam id vos egisse aliquantulum autumem : quantum valeo totis medullis cordis, cum omni supplicatione et debita ac submissa humilitate, immensas gratiarum actiones sancto apostolatui vestro rependo, cum omni sinceritate animi rescribens, quia sicut mihi scribere dignati estis, ita per omnia credo. Et quia privilegium vestri summi pontificatus, ut condecet et omnes desideramus, evindicatum habetis, quod nemo nostrum contradixerat, in deductione Rothadi sicuti præcepistis ad vestram præsentiam, ut perdonare dignati estis, videre desidero, et visurum me esse confido, quia non aliud nisi ut supra monstravi, quod regulæ sacræ præcipiunt, et mihi petendum, et vobis concedendum est. Postulo videlicet, ut sic Rothado ab auctoritate vestra compassio exhibeatur, ut vigor ecclesiasticus non dissolvatur : et sic vigor ecclesiasticus conservetur, ut debita misericordia et necessaria sufficientia ei non denegetur. Quatenus nec ipsius exemplo ad excedendum alii provocentur, nec quibus in istis regionibus, longius ab apostolica sede remotis, censuræ ecclesiasticæ moderatio est commissa, hinc, quod absit, conspiciant, unde aut negligentia, aut dissolutione tepescant, vel terminos quos statuerunt patres transgrediendi materiem se sumere posse dicant, quos, sicut intelleximus, nos hactenus servasse putamus. Vos videbitis quid inde facto melius erit, et nobis in judicio vestro videndum est quid Deus velit : quoniam injusta esse non poterunt divina judicia, quæ a soliditate confessionis apostolicæ petræ, adversus quam inferi portæ, id est suggestiones vel operationes pravæ, non prævalebunt, dictante justitia proferentur.

Epistolam, quam mihi auctoritas vestra cum obtestatione præcepit Rothado dirigere, domnus noster rex, filius vester, mox ut ad eum venit, per abbatem suum Rothado direxit. Rodulfus quoque ejusdem filii vestri domni nostri regis avunculus, tertio Idus nunc elapsi mensis Decembris a Ludovic Germaniæ rege revertens, cum valde vesperi a corte regis nostri ad mansiones nostras super fluvium Ligerim, secus confinium regni Aquitaniæ festinarem, misit ad me hominem suum nomine Rodulfum, mandans quia præfatus rex Ludovicus quemdam hominem Rothadi, cum epistolis vestræ sanctitatis, manui et fidei suæ commisit, quatenus ita præsentiam domni nostri regis Caroli cum eisdem episcopis eum perduceret, ut nullum malum ei inferret. Est enim apud domnum nostrum regem idem homo accusatus, quod fraudatus sit res et thesaurum Ecclesiæ, et post perjurium inde commissum, fuga lapsus ad Ludovicum regem perrexerit. Unde idem Rodulfus petiit ut ego illum inde apud domnum nostrum regem adjuvarem, ut quoniam prædictum hominem in sua fide acceperat, nullum malum haberet. Cui respondi, ut teneret ipsum hominem secum, ne interim ullum malum pateretur, donec ad cortem redirem, et quantum possem inde illum adjuvare curarem. Ipsum autem hominem nec tunc nec postea vidi, nec quo abscesserit cum episcopis audivi.

Quæ idcirco sanctitati vestræ scribere studui, ut si aliquis malivolorum nostrorum more suo vobis quiddam sinistri ex hoc, suggerere voluerit, quid inde verum sit cognoscatis, et erga me vestrum animum non moveatis. Rationem denique, quam reddidi coram electis judicibus, de quibus per libellum provocationis ad electorum judicium fueram a Rothado impetitus, ipsi venerabiles episcopis vestræ auctoritati transmittunt. De gestis vero a Rothado post excommunicationem suam in provinciali synodo compilatis, quæ per vicinos nostros ad vos in derogationem nostram pervenisse audivimus, episcopi Rhemorum provinciæ per communes legatos nostros vestræ sanctitati quæ sciunt intimare curarunt.

Item post aliguanta de promotione ipsius domni Hincmari ad episcopatum, quæ jam superius partim prænotata non curavimus hic iteranda. Denique præfato Ebone defuncto, Ecclesia sed et parochia nostra, secundum consuetudinem quam ex antiquo habuit etiam de his episcopis qui in episcopatu usque ad obitum in eadem Ecclesia non permanserunt, ipsius nomen inter sacrosancta mysteria in episcoporum catalogo recitare pietatis gratia cœpit, et hactenus facit. Quod ego, ne scandalizarem devotos, quasi invidens saluti fraternæ, maxime autem quiescentis in Domino animæ, qui non pro exorbitatione a catholicæ fidei sanitate anathematus, sed sua conscientia stimulante primum a seipso et postea a synodo, sed et apostolica sede damnatus exstitit, hoc prohibere sine apostolicæ sedis auctoritate nequaquam præsumpsi, dicente beato Cœlestino papa, quia nefas est hæc pati religiosas animas, quarum afflictione, qui membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari. Nunc autem in epistolis sanctitatis vestræ, quas Engeluvinus diaconus nobis attulit, invenimus ut Teotgaudum et Guntharium in catalogo episcoporum non recipiamus. Et Antiochenum concilium, ut præmisimus, et melius ipsi scitis, de eo qui post damnationem juxta præcedentem consuetudinem episcopale præsumit ministerium, quod Ebonem fecisse non dubium est, rescribere mihi dignetur apostolica vestra auctoritas, utrum eumdem Ebonem inter episcopos in sacris dypticis in Ecclesia nostra nominare permittam, an ne de cætero in episcoporum catalogo nominetur prohibere debeam : quatenus vestra auctoritate fultus, quid in nostra Ecclesia inde sit observandum, sine ambiguitate decernentibus vobis demonstrem.

Cæterum Luido mihi dixit quod cum eo rationem.

de damnatione et reclusione Gothescalci habuissetis. Unde quoniam per alios jam audieram ad sanctitatem vestram verba venisse, misi auctoritati vestræ quædam ex verbis et catholicorum sensibus in rotula, qualiter contra ipsius pestiferi hominis sensum sentiam, per Odonem episcopum, et nihil inde responsionis accipere merui. De quo nihilominus ut redderem rationem, quidam episcopi, quorum nihil de illo intererat, quoniam nec eos, ut ipsi manifestis indiciis prodiderunt, ad hoc charitas commovebat, nec auctoritas deducebat, me ad conciliabulum nuper Metis habitum, quod vocari synodum vetuistis, sicut intelligo, irregulariter quarto die antequam congregaretur, cum ego longius quam octoginta, et idem Gothescalcus plusquam centum millibus ab ipsa civitate disparati essemus, nihil me ante præmonitum per quemdam laicum hominem litteris vocaverunt. Et nunc ideo breviter de eo sanctitati vestræ suggero, quoniam antequam ad episcopatus ordinem pervenirem, sicut abbas suus et monachi, inter quos fuerat conversatus, ei testimonium perhibent, in metropolis Ecclesiæ Rhemorum monasterio in Suessonica parochia, quod Orbacus dicitur, habitu monachus, mente ferinus, quietis impatiens, et vocum novitate delectans, ac inter suos mobilitate noxia singularis, de omnibus quæ in his regionibus perverse tunc temporis sensa cognoverat, quædam sibi elegit capitula, ut novitate vocum innotesci valeret, utque simplicium et deceptorum sensus pervertere, et magistri nomen usurpando post se discipulos trahere, illisque qui ad sua vota prurientes auribus magistros sibi coacervare decertant, quærere indebite, quoniam legitime non poterat, simulatione vitæ religiosæ et doctrina præesse. Quique a Rhemorum chorepiscopo, qui tunc erat, contra regulas presbyter ordinatus, a monasterio irregulariter exiens, peragratis regionibus plurimis, et exitiosa semina sator pessimus seminans, tandem in Moguntina civitate habitæ synodo et Rabano archiepiscopo libellum sui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ episcopis, cum litteris synodalibus ad metropolim Rhemorum, cui jam auctore Domino præeram, est remissus. Postea autem a Belgicæ, Rhemorum ac Galliarum provinciarum episcopis auditus, et inventus hæreticus, quia resipisci a sua pravitate non voluit, ne aliis noceret qui sibi prodesse nolebat, judicio præfatarum provinciarum episcoporum, in nostra parochia, quoniam Rothadus, de cujus parochia erat, illi nesciebat resistere, et novitates amans timebatur a nobis ne disceret prava sentire, qui noluit discere recta docere, neve idem Gothescalcus, cum aliis communem vitam ducens, errori suo faceret esse communes, monasteriali custodiæ mancipatus est, docente Apostolo : Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita, sciens subversum esse hujusmodi et proprio judicio condemnatum (*Tit.* III, 10). Qui ut Leo papa de Eutyche dicit, cum videret insipientiæ suæ sensum catholicis auribus displicere, revocare se a sua opinione debuerat, nec ita Ecclesiæ præsules commovere, ut damnationis sententiam mereretur excipere. Quam utique, si in suo sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. A qua damnatione si voluisset ad sensum catholicum resipiscere, paratus semper fui et sum, quoniam sic venerabiles judicaverunt episcopi, eum in catholicæ Ecclesiæ communionem recipere, sicut ei jubeo quæ sunt corpori necessaria ministrare.

Si autem vestra catholica sapientia vult scire quæ contra catholicam fidem ex veteri hæresi Prædestinatiana, quæ primum in Africa, postea in Galliis per idem tempus, quando et Nestoriana hæresis est exorta, et tempore Cælestini papæ, ipsius auctoritate, et instantia sancti Prosperi est revicta, dicere videatur, de multis pauca vobis numero, sed non pondere, capitulatim significamus. Dicit, quod et veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinavit ad mortem æternam. Dicit, quod et veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed tantum eos qui salvantur; omnes autem salvari quoscunque ipse salvare voluerit, ac per hoc quicunque non salvantur, penitus non esse voluntatis illis ut salventur. Quoniam si non omnes salvantur quos vult Deus salvos fieri, non omnia quæcunque voluit fecit; et si vult quod non potest, non omnipotens, sed infirmus est. Est autem omnipotens qui fecit quodcunque voluit, dicente Scriptura : *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Psal.* CXXXIV, 6); et item : *In voluntate tua, Domine, cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere tuæ voluntati : si decreveris salvare nos, continuo liberabimur* (*Esther* XIII, 9). Dicit, quod et veteres Prædestinatiani dixerunt, quod non pro totius mundi redemptione, id est non pro omnium hominum salute et redemptione Dominus et Salvator noster Jesus Christus sit crucifixus et mortuus, sed tantum pro his qui salvantur. Dicit quoquo modo, dispari traditione, sed pari errore, quod et veteres Prædestinatiani dixerunt, exponens sententiam apostoli Petri, *eum qui emit eos negantes* (*II Petr.* II, 1). Baptismi, inquit, sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit, neque mortem pertulit, neque sanguinem fudit. Quod autem baptismi perceptio redemptio nuncupatur, doctor gentium manifeste fatetur : *Nolite contristare*, inquit, *Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis* (*Ephes.* IV, 30). At illa quæ propria et specialis est solorum omnium electorum, quam eis tantummodo crucifixus impertivit pius Redemptor ipsorum, sicut a præteritis, ita nimirum a præsentibus, natos et nascituros, vivos et mortuos, videlicet omnes pariter electos redemit, eruit, abluitque peccatis. Ipsi prorsus, ipsi sunt mundus pro quo passus est Dominus, ut ipse dixit : *Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita* (*Joan.* VI, 52). Et item alibi idem

Gothescalcus scribit : « Absit procul a me, ut vel illud solummodo velim somniare, nedum semel susurrare, ut ullum eorum perpetualiter secum periturum antiquus rapere valeat anguis, pro quibus redimendis tam pretiosus Deo Patri Domini nostri Filii sui fusus est sanguis, Amen. » Et item loquens ad Deum : « Claret itaque satis aperte, quod nullus tibi perit, quisquis redemptus est per sanguinem crucis tuæ. » Quod Prædestinatiani veteres non dixerunt, iste ut audacius ita perniciosius dicit, Deitatem sanctæ Trinitatis trinam esse. Sunt et alia quæ ipse et alii plures in istis partibus dicunt, quæ nobis sanæ fidei adversari videntur. Quæ dum per alium quam per vilitatem personæ meæ auctoritas vestra cognoverit, forte attendet solertius, et quæ inde timenda sunt docere studebit quantocius. Erit enim in proximo inde necessitas : quia et si eorum corda in insania perversi sensus ebulliunt, orthodoxi tamen regis nostri tempore prava quæ sentiunt eloqui non præsumunt. Ita ut aperte videamus impleri quod scriptum est : *Congregans sicut in utre aquas maris* (*Psal.* XXXII, 7). Aqua enim maris sicut in utre congregata est. quia amara hæreticorum scientia quidquid hodie in isto regno filii vestri domni Caroli pravum sentit, in pectore comprimit, et aperte dicere non præsumit. Meam quoque exiguitatem et occulte canino dente corrodunt. Facile autem, adjuvante Domino, portare valebo. Quia et mihi paucum superest temporis spatium, et si inter filios Ecclesiæ, permittente Deo, id me acceperint potestatem corporaliter affligendi, divina gratia adjuvante, exercebunt patientiam. Sed etsi tantummodo male sentiendo adversabuntur, exercebunt quantulamcunque scientiam, et ut etiam inimici secundum præceptum Domini diligantur, exercebunt benevolentiam. Præfatum autem Gothescalcum, si vestra auctoritas mihi scripserit ut eum a custodia solvam, et aut ut ad vos eundi, ut per vos ejus doctrinam experiamini, aut ad quemcunque ex nomine designatum pergendi licentiam donem, quia ut melius ipsi scitis, sicut absolute quisque ordinari non valet, ita nisi ex ipsius consensu, cujus esse dignoscitur, certæ personæ commendandus, et ad certum locum monachus, vel quisque sub regula constitutus, a loco suo absolvi juxta regulas sacras non valet, vestris jussionibus nullomodo resultabo. Tantum ut auctoritatem vestram habeam, ne tantorum episcoporum judicium mea præsumptione parvipendere videat. Non enim illius delector, quam juste sustinet pertinaciter contumax, quantulacunque reclusionis molestia : sed doleo a qua revocari non potest perfidiam. Quem si cuicunque commendandum vestra auctoritas viderit, hoc in commendatione etiam providebit, ut cui commendabitur catholicus sit, et gravitatem ecclesiasticam, et vigorem a Scripturarum scientiam habeat, quia non solum Scripturas ad suum sensum violenter inflexas, sed et catholicorum dicta detruncata per totum diem sine respiratione aliqua prævalet memoriter decantare. Unde non solum idiotas in admirationem sui abducere, verum et sciolos et incautos, atque zelum Dei sed non secundum scientiam habentes, in sententiam suam solitus erat traducere. Et non solum doctorum suorum doctor videri appetit, sed et hoc solerter satis intendit, ut secum loquentes vel in sermone capere valeat : et si de veritate non poterit, invincibiliter sacramentis affirmare curabit, ea secum loquentes dixisse, quæ forte non dixerunt, ut ipse verax, et illi qui ei contradicunt probentur esse mendaces, et adversus suam doctrinam docentes.

EPISTOLA III.

AD EPISCOPOS SYNODI SUESSIONENSIS.

De Vulfado et collegis, quorum judicium Nicolaus papa jusserat in hac synodo renovari.

(Apud Sirmond.)

HINCMARUS, Rhemorum episcopus, REMIGIO, WENILONI, et cæteris archiepiscopis et episcopis, domni papæ Nicolai auctoritate ad synodum, quo et exiguitatem meam cum coepiscopis nostris venire præcepit ; in hanc Suessorum civitatem pro causa Vulfadi et collegarum ejus convocatis.

Si vobis visum fuerit per quoscunque ad rei notitiam, secundum seriem litterarum domni apostolici, canonice per ordinem cuncta quæ in suprascriptis fratribus gesta sunt, examinare et subtiliter investigare, ut quod justum et pium sensum fuerit de causa eorum sine contradictione, sicut idem domnus apostolicus et fraternitati vestræ et humilitati meæ scripsit, possitis perficere, devote ac libenter accipiam. Et si hanc quæ sequitur brevem responsionem, quantum ex me est, ad apostolica scripta videritis vobis sufficere, non ingratum forte habebitur, quod ad rem pertinentia succinctissime refero. Videlicet quia Rhemensis Ecclesiæ filii de collegio Vulfadi, ab Ebone post depositionem suam ordinati, non meo judicio, nec ab episcopis solummodo Rhemorum provinciæ, primum suspensi et postea dejecti, ut meo vel communi cum eis tantum placito, juxta Nicænos et Antiochenos canones (*Nicæn. can.* 5, *Antioch. c.* 4), humaniorem aut alteram suscipere sententiam valeant ; sed prius suspensi, et processu temporis a synodo episcoporum quinque provinciarum, ad quam provocaverant, secundum decreta Innocentii ad Rufum et Eusebium, inspectis quæ scripsit ad Martianum, et juxta Zosimi successoris Innocentii decreta ad Patroclum Arelatensem episcopum et ad Massiliensem Ecclesiam (Innocent., *ep.* 21 et 22 ; Zozimus, *ep.* 6, 11 et 12), sed et alias plures Ecclesias, de his quos Proculus vitæ suæ conscius, datis litteris in abdicationem sui, per professionis atque subscriptionis suæ libellum sacerdotio submotus ordinavit, juxtaque sacros canones, et Leonis ac cæterorum Romanæ sedis pontificum decreta, quæ hic ponere prætermisi, et studio brevitatis, et ut vobis notissima, sunt judicati, et ab ecclesiasticis ordinibus dejecti, præjudicante Leone papa, atque dicente (*epist.* 1, *ad episcopos Campaniæ*) : « Om-

nia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. » In qua, ut regulæ sacræ dicunt, perfecta et canonica episcoporum quinque provinciarum synodo, quoniam Ecclesiæ mihi commissæ filii finitimos episcopos pro causa sua interpellarunt, et hujusmodi Africæ provinciæ canones (*conc. Afr.*, can. 92) vicinos episcopos audire, et inter eos ac proprium adhibitos ab eis episcopos jubent querimoniam diffinire : ego Vulfadum et collegas ejus non judicavi, neque ab ordinibus ecclesiasticis populi vel dejeci, nec etiam cum judicibus eorum subscripsi, sicut norunt qui interfuerunt, et ipsa etiam episcopalia gesta, eorum inconvulsis subscriptionibus subnixa a quibus fuere patrata, præsentialiter monstrant. Unde, jubentibus eisdem episcopis, tantum bajulus fui, causam videlicet Ecclesiæ mihi commissæ ab illis diffinitam ad sedem apostolicam deferendi. Quæ domni apostolici Benedicti privilegio sub anathematis interpositione, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur, sunt confirmata ; et demum domni Nicolai papæ confirmatione, sicut sanctæ recordationis Benedictus pontifex illam confirmavit, salvo Romanæ sedis in omnibus jussu atque judicio, sub terribili anathemate, ut quæcunque persona, magna vel parva, temerario ausu contra hoc suum apostolicum decretum agere præsumpserit, anathematis vinculo sit innodatus, sunt roborata : velut hic potestis retexere, et sigilla eorum salva, ac incorruptas scriptnras atque subscriptiones valetis inspicere. Et quia sedes apostolica, ut in decretis suorum pontificum legimus, in hoc prorsus sua ibi magnopere jura conservat, et aliena custodit, imo sua propria facit, ut omnis quæstio ad eam relata judicio et suæ confirmationis decisione finem accipiat, omnem ex hac causa suspicionem querulitatis hæ duorum præclarissimorum luminarium confirmationes atque subscriptiones a nostris regionibus et mentibus abstulerunt. Nunc vero, quia isdem domnus et pater noster Nicolaus papa suis epistolis ex hoc negotio a vobis sanxit refricari judicium, monente Apostolo : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis* (*Heb.* XIII, 17), quod privilegio apostolicæ sedis de ipsis fratribus decernit vel decreverit, ut competit meæ subditioni, obedio et obediam, sicut hactenus conservavi ea quæ domni Benedicti et sua fuerunt auctoritate firmata. Et item dicente Apostolo : *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata* (*I Cor.* I, 11), sicut servavi usque in præsens quæ prædecessores quorumdam vestrorum cum quibusdam ex vobis regulariter ex iisdem fratribus diffinierunt : ita et quæ de ipsis canonice juxta tenorem epistolarum domni apostolici diffinieritis, priscis, ut dicit Gelasius (*Decr.* cap. 2), pro sui reverentia manentibus constitutis, et reservato per omnia sententiæ ac juris privilegio apostolicæ sedis, regularibus vestris diffinitionibus, sollicitus servare unitatem spiritus in vinculo pacis, consentiam. Qui istorum fratrum, de quibus agitur, vel quorumcunque aliorum felicitati non invideo, nec quamcunque malitiam eos nocere festino : quorum salubrem ac regularem statum et cupivi et cupio, et quæsivi et quæro, et de quorum dejectione dolui satis ac doleo, quia nemo majus dispendium de illorum dejectione habet quam ego. Quos, sicut mihi domnus apostolicus dignatus est scribere, justum quid vel pium sentiens, sine retractatione in suis ordinibus consensu ac judicio coepiscoporum Rhemensis provinciæ restituere maturarem, si illos ab eisdem gradibus cum eorum tantum judicio dejecissem. Ad quod me, juxta ejus verba discretissima, quia eos non dejeci, flecti munda conscientia non permisit. Et hoc meo ausu facere vereor, quoniam a vobis, aut a decessoribus vestris, quinque videlicet provinciarum episcopis, quorum meo consensu expetierunt judicium secundum sacros canones electorum ex consensu partium diffinitione fuere dejecti. Et idcirco aliorum opus in illorum restitutione nullatenus usurpare præsumpsi : quia, sicut scitis, regulæ sacræ usque ad similem excusationis vindictam decernunt, ut ab aliis dejecti ab aliis non recipiantur, minime autem restituantur : sed aut eorumdem, aut majoris concilii episcoporum discussiones ac judicia præstolentur. Et quia Leo dicit (*epist.* 95 *ad Rusticum Narbon.*) ut in his quæ vel dubia fuerint, aut obscura, in noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inveniatur adversum, et domnus ac Pater noster Nicolaus papa vobis ut mihi videtur scripsit, quoniam quæ statuta sunt de præfatis viris, violanda non ducat, nisi forsan sacris legibus inveniantur adversa, simplici ac sincera cordis intentione ex regulis sacris perspicue tarditati sensus mei monstrari exspecto, utrum quæ diffinierunt fratres et coepiscopi nostri, sicut hactenus observata sunt, de cætero ut regulis concordantia debeant observari, an illorum diffinitio ut inventa legibus sacris adversa debeat refutari. Sed et mihi ostendi exspecto apertius, quam in suis sacris litteris intelligere valeam, si domni Benedicti, ac ejusdem domni Nicolai, super eamdem diffinitionem sub anathemate confirmationis privilegia, nisi forte illa ipse sua singulari auctoritate dissolvenda et immutanda viderit, quorum summam firmitatemque nobis omnibus scripsit in apostolicæ sedis reservatam arbitrio potestatis, nos sine regularum et sedis apostolicæ præjudicio, sineque nostro communi periculo, dissolvere et immutare possimus, Cœlestino dicente (*epist.* 3) : Quæ a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur ? Sed et a nobis non est parvipendenda granditer Leonis papæ ad Leonem Augustum de se scripta sententia (*epist.* 84), Si quæ, inquit, destruxi hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, et eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas

beatæ memoriæ Martiani, sed etiam ego mea confessione firmavi. De quibus ultionum conditionibus quid a sancto Spiritu per concilia provinciæ Africæ, quidve Dei sapientia, qua, ut scriptum est, conditores legum justa decernunt, legibus sit decretum, melius ipsi scitis. Quod si etiam hoc de se intelligens, et his legum conditionibus subdi tantus papa et primæ sedis pontifex præcavendo refugit, qualiter eisdem ultionum conditionibus subdi præcavendo timere nos debeamus subjecti, patenter ostendit. Sed et de contempto anathemate necessitate (quanto magis deliberatione?) rite prolato, quod in præfatis privilegiis continetur, quid sanctus Gregorius ad Theoctistam patriciam dicat (*lib.* IX, *epist.* 79), sapientiam vestram a Deo doctam non latet. Et Symmachus dicit (*epist.* 1 *ad. Æonium*) ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem pertinere, cujus omnis potestas infringitur, nisi universa, quæ a Domini sacerdotibus semel regulariter statuuntur, perpetua sint; quod alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, et roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit. Et Gelasius (*epist.* 11 *ad Germanos*): « Patres, inquit, nostri catholici videlicet doctique pontifices, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica, secundum Scripturarum tramitem, traditionemque majorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare; nec in hac eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt. Sapientissime pervidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus redivivis omnis integra diffinitio turbaretur. »

Hæc itaque de litteris divinitus inspiratis accepta, vel pro rei notitia manifestata, non ad resultandum, quod absit, in aliquo domni papæ decretis apostolicis, vel ad resistendum vestris regularibus diffinitionibus profero; sed ut quomodo his quæ in dejectione illorum diffinita sunt hactenus obedivi, sic in eorum restitutione, cujus estis a domno apostolico arbitri constituti, si a vobis fienda canonice inventa et patrata fuerit, quantum ex me est, præfatis regulis sacris, et episcopalibus atque apostolicæ sedis exinde confirmationibus, periculose non obviem, et a præceptionibus, quæ in apostolicis epistolis continentur, a quibus Domino annuente vel transverso, ut dicitur, ungue scienter et per contumaciam non exorbitabo, in nullo per ignorantiam deviem, et qualiter absque descrimine sequi debeam regularem vestram, quorum ex delegatione sedis apostolicæ interest, diffinitionem, per ipsarum regularum tramitem liquido cognoscere valeam. Ad hoc enim vel maxime ad synodum venit episcopus, ut aut discat, aut doceat, aut corrigatur, aut corrigat. Et Cœlestino dicente (*Decret.* 20, *episcopis per Apuliam*, etc.), ut nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum possit regulis obviare, necesse est ut ea hinc decernatis, ne aut in quæstionem reveniant, aut occasio exinde alicujus præsumptionis exsurgat, aut illa dissolvere temporibus nostris vel successorum nostrorum oporteat. Quanta, inquit Symmachus (*epist.* 1, *ad Æonium*), vicariis beatissimi Petri apostoli judicabitur esse reverentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt eisdem transeuntibus dissolvantur? quia, ut idem dicit, non potest ex parte firmum esse quod generalitatis tangit injuriam.

EPISTOLA IV.

AD EAMDEM SYNODUM SUESSIONENSEM

De Ebone Rhemensi, quod ab episcopatu jure dejectus, nec legitime postea restitutus, clericos ordinare non potuerit, et quod hi quos ordinarat, ni synodo Meldensi suspensi, in Suesssionensi gradu spoliati sint.

(Apud Sirmond.)

HINCMARUS Rhemorum episcopus sanctæ synodo domni papæ Nicolai auctoritate convocatæ.

CAP. I. De Ebone, unde quidam loquuntur, qui causam ejus nesciunt, vel scire aut audire non volunt, cum quocunque per contentionem nullam conferam quæstionem, quia nec domnus apostolicus mihi agendum hoc scripsit, nec cum eodem Ebone in vita sua exstiti altercator, nec post mortem ejus illius sum derogator, nec ejus sedis invasor exstiti, quam ab eo secundum regulas sacerdotio defuncto quartus, post eos qui eam tenuerunt, canonice in ea electus et ordinatus regendam suscepi. Ratione autem dictante, quam omni poscenti negare non debeo, veritatem proferre licite valeo. Idem namque a se, juxta sacras regulas et traditionem ecclesiasticam, ac decreta sedis Romanæ pontificum, Zosimi, Joannis atque Gregorii, sicut ab eis constitutum multoties legitur, per professionis suæ libellum, ea moderatione, quam Leo magnus papa decrevit ad universos episcopos per Samnium, Picenum et Tusciam (*ep.* 86), dictatum et propria manu subscriptum, in synodo se deposuit, et episcopali ministerio spoliavit, atque secundum suam professionem et subscriptionem a quadraginta tribus episcopis judicium depositionis suscepit: sicut ille ipse libellus, quem synodo porrexit, et notitia synodalis, quæ habemus, evidenter ostendunt. Ut enim dicit Gelasius, ideo vocatur ad judicium certa quæcunque persona, ut aut fateatur objecta, aut ut convincatur objectis. Sed hunc et actio pene omni mundo nota convicit, et ipse propria se voce et subscripta professione damnavit. Postea vero sine ulla regulari restitutione idem ministerium episcopale, quo se privaverat, contra sacros canones usurpavit. Et demum sub papa Sergio Romam veniens, ab eo, ut damnatus in laica tantum communione maneret, districta sententia, sicut et gesta ipsius papæ demonstrant, condemnatus fuit. Qui cum metropolis Rhemorum, in qua fuerat ordinatus, per decennium post depositionem ejus pastore vacaret, sed et usque ad terminum vitæ suæ, cum fere decem et septem annis post damnationem suam

vixerit, eamdem sedem qua regulariter se privavit, canonice non repetiit, nec obtinuit, neque ullum canonicæ suæ restitutionis documentum synodo cuilibet, vel principibus terræ, ac populis, qui eum damnatum fuisse noverant, secundum regulas sacras ostendit. Et si quis vult dicere eum fuisse regulariter, consensu episcoporum, vel sedis apostolicæ restitutum, sicut sanctus Gelasius in decretali sua epistola de Acacio dicit (in tomo *de anath. vinculo*), quem sui complices ac fautores restitutum fuisse fingebant, doceat a quibus et ubi ille consensus restitutionis sit gestus, si secundum Ecclesiæ regulas celebratus, si paterna traditione profectus, si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, si ad primam sedem, cujus intererat, de sententia qua tenebatur obstrictus, secundum Ecclesiæ regulas est relatum, si eadem quæ ligavit absolvit. Si hæc ita gesta non sunt, cum nec a pontificibus legitime et ecclesiasticis legibus fuerit expeditus, nulla sæculari potestate potuit præter Ecclesiæ tramitem prorsus absolvi. Nec quisquam ei post depositionem quasi restituto communicare debuerat, in ea duntaxat causa, unde a seipso et ab episcoporum concilio, insuper et ab apostolica sede excommunicatus exstiterat, sine restitutionis suæ canonicis litteris, ab eis a quibus fuerat restitutus secundum morem confectis, sicut sacri canones et decreta Felicis papæ demonstrant (Felix, *in synodo Rom.*, *epist.* 59). Quapropter, ut Leo ad Theodorum scribit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. Unde taliter visum est de illo tenendum, sicut Gelasius de Acacio dicit (*de tomo Anathem.*), Talis est, inquiens, dictus, qualis ligatus est, talis usque in finem permansit, talis esse non destitit. Ita talis est hodie, qualis est et dictus, non talis esse jam non potest. Nunquam igitur, talis permanendo solvendus est. Et constat quia comedens fructus viæ suæ, suisque consiliis saturatus, docente Innocentio, qui particeps factus est damnato, quomodo debeat honorem accipere invenire non possum, dimisit reliquias suas parvulis suis. Sed et de eo omnem quæstionem, secundum leges ecclesiasticas et mundanas, quas probat Ecclesia, qui damnatus fuit anno Incarnationis Dominicæ 835, indictione XIII, sub die Kalendarum IV Nonas Martii, jam tricennale et amplius eo tempus excludit.

CAP. II. Sed dicitur usque ad vitæ suæ terminum episcopale ministerium in omnibus ecclesiasticis muniis peregisse. Quæ præsumptio a sanum sapientibus non sumitur in exemplum : quia et in veteri et in novo sacerdotio vetus hoc artificium est diaboli, et quia plures hoc præsumpserunt, sicut Bonosus, contra cujus morbum Innocentius, et Proculus, adversus quem laboravit non modice Zosimus, et Acacius, quem dejecit Felix, et sequens sacros canones, ac decreta prædecessorum suorum, cum præsumptione et usurpatione sua peremit et exstinxit Gelasius. Et plures alii fuerunt, qui in hanc præsumptionis sententiam transierunt, et transeuntibus consenserunt, de quibus in nostro sæculo quosdam audivimus, quosdam etiam qui hoc egerunt vidimus. Sed, monente Scriptura, non debemus turbam sequi ad male agendum, et ut Innocentius loquens de Bonoso dicit (*decret.* 56), « Quoties a populis, aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum soleat transire. Priora ergo dimittenda dico Dei judicio, et de reliquo maxima sollicitudine præcavendum. » Et de incongruo sacris Scripturis ac sanctorum decretis multorum consensu, item in decretis apostolicæ sedis legitur, quia et si omnes sacerdotes, et mundus assentiat, damnatio consentientes involvit, non prævaricationem consensus absolvit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cum generale fit ex privato. Hoc enim Deus omnium indicavit, qui mundum peccantem generali diluvio interemit ; et sacrum dicit Nicænum concilium (*can.* 9), quia quod irreprehensibile est catholica defendit Ecclesia. Nam si hoc impune fuerit licitum, ut hi auctoritatem in sacris ordinibus ministrandi, vel eosdem ordines tribuendi usurpent, qui aut penitus non acceperint, aut contra regulas ordines sacros acceperint, aut quibus regulariter ministerium sacrorum ordinum fuerit interdictum, omnis ordo et vigor ecclesiasticus non tantum nutabit vel confundetur, quam penitus destruetur.

CAP. III. Quia denique in Moguntina provincia ministravit, contra omnem auctoritatem esse cognoscitur. Nam Antiocheni canones de vacante episcopo et vacante Ecclesia regulam præfixerunt (*can.* 16, 17, 18) ; sed et de illo qui manus impositionem episcopatus accipit et ministrare detrectat, necnon et de illo qui ordinatus nullo suo vitio ad parochiam, in qua ordinatus fuerat, non accedit. De quibus regulis nulla Eboni convenit. Et canones Sardicenses (*can.* 21) de vim injuste patientibus, et pro disciplina et catholica confessione, vel pro defensione veritatis expulsis, vel pericula evadere quærentibus, quid teneri debeat manifeste demonstrant. Sed nec ista regula Ebonem absolvit ; cum et sacerdotes, et omnis pene mundus, et ipsa etiam sedes apostolica ejus falsis criminibus appetitum, et quadam traditione pro honoribus cum juramento exinde acceptis venditum, et ab imperio, atque ab ipso Ecclesiæ aditu, pium Augustum Ludovicum satagente ipso abjectum gravissime ingemuerit, et innoxium a criminibus inventum, et justissime restitutum, totus in orbe terrarum mundus gaudio exsultaverit, et Ebonem dejiciendum, qui irreverentius manum in christum Domini miserat, ut reum majestatis, una cum ipso clamaverit. Sed neque necessitate cogente, propria amissa provincia, secundum Chalcedonenses canones (*can.* 20), civitate in qua ordinatus fuerat captivata, pulsus ab hostibus exstitit, ut alibi incardinari valeret, sicut in decretis beati Gregorii, et aliorum sedis Romanæ pontificum invenimus ; nec injuste et contra regulas sacras dejectus, et regulariter sedi suæ secundum Sardicenses canones (*can.*

3) jussu sedis apostolicæ refricato judicio restitutus, ullo documento canonico invenitur. Quapropter ab ipsa, ubi immorabatur, parochia contra concilium Africanum appetitus, ut ibi decretum est, potestate judiciaria per rectorem provinciæ protinus excludi, et neque ab Ecclesiis quibus præfuit, neque a quolibet homine defensari debuerat. Constat ergo juste dejectum ea quæ sua non fuerant præsumpsisse : cujus non necesse est nos merita actusque discutere, cum habeat conscientiæ et operis sui testem quem habet et judicem. Nam, ut Leo dicit (*epist* 84 *ad Leonem Augustum*), quæ patefacta sunt quærere, et quæ perfecta sunt retractare, et quæ sunt diffinita convellere, quid aliud est, quam de adeptis gratiam non refere, et ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere ?

CAP. IV. De mea etiam ordinatione, cui forte si aliqui occulte, quod aperte non audio, derogant, in nullam altercationem contra quemcunque intrabo, quia, sicut dicit Apostolus, in mortuis testamentum est confirmatum (*Heb.* IX, 17). Nam cum Rhemensem Ecclesiam Folco fere per novem annos sine ulla regulari Ebonis reclamatione tenuisset, et post eum Noto pene per annum et dimidium eamdem sedem similiter sine ulla Ebonis repetitione tenuisset, sub Sergio papa in synodo plurimorum archiepiscoporum et episcoporum apud Bellovacum diœceseos Rhemorum habita, a clero et plebe ipsius metropolis, sed et ab episcopis ejusdem provinciæ petitus, et ab archiepiscopo tunc meo, et proprio episcopo, necnon et a coepiscopis ipsius provinciæ, secundum Laodicense concilium (*can.* 12), cum consensu abbatis mei et fratrum monasterii in quo degebam, episcopis Rhemensis provinciæ, et clero ac plebi ipsius metropolis per canonicas litteras traditus, et cum decreto canonico, præsentia vel consensu omnium suffraganeorum ipsius metropolis, et a metropolitano meo, qui me illis tradiderat, sum in eadem Ecclesia, omnibus acclamantibus, absque ullius contradictione vel repetitione, canonice et secundum decreta sedis Romanæ pontificum ordinatus : ipsaque ordinatio mea non solum Rhemorum provinciæ episcoporum, ordinatorum videlicet meorum, secundum Africanum concilium subscriptionibus est roborata, verum et omnium pene Galliarum ; atque Neustriæ, necnon et Aquitaniæ episcoporum manibus subscripta epistola ad præfatum Sergium, papam, unanimiter dirigenda; sed et edicto domni regis Caroli manu propria confirmato, et sigillo ipsius corroborato, est comprobata. Quæ omnia Sergio, antequam mittere ad illium concurrerem, in brevi defuncto, Leoni papæ sunt missa. Indeque a domno imperatore Lothario, suam epistolam eidem Leoni papæ dirigente, in qua scripsit quantum pro restitutione Ebonis apud Sergium papam sategerit, et nihil obtinere potuerit, favoribus prosecuta, et ab eodem Leone papa et usu pallii et privilegio sedis apostolicæ, ac pluribus apostolicis suis epistolis,ut videlicet in loco pastoris sacerdotio defuncti,est multoties approbata. A Quamque ordinationem meam, sanctæ memoriæ gratia et nomine Benedictus, sed et domnus ac Pater noster papa Nicolaus, suis privilegiis eam corroborarunt. Quæ in episcopali concilio, et ante ordinationem electio, et postea ordinatio canonice patrata fuisse, non contra cujuscunque quæstionem, sed adversus susurrantium atque occulte mussitantium derogationes, ut omnis iniquitas oppilaret os suum, ex sacris regulis est demonstrata. Sed et illud in causa est, cur inde in nullam altercationem contra quemcumque modo intrare non deliberem, quoniam domnus papa suis apostolicis litteris mihi non scripsit,ut cuicumque inde per quæstionem debeam reddere rationem. Quod non de diffidentia dico, quasi documentorum probamentis ad ista deficiam, in quo jure si quis audet, audeo et B ego ; sed et Leonis ad Leonem Augustum verba pro modulo meo sequens, dicentis (*epist* 84), quia de rebus et apud et Nicæam, et apud Chalcedonem, sicut Deo placuit definitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per sanctum Spiritum fixit auctoritas. Cum tantus ac tantæ sedis papa se ad hæc dixerit non audere, ego tantillus homuncio super ea quæ tot conciliorum et tantorum pontificum sedis apostolicæ de ordinatione mea, qualiscunque plebis Dei famuli, sicut certissima monimenta declarant, approbavit et fixit auctoritas, tanquam de re dubia vel infirma, nullum audeo inire certamen.

CAP. V. De his autem fratribus nostris, de quibus nuper nobis communiter domnus apostolicus scripsit, C si vobis ad apostolica scripta non sufficit brevis a me data responsio, ecce habetis gesta episcopalia, et privilegia domni Benedicti et domni Nicolai, quæ vobis demonstrant qua ratione et quo ordine, quave auctoritate, et a quibus, et ubi, et quando patrata sint, quæ in eos acta fuerunt. Quibus omnibus perscrutatis, secundum domni et Patris nostri apostolici papæ discretissimum ac regulare mandatum, quod justum et pium inveniritis, secundum canones sacros decernite, absque ulla, quantum ex me est, contradictione perficite : quia sicut in præcedenti schedula vobis scripsi, nec illius apostolicis præceptis, nec vestris regularibus definitionibus contradicam.

CAP. VI. Cæterum si vestræ beneplacitæ voluntati necessarium visum fuerit non ad ullam contentionem, D nec adversum alicujus quæstionem, sed ob pleniorem rei notitiam, ut de Ebonis adhuc latius regulari depositione, et nulla canonica restitutione, sed et de mea qualiter celebrata sit ordinatione, vel qua ratione fratres et coepiscopi nostri in synodo Meldensi filios Rhemensis Ecclesiæ, de quibus agitur suspenderunt, vel unde accepit Suessonica synodus non debere in gradibus ecclesiasticis eos manere, rationem et ordinem, atque auctoritatem , quæ ibi ostensa, et a sollicitudine exiguitatis meæ suscepta sunt, ne offendam reticens dicendam in tempore veritatem, vestræ fraternitati pondere non negabo. Tantum ut non vos morosa, et forte vobis si nota est

non necessaria ratio tædeat, et sic veritas a me possit ostendi, quatenus vestræ unanimitatis charitas erga me debeat conservari. Qui absque nostro detrimento non solum fratribus, sed et inimicis prodesse desidero, et apostolicis mandatis quacunque contumacia non resulto, nec fraternis vestris monitis et regularibus diffinitionibus intentionem vel manus obvias tendere paro, ea tamen conditione, quod et vos velle et studere cognosco, ut regularum status et sedis apostolicæ priviligium maneat, et commune periculum nostrum vitari prævaleat.

Post hanc schedulam, synodo ostensa sunt gesta episcopalia Suessonicæ synodi per manus Hincmari Laudunensis episcopi, et gesta synodi Bituricensis provinciæ per manus Raginelmi Tornacensis episcopi, et privilegium domni Benedicti per manus Erchanravi Catalaunensis episcopi, et privilegium domni Nicolai per manus Hodonis Belvacensis episcopi. Et post hæc omnia, data est quæ sequitur schedula, qualiter priscis, ut dicit Gelasius, pro sui reverentia manentibus constitutis, et salvis apostolicæ sedis privilegiis, cum eorum etiam salvamento qui synodo subscripserunt, in qua fratres de quibus agitur fuere dejecti, per indulgentiam et auctoritatem domni papæ in suis ordinibus recipi et provehi possint absque contradictione, migratis jam omnibus, qui in Ebonis depositione fuerunt, episcopis, excepto solo Rothado ; sed et eis qui illi excommunicato dicebantur communicasse, et aliis in eorum locis substitutis, ac per eos, ut ita dicamus, innumeris ordinatis. Tantum ut de cætero scandala, quæ hinc valent emergi, domni apostolici auctoritate et providentia devitentur.

EPISTOLA V.

AD EPISCOPOS SYNODI SUESSIONENSIS,

Quod absque necessitate mutari non debeant quæ semel in conciliis statuta vel judicata sunt.

(Apud Sirmond.)

HINCMARUS Rhemorum episcopus REMIGIO, WENILONI, et cæteris archiepiscopis, et episcopis, domni papæ Nicolai auctoritate ad synodum, quo et exiguitatem meam cum coepiscopis nostris venire præcepit, in hanc Suessorum civitatem pro causa Vulfadi et collegarum ejus convocatis.

Legimus, scribente beato Innocentio (*epist.* 2, *ad Exuperium*), quod de quibusdam observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est. Et sanctus Leo dicit (*epist.* 95, *ad Rusticum*), quia sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum, oporteat temperari. Velut et de quodam indulgentiæ jure dicit, in quo, inquiens, non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus. Et facundissimus Gelasius (*epist.* 6) : Priscis, inquit, pro suo reverentia manentibus constitutis, quæ ubi nulla vel rerum vel temporum perurget augustia regulariter convenit custodiri. Hic procul dubio, qui in ecclesiasticorum

A narratur altitudine dignitatum, et in cujus virtute bonis operibus corda ponenda sunt, gradibus utique distributis, cunctis Deus noster et rector populis prædicandus est Christianis : ubi nemo sibimet aliquid jam æstimet imminutum, cum et de uniuscujusque gradus perfectione nil deperit, et convenienter retinendo quod cœlesti dispensatione collatum est, pariter nobis et cognoscibilem Deum fleri, et tribuit esse rectorem. Nam etsi quid indulgetur de temporum quantitate, moribus aggregata strenuitate pensatur, si vitæ jam proposito continetur, quod protelata fuerat ætate curandum : dummodo illa nullatenus dissimulata subripiant, quorum quodlibet si inesse claruerit, merito clericalibus infulis reprobabilem convincat esse personam. Et si illa nonnunquam si-

B nenda sunt, quæ si cæterorum constet integritas, sola nocere non valeant : illa tamen sunt magnopere præcavenda quæ recipi sine manifesta decoloratione non possint. Et Africanum concilium, de virginum velatione retractans (*can.* 93), ita manere constitutionem prioris concilii, ubi nulla perurget necessitas, decrevit, ut non obsit posteriori concilio certis pro causis ea quæ constituta fuerant immutanti, nec posterius concilium priori obviet (*can.* 35), ubi nulla illud perurget necessitas immutare. Sed et de Donatistis decrevit, ut consentientibus fratribus et coepiscopis, maxime autem apostolica sede, a quibus inde fuerat diffinitum, quatenus secundum uniuscujusque episcopi catholici voluntatem atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis ho-

C noribus suscipiantur, sicut prioribus ejusdem divisionis temporibus factum esse manifestum est : quod multorum et pene omnium Africanarum Ecclesiarum, quibus talis error exortus est, exempla testantur. Non ut concilium, quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur, sed ut illud maneat circa eos qui sic transire ad Catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis compensatio procuretur. Per quos autem vel omnimodo perfici, vel adjuvari manifestis fraternarum animarum lucris, catholica unitas in locis quibus degunt visa fuerit, non eis obsit quod contra honores eorum, quamvis salus nulli interclusa sit, in transmarino concilio statutum est.

Unde manentibus statutis, absque regularum et

D apostolicæ sedis præjudicio, et judicantium ullo discrimine, quos non solum auctoritas Carthaginensis concilii ab omni nævo defendit, si eorum fuerit soluta sententia, qui convinci non possunt vel inimico animo judicasse, aut aliqua cupiditate aut gratia depravati ; verum et idem concilium, sed et Antiochenum, atque decreta sedis Romanæ pontificum, Innocentii, Zosimi atque Leonis, eos commendant, per quæ sua confirmavere judicia, quæ fratres et coepiscopi nostri in Suessonica synodo Rhemensis Ecclesiæ filiis, ab Ebone post depositionem suam ordinatis, censura ecclesiasticæ severitatis judicaverunt, ubi eos non judicavi, nec cum judicibus eorum sub-

scripsi : manente etiam, ut oportet et necesse est, auctoritate privilegiorum domni Benedicti, et domni ac Patris nostri Nicolai papæ ; si illi placet cui cuncta bona placent, ut decessoris sui Benedicti et sua privilegii a se confirmati sententia de his fratribus propter misericordiam per indulgentiam immutetur, ubi exinde scriptum habetur, salvo Romanæ sedis in omnibus jussu atque judicio : et aliter decretum confirmetur, nobisque tenendum mandetur, juxta moderationem Innocentii, qui observationem priorem duriorem, posteriorem autem interveniente misericordia inclinatiorem dicit (*epist.* 2, *ad Exuperium*) ; et vestra fraternitas, qui eosdem fratres judicastis, vel quorum decessores illos judicaverunt, unanimi benignitate, justitia, pietate condita consenserit atque decreverit, sicut sacra et mystica Nicæna synodus de Novatianis (*can.* 8), et per indulgentiam, in epistola ad universos episcopos per Ægyptum, Libyam et Pentapolim constitutos, de Meletio damnato clementi consilio, dum subtili veraque ratione nullam veniam mereretur, et ab eo post damnationem illius ordinatis, quos Meletienos appellat, decrevit.

Nam idem Meletius, ut in veraci et recipienda historia legimus, unius civitatis Ægyptiorum episcopus, sub Petro Alexandrinæ civitatis archiepiscopo, qui suscepit Diocletiano imperante martyrium, depositus est, et propter alias multas causas, et maxime quia in persecutione fide negata sacrificaverat. Ergo damnatus habuit multos sequaces, et hæresiarches factus est eorum qui hactenus ab eo in Ægypto Meletiani vocantur, nullam justitiæ satisfactionem habens cur remanserit ab Ecclesia separatus. Dicebat quidem injustitiam se passum, et obloquebatur sibi derogabatque Petro. Sed Petrus in persecutione percepta martyrii palma defunctus est ; iste vero retulit detractiones in Achillam, qui post Petrum suscepit episcopatum, et rursus in Alexandrum, qui post Achillam noscitur ordinatus. Inter hæc igitur supervenit quæstio Ariana, et Meletius una cum suis defendebat Arium, conspiratione facta cum eo adversus episcopum. De quo Meletio et ejus complicibus præfata sacra synodus in præscripta epistola, pacis redintegrandæ et unitatis gratia, hæc decrevit ad locum. Placuit, inquiens (*epistola conc. Nicæni ad Ægyptios*), Meletium quidem clementi consilio, dum subtili veraque ratione nullam veniam mereretur, manere quidem in propria civitate, nullam vero omnimodis habere potestatem neque eligendi, neque ordinandi, nec in provincia, nec in qualibet civitate, purumque nomen tantummodo possidere. Eos autem qui ab eo sunt constitut, mystica ordinatione firmatos habere honorem et ministerium, ut tamen sequentes sint modis omnibus universorum in singulis parochiis et ecclesiis a charissimo et comministro nostro Alexandro consecratorum, ut in his nulla potestas sit placitos sibi eligere, aut nomina eorum præferre aut omnino aliquid gere præter voluntatem Ecclesiæ catholicæ

A præsulis Alexandri. Gratia namque Dei, et orationibus vestris, in nullo schismate repertos, sed sine macula in catholica et apostolica Ecclesia permanentes, dignum est potestatem habere et eligendi quemlibet, et nomina eorum dandi qui clero sunt digni, et absolute facere omnia secundum legem et sanctiones Ecclesiæ. Si quem vero contigerit requiscere in Ecclesia, tunc provehi in honorem defuncti eos qui nuper assumpti sunt, solummdo si videantur digni, et populus eos elegerit, condecernente simul et consignante maximæ Alexandriæ civitatis episcopo. Hoc itaque aliis quidem concessum est omnibus : in persona vero Meletii nequaquam eadem placuerunt propter priorem indisciplinationem ejus, et propter procacitates ejus ac petu-
B lantiæ voluntatem, ne ulla daretur auctoritas vel potestas homini, qui posset rursus easdem indisciplinationes instruere. Et Anastasius junior papa, ad Anastasium imperatorem scribens de ordinatis a damnato Acacio (*epistola unica*), recipiendos in suis ordinibus dicit. Quanquam eadem epistola sacris canonibus et decretis Innocentii, Zosimi, et Leonis, atque Gelasii, a quibusdam non convenire dicatur ; quia ut ambigua sententia in eadem epistola idem Anastasius scribit, et baptizavit catholice, non canonice : nec secundum sacras regulas, neque secundum Ecclesiæ catholicæ consuetudinem sacerdotes vel levitas damnatus ordinavit Acacius, quia possunt etiam interdum laici catholici baptizati, ut dicit Gelasius, catholice baptizare, et etiam criminosi
C adhuc sedentes super cathedram, sicut Scribæ et Pharisæi, et sicut Judas, pro ministerii dignitate inter apostolos sibi commissa, et nondum judicio aperto amissa, pro suo officio quæ in eodem ministerio operanda sunt operari. Sunt et alia, quæ hic poni poterant, nisi obviari eis ab aliis constitutis sanctorumque decretis manifeste cognosceretur ; quoniam, ut Daniel dicit : *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia* (*Dan.* XII, 4), aliter de hujusmodi decreta fuisse inveniuntur. Et idcirco ista posuisse sufficiat, quæ indulgentiæ potius misericordiam sequi, quam censuram justitiæ intentare videntur.

His ergo ita se habentibus, quantum ex me est, sedis apostolicæ benignitati, et vestræ fraternitatis bene placitæ consensioni, sollicitus servare unitatem
D spiritus in vinculo pacis, in fratrum istorum regulari statu non obvio. Quorum, sicut in præcedenti schedula vobis porrecta præmisi, salubrem ac regularem statum et cupivi et cupio, et quæsivi et quæro, et de quorum dejectione dolui satis et doleo, quia nemo majus dispendium habet de illorum dejectione quam ego. Et hæc quidem scripsi pro mediocritate ingenioli mei, devotionem mentis meæ circa fratres ostendens, priscis, ut dicit Gelasius, pro sui reverentia manentibus constitutis, et reservato per omnia sententiæ ac juris privilegio apostolicæ sedis, et non præjudicans vestræ vel cujuscunque rationabiliori, seu plus tenendæ, ac majoris auctoritatis sententiæ,

quam si mihi ostensa fuerit paratus sum sine contradictione aliqua sequi. Illa tamen modis omnibus in istorum statu, si tamen a vobis unanimiter inde consensum, et a domno papa fuerit confirmatum, conditione servata, quam et apostolica sedes pro ecclesiastico vigore ab omnibus petimus faciat conservari, et a vestra fraternitate necesse est provideri, ne hac, quod absit, occasione auctoritatem in sacris ordinibus ministrandi usurpent, qui aut penitus non acceperint, aut contra regulas acceperint, vel quibus regulariter ministerium fuerit interdictum. Quoniam si hoc impune fuerit licitum, omnis ordo et vigor ecclesiasticus non tantum nutabit, quantum penitus confundetur. Sunt cum istis et alia, de quibus provide domni apostolici summa auctoritas, et sub ejus magisterio hinc vestra solers considerabit sagacitas, quæ in alio diplomate mea vobis ostendet humilitas, ne sub hujus rei occasione in Ecclesia possint emergi. Vestra autem prudentia et hæc clarius, et alia, quæ sensus mei paucitas non potest attingere, contemplabitur, et domni apostolici supereminens sapientia multo sollicitius et videbit quæ providenda sunt, et præsentibus medelam et futuris imponet custodiam.

EPISTOLA VI.

AD EPISCOPOS SYNODI SUESSIONENSIS.

De Vulfado, quod Lingonensem Ecclesiam pastore viduatam usurpare præsumpserit, ac per satisfactionis libellum nunquam se ulterius ad graduum ecclesiasticorum administrationem aspiraturum professus sit.

(Apud eumdem.)

Hincmarus Rhemorum episcopus, Remigio, Weniloni, et cæteris archiepiscopis et episcopis, domni papæ Nicolai auctoritate ad synodum, quo et exiguitatem meam cum coepiscopis nostris venire præcepit, in hanc Suessorum civitatem pro causa Vulfadi et collegarum ejus convocatis.

Quod invitus dico, et supprimere in totum non audeo, ne forte mihi ab his qui hoc sciunt imputetur quod calliditate aliqua occultaverim veritatem, et si hæc causa, juxta veterum constitutionem judicio synodali decreta, sine diffinitione synodalis sententiæ modo quolibet fuerit refragata, dilecto fratri nostro Vulfado ad noxam cujuscunque redivivo furore valeat deputari. Isdem namque dilectus frater noster, post omnia quæ de sua et collegarum suorum adjudicatione a synodo episcoporum quinque provinciarum diffinita, et a sedis apostolicæ auctoritate sub anathematis interpositione sunt confirmata, sine audientia et consilio episcopalis concilii sacerdotum qui eum judicaverunt, sineque auctoritate Romani pontificis qui ipsa judicia confirmavit, inconsulta etiam Rhemensi Ecclesia, extra provinciam ejus, in qua baptizatus, et in clericum tonsus, atque per plures annos in Ecclesia publice sacras Scripturas legit, ubi sicut Africanum decrevit concilium cap. 58 postquam semel legit, ab alia Ecclesia inconsulte recipi non debuerat, sicut idem concilium cap. 21 A manifeste demonstrat, Lingonensem Ecclesiam pastore viduatam, ut ibi ordinaretur episcopus, sub nomine vocati episcopi usurpare præsumpsit, ejusque facultates, quæ secundum Chalcedonense concilium (*can.* 25) penes œconomum futuro dubuerant reservari episcopo, suis suorumque usibus arrogavit; decernente ipso concilio ut eos qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ et universalis hujus synodi quidquam ex his quæ sunt prohibita perpetrare, decrevit sancta synodus (*can.* 12) a proprio hujusmodi gradu recedere: et Antiocheno concilio, de damnatis aliquid præsumentibus de ministerio, ut nullo modo liceat eis nec in alia synodo spem restitutionis habere. Et ab hac præsumptione synodali auctoritate, cujus habemus constitutionem, revoca- B tus, jubente Domino, si peccaverit frater tuus, increpa illum, et si pœnitentiam egerit, dimitte illi, per satisfactionis libellum propria manu firmatum recipere communionem, qua regulariter secundum Nicænos et Chalcedonenses canones ac decreta Gelasii fuerat privatus, promeruit, sicut idem ipse libellus, qui præ manibus habetur ostendit. In quo sub jurejurando per sanctam Trinitatem unius deitatis professus est se nunquam et nusquam ad sibi interdictam præsumptionem, et ad graduum ecclesiasticorum administrationem ulterius aspiraturum, neque aliam hujusmodi temeritatem, qua pax Ecclesiæ valeat perturbari, et quies sacerdotalis possit inquietari, scienter vel libenter ulterius moliturum. Quem libellum coram episcopis Pardulo Laudunensi, Guntberto Ebroicensi, Ænea Parisii, coramque rege C et quamplurimis aliis, nobis judicibus suis a synodo constitutis porrexit; decernente beato Gregorio, ut revertentes a schismate jurejurando profiteantur et subscribant, se nunquam ad schisma quo redierant reversuros. Et secundum traditionem Leonis papæ scribentis ad Januarium episcopum (*epist.* 3): « Saluberrimum est, inquit, et spiritalis medicinæ utilitate plenissimum, ut sive presbyteri, sive diaconi, vel cujuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, prius errorem suum damnari a se sine ambiguitate fateantur: ut sensibus pravis et dudum peremptis nulla aspirandi supersit occasio, nec ullum membrum Ecclesiæ talium possit societate violari, cum per omnia illis professio propria cœperit obviare. » Et ad Flavianum Constantinopolitanum D episcopum de erroneo ab ecclesiastica disciplina (*epist.* 12): Si, inquit, fideliter aut utiliter dolet, et quam recte mota sit episcopalis auctoritas vel sero cognoscit, vel si ad satisfactionis plenitudinem, omnia quæ ab eo male sunt sensa, viva voce et præsenti subscriptione damnaverit, non erit reprehensibilis erga correctum quantulacunque miseratio, quia Dominus noster verus et bonus Pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis, et qui venit animas salvare non perdere, imitatores nos suæ vult esse pietatis, ut peccantes justitia coerceat, conversos autem misericordia non repellat. Et item ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum de At-

tico presbytero scripsit (*epist.* 82), ut remota omni dubitatione Chalcedonensis synodi diffinitionem de fide, quam et apostolicæ sedis firmavit auctoritas, profiteatur se per omnia servaturum, adjecta subcriptione manus propriæ, quæ in Ecclesia populo præsente recitetur. Quibus constat eos qui ab ecclesiastica traditione deviant per contemptum, taliter recipi debere : quoniam, ut Hilarus dicit (*epist.* 2), non minus in sanctarum traditionum pelinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur. De quibus, si a sua professione vel subscriptione exorbitaverint, Carthaginense dicit concilium (*concilium Carth.* II, *can.* 13). Si quis, inquiens, contra suam professionem vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit. Et sanctus Gregorius ad Maximum episcopum Salonitanum de Andrea diacono dicit (*epist.* 125, *lib.* VII), quia flagitari judicium non debet de causa quam ipse judicavit. Sed quia contempta fuerat indebita præsumptione, non solum diffinitio synodalis episcoporum, sed et apostolicæ sedis domni Benedicti papæ auctoritas, opportunitate inventa, per venerabilem fratrem et coepiscopum nostrum Hodonem exemplar privilegii domni Benedicti sub fidei astipulatione dirigens domni Nicolai papæ auctoritati, ab eo quod suus decessor firmaverat corroborari poposci : non ad injuriam, quod absit, sedis apostolicæ, quasi ejus adhuc in ambiguum sententia duceretur, et ob id non sufficerent quæ ab ea semel domni Benedicti papæ auctoritate, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur, et aspirantes indebite anhelitus compressi funditus perpetuo maneant, fuerant confirmata : sed quoniam incauta præsumptio ut constitutio geminaretur exegit, quatenus si obstinatio permanere deligeret, se post tot prohibitiones diffinita impune non posse tentare cognosceret. Hæc non per malitiam dicta, sed ne ut putarentur per vafritiem tacita, ad vestram notitiam necessarium duxi perducere, qui canonice cuncta per ordinem, quæ in præfato fratre nostro Vulfado et collegis ejus gesta sunt, secundum præceptionem domni nostri papæ, examinare et subtilius investigare, et si quid justum piumque sensum fuerit, de illorum reformatione debetis perficere, ne quid forte prætermissum videatur, quod vobis scire, et unde a vobis conveniat diffiniri.

EPISTOLA VII.

AD NICOLAUM PAPAM.

Per Egilonem missa cum actis synodi Suessionensis anno 866.

(Apud eumdem.)

Domino sanctissimo et reverentissimo Patrum Patri NICOLAO, primæ ac summæ sedis apostolicæ et universalis Ecclesiæ papæ, HINCMARUS, Rhemorum episcopus, et vestræ sanctissimæ paternitatis devotissimus famulus.

Decimo quinto Kalend. Septembris, indictionis XIV, secundum vestram apostolicam jussionem, ad Suessorum civitatem, cum fratribus ac coepiscopis A Rhemorum provinciæ, archiepiscopis et episcopis illuc ex mandato vestro convenientibus occurrere festinavi, quo etiam dilectum fratrem nostrum Vulfadum venire commonui. Eos etiam fratres nostros de ipsius collegio, qui sub nostra cura degunt, mecum adduxi. Quos sicut mihi scribere dignati estis, justum quid vel pium sentiens, sine retractatione in suis ordinibus consensu ac judicio coepiscoporum Rhemensis provinciæ restituere maturarem, si illos ab eisdem gradibus cum eorum tantum judicio dejecissem. Sed quoniam synodi episcoporum quinque provinciarum, quorum meo consensu expetierunt judicium, diffinitione fuere dejecti : et sicut melius sapientia vestra novit, sacri canones usque ad similem excommunicationis vindictam decernunt, B ut ab aliis dejecti ab aliis non recipiantur, minime autem restituantur, sed aut eorumdem aut majoris concilii episcoporum diffinitiones ac judicia præstolentur, aliorum opus in illorum restitutione nullatenus usurpare præsumpsi quos meo arbitrio ab officio non suspendi, et in præfata synodo episcoporum quinque provinciarum, non tantum non judicavi vel dejeci, verum nec cum judicibus eorum subscripsi, quia mihi commissæ Ecclesiæ filii finitimos episcopos juxta canones Sardicenses pro causa sua interpellarunt, et Africæ provinciæ canones hujusmodi vicinos episcopos audire, et inter eos ac proprium episcopum adhibitos ab eis episcopos jubent querimoniam diffinire. Unde humiliter obsecro, ne pro inobedientia mihi reputetis, quoniam eos non statim restitui, qui ad synodum, sicut præcepistis, hoc solo C meo ausu agere viritus, obedienter occurri, et his quæ fratres et coepiscopi nostri, vestræ sanctissimæ paternitatis devotissimi filii, vestra fulti auctoritate, de illorum restitutione decreverunt, secundum quod mystica Micæna synodus, scribens ad diœcesim Ecclesiæ Alexandrinæ, de ordinatis a Meletio damnato episcopo clementi consilio statuit, videlicet ut mystica ordinatione firmati haberent honorem et ministerium, et proveheretur quilibet eorum in honorem episcopi in Ecclesia defuncti, si visus foret dignus, et eum populus elegisset, cum consensu Alexandrini episcopi, sub cujus cura diœcesis illa degebat, condecernente quodammodo similia Africano concilio de Donatistis, quæ non vobis ut incognita ingeruntur, sed ut notissima inculcantur, sacrorum cano- D num et sedis apostolicæ manentibus constitutis paratissime annuere, et sollicitus servare unitatem spiritus in vinculo pacis, obtemperare curavi : reservato per omnia sententiæ ac juris privilegio ejusdem apostolicæ sedis, et salva diffinitione ac confirmatione exspectatæ vestræ discretionis, atque auctoritatis. Et quia Synodo, per hunc venerabilem archiepiscopum Egilonem, qui interfuit actionibus, dirigente epistolam omnium nostrum, qui adesse potuimus, cum ipso voce loquentem, quoniam si eis manum porrigitis, vobiscum pariter porrigemus, Vulfado et ejus collegis pro disceptatione diversa judicantium, in eadem synodo omnibus consonan-

ter idipsum sentientibus, sedem apostolicam non fuit necessarium appellare. Idcirco hujusmodi legatum, qui meam vobis repræsentans personam, cujuscunque diversa sentientis allegationibus, quæ modo nullæ sunt, responderet, et vestram exinde diffinitionem referret, omisi dirigere, quia quæ verbis et scriptis mihi per istum religiosum archiepiscopum exinde sequenda atque tenenda mandaveritis, pro scire et posse obedire et conservare curabo, sicut hactenus ea, quæ inde fuerant statuta et confirmata, servavi. Nec causa inobedientiæ missum meæ subditionis cum hoc venerando archiepiscopo dimisi transmittere : sed quia sic intellexi in litteris vestræ auctoritatis contineri, tunc solum, ut verbis earum utar, si disceptantibus, vel fortassis alia atque alia decernentibus nobis, præfati dejecti sedem appellaverint apostolicam, et ejus speciali se judicio damnari vel absolvi petierint, si ego, vel si Vulfadus, aut socii ejus, ad vos venire per nos non possemus, vicarios nostros ad hoc negotium ventilandum et finiendum, mox post consummatum concilium XV Kalend. Septembris præsentis XIV indictionis auctoritate vestra collectum, nostras præsentaturos vobis personas, nullam penitus excusationem prætendentes, utrique ad sedem beati Petri mitteremus. Unde supplico, ut merear scripto hinc vestram diffinitionem recipere, quam paratus sum, ut oportet, obnixius observare. Gestorum autem seriem de omnibus quæ in concilio relata, examinata, atque reperta sunt, quæ sicut veneranda decreta statuunt, discretioni vestræ dirigi præcepistis, ut quæ salubria videbuntur corroborentur : si forte aliqua supersunt epistolæ synodali, quæ debeant explanari, hic venerandus ac religiosus sanctitatis vestræ devotissimus filius, et unanimis frater ac consacerdos noster Egilo archiepiscopus, plena fidelique relatione apostolicæ auctoritati vestræ poterit patefacere, et sicut ea visu et auditu comperit ac episcopaliter contulit intimare. Sed et de præfatis fratribus nostris, Rhemorum Ecclesiæ filiis, ab Ebone post depositionem suam ordinatis, qui inter canonicos et monachos, urbanos et parochianos, una cum Vulfado apud nos non sunt amplius quam novem, de quibus sanctissima vestra paternitas mihi scripsit, ut cum dejectionis suæ causam venire ad examen optaverint, nullum ex his quilibet indignationem meam sustineat, nullum ad cœpta peragenda per suggestionem meam patiatur incommodum, qualiter me antea et postea erga eos egisse in synodo fratres et coepiscopi nostri una cum eo repererint, sufficienter dignationi vestræ prævalet enarrare. Quorum salubrem ac singularem statum et cupivi et cupio, et quæsivi et quæro, et quorum dejectioni condolui, et statui eorum congaudeo. De Tetberga etiam regina, unde sublimitati vestræ ab humilitate mea mandari rogastis, quia Lotharium vel ipsam Tetbergam, postquam Arsenius venerandus episcopus et sanctæ Ecclesiæ Romanæ apocrisiarius, ab Attiniaco palatio domni Caroli regis gloriosi perrexit, non vidi, certæ

A salubritatis rationem vobis mandare non valeo. *Et alia manu.* Deus omnipotens sanctitatem vestram, ad doctrinam et correctionem sanctæ suæ Ecclesiæ, in suo apto servitio per annorum multa curricula conservare dignetur, domine sanctissime et reverentissime Patrum Pater in Domino. Data Kalendis Septemb., indict. XIV.

EPISTOLA VIII.

AD EGILONEM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

Romam euntem instruit de iis quæ in synodo gesta sunt in causa Vulfadi, et quemadmodum in Urbe gerere se debeat.

(Apud eumdem.)

HINCMARUS, nomine non merito Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, sanctissimo et reve-
B rentissimo EGILONI archiepiscopo, et charissimo ac unanimi atque fidissimo mihi, plurimam in Salvatore salutem.

Quanta fiducia vestra utar dilectione ex vestra mente pensare potestis. Non enim aliter in mente mea vos teneo, quam me alterum exceptis peccatis meis. Quapropter sicut in vobis et de vobis confido, et sicut vobis et pro vobis in omnibus esse cupio, ita erga me in omnibus sitis. Cæterum exemplar epistolæ domni apostolici ad domnum Carolum, quod non mandastis, sed et exemplar epistolæ mihi directæ, sicut mihi mandastis, dilectioni vestræ transmitto. Exemplar autem epistolæ, quæ uniformiter per archiepiscopos istius regni directa est, vos habetis, sine qua ire non debetis. Mitto etiam vobis
C capitula in quibus summa continetur de omnibus epistolis, quas pro ista causa nobis omnibus domnus apostolicus misit. Et necesse vobis erit ut ipsa capitula bene cognita habeatis, et memoria teneatis quæ sparsim in ipsis epistolis continentur, ut si illi quos scitis more suo sua dicta involvere voluerint, habeatis veritatem quam illis respondere possitis. De scriptis denique quæ porrexi in synodo, de quibus mandastis ut discernerem si vobis ad portandum necessaria forent, non mihi visum est vos ullam habere necessitatem : sed videtur mihi, quia si ostensa fuerint apostolico aut Romanis, ut aliquam dubitationem possint afferre domno apostolico, quasi contentiones inter nos fuerint in restitutione Vulfadi, et una cum vestro missatico suspecta synodi et mea epistola fiat, inde aliquod impedimentum et dilatio
D ad ea quæ senior noster cito obtinere vult de ipso Vulfado. Et puto non displicebit quibusdam, si aliqua occasio interciderit, unde ad illos sit ei necesse recurrere, et sicut mihi jam mandatum est, increscit apostolico et Romanis tanta legere. In scripto quippe quod primum dedi, nihil aliud habetur nisi quia ego non suspendi eosdem fratres ab officio, neque judicavi, neque a gradibus ecclesiasticis eos dejeci, neque cum judicibus eorum subscripsi, sed synodus episcoporum quinque provinciarum, et quod vos regulariter inde inveniretis, ego sine cunctatione sequerer secundum tenorem epistolarum domini apostolici : unde et synodus et ego rationem

reddimus in epistolis nostris domno apostolico, quare eos ego non restitui. Alterum autem scriptum ideo dedi, quia sicut scitis non putabat me Vulfadus ad illum condescendere velle; et licet non in mea præsentia, tamen audiebam per alios illum dicere interdum, Ebonem non fuisse regulariter depositum, interdum autem regulariter restitutum. Et ideo demonstravi eumdem Ebonem regulariter depositum, et non regulariter restitutum: qui damnatus anno Incarnationis Dominicæ 835, IV Nonas Martias, et per decem et septem annos postea in carne vivens, suam sedem regulariter in synodo non repetiit, neque obtinuit, nec etiam suam canonicam restitutionem, aut a sede apostolicat, aut a synodo regulariter factam, secundum canones et decreta sedis Romanæ ulli synodo in vita sua ostendit, et omnem quæstionem de illo secundum leges ecclesiasticas et humanas jam tricennale et eo amplius tempus excludit. Quoniam ut Leo ad Theodorum scribit (*epist.* 59, sub medium), quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. De cujus depositione admodum plura habeo quam in synodo modo ostenderim, sicut et in ipso scripto in synodo est relectum, ubi me canonice electum et canonice ordinatum monstravi. In quibus sicut scitis et rex et omnes concordaverunt, scientes me non in duritia velle contra Vulfadum persistere, qui interdum etiam dicebat quod meus non esset clericus, angustians sicut scitis ut qualicunque modo gradus posset habere. Quæ etiam scripta vobis non ad ostendendum sed ad habendum mitterem, si notarius noster infirmus illa transcribere concurrisset.

Postea autem ostensa est synodus, cui ego non sudscripsi; in qua ab ipsis, qui Ebonis damnationi interfuerunt, et verbis et scriptis atque auctoritatibus, coram rege comprobatum fuit, qualiter Ebo a se, juxta decreta Zosimi, Leonis, Joannis et Grægorii, per libellum professionis manu sua subscriptum, et a quadraginta tribus episcopis, secundum suam professionem et subscriptionem, regulariter depositus fuit, et regulariter restitutus non fuit: et ob id, secundum decreta Innocentii, qui scribens ad Martianum Naxitanum episcopum (*epist.* 28), jussit eos recipi suis ordinibus quos Bonosus ante damnationem suam ordinavit. Postea scribens ad Rufum et Eusebium ac cæteros Macedoniæ episcopos (*epist.* 27), eos quos post damnationem suam idem Bonosus ordinavit, nequaquam recipi in ordinibus ecclesiasticis permisit. Et secundum decreta Zosimi ad Aurelium et ad universos episcopos per Africam et cæteras provincias constitutos (*epist.* 6), et ad Massiliensem Ecclesiam, et ad Patroclum Arelatensem episcopum, de his quos post damnationem suam Proculus ordinavit, qui se libello professionis suæ suscripto in synodo deposuit; et secundum decreta Leonis et sacrorum canonum, qui excommunicato communicarunt in dejectione permanere istis fratres judicati fuerunt. Ostensa est etiam synodus episcoporum provinciæ Bituricensis, cui præ-

A sedit Rodulfus, manibus eorum subscripta; in qua ab ipsis qui interfuerunt, et ab Aiulfo qui unus fuit de judicibus Ebonis audierunt, comprobatum fuit eumdem Ebonem regulariter fuisse depositum. Deinde ostensa sunt privilegia domni Benedicti et domno Nicolai, qui suis subscriptionibus et Ebonis depositionem et istorum dejectionem confirmaverunt. Quæ si omnia vobis longum fuerit enarrare, breviter poteritis dicere, quæ bene firma tenere debetis quia scitis quales sunt quidam; et peto ut non displiceat vobis quod talia vobis mando firma tenere debere, quasi me putem vobis sapientiorem, quia ex charitate hoc dico, et talia mihi a vobis mandari vellem, si tale missaticum haberem sicut vos habetis. Verba autem quæ vos firma habere debetis, et etiam B vestri, si aliquis inde fuerit tentatus, ista sunt: Quia secundum tenorem epistolarum domni apostolici, sicut in eis scriptum habetur, cuncta per ordinem quæ in istis fratribus gesta sunt canonice examinantes, invenistis Ebonem juste et regulariter depositum et non regulariter restitutum, et istos fratres non a me sed a synodo episcoporum quinque provinciarum judicatos secundum sacros canones, et decreta Innocentii, Zosimi, et Leonis, sicut in synodali epistola continetur. Et quia in domni apostolici epistolis continetur ut quæ statuta sunt non ducat dissolvenda, nisi sacris legibus inveniantur adversa; et in eisdem epistolis intelligens synodus ipsius benignitatem erga hos fratres, inventa est ista auctoritas Nicæni concilii de ordinatis a Meletio quondam damnato episcopo, quam episcopi in sy- C nodali epistola illi unanimiter mandant, ut priscis, sicut dicit Gelasius, pro sui reverentia manentibus constitutis, et salvis apostolicæ sedis privilegiis, cum eorum etiam salvamento qui synodo subscripserunt, in qua fratres de quibus agitur fuere dejecti, per indulgentiam et auctoritatem ipsius in suis ordinibus recipi et provehi possint absque contradictione migratis jam omnibus qui in Ebonis depositione fuerunt episcopis, excepto solo Rothado. Verum et illi episcopi, qui eidem Eboni post depositionem suam dicebantur communicasse, jam ad divinum, judicium migraverunt, et aliis in eorum locis substitutis, ac per eos, ut ita dicamus, innumeris ordinatis, a nullo istorum fratrum restitutio contra dicitur. Tamen si vos non gravaret, multum vellem D ut omnem plenitudinem suprascriptam de Ebonis depositione, et de istorum adjudicatione domno apostolico referretis: quod sapientiæ vestræ committo arbitrio, cui melius credo, quam si ipsa scripta transmitterem. Est etiam, quoniam si aliqua scripta per vos mitterem, et vos illa portassetis, nisi tantum epistolam synodalem, et meam epistolam concordantem eidem epistolæ, scitis quales sumus: posset fieri ut aliquorum mentes inde contra nos scandalum sumerent; quod et modo in synodo quantum potui devitavi, ubi sicut comprobatum est istos fratres non judicavi, nec eidem synodo subscripsi. Et erant auctoritates canonicæ, et decretorum sedis

Romanæ pontificum, quibus ipsi episcopi hos fratres judicaverunt, et qui eidem synodo suscripserunt, me tacente necesse habebant hoc statuere quod judicaverunt et subscripserunt, aut contra professionem et subscriptionem suam euntes, secundum Carthaginense concilium se honore privarent : et privilegia sedis. Apostolicæ duorum pontificum qualia sunt et quæ confirmaverunt quod ipsi episcopi judicaverunt, ipsi vidistis et audistis. Tamen ne scandalum fieret, secutus exemplum Domini qui dixit ad Petrum : Nos censum non debemus, sed ne scandalizemus eos, videlicet qui censum exigebant, *da staterem de ore piscis pro me et pro te* (*Matth.* XVII, 26), vitato scandalo et præjudicio sedis apostolicæ, ut non nos, sed ipsius auctoritas si voluerit, solvat et immutet suam sententiam quam ligavit et confirmavit, servandam vidi unitatem spiritus in vinculo pacis, similiter et in hoc sicut et ibi, ut nullum ego scriptum mittam, nec vos aliud portetis, nisi quod cum rege et cum episcopis nobis convenit. Eamus simpliciter quia sicut Scriptura dicit : *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter* (*Prov.* X, 9). Sed si locum videritis, domo apostolico aperire debetis, quoniam multi jam dicunt, si illa firma non fuerunt quæ tunc inde confirmata sunt, nec ista quæ modo fiunt firma erunt. Et nihil est jam firmum quod episcopi et apostolica sedes decernunt ; neque de nostris judiciis, nec etiam de excommunicatione curant ; nec presbyteri a nobis degradati pro nostro judicio suum ministerium dimittent, quia nihil est firmum quod agimus sed sicut vult rex, et sicut nos aut odium movet, aut gratia, aut cupiditas, aut timiditas, ita et nostra et apotolicæ sedis vadunt judicia. Et recordari debetis apostolico, qualiter de sua excommunicatione et propriæ manus confirmatione fecit Guntharius. Qua de re providendum est in talibus, quia jam homines plus proclives et voluntarii sunt ad impune peccandum, quam ad regularem disciplinam suscipiendam et observandam. Et si domnus apostolicus a vobis quæsierit ipsas auctoritates, qualiter isti dejiciendi judicati fuerunt, potestis si vobis videtur illi respondere, quia unanimiter episcopi suum studium ad hoc converterunt, ut isti fratres restituerentur : unde illi miserunt auctoritatem quam invenerunt. Et quia non fuit eorum studium ut in dejectione permanerent, illas auctoritates sacrorum canonum, et decretorum Innocentii, Zosimi, Leonis, quæ supra dictæ sunt, et illi sunt cognitæ, ei transmittere omiserunt. De quorum restitutione, si Vulfadus in causa non foret, satis Ecclesia indurare potuisset, qui inter canonicos et monachos, urbanos et parochianos, una cum Vulfado non sunt amplius quam novem. Ego dico quod mihi videtur charitatis affectu ; vestra autem prudentia, et ad hæc et ad plura alia, Deo gratias satis sufficiet. Peto etiam ut ad hoc quod domnus apostolicus mihi scripsit de duritia Pharaonis, sicut in epistola mihi missa legitis, ei ex ordine Condicatis quam benigne eosdem fratres et antea et postea tractavi, sicut coram ipsis in synodo comprobavi, ne talem me æstimet, sicut me æmuli mei illi depingunt. Et habete exemplaria de epistola synodali, et de mea epistola : ut si aliqui inde quiddam voluerint dicere, postquam illas apostolico dederitis, habeatis earum exemplaria, et habeatis eas bene cognitas. Similiter satagite, ut illas epistolas, quas domnus apostolicus de ista causa facere jubebit, legatis antequam huc mittantur, ne aliquem dolum in eis scriptores, sicut dicuntur facere, possint imponere. Et non obliviscamini ut faciatis certum apostolicum, quia illa epistola quarti Leonis papæ de istorum fratrum reclamatione, quam memorat in suis epistolis, istis Cisalpinis regionibus non innotuit, nisi per suas nuper missas epistolas ; et rogate aliquem de vestris memorosum hominem, qui vos sæpe admoneat, quoniam occupati eritis, ut non obliviscamini impetrare gesta pontificum, ab initio gestorum Sergii papæ, in quibus invenitur Ebo fuisse damnatus, usque ad præsentem annum istius præsulatus, quia nos in istis regionibus satis hoc indigemus. Nam aliorum pontificum gesta, si vos non habetis, per me aut per Fulcricum habere poteritis De omnibus istis quæ dilectioni vestræ mando, qualiter vobis placeant, aut qualiter displiceant, quantum vobis placuerit et licuerit, et quæ mitto qualiter ad vos salva pervenerint, per istum missum nostrum mihi litteris remandate. In conclusione autem vobis scribo, quod sanctus Petrus apostolus Apollinari dixit, quando eum Ravennam prædicare transmisit, Dominus meus Jesus Christus mittat angelum suum coram te, qui custodiat vias tuas ante te, et annuat quæ postulaveris.

EPISTOLA IX.

AD EGILONEM EUMDEM ARCHIEPISCOPUM.

De Gothescalco ejusque assertionibus, et de Prudentio episcopo, ut suggerat pontifici.

(Apud eumdem.)

Charissimo et fidissimo mihi plurimam in Christo salutem.

In aliis litteris ideo tantu vobis scripsi, ut haberetis rei ordinem et plenitudinem, ac veritatem de his quæ fuerunt gesta in synodo, quia domnus apostolicus, sicut in vobis directa legetis epistola, cuncta quæ ibi gesta fuerunt plena fidelique narratione ad se referri præcepit, et animus vester, ad iter subitaneum et difficile occupatus, intendere forte ad cuncta non potuit, licet inde in epistola synodi sufficienter sit positum, et etiam de aliis quæ scribo, mihi verbis vobiscum conferre non licuit, quæ peto, sed et ista quæ sequuntur, ut in talium manus non veniant, unde scandalum possit oriri. Post illas autem scriptas litteras, nuntiatum est mihi, de cella nostra, quæ vocatur Altumuillare, monachum nostrum nomine Guntbertum aufugisse cum libris, et vestimentis, et caballis, et aliis etiam quæ furari potuit. Qui sæpe pro suis negligentiis regulariter correptus fuit : et quia sæpe Gothescalco furtim se conjunxerat, et lit-

teras ei dederat, et ab eo acceperat, secundum regulam in gravioribus culpis missus fuit, et dicitur illus perversa doctrina depravatus. Et sicut mihi dictum est, quasi ipsius Gothescalci reclamationem vult perferre ad domnum apostolicum, videns qualiter illa adversum me, quæ de istis partibus ad illum veniunt, suum cursum accipiunt. Et audiens, quod domnus apostolicus domno regi Carolo de me scripsit, quia semper me tegere non debet a talibus, nec valet : ut providerem ne pro eis tandem aliquando incurram quæ non opto, et ipse frater et alii licenter quæ volunt aut moliuntur, aut faciunt. Nam ego nescio in quibus domnus apostolicus tam sæpe se texisse me dicat. Si enim de Rothado dicit, non singulariter mea auctoritas, sed episcoporum regni domni nostri Caroli, ad quos contra me provocavit, eum dejecit, sicut subcriptiones eorum demonstrant. Si de istis ordinatis dicit, sicut modo comprobatum vidistis et audistis, ego eos non judicavi, neque dejeci, neque cum judicibus eorum subscripsi. Si de Gothescalco dicit, de quo, sed et de præfatis ordinatis, ab Arsenio scripto interrogatus scriptis rationem reddidi, eumdem Gothescalcum a duabus synodis damnatum, jubentibus episcopis postquam judicatus fuit custodiendum accepi, ne alios sua perversa doctrina noceret qui sibi prodesse nolebat. De quo etiam litteris domno apostolico suggessi, qualis ejus sit doctrina, et utrum vellet ut ei licentiam ab eum eundi darem, an alteri eum per suam jussionem commendarem, ne sine auctoritate duarum synodorum diffinitionem dissolverem. Si illi placet per seipsum audire, mandet, et ego illum dimittam ut ad eum vadat : quia si rex illum non miserit, ego non habeo tantos custodes qui eum deducant. Si etiam illi placet ut alius eum recipiat, et suam doctrinam sive synodus, sive quilibet episcopus audiat, et si bona est sequatur, si prava est, ab eis qui eum audierint refellatur. Et illi quibus hoc commendaverit, facient de illo quod sacris regulis viderint convenire, sicut illi de eo fecerunt qui se sacras regulas intellexisse putarunt, nihil mea interest. Tamen si aliquis vos interrogaverit de sua doctrina, hanc esse illi respondere potestis, sicut et verba et scripta illus demonstrant.

1. Dicit enim deitatem sanctæ Trinitatis trinam esse, sicut sunt tres sanctæ Trinitatis personæ. 2. Dicit ita geminam esse Dei prædestinationem, ut sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinaverit ad mortem æternam. 3. Dicit quod non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed tantum eos qui salvantur : omnes autem salvari quoscunque ipse salvare voluerit, ac per hoc quicunque non salvantur, penitus non esse voluntatis illius ut salventur. 4. Dicit quod non pro totius mundi redemptione, Dominus et salvator noster Jesus Christus sit cruxifixus et mortuus, sed tantum pro his qui salvantur. 5. Dicit exponens sententiam apostoli Petri, *eum qui emit eos Dominum negantes*, Baptismi, inquit, sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit, neque mortem pertulit, neque sanguinem fudit. Unde latius dicta in suis scriptis inveniuntur, quæ in altera schedula vobis mitto, ut si fuerit vobis visum, domno apostolico eam monstretis a me vobis directam, non ad illi ex mea parte ostendendam, sed ad vobis habendam. Sunt et alia quæ dicit, quæ mihi videntur esse perniciosa et fidei catholicæ contraria, quæ si ad hoc venerit probabunt sapientes atque catholici. Mihi de tantis ac talibus taliter impetito sufficit sedere in angulo domatis, et non conserere contentionum manus cum muliere litigiosa in domo communi : et sufficit ut sit mihi anima mea pro spolio. Nam idem Gothescalcus, vel quia jam tempus est ut veniat quod Paulus prædixit apostolus de ultimis temporibus, vel invidia mei, quasi me tangat quod jussu episcoporum illum custodio, dicitur multos habere fautores, sicut habuit domnum Prudentium, sicut scripta ipsius testantur, quæ a pluribus qui illa habent possunt proferri. Qui etiam, videlicet domnus Prudentius, in Annali gestorum nostrorum regum, quæ composuit, ad confirmandum suam sententiam, gestis anni Dominicæ Incarnationis 859 indidit dicens, Nicolaus pontifex Romanus de gratia Dei et libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, et de sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat et catholicæ decernit. Quod per alium non audivimus, nec alibi legimus. Unde quoniam ipsa gesta, quibus nec conscripta sunt, jam in plurimorum manus devenerunt, necesse est ut taliter de hoc domno apostolico suggeratis, ne scandalum inde in Ecclesia veniat, quasi ipse quod absit talia sicut Gothescalcus sentiat. Et precor ut de mea parte nihil ei dicatur, qui commotum dicitur habere suum animum erga me, multis ad eum contra me scribentibus, et mihi derogantibus, ne scandalum in me inde retorqueat unde culpam non habeo. Ipsum autem Annale quod dico rex habet, et ipse est ille liber, quem coram vobis in Ecclesia, ubi vos nobis commendavit, coram vobis ab illo mihi præstitum ei reddidi. Plura denique vobis de ipso Gothescalco scribere poteram, quam perniciosus sit, et multo magis noxius erit multis, si ab ipsa custodia fuerit absolutus : quia pro certo talia dicit et talia facit, in quibus evidenter cognoscitur aut dæmoniacus esse, aut maniaticus : et scitis quoniam mania esse non solet absque dæmone. Et si aliquis vos interrogaverit de ipsius custodia, talem esse veraciter illi respondere potestis : Quidquid fratres in cibo et potu habent, hoc ei quotidie sine ulla negligentia ministratur; vestimenta illi ad sufficientiam offeruntur, si vult ille accipere : ligna ad focum faciendum illi sufficienter dantur. In mansione in qua degit caminatum habet, et necessarium. Lavacra illi non denegantur : sed postquam in eamdem mansionem intravit, non solum corpus lavare noluit, verum nec manus, nec faciem. Antea enim, sicut illi testantur inter quos conversatus erat, turpissimus et adhuc

quantum potest in sua turpitudine manet. Et sciatis quia maxima nausea in ista Ecclecia commovebitur, si ad synodum venire jussus fuerit, aut de ipsa custodia absolutus exstiterit. Quæ non pro me dico, quia nulla mihi inde est cura nisi pro aliis, sed vos probabitis me verum dicere. Tales enim surgent qui adhuc latent.

EPISTOLA X.

AD EGILONEM EUMDEM ARCHIEPISCOPUM.

Gothescalci ejusdem doctrinæ uberior expositio. quam præcedenti epistola promittebat.

(Apud eumdem.)

HINCMARUS, nomine non merito Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, sanctissimo et reverentissimo EGILONI archiepiscopo.

Si aliquis vos interrogaverit de Gothescalci doctrina, unde vobis jam quædam scripsi, hanc esse interroganti respondere potestis, sicut et verba et scripta illius demonstrant. 1. Dicit enim deitatem sanctæ Trinitatis trinam esse, sicut sunt tres sanctæ Trinitatis personæ. 2. Dicit ita geminam esse Dei prædestinationem, ut sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinaverit ad mortem æternam. 3. Dicit quod non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed tantum eos qui salvantur : omnes autem salvari, quoscumque ipse salvare voluerit. Ac per hoc quicunque non salvantur, penitus non esse voluntatis illius ut salventur. *Omnia*, inquit Scriptura, *quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Psal.* CXXXIV, 6), etc,; *In voluntate tua, Domine, cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati* (*Esther* XIII, 9). Ergo non vult omnes salvos fieri, sed tantum eos qui salvantur, quia si vult quod non potest, omnipotens non est. 4. Dicit quod non pro totius mundi redemptione, id est non pro omnium hominum salute et redemptione, Dominus et Salvator noster Jesus Christus sit crucifixus, sed tantum pro his qui salvantur. 5. Dicit exponens sententiam apostoli Petri, *eum qui emit eos Dominum negantes* (*II Petr.* II, 1), Baptismi, inquit, sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit, neque sanguinem pertulit, neque sanguinem fudit. Unde latius dicta in suis scriptis inveniuntur. Ex quibus mortiferis capitulis quanta exitiosa prodeant, catholicus et litteratus quisque conspicere potest.

1. Hinc enim adinventione diaboli dicentis ad Adam : *Eritis sicut dii* (*Gen.* III, 5), pluralitas deorum inducitur, quoniam si trina est Deitas, tres dii erunt. Unitatem quippe in Trinitate, non eadem persona, sed eadem implet essentia, id est deitas, quæ Trinitatis est unitas. Et in lege Domino dicente : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut.* VI, 4). Et in Evangelio : *Ite , docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* , (*Math.* XXVIII, 19), et cantantibus
A seraphim : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth* (*Isa.* VI, 3). Et concinente David : *Benedicat vos Deus, Deus noster; benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ* (*Psal.* LXVI, 8). Et confitente Paulo : *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria* (*Rom.* XI, 36). Cum sese Deus unus dicitur, et in nomine, non in nominibus, credens quique baptizari præcipitur, et a seraphim ter *Sanctus* cantatur, et unus Dominus Deus Sabaoth confitetur, et a David ter Deus nominatur, et metui per omnes fines terræ unus oratur, et a Paulo post Trinitatis confessionem unus Deus glorificatur, trium personarum sanctæ Trinitatis una deitas, quæ Trinitatis est unitas, demonstratur. Ac per hoc, quantum ex se est, ista perniciosissima hæresi, idolatriæ vi-
B delicet matre, a mystica Nicæna synodo gladio verbi Dei perempta, et ab isto nuper resuscitata, fides in qua baptizati sumus, et qua corde creditur ad justitiam , et ore confitetur ad salutem evertitur.

2. Liberi arbitrii opera, sive bona sive mala, nihil valere ad meritum, sed sive ad vitam sive ad mortem, cuncta Dei prædestinationem agere, ab ista prava doctrina enucleatur. A qua et reprobis tollitur meritum damnationis, et justis meritum aufertur salutis. Ac per hoc nec illi juste damnantur, qui justi esse non possunt : nec isti juste remunerantur, quia aliud quam justi esse non possunt. Nec injustis ergo quidquam acquirit meritum, nec in electis aliquid gratia operatur : sed in utraque parte et perditio et salus non est ex judicio propriæ ac-
C tionis, sed ex præjudicio Domini voluntatis, totumque Dei opificio reputabitur. Non enim potest dicere figmentum ei qui se finxit. Quare me fecisti sic ? Non igitur aliquis libero arbitrio condemnabitur, nec quisquam pro gratia misericordias Domini in æternum cantabit. Si enim , quod cæcus iste in meridie palpans non videt, liberum non esset arbitrium, unde totus in massa perditionis Adam perditus, cum suis etiam additis juste judicaretur mundus ? Et rursum, nisi Dei gratia esset, quomodo ex eadem massa perditionis electus, id est, gratia lectus salvaretur mundus ? *Misericordia,* inquit psalmus, *et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt* (*Psal* LXXXIV, 11). Misericordia quidem est, qua salvantur electi : veritas autem est, qua
D in massa perditionis deseruntur relicti. Justitia quidem est, quia non assumuntur reprobi : pax vero his est, qua de una eademque massa perditionis gratia fiunt probi. Unde Paulus dicit : *Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna* (*Rom.* VI, 23).

3. Sed et male interpretando Scripturam : *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Psal.* CXXXIV, 6): *In voluntate tua, Domine, cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati* (*Esther.* XIII, 9), iniquus Deus, qui infert iram his qui contra prædestinationem et voluntatem

ejus salvari non possunt, et his qui alieno, id est primi parentis peccato venditi sunt, et pro quibus non est data redemptio, ab illo asseveratur. Et vel non intelligens, vel scienter mendaciter interpretans ex Scripturis quod bene et vere dictum est, dum Deum infirmum dicere vitat, iniquum facit, dedignans, usus pessimo præceptore seipso, ab alio discere qualiter debeat intelligere, quia sunt quædam quæ dicitur non posse omnipotens, docente Paulo, *Deus fidelis permanet, seipsum negare non potest* (*II Tim.* II, 13). Qui etiam mutari, mentiri, falli, peccare, miser fieri, vinci ac mori non potest. Quæ et his similia si posset, vel si hæc velle posset, omnipotens non esset. Unde nunc longum est scribere, et si hic nebulo in his sanum sensum haberet, in hac sententia non erraret, qui dum dedignatur fieri discipulus veritatis, si ei liceret, magister fieri vellet erroris.

4. Necnon et loquente de seipso in magno Petro: *Non tardat Dominus promissis suis, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti* (*II Petr.* III, 9); et in divino Paulo: *Omnes homines vult salvos fieri, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (*I Tim,* II, 4, *et* 6); et: *Gratia Dei pro omnibus gustavit mortem* (*Hebr.* II, 9); et: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus* (*II Cor.* V, 14); et in propheta cum juramento propter incredulos: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Et in omni catholica Ecclesia, quæ pro omnibus hominibus ex traditione apostolica illi supplicans, legem hinc credendi lege nobis statuit supplicandi, veritatem mendacem dogmatizat. Et cum Christus de diabolo dicat: *Mendax est ab initio, et pater ejus* (*Joan.* VIII, 44), si idem Christus juxta istius doctrinam mendax est, suis ipsis verbis, quod nefas est dicere, similis ei, id est diabolo, mendax esse convincitur. Est autem Deus verax, et Gothescalcus mendax: quia unus idemque. Sol justitiæ Christus, ut repararet omnium vitam, recepit omnium causam, inde in omnes manante justitia, ubi est omnis humana suscepta natura, non culpa, qui omnibus ortus est, omnibus venit, et pro omnibus passus est, et omnes vult salvos fieri qui pro omnibus passus est; sed non ab omnibus videtur, et non omnes salvantur. *Lux* enim *lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt:* quod non pertinet ad culpam lucis, sed ad tenebrarum. Lux quippe venit in mundum dicens: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me non ambula in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII, 12). Sed dilexerunt homines tenebras magis quam lucem. Erant enim eorum mala opera. Et item comprehendentibus lucem tenebris, ipsa lux per Apostolum dicit: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 3). Quod autem quidam sequentes lucem salvantur salvantis est donum; et quod quidam in tenebris remanentes pereunt, pereuntium est meritum. *Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas.* Ut enim reus damnatur, inculpabilis Dei justitia est; ut autem reus justificetur, ineffabilis Dei gratia est. Et redemptio humani generis omnibus proposita est, sed fidelibus dat salutem. *Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam; qui autem non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III). Quod et Dominus ostendit quando sacramenta passionis suæ discipulis et apostolis suis tradidit dicens: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (*Luc.* XXII, 19); et: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis et pro multis effundetur* (*ibid.*). Utrumque enim in Evangelio invenitur. Inter quos, quibus hæc tradidit, erat et Judas, reproborum tenens partem, sicut et cæteri discipuli electorum partem ferebant. Idem quippe non pro omnibus sed *pro multis* dixit, quia non omnes credituri erant. Effusio enim sanguinis Christi, justi pro injustis, tam fuit dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent. Qui autem non credunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam sicut incarnatio, prædicatio, miracula, ita et mors Christi, salus et honor est credentibus, non credentibus autem lapis offensionis et petra scandali, veluti in Scripturis multoties et passim qui legunt inveniunt, et in natura creaturarum conspicitur, per quas invisibilia Dei cognosci a Paulo dicuntur (*Rom.* I, 20). Unus namque ac idem sol lutum stringit, et ceram liquat, et conditor ac redemptor, atque salvator noster, non alia cogitatione justus adjuvat, atque alia injustos damnat: sed una eademque vi naturæ singularis, sibi semper indissimilis, dissimilia disponit una prædestinatione sua, quæ semper in bono est, et sic est gemina, sicut unus sanctus Spiritus et duo ejusdem data, una charitas et duo ipsius præcepta. Una Dei prædestinatio, aut ad donum pertinens gratiæ, aut ad retributionem justitiæ. Non ut Deus reprobos prædestinasse credatur, quod absit, ad pœnam, sicut creditur electos prædestinasse ad gloriam, et eis gloriam præparasse perennem; sed ejus prædestinatione, veluti ei canitur a propheta: *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam* (*Psal.* LXXXVIII, 15), per misericordiam conferantur quæ ad donum pertinent gratiæ, et ad veritatem justi judicii referantur quæ redduntur retributione justitiæ. Bonus est enim et justus in omnibus Dominus, quoniam bonum est cum debitum redditur, et justum est, cum indebitum sine cujusquam fraude donatur, sicut scriptum est: *Cui vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX, 18). Miseretur nimirum Deus, gratis impartiendo misericordiam, et auferendo nequitiam: obdurat autem, non impartiendo malitiam, sed juste non impartiendo misericordiam; sicut dicitur obdurasse cor Pharaonis, id est per gratiam non emollisse, et tradidisse quosdam in reprobum sensum, id est, ex retributione justitiæ per gratiam non

liberasse a reprobo sensu. Et multa alia hoc genere locutionis dicta, in Scripturis inveniuntur.

5. Et qui locutus est per prophetas, dicente Dei Spiritu per apostolos et evangelistas : *Unus et Deus, una fides, unum est et baptisma* (*Ephes.* IV, 5); in quo sanctificatio spiritus per aspersionem fit sanguinis Christi, quo redempti sumus de vana nostra conversatione paternæ traditionis (*I Petr.* II). *Sanguis* enim ejusdem *Jesu Christi Filii* Dei *emundat nos ab omni peccato* (*I Joan.* I, 7), *qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas : quia tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua et sanguis, et tres unum sunt* (*I Joan.* V, 6). Spiritus utique sanctificationis, et sanguis redemptionis, et aqua baptismatis, quæ tria unum sunt, et individua manent, nihilque eorum a sui connexione sejungitur. Et hac fide vivit et proficit catholica Ecclesia, mundata lavacro aquæ in verbo, quoniam non est unum, et salutare baptisma, quod in eadem catholica celebratur Ecclesia, vel aqua sine verbo, vel verbum sine aqua ; sed cum accedit verbum ad elementum, efficitur sacramentum, spiritu qui in principio ferebatur super aquas sanctificatum, quod uno militum lancea aperiente latus Christi in cruce, continuo exivit de secreto divinæ humanitatis et humanæ divinitatis, scilicet sanguis et aqua, unde lavacro rigatur et populo Ecclesia credentium, quorum corda fide quæ datur per spiritum purificantur, quique spe salvi fiunt, *quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5), in quo credentes signati sumus spiritu promissionis sanctæ. Et item, eodem dicente Apostolo : *In quo signati sumus in die redemptionis* (*Ephes.* IV, 30), id est in eodem sacramento baptismatis, in quo nulla est discretio renatorum, dicente Apostolo : *Quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus* (*Rom.* VI, 3); et : *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina, omnes enim unum estis in Christo Jesu* (*Gal.* III, 27). Quoniam quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, ab immaculato divini fontis utero omnes in unam parit gratia mater infantiam, et renatus ex aqua et Spiritu, non solum spiritalis, sed etiam invisibiliter fit spiritus, et per adoptionis gratiam Dei Filius, cum visibiliter videntibus appareat caro et hominis filius. Contra quæ omnia ipsius unius ejusdemque baptismatis veritas isto pestilentissimo dogmate evacuatur, quod nullam credentibus spem salutis relinquit, nec a quo credentes salutem sperare possimus, faciens Deum iniquum atque mendacem, et personarum acceptorem, dimittit. Quæ, sed et aliæ ipsius blasphemiæ, Scripturarum auctoritate, et catholicorum traditione, qui se in loquente Domino, a cujus facie est sapientia et intellectus, et qui docet hominem scientiam, hæc prava in directa et aspera in vias planas fecerunt, facile posse revinci cognoscitis. Non igitur est perfunctorie transeundum quod Cœlestinus scripsit pro talibus atque de talibus (*epist.* 8, *ad episcop. Galliæ*). « Merito, inquiens, causa nos respicit, si silentio faveamus errori. Ergo corripiantur hujusmodi ; non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat, si ita res sunt, incessere novitas vetustatem ; desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare. « Alioquin, ut Leo dicit, inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis sunt referendæ, quam ad desides negligentesque rectores, qui inultam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. Multa vobis scribere poteram de his, sed et de aliis exitiosissimis dictis hujus procacissimi hominis, si licuisset, et antea hinc vobis scribere meditatus fuissem. Sed quia in articulo jam profectionis missi nostri, quem ad vos dirigebam, nuntiatum est mihi, habitu tantummodo monachum nostrum, ejusdem Gothescalci complicem, in partes Italiæ quo pergitis, cum his quæ furari de monasterio potuit aufugisse, necessarium duxi, accito notario, vel hæc parva et tumultuario sermone quæ mens ori suggessit emissa, vestræ sapientiæ intimare ; ut si forte isdem pestifer in illis partibus de zizania magistri sui aliqua seminaverit, et a quibusdam inde interrogati fueritis, habeatis quæ illis de doctrina ejus certa respondere possitis, et ne pro multis detentus missus noster tam diu morari cogeretur, ut ei necesse foret vos longius sequi.

EPISTOLA XI.

AD NICOLAUM PAPAM.

Respondet increpatoriis ejus litteris, purgans se de tumore ac dolo, et de objectis in causa Ebonis et Vulfadi, tum de Benedicti papæ privilegio, et Actis synodi Suessionensis, deque immoderato usu pallii.

(Apud eumdem.)

Domino sanctissimo et reverentissimo Patrum Patri NICOLAO, primæ ac summæ sedis apostolicæ et universalis Ecclesiæ papæ, HINCMARUS, Rhemorum episcopus, et vestræ sanctissimæ paternitatis devotissimus famulus,

Decimo tertio Kalend. Junii præsentis XV indictionis, mandatus a domno nostro, devotissimo filio vestro, Carolo rege glorioso, abviam illi eunti ad colloquium fratris sui Ludovici regis gloriosi ad Metis civitatem, quo secum me duxit, ad palatium ejus quod Salmontiacus dicitur in Laudunensi parochia veniens, et secundum jussionem illius fratres nostros de Vulfadi collegio mecum ducens quo et fratres ac consacerdotes nostri, Rothadus Suessorum episcopus, et Hincmarus Laudunensis episcopus convenerunt, conveniente etiam præfato dilecto fratre nostro Vulfado, litteras sanctissimæ paternitatis et præcellentissimæ auctoritatis vestræ coram eodem domno rege et prædictis fratribus nostris, ab Egilone venerabili archiepiscopo Sennensi accepi. In quibus, sed et in litteris generaliter ad episcopos qui

in synodo vestra auctoritate congregata apud Suessiones fuerunt ibidem relectis, tantas et tales increpationes indignitati meæ a dignitate vestra illatas inveni, sicut peccata mea merentur. Unde si præsens corpore vobis, adessem, quod sanctus Spiritus per os beati Benedicti in Regula ab ipso dictata præcipit, sine cunctatione vel aliqua mora exsequi procurarem. « Si quis, inquit, frater pro quavis minima causa a quocunque priore suo corripitur, quolibet modo vel si leviter senserit animos prioris cujuscunque contra se iratos vel commotos quamvis modice, mox sine mora tandiu prostratus in terra ante pedes ejus jaceat satisfaciens usque dum benedictione sanetur illa commotio. » Quod quia corporaliter ante vestræ sanctitatis vestigia implere non valeo, mente et spiritu ubicumque sum cum debita mentis devotione adimpleo, suadente beato Gregorio, sanctitatis vestræ prædecessore, atque dicente in expositione evangelicæ sententiæ : *Si offers munus tuum ad altare* (*Matth.* v, 23), ac reliqua. « Debemus, inquit, ad proximum quamvis longe positum longeque disjunctum mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare ; et silicet conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, a peccato nos solvet, quia munus pro culpa sumet. » Et quia tempus annuum, quod in litteris humilitati meæ directis de causa fratris Vulfadi collegarumque ejus inveni, ex benignitatis vestræ commotione mihi concessum intellexi, diutius sustinere passus non fui, quin post reversionem de præfato itinere, nunc consequenter isto qui instat mense Julio præsentis XV indictionis, cum domno nostro rege in hoste ex omni regno suo collecta contra Brittones et Nortmannos illis conjunctos, sicut et cæteri confratres ac consacerdotes nostri, secundum nostrarum regionum gravem consuetudinem, cum suis vadunt, quam longe infirmitate attritus potero, cum hominibus commissæ mihi Ecclesiæ perrecturus, quantocius potui vestræ sublimitati satisfacturus has humilitatis meæ litteras ad vestræ sanctitatis vestigia, quoniam propter insidias principum mihi infestorum, quibus ad sua vota placere non audeo, aperte non valui. modo quo potui transmittere maturavi. Denique post præfatas vestræ auctoritatis epistolas, relectum est in supradicto loco decretum vestræ præceptionis de restitutione prædictorum fratrum nostrorum, et quod decrevistis libenter amplexi sumus. Et quod præfatus venerandus archiepiscopus Egilo mihi ex vestro mandato inde injunxit, sine retractatione exsequi procuravi. Qua de re nil aliter, nisi veluti a vestra auctoritate est diffinitum, in postmodum repetere cupio, sicut in processu horum doloris mei apicum pro commotione erga me vestra explanans plenius inculcabo ; in quibus, ut legitur, a doloroso dictum : *Si locutus fuero non quiescet dolor meus, et si tacuero non recedet a me* (*Job* XVI, 7). Scio enim quia nisi multam rubiginem in me conspiceret fictor meus, non toties me isto igne purgationis, ex apostolicæ sedis auctoritate quorumdam factione adversus exiguitatem meam commota, tam duriter constaret, et utinam expurgaret. Sic enim bonæ memoriæ domnus Lotharius in initio ordinationis meæ, apud Sergium, et postea apud successorem ipsius Leonem, pro contentione regni quam erga fratrem suum habebat domnum Carolum, cujus obsequiis fideliter adhærebam, sategit. Unde postea, Deo inspirante, pœnitentiam egit, et litteris ad sedem apostolicam missis quod excesserat corrigeret studuit. Per quos etiam serenissima sanctitatis vestræ tranquillitas erga indignitatem meam toties et adeo sit commota, non debet a me conquiri, nec indebitis suspicionibus debeo agitari.

Duo tamen sunt,quæ tenere ne veraciter puto, et tertium quod in mente mea cognosco. Scilicet quia commotio animi vestri erga humilitatem meam, non ex vestris propriis motibus, sed alienis procedat suggestionibus. Et si vera essent quæ vobis de me a quibusdam audio dicta, non solum merito erga me taliter moveremini, verum et incomparabiliter severius quam moveamini zelo rectitudinis accenderemini. Sed gratias illi, cujus gratia sum id quod sum, quia perhibente mihi testimonium conscientia mea, licet in aliis sim peccator, tamen in his de quibus me apud auctoritatem vestram audio denotari, non talis sum in oculis divinis, qualis depingor in auribus humanis. De tumore namque erga sedem apostolicam, omnium Ecclesiarum matrem atque magistram, jam apud sanctæ recordationis Sergium atque Leonem fueram denotatus; sed debitis obsequiis, cooperante Domino, quocunque se locus mihi præbuit, monstravi quod fidelis et devotus, humilis quoque atque subjectus semper in ommibus et ubique erga sedem apostolicam et ejus rectores exstiterim; et modo cum tumore, quem quantum potui ab ineunte ætate vitavi, dolositate atque crudelitate, apud sanctam et prudentissimam simplicitatem vestram videor denotari. Qui postquam sensualiter percepi dictum a sancto Spiritu et imprecari a sancta Dei Ecclesia, de his qui in corde et corde loquuntur : *Disperdat Dominus universa labia dolosa* (*Psal.* XI, 4); ac, *muta fiant labia dolosa (Psal.* XXX. 19); et ut *virum sanguinum*, ita nihilominus *et dolosum* abominari a Domino (*Psal.* v, 7), dolositatem et crudelitatem quasi *a facie colubri* fugiens exsecrari curavi (*Eccli.* XXI, 2) sciens beatos esse misericordes, et judicium illi futurum sine misericordia, qui non facit misericordiam. De quibus vitiis in istis partibus Ecclesia mihi commissa, sed nec vicinæ Ecclesiæ adversum me hactenus fuere conquestæ, sed nec modo conqueruntur. Unde datur intelligi quoniam illi qui de me ista falso disseminant, si vel similitudines aliorum criminum in me percepissent (quod non ad excusandum excusationes in peccatis fateor), utique vobis non tacuissent. Sed benedictus Dominus, qui hactenus non dedit me in captionem dentibus eorum, qui sæpe expugnaverunt me a juventute mea, et non potuerunt mihi, protegente Domino

qui de multis tribulationibus eripuit me, in quem spero quia et adhuc eripiet.

Hæc, domine et Pater sanctissime, cum omni animi contritione, et qua possum humilitate deposco, ut pensantes quanto cordis mœrore sint dicta, non aspernanter accipiatis, et non subdole auctoritati vestræ subjectionem meam scripsisse vobis a quoquam persuaderi sinatis. Nec ea quæ modo dignationi vestræ scribere fisus de clementia vestræ benignitatis præsumo, ad hoc scripta intelligatis, quasi increpationibus vestris duriter susceptis, contumaci corde resistere, et quæ scripsistis irreverenti fronte vel erecta cordis cervice dissolvere, aut vestris apostolicis jussionibus vel diffinitionibus resultare modo quolibet vel in modico velim, qui sicut domino famulus et patri filius, in omnibus satisfacere et parere apostolicæ vestræ auctoritati desidero.

Cæterum de Ebone, de quo humilitati meæ sanctitatis vestræ sublimitas scripsit, multa et in regnum et in gestis episcoporum, qui jam nos ad Dominum præcesserunt, et adhuc nobiscum in suis monumentis atque subscriptionibus vivunt, habentur, quæ apud nos et apud alios in nostris regionibus conservantur, multa etiam in scrinio sanctæ et summæ sedis Romanæ haberi non dubito. Unde ne videar quasi mei causa mortuo derogare, et sepulti reprehensibilia gesta velle resuscitare, de actis quæ apud nos exinde conservantur, cur et qualiter depositio ejus acciderit, rationabilius videtur a nobis sileri, quam pleniter et ex ordine dici. Sed et contra multiplicem sapientiam vestram, quæ excedit nostrum sensum atque intelligentiam, et contra vestram summam auctoritatem, quæ supereminet nostram subjectionem, de illius qualicunque depositione quamcunque contentionem, quod absit, conserere, vel quamcunque resultationem inire non volo, non præsumo, non debeo. Præsertim cum et ipse, et illi qui eum non clamantem vel resistentem, sed potius, quantum ab eis qui interfuerunt videri potuit, sponte conniventem, ante triginta et tres annos jam evolutos judicaverunt, illic procul dubio sint, ubi unusquisque sub tanto judice, cujus oculis nuda et aperta sunt omnia, non possunt perdere sui meriti qualitatem. Verumtamen ut pauca ex eorum gestis ob rei notitiam vobis suggerendam commemoremus, Hildemanno Ecclesiæ Belgivacorum episcopo calumniis, quibus fuerat denotatus, regulari satisfactione exuto, Ebo, qui pridem cum aliis archiepiscopis et episcopis libellum, quem habemus, de restitutione imperatoris Ludovici manu sua cum additamento archiepiscopi edidit, in eadem synodo secundum traditionem apostolicæ sedis, velut Zosimus de Proculo, Joannes de Contumelioso, Gregorius de Paulo decernentes ostendunt, et sicut Gregorius multoties de episcopo non valente pro infirmitate corporis ad ministerium episcopale assurgere, quod si voluerit hoc modo, videlicet dato libello, ad episcopatu se removere valeat scripsit, A datis litteris in abdicationem sui sacerdotio se sponte amovit. Quem, ut Alexander papa in decretis suis ostendit, metus aut vis vel fraus, quæ a nemine pertulit, innoxium vel excusabilem reddere nequiverunt; neque, ut Gregorius de Pompeio monstrat, violentia aut afflictio, quæ a nullo sustinuit; nec etiam reclamatio ad apostolicam sedem, quam præsens in judicio non emisit, ei consulere debuerunt, qui nullo cogente, nec etiam postulante, sed propria sponte, conscius criminum, de quibus partim in synodo fuerat accusatus, partim autem, nisi locum peteret quærendi consilium cum quibusdam episcopis, foret nihilominus accusandus, et de quibus se purgare non poterat, secundum eorumdem episcoporum consilium, sequentium Africanum concilium B propter Ecclesiæ opprobrium, et insolentem insultationem sæcularium, ne dignitas sacerdotalis pollueretur, libellum temperantia, quam beatus Leo ad universos episcopos per Campaniam et Samnium cæterasque provincias decrevit, manu sua subscriptum, propriaque confessione attestatum, synodo sine ulla resultatione porexit. Et Africani canones testimonio episcopi, etiam de se mentientis, adeo credi debere dicant, ut episcopatum amittat, sicut et Dominus in Evangelio monstrat dicens : *Ex ore tuo te judicio* (*Luc.* XIX, 22) ; *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis* (*Matth.* XII, 37); et David propheta mentiendi quod occiderit Saul : *Sanguis tuus super caput tuum* : *os enim tuum locutum est adversum te* (*II Reg.* I, 16). Et sanctus Gregorius de Andrea : Quia flagitari judicium non C debet de causa quam ipse judicavit, quia si verum de se confessus fuit (sicut in libello suæ professionis quem habemus scriptum est, cujus exemplar cum exemplari notitiæ synodalis sanctæ memoriæ Leoni papæ directum est, in quo pro reatibus suis a pontificali ministerio alienum se reddidit, et alium in loco suo absque repetitione canonica consecrari decrevit), tanquam criminosus suo testimonio a ministerio pontificali cessare, et juxta Leonis et Gregorii decreta, ad promerendam misericordiam Dei, privatam secessionem expetere debuit. Et si falsum de se protulit, tanquam falsus contra semetipsum testis abjiciendus fuit, prohibente Domino : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* (*Exod.* XX, 16). Quod si non licuit contra proxi- D mum, multo minus contra semetipsum. Et idcirco, ut judices sui dixerunt, juxte et rationabiliter a pontificali ministerio alienum una cum ipso eum reddiderunt. De quibus, quantum rescire possumus, qui in nomine episcopi tunc fuerunt, in istis Cisalpinis regionibus nemo in corpore vivit, nisi solus Rothadus ; licet adhuc plures supersint qui Ecclesiam et provinciam suam cum prius nullo impetente deseruisse contra regulas sacras noverunt, et post ejus depositionis ordinem cognoverunt. Et Apostolus *testamentum* dicit *in mortuis confirmatum* (*Hebr.* VII, 9). Verum et de his qui me in illius loco ordinaverunt, non habentur superstites, nisi præfatus

Rothadus et Erpoinus; quamvis in istis provinciis, Rhemorum scilicet, Trevirorum, Agrippinensium, Moguntinæ, Lugdunensium, Arelatensium, Narbonensium, Rothomagensium, Turonensium, Senonum, Bituricensium, Burdegalensium, non facile plures inveniri possint episcopi, vel presbyteri, aut diacones, qui aut ab illis non sint ordinati, qui in Ebonis depositione fuerunt, et me quidam eorum et ab eis ordinati ordinaverunt, aut qui in ordinatione mea consentientes non subscripserunt, seu qui a me aut ab illis non sint ordinati, quos ego Dei gratia ordinavi. Qui post decennium quam idem Ebo, sicut Cisalpini episcopi dixerunt, depositus fuerat, et sine regulari repetitione vel reclamatione permanserat, atque post annum quam a Sergio papa sententiam notam susceperat, quam rectissime auctoritas vestras, ut videlicet divinæ legis oraculum in epistola synodali per Egilonem directa nobis exposuit, in synodo apud Belgivacum civitatem Rhemensis provinciæ, a clero et plebe Rhemorum metropolis, sed et ab episcopis ejusdem provinciæ petitus et electus, et cum decreto canonico præsentia et unanimitatis consensu omnium suffraganeorum ipsius metropolis, cunctis acclamantibus, nullo autem reclamante vel contradicente, regulariter in eadem Ecclesia sum ordinatus, sicut epistolæ de ordinatione mea sanctæ memoriæ Leoni papæ directæ, et scripta ecclesiasticæ traditionis, quæ in Rhemensi Ecclesia conservantur, ostendunt. In quibus inter cætera secutos se fore dixerunt episcopi, ordinatores videlicet mei, auctoritatem Africani concilii, quod missis episcopis, Ecclesiæ diutino tempore pro fuga Equitii destitutæ jussit ordinari episcopum. Et Damasi papæ decreta, ad Paulinum episcopum (*epist.* 3) a congregata in urbe Roma synoda directa, de episcopis adhuc etiam in statu suo manentibus, et contra regulas transmigrantibus. « Eos, inquit, qui de Ecclesiis ad Ecclesias migraverunt, tandiu a communione nostra habemus alienos, quandiu ad eas redierint civitates in quibus primum sunt constituti. Quod si alius, alio transmigrante, in loco viventis est ordinatus, tandiu vacet sacerdotii dignitate qui suam deseruit civitatem, quandiu successor ejus quiescat in Domino.

Ego autem decernentibus sacris canonibus Carthaginensis concilii, ut quicunque clerici vel diaconi, pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere, nec illic in gradu suo ministrent, unde recedere noluerunt. Quod et sanctus Gregorius in epistola ad Galliarum episcopos approbat dicens (*lib.* VII, *epist.* 110, *ind.* 11): « Sicut is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus, sic qui ultro ambit, vel importunum se ingerit, est procul dubio repellendus. » Mentis et corporis ad obediendum episcopis et ordinatoribus meis colla supposui, quoniam aliter ductus devotione, sicut tunc mihi videre videbar, agere non præsumpsi. Qui in monasterio, ubi ab ipsis rudimentis infantiæ sub canonico habitu educatus, indeque eductus, in palatio domni Ludovici imperatoris non modico tempore mansi. Conversis autem ad regularem vitam et habitum fratribus in monasterio sancti Dionysii, ubi nutritus fueram, in illud, sæculum fugiens, sine spe vel appetitu episcopatus aut alicujus prælationis, diutius degui, et exinde assumptus, familiaribus obsequiis præfati imperatoris, ac episcoporum conventibus, pro sola obedientia mihi injuncta inserviens, post aliquot annos monasterii quietem repetii. A quo, peccatis meis exigentibus, rupto anchoræ fune, quo me in portu negligenter devinxeram, sub obtentu salutis plurimorum, persuasus hortamentis eorum quibus facilius quam mihi necesse foret credidi, ad tempestates maris magni et spatiosi periculosissime sum rejactatus. Emenso autem anno post ordinationem meam, Lotharius imperator, ut prædixi, causa fratris sui erga me commotus, epistolas a Sergio papa exegit, sicut postea mihi innotuit, pro refricando concilio de Ebonis depositione, quasi discordia esset in Rhemensi Ecclesia pro mea ordinatione, quod nullatenus constitit. Unde isdem domnus apostolicus litteras domno Carolo misit, præcipiens ut Guntboldum Rothomagensem archiepiscopum, cum cæteris episcopis regni sui quos prædictus Guntboldus ad hoc sibi eligeret, obviam missis ejus Treveris ad hanc causam discutiendum dirigeret, et me ad ipsam synodum venire faceret. Ipsi quoque Guntboldo inde litteras misit, ut cum post diem sanctæ Resurrectionis missos suos idem domnus papa in servitium imperatoris mitteret, ad prædictum locum cum episcopis hanc causam diffiniturus adiret. Sed et mihi inde litteras misit, ut ad idem venirem concilium. Nos autem exspectavimus eosdem missos usque ad condictum terminum, et non venerunt. Quapropter auctoritate litterarum domni papæ Sergii, annuente domno nostro rege Carolo, cum consensu archiepiscoporum et cæterorum episcoporum regni ipsius, Guntboldus synodum condixit, quo Ebonem litteris, quarum exemplar habemus, per Erpoinum provinciæ Rhemensis episcopum directis, ex auctoritate prædicti papæ convocavit, ut secundum ejus commendationem hanc causam regulariter diffiniret, et diffinitionem ipsius rei ad sedem apostolicam secundum sacras regulas referre curaret. Quo isdem Ebo sibi conscius venire non voluit, nec ut apud sedem apostolicam, a qua notam sententiam suscepit, absolveretur sategit, cum eundi illuc facultatem habuerit, quoniam diu in Italia immoratus, et proprietatem de facultatibus Rhemensis Ecclesiæ comparatam possederit, et abbatiam sancti Columbani apud Lotharium obtinuerit, sed et in istis regionibus alteram abbatiam adeptus fuerit, quas et habuit usque dum legationem in Græciam a Lothario susceptam exsequi detrectavit, et ob id honores quos a præfato imperatore acceperat perdidit, et per clementiam Ludovici regis Germaniæ in provincia Maguntina condu-

ctum promeruit. Et nullum documentum canonicum de sua restitutione vel a sede apostolica absolutione, sicut præcipiunt regulæ, in vita sua synodo ulli ostendit. Qui sine documenti testimonio, vel litteris de sua restitutione, ut Felix papa decrevit, ministrare vel recipi in ministerio sacro non debuit, a se et a plurimarum provinciarum metropolitanis cum suis coepiscopis in judicio præsens, et ad sedem apostolicam non reclamans, consonanter exclusus. Maxime quia per tot annos, etiam post acceptam sententiam a sede apostolica, innocentiam suam non asseruit, quam demonstrare non potuit; sed et quia ante regularem audientiam, vel ante prolatam et confirmatam atque ostensam a sede apostolica suam restitutionem, per edictum imperiale Lotharii imperatoris, quod habemus, ministerium episcopale præsumpsit, quod, ut Gelasius in epistolis suis de Acacii damnatione ostendit, manifestissime sacris est canonibus inimicum, qualia et quanta judicia incurrerit melius ipsi scitis. Nam et si, ut prædiximus, exigente imperatore Lothario, a sede apostolica litteræ missæ fuerunt pro synodo ex hac causa congreganda, cum legatus ipsius sedis in has partes veniret, tamen sicut ad nullam synodum, sed nec ad eam quam Guntboldus auctoritate litterarum domni Sergii papæ congregavit, isdem Ebo convenit: ita nec missus a sede apostolica pro synodo ex hoc congreganda in istas partes advenit, veluti et epistola ipsius imperatoris, necnon et episcoporum Belgicæ, Galliæ, Neustriæ et Aquitaniæ provinciarum epistola, cum litteris domni regis Caroli, sanctæ memoriæ Leoni papæ directæ, quas in scrinio Romano credimus servari, demonstrant. Sicque sæpedictus Ebo, absque ulla repetitione vel reclamatione suæ sedis apud quamcunque synodum, vel apud sedem apostolicam, a qua fuerat decretum ut nec communionem inter clericos susciperet, post datas litteras papæ Sergii pro synodo ex hac causa congreganda, cum missos suos in istas partes dirigeret, et post synodum auctoritate litterarum ipsius congregatam, quo vocatus, ut prædiximus, non convenit, usque ad obitum suum permansit. Videlicet, sicut superius memoratæ litteræ auctoritatis vestræ demonstrant, talis a sede apostolica et papa Sergio habitus, qualis ab aliis non ignorabatur haberi, id est, ut codex episcopalis ostendit, pro criminibus suis honore privatus, et ab Ecclesia pulsus, et ideo, ante synodalis examinis discussionem, ad quam Dei judicio non pervenit, secundum sacros Nicænos canones non receptus.

Quod ergo, ut Leo scribit, manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit; sicut sanctus Gelasius de Acacio dicit, qui a sede apostolica damnatus et non restitutus, licet Anastasius papa, sicut in libro episcopali legimus, eum recipere voluerit, vitam finivit. Talis est, inquiens, dictus qualis signatus est nunquam esse solvendus, talis usque in finem permansit, talis esse non destitit. Ita talis est hodie qualis est et dictus, non talis esse jam non potest: nunquam igitur talis permanendo salvendus est.

De dilecto autem fratre nostro Vulfado et ejus collegis, de quibus mihi summa dignitatis vestræ auctoritas quæ sibi placuit scripsit, nihil aliud sanctitati vestræ scribere præsumpsi, nisi quod increpationes vestras non negligenter sed diligenter suscipio, et præceptiones obedienter obaudio; et quia illis sufficere debet præstabilis auctoritatis vestræ benignitas, et mihi abundanter sufficiet, si satisfactionem humilitatis meæ suscipientes, credere dignati fueritis me vobis simpliciter scripsisse. Nam secundum ordinatorum meorum præceptionem, qui mihi necdum duobus exactis mensibus post ordinationem meam, in synodo apud Meldis civitatem habita præceperunt, eatenus ignoranti, quod Ebo post depositionem suam aliquos in Rhemensi Ecclesia ordinaverit, ut eis mecum usque ad diligentiorem tractatum ministrare non permitterem, egi. Et hoc ipsum eisdem fratribus, decernente Carthaginensi concilio ut ordinatis episcopis vel clericis prius ab ordinatoribus suis placita conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilii fecisse pœniteant, per Pardulum tunc diaconum Ecclesiæ Rhemensis qui interfuit synodo mandaverunt. Quoniam canones posteriores anterioribus jubent deferre, post synodum apud Suessiones habitam, cum eorum litteris, quarum exemplar habemus, et quas in Romano scrinio inveniri posse existimo, cum meis pro eorum petitione litteris, et cum aliis petionibus meis, ad sedem apostolicam domno papæ Leoni pro confirmandis eorum gestis ex eisdem fratribus ad synodum non coactis, quæ non scripsi, nec eis subscripsi, sicut et in synodo vestra auctoritate collecta ostendi, me direxisse non denego. In quibus gestis veram præfatorum fratrum prosecutionem adversum me silentio non firmavi. Unde ex communi consensu, secundum canones sicut eos intelleximus, judices postulavi; quorum sententiam sequendam vidi usquequo majoris auctoritatis aliter exinde diffinitionem acciperem. Recepta autem domni papæ Leonis excusatoria epistola cur eadem gesta non confirmaverit, dicens inter cætera, « causas pro quibus hoc usque ad tempus suspendimus charitati vestræ dicemus. Prima igitur hæc est, quia sicut ab episcopis prænominata synodus utiliter ventilata sive sopita est, ita per aliquos ex eis, ut dubitatio foret radicitus evulsa, statuta vestræ synodi destinare debuistis; » nesciens quia nos metropolitani in istis regionibus non habemus potestatem ut sine consensu vel jussione regis aut nos ipsi ire aut coepiscopos nostros quoquam longius possimus dirigere. Subjunxit autem idem pontifex in suis apostolicis litteris dicens: « Alia autem juxta votum vestri desiderii id nos perficere minime permisit, eo quod legati sedis apostolicæ præsentes ibidem non fuerunt, neque imperialis epistola nobis talis est præsentata, quæ hoc quod expetendum misistis specialiter indicare potuisset. Quarta sci-

licet causa hæc est, quia hi quos depositos charitas vestra auctoritate synodi fore affirmat, per proprias litteras sedem apostolicam appellati sunt, et volunt iterum nostra se Apostolica audiri præsentia, et tunc si culpabiles inventi fuerint, non se abnuunt canonicam subire censuram. »

Et postquam has litteras domni papæ Leonis accepi, sicut mihi innotuit, domnus Lotharius, petente quodam episcopo regni sui qui adhuc vivit, per Petrum Aretinum episcopum præfato domno papæ mandavit ut gesta episcoporum de eisdem clericis non firmaret. Quæ cum ad fratres et coepiscopos nostros retuli, rogantibus eis apud Lotharium imperatorem, epistolam exinde, ipso ex animo largiente, per missos meos obtinui, ubi inter cætera ita scriptum habetur : « Sed ad nostras petitiones exsequendas et obtinendas Petrum venerabilem et dilectissimum nobis Spoletinum episcopum viva voce nostra vice exsecutorem instruximus; et alium Petrum, venerabilem æque et amantissimum episcopum Aretinum, litteris commonuimus, et alios fideles vestros atque nostros similiter inde monuimus, » et reliqua. Sicque cum ista epistola, et cum legatione imperatoris, per præfatum venerabilem episcopum missos meos cum litteris Romam direxi, quibus in via nuntius venit de obitu papæ Leonis. Pervenientes autem Roman cum præfatis litteris, et intervenientibus prædictis episcopis, domnus nomine et gratia Benedictus mihi quod nostris privilegium inde direxit. Synodum autem pro sæpe dictis clericis, aut a Petro Spoletino, aut ab alio aliquo in istis regionibus, nec fama nec veritate ex apostolica auctoritate congregatam, vel congregari jussam, sicut et per alios in istis partibus rescire potestis, unquam audivi. Nisi illam quæ anno præterito vestræ auctoritatis jussione exstitit congregata,in qua eorum restitutioni secundum traditionem majorum paratissime annui. Quam posteaquam litteras vestræ auctoritatis inde suscepi, salubrem ac regularem cupivi, et idcirco ab ipsis qui eos destituerunt, vel non a minori numero, una cum meo consensu eos restitui peroptavi Et propterea inde usque ad synodum exspectavi, et plenius a sede apostolica vestra auctoritate firmandam cupivi, cujus arbitrio potestatis reservata erat summa ac firmitas privilegiorum apostolicæ sedis, sicut et vestræ epistolæ nobis directæ continent, et in epistola synodali, cujus exemplar habemus, sanctæ auctoritati vestræ directa communi consensu scripsimus. In qua nullam mentionem de quacunque Ebonis depositione habuimus. Sed et litteris meæ exiguitatis simplici mente inserui inter cætera dicens : « Quia synodo per hunc venerabilem archiepiscopum Egilonem, qui interfuit actionibus, dirigente epistolam omnium nostrum qui adesse potuimus, cum ipso voce loquentem. Quoniam si eis manus porrigitis, vobiscum pariter porrigemus ; et item post aliquanta. Quæ verbis et scriptis mihi per istum religiosum archiepiscopum exinde sequenda atque tenenda mandaveritis, pro scire et posse obedire et conservare curabo.» Quam epistolam idcirco ut veraciter vobis confitear sigillatam non misi, quia synodus epistolam a se directam non sigillavit, ducens incongruum, ut quoniam archiepiscopus de ipsa synodo, qui eidem vestris ad eam vocatus apostolicis litteris interfuit, ad vos mittebatur, quasi incredulo epistola sigillata committeretur, et quod synodus non egit ego agere, ne scandalum cuiquam generarem, non præsumpsi.

Sanctitas igitur vestra, charitate quæ omnia credit repleta, veraciter mihi credat, quia simpliciter et absque ullo dolo in restitutione prædictorum fratrum, postquam vestram dispositionem inde rescivi, ex benivola mente consensi, et simpliciter ac sine ullo dolo scripsi quæ vestræ sanctitati transmisi. A quo consensu modo quolibet postea non diverti, nisi veluti in præfatis litteris vobis scripsi, dicens, reservato per omnia sententiæ ac juris privilegio apostolicæ sedis, et salva diffinitione ac confirmatione expectatæ vestræ discretionis atque auctoritatis. Nunc autem, suscepta diffinitione de illorum restitutione, quam vestra sicut decuit et ordo poposcit summa auctoritas præcessit, et subsequente synodali consensu vestræ perfectio firmationis corroboravit, nunquam vel nusquam exinde quamcunque querimoniam contra quemcunque molior vel dipono, intendo vel cupio habere, removere, excitare sive conserere. Nec meditatus sum, litteris pro hoc vestræ benignitatis acceptis, a consensu in synodo, contra ipsius diffinitionem et vestram confirmationem, aliquid removere ex tunc in postmodum usque in sempiternum. Quia enim nullo crimine proprio denotati, nescientes Ebonem damnatum, non importune ad ordinationem, sicut ipsi dicunt, et non est qui contradicat, se ingesserunt, sed electi et vocati obedierunt, sicut secundum excellentiam sapientiæ vestræ domno regi Carolo scripsistis, si nollent obedire volenti eos ad majorem gradum provehere, omnes illi velut procaciter renitentes reprehenderentur, et tanquam contumaces circa sacros canones damnarentur, veluti in epistola episcopis, qui per gratiam Dei et decretum vestrum apud Suessionis urbem convenerunt, directa intimastis : qualiscunque fuerit vel quæcunque pertulerit Ebo, a se ordinatis, qui nihil præter humilitatem et obedientiam exhibuerunt, nullum prorsus intulit offendiculum quoniam et beatissimus Leo ad Mauros scribens, ita de quodam Maximo præcipit dicens (*epist.* 91, *sub finem)* : « Maximum quoque, licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista jam non est, et a spiritu schismaticæ pravitatis alienus est, ab episcopali, quam quoquomodo adeptus est, non repellimus dignitate. « Et Anastasius ejusdem apostolicæ sedis præsul, quod mali bona ministrando sibi tantummodo noceant, nec Ecclesiæ sacramenta commaculent, ad Anastasium principem scribens (*epistola unica*), evidentissima ratione demonstrat. Cui sane pio sensui, sicut in eorum decretis cum additamento conditionum legimus, juxta quemdam

modum non inconvenienter coaptari posse videtur quod beatus Augustinus scripsit, de cujus sensu ac verbis Anastasius papa in præfata epistola hinc quædam assumpsit. « Si quem forte, inquit, coegerit extrema necessitas, ubi catholicum per quem accipiat non invenerit, et in animo pacem catholicam custodiat, per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit quod erat in ipsa catholica unitate accepturus, si statim etiam de hac vita emigraverit, non eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum catholicæ congregationi etiam præsentia corporali redierit, unde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus, quia præsentem Deum credidit cordi suo, ubi unitatem servabat. » Exemplar denique privilegii sanctæ memoriæ Benedicti, sine ulla mutilatione vel adjectione seu immutatione, per venerabilem fratrem et coepiscopum nostrum Odonem sanctissimæ paternitati vestræ transmisi. De quo et in epistola a me per illum vobis directa, inter alia si placet potestis relegere, ubi scriptum habetur : « Mitterem, inquam, ipsam authenticam privilegii chartam, quam beatæ recordationis præcessor vester domnus Benedictus mihi sua auctoritate direxit ; sed timui ne mihi inde aliquid sinistri in via contingeret, et solatio, quod inde adversus insurgentium impetus habeo, fierem destitutus. Vestra vero dignatio in scrinio sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex more exemplar illius potest requirere, et utrum ita se habeat evidenter agnoscere. In quo si vestræ sanctitati placet, necesse est nobis ut quædam superaddatis, quæ hic frater ac filius noster, juxta quod necessitates nostras cognoscit, vestræ suggeret sanctitati. Quia sicut sanctus Augustinus dicit, necesse est ut ad nova morborum genera nova quærantur medicamentorum experimenta. Sed et de synodo apud Suessionis habita, de qua, factione cujusdam clerici nostri, qui a nobis negligentiis suis territus aufugerat, quiddam ibi sub quadam dubitatione est positum, hic frater ac filius noster vobis rei veritatem potest narrare, qui eidem synodo interfuit, et adhuc in nomine abbatis subscripsit. »

Hæc sunt verba mea in epistola sanctæ paternitati vestræ directa. Nam, si inde quod ibi est positum *si ita est* erasissem, superflue quod quiddam ibi sub quadam dubitatione esset positum scriberem. Et si aliquid ibi adderem, mutarem, vel demerem, ut in scrinio sanctæ Romanæ Ecclesiæ exemplar illius requireretis, et utrum ita se haberet agnosceretis, scribere non auderem. Cæterum si quocunque modo, quacunque occasione, a quocunque aliter ad vos delatum fuit, tamen ego per præfatum venerabilem coepiscopum nostrum, sicut se habet, exemplar ipsius privilegii vobis direxi. Quod si vobis non fuerit tædium reservato in Romano scrinio illud quod per eum misi conferre, verum invenietis. Sed et illum ipsum privilegii tomum, et non exemplar, sy- A nodo vestra auctoritate congregatæ cum privilegio vestræ sanctitatis ostendi, et incorruptas scripturas atque sigilla monstravi, et ex integro, coram filio vestro domno rege Carolo, audientibus omnibus episcopis et qui synodo interfuerunt, relegi feci. Unde in epistola synodi vestræ auctoritati directa scriptum inter cætera habetur ad locum : « In suis ordinibus restituere maturaremus, quin prædictos fratres, nisi privilegiis sanctæ Romanæ sedis, per reverendum confratrem nostrum Hincmarum, archiepiscopum nostræ unanimitati prolatis, quæ de ipsis viris quædam statuerunt, debita reverentia exhiberetur ; quorum summa perfecta et integra firmitas, ut claret et justum est, in apostolicæ sedis reservata est arbitrio potestatis. » Quod synodus vo- B bis non scriberet, si integra privilegia eis non ostendissem.

De eo quod benignissima et sanctissima paternitas vestra mihi est dignita scribere, ut non arbitrarer ad discrimen quodlibet quæ mihi mandata sunt exaggerasse, cum meliora esse vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula esse non nesciam, sed ne adeo in privilegiorum meorum defensionem vel elationem immoderatius erigar, ut apostolicæ sedis jura quoquomodo temere tetigisse videar, veraciter fateor, hoc nunquam in cor meum ascendit, qui semper et apostolicæ sedi, et ejus rectoribus, postquam me nosse potui, pro meo scire et posse fidelis et devotus, et humilis ac subjectus exstiti, sum, et adjuvante Domino, permanebo. Privilegia autem sedis apostolicæ non ideo petii ut mihi non sufficeret C quod sacri canones et decreta sedis Romanæ pontificum cuique metropoli sedi concedunt, et nec alia, vel amplius quam Ecclesiæ Rhemorum collatum est ex antiquo, mihi largiri specialiter petii, neque appeto. Sed quia non solum diœcesis, verum et parochia mea, inter duo regna sub duobus regibus habetur divisa, et res mihi commissæ Ecclesiæ sub multorum principum potestate conjacere videntur, de quibus aut parum aut nihil utilitatis Ecclesia nostra potest habere : quia veteres constitutiones jam quasi pro vili apud quosdam habentur, his novis decretis carnales et animales homines territi, quiddam reverentius contra Ecclesiam indignitati meæ commissam agerent. De quibus privilegiis, quorum defensionem mihi non arrogo, sed nec de aliis quibuscunque est D unde inflari valeam vel efferri, qui et si justus fuero, non levabo caput saturatus afflictione et miseria Postremo de pallio, a mea præsumptione non certis temporibus et juxta morem aliis metropolitanis diffinitis uso, unde vestræ sanctitatis auribus intimatum esse indignitati meæ scripsistis, auctoritati vestræ veraciter fateor, quod et in istis regionibus per alios si vobis placuerit rescire valebitis, quia nisi in die Natalis Dominici, et in die sanctæ Resurrectionis ejus, vix in toto anno eodem pallio utor. Quoniam de illorum numero, peccatis meis exigentibus, factus, de quibus scriptum est : Impedimenta mihi fecerunt eos miseros, raro in decretis festivi-

tatibus, quo pallio uti metropolitanis conceditur, in A sede mea, propter multas occupationes et necessitates Ecclesiæ et regni, esse mihi permittitur ; et nisi quando in eadem sede sum in decretis festivitatibus, non solum non toties sicut mihi concessum est, verum vix aut nunquam eodem pallio utor. Pro cujus usu apud sedem apostolicam nihil petii, nisi sicut decessores ac prædecessores mei eo uti et in episcopi ordinatione solebant. Non enim usum pallii esse meæ dignitatis puto, sed genii sedis metropolis esse cognosco. Et cum multi sint sancti episcopi qui eodem pallio non utuntur, non nescio quia si sine virtutibus, quas exponente beato Gregorio pallium signat, pallio utor, et si excellentiorem cæteris Rhemorum provinciæ sedibus metropolim sedem pallii usus demonstrat in oculis hominum, non tamen ma- B jorem me facit in oculis Domini. Et veraciter confiteor sanctæ vestræ paternitati, quia si episcopus ordinatus non essem, non solum pallii usum non quærerem, quoniam scio, sine ordinatione episcopali, fide recta et operibus bonis per Dei gratiam vitam æternam me potuisse aquirere. In isto sæculo cognoscens illud, sicut modo cognosco, episcopalem ordinem non subirem, si vitare valerem. Sed et nunc jam sufficit mihi anima mea pro spolio. Ego enim multis afflictus infirmitatibus, et ætate gravatus, ac injuriis fatigatus, jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat. Quapropter licet alius ab amicis meis Cisalpinis in partibus Romanis, ut a multis jactatur, confingar, ad aliud me oportet tendere, et de aliis cogitare quam alicui pompæ ac ostentationi, C minime autem ecclesiastico ministerio applaudere, aut modo quolibet inservire.

Hæc autem, de quibus clarissimæ sanctitati et famosissimæ sapientiæ vestræ scripsi, non ad ullam controversiam, vel contumacem resultationem, quod absit, protuli ; sed animatus veridica sententia vestræ, imo divinæ auctoritatis, quam mihi scribere dignati fuistis, dicentes quia veritas liberet, mendacium vero perdat, humiliter veritatis narrationem suggessi. Tandem meæ servituti a vestra dignatione remandari deposco de fratribus nostris. Rhemensis Ecclesiæ filiis, vestra auctoritate in suis ordinibus restitutis, quoniam venerandus archiepiscopus Egilo ex vestra auctoritate eis præcepit ut in suis gradibus ministrarent, et ad altiores ascendere non præsume- D rent, utrum debeam eos ad altiores gradus provehere, si confratres ac comministri nostri illos elegerint : quoniam eorum animos mea incuria lædere nolo, et ne contra vestram jussionem ac dispositionem agam modis omnibus devitare cupio, qui apostolicæ sedis decretis omnibus parere desidero. Deus omnipotens sinceritatem vestram, ad doctrinam et correctionem sanctæ suæ Ecclesiæ, in suo apto servitio per annorum multa curricula conservare dignetur, domne sanctissime et reverentissime Patrum Pater in Domino.

EPISTOLA XII.

AD NICOLAUM PAPAM.

Ejusdem argumenti cum superiore, maximaque ex parte iisdem verbis contexta.

(Apud eumdem.)

Domino sanctissimo et reverentissimo Patrum Patri NICOLAO, primæ ac summæ sedis apostolicæ et universalis Ecclesiæ papæ, HINCMARUS, Rhemorum episcopus, et vestræ sanctissimæ paternitatis devotissimus famulus.

Litteras sanctissimæ paternitatis et præcellentissimæ auctoritatis vestræ, XIII Kalendas Junii, indictionis XV ab Egilone venerabili archiepiscopo Sennensi accepi, in quibus, sed et litteris generaliter ad episcopo, qui in synodo vestra auctoritate congregata apud Suessiones præterito anno fuerunt, tantas et tales increpationes indignitati meæ a dignitate vestra illatas inveni, sicut peccata mea merentur. Quibus ad omnia respondere et humilitati meæ præsumptiosum, et sublimitati vestræ constat incongruum ; præsertim cum post multa, pusillitatem meam refoventes, mihi scribere dignati fueritis dicentes : « Hæc ne nos arbitreris ad discrimen quodlibet tuæ sanctitatis vel dignitatis exaggerasse, cum meliora esse vulnera diligentis quam fraudulenta odientis oscula non nescias. » Cæterum, quoniam propter multas et maximas ac pene continuas infestationes paganorum atque falsorum Christianorum, quas patimur, continue laborantibus antea episcopis regionum nostrarum, in unum convenire non licuit, ut nobis communiter vestræ sanctitatis epistola communiter missa relegeretur, et sicut jussistis, quæcunque super hac re de qua agitur scripta tam a vobis prius et nunc quam a nobis edita reperiuntur, et quid inde humilitas mea et illi dejecti clerici sedi apostolicæ suggesserimus vel retulerimus, in volumen unum ordine quo missa sunt redigerentur, et apostolicæ sedi, ut competens est, eorum nobis exemplaribus reservatis, summo studio dirigerentur. Nunc in aliqua regni parte aliquantulum de paganorum infestatione respirantes, sed aliarum anxietatum gemitibus laborantes, et adhuc graviora quæ imminent metuentes, et fratres ac coepiscopi nostri devotissimi filii vestri, quæ jussistis, videlicet de Ebonis dejectione, et de ipsius restitutione, ac fratris Vulfadi et collegarum ejus promotione, et de præfati Ebonis iterata repulsione, atque ad aliam Ecclesiam migratione, sed et quæ de ordinatione mea compererunt, exsequi studio fideli procurant : et humilis mea servitus, de his quæ indignitati meæ vestra scripsit dignatio, omni humilitate ac puritate conscripta, his quæ auctoritati vestræ collectis dirigunt, subjungenda et suggerenda atque perferenda secundum vestram præceptionem eis porrexi. De dilecto scilicet fratre nostro Vulfado et ejus collegis de quibus mihi summa dignitatis vestræ auctoritas quæ sibi placuit scripsit, nihil aliud sanctitati vestræ scribere præsumo, nisi quod increpationes ve-

stras non negligenter, sed diligenter suscipio, et præceptiones obedienter obaudio. Et quia illis sufficere debet præstabilis auctoritatis vestræ benignitas et mihi abundanter sufficiet, si satisfactionem humilitatis meæ suscipientes credere dignati eritis, me vobis simpliciter ac veraciter inde scripsisse. Nam secundum ordinatorum meorum præceptionem, qui in Ebonis dejectione fuerunt, et mihi necdum duobus exactis mensibus post ordinationem meam, in synodo apud Meldis civitatem habita præceperunt, eatenus ignoranti quod Ebo post dejectionem suam aliquos in Rhemensi Ecclesia ordinaverit, ut eis mecum usque ad diligentiorem tractatum ministrare non permitterem, egi; et hoc ipsum eisdem fratribus, decernente Carthaginensi concilio, ut ordinatis episcopis vel clericis prius ab ordinatoribus suis placita conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilii fecisse pœniteant, per Pardulum, tunc diaconum Rhemensis Ecclesiæ, qui interfuit synodo, mandaverunt. Ab ea autem synodo Pardulus mecum Rhemis reversus, eisdem fratribus, qui nobiscum erant et de quibus agebatur, hoc quod mihi præceperunt episcopi retulit, et ut non in gradibus, quos ab Ebone post depositionem suam acceperant ministrarent, usque ad diligentiorem tractatum observarent præcepit. Frater quippe Vulfadus adhuc mecum non erat; sed post plures evolutos menses, si rite remetior, antequam fere anni spatium compleretur, de alia provincia ad me veniens, cum benignitate est et cum liberalitate susceptus, et honorabiliter habitus, usquequo domno nostro regi Carolo, ipso petente, illum commendavi. Defuncto autem Ebone anno Incarnationis Dominicæ 851, Indictione XVI, XIII Kalend. Aprilis, quia præfati fratres nostri ab eo ordinati qui mecum erant, post annos circiter octo suæ ab officio suspensionis, anno scilicet Incarnationis Dominicæ 853 me petierunt, eisdem fratribus ad synodum ire permisi et his qui indiguerunt, subsidium necessarium, ut ad ipsum concilium sine difficultate ire possent, ministrari præcepi. Ubi eos non judicavi, neque dejeci, nec etiam cum judicibus eorum subscripsi, sicut norunt qui interfuerunt, et ipsa episcopalia gesta, quæ authentica cum subscriptionibus episcoporum qui eis subscripserunt, sine mea subscriptione, præterito anno in synodo vestra auctoritate apud Suessiones habita ostendi, demonstrant. Et quoniam canones posteriores anterioribus jubent deferre, præcipientibus eisdem episcopis, cum eorum litteris, quarum exemplar habemus, et quas in Romano scrinio inveniri posse existimo, cum meis pro eorum petitione litteris, et cum aliis petitionibus meis ad sedem apostolicam domno papæ Leoni pro confirmandis eorum gestis, quæ non scripsi, me direxisse non denego. In quibus gestis veram præfatorum fratrum prosecutionem adversum me silentio non firmavi. Unde ex communi consensu secundum canones, sicut eos intelleximus, judices postulavi, quorum sententiam sequemdam vidi, usquequo majoris auctoritatis aliter exinde diffinitionem acciperem. Recepta autem domni papæ Leonis excusatoria epistola, *et cætera, ut supra, usque ad finem epistolæ.*

EPISTOLA XIII.

AD MONACHOS ALTOVILLARENSIS MONASTERII.

Ut Gothescalco, si ante mortem resipuerit, spiritalem et corporalem humanitatem exhibeant.

(Apud eumdem.)

Pro tempore, sicut mihi licuit, dixi vobis qua conditione, si se Gothescalcus, antequam anima illius egrediatur de corpore, recognoverit, et spiritalem et corporalem humanitatem illi exhibeatis. Sed ne quid vobis desit in ulla gratia, auctoritatem inde ecclesiasticam ex verbis orthodoxorum vobis transmitto. Ait enim de hujusmodi Leo (*epist.* 12, *ad Flavianum*), ut si fideliter et utiliter dolet, et quam recte mota sit erga eum episcopalis auctoritas vel sero cognoscit, vel si ad satisfactionis plenitudinem, omnia quæ ab eo male sunt sensa, vel viva voce vel signo competenti damnaverit, reconciliatio et communio illi non denegetur, sicut Cœlestinus, et Leo, et sacri canones decreverunt. Et si in hac confessione ac communione obierit, sicut cæteris fratribus, ita et illi communem sepulturam, ac sepeliendi officium et orationem post obitum exhibete. Quia Dominus noster, verus et bonus pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis, et qui venit animas hominum salvare, non perdere, imatatores nos suæ vult esse pietatis, ut peccantes quidem justitia coerceat, conversos autem misericordia non repellat. Si autem in obstinatione sua usque ad mortem permanserit, tenendum nobis de illo est quod sanctus Leo de communione privatis et ita defunctis dicit (*epist. 95, ad Rusticum*): « Horum, inquiens, causa Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium non differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus. » Et item (*epist. 59 ad Theodorum*): « Si, inquit, aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus, quocunque interceptus obstaculo, munere indulgentiæ præsentis exciderit, et priusquam ad constituta remedia pervenerit, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus corpore non poterit. Nec necesse est nos eorum qui sic obierint merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservavit. » Et sanctus Joannes apostolus dicit: *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut quis roget* (*I Joan.* v, 16). « Peccatum, inquit Gregorius (*Moral.* XVI, cap. 28), est usque ad mortem, quia scilicet peccatum quod in hac vita non corrigitur, ejus venia frustra post mortem postulatur. » Peccatum quippe usque ad inferos dicitur, quod ante finem vitæ præsentis per correctionem ac pœnitentiam non

emendatur. Et talium memoriam, scilicet in peccato perseverantium usque ad mortem, minime licet inter sacra altaris mysteria celebrari, in quibus pro eis oratur, qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis, in Christo videlicet quiescentes. Dormiunt ergo, ut catholici doctores dicunt, in somno pacis, qui ab unitate et societate Christi Ecclesiæ nec per hæreses, nec per schismata, nec per mortalia crimina separati sunt. In quibus etsi aliquando fuerunt, tamen per pœnitentiam sanati, et per orationem Ecclesiæ, cui in Petro dictum est: *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19), reconciliati et redemptionis mysterio sociati, utique in pace obierunt, miserante illo non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ regnat nunc cum Christo in vivis et mortuis. Propterea enim, sicut dicit Apostolus, *mortuus est Christus, ut et vivorum et mortuorum dominetur* (*Rom.* XIV, 9.). Unde et alibi ait: *Quoniam non posuit nos ad iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus sive dormiamus, simul cum illo vivamus* (*I Thess.* V, 9). Quiescentes autem in Christo sunt, de quibus dicit Apostolus: *Et mortui qui in Christo sunt resurgent primi* (*I Thess.* IV, 16); et de quibus item scriptum est: *Beatus qui habuerit partem in resurrectione prima; non lædetur a morte secunda* (*Apoc.* XX 6). Unde et Juda pontifex, sicut in libro Machabæorum legimus (*II Machab.* XII, 46), pro his qui cum pietate dormitionem acceperunt, misit Hierosolymis offerenda. Et si, ut præmisi, in obstinatione sua permanens mortuus fuerit, sicut ex auctoritate beati Gregorii et sacrorum canonum accepimus, cum psalmis et hymnis ad sepulturam deportari, vel in communi fratrum sepultura sepeliri non debet; privatæ autem sepulturæ humanitas, sicut vobis dixi, ei non est deneganda.

EPISTOLA XIV.

AD ODONEM EPISCOPUM BELLOVACENSEM.

De objectionibus Græcorum a Nicolao papa in Galliam missis, ut ad eas respondeatur.

(Apud eumdem.)

HINCMARUS Rhemorum episcopus, dilecto fratri et venerabili episcopo ODONI salutem.

Domnus apostolicus communiter nobis et aliis episcopis regni domni nostri Caroli epistolam misit, in qua continetur quod Græci tam Ecclesiam Romanam specialiter quam omnem generaliter lingua Latina utitur, conantur reprehendere, quia jejunamus in Sabbatis, quod Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere dicamus, cum ipsi hunc tantum ex Patre procedere fateantur. Dicunt præterea nos abominari nuptias, quia presbyteros sortiri conjuges prohibemus; et insimulare tentant quod eosdem presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus, quod tamen chrisma nos ex aqua flu-

A minis conficere fallaciter arbitrantur. Reprehendere nihilominus moliuntur eo quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium et septem hebdomadibus a casei et ovorum esu more suo non cessamus. Mentiuntur quoque nos, sicuti per alia ipsorum conscripta indicatur, agnum in Pascha more Judæorum super altare pariter cum Dominico corpore benedicere et offerre. Quin et reprehendere satagunt quia penes nos clerici barbas radere suas non abnuunt; et quia diaconus non suscepto presbyteratus officio apud nos episcopus ordinatur, cum ipsi etiam illum quem patriarcham suum nominant ex laico subito tonsuratum ac monachum factum saltu ad episcopatus apicem imperiali favore ac brachio provehere, ut ipsi putant, minime formidaverunt. Et adhuc,
B quod gravius est et insanius, a missis nostris contra omnem regulam, et præter omnem consuetudinem, libellum fidei, si se ab illis recipi vellent, exigere moliebantur, in quo tam ista capitula, quam ea tenentes anathematizarent, necnon epistolas canonicas ab his ei quem suum œcumenicum patriarcham appellant dandas improbe requirebant. Et ipse invasor Constantinopolitanæ Ecclesiæ Photius in scriptis suis, se archiepiscopum atque universalem patriarcham appellat. Et imperatores Græcorum legatos apostolicæ sedis cum epistolis veneratione qua debuerunt recipere noluerunt. Inde unusquisque vestrum qui metropolitani jura sortitus est, junctis sibi fratribus et coepiscopis suis qui sub se sunt, de his diligentem curam suscipiat, et quid invidis
C eorum detractionibus opponi necesse sit rimari studeat, et invenire summopere gestiat, atque inventum nobis ocius transmittere minime parvipendat, et præsulatui nostro scripta divinitus inspirata sapientia vestra reprehendendo et forti prorsus invectione fariendo tantam eorumdem imperatorum vesaniam mittat. Quæ nos suscipientes, rursus ea cum aliis assuetionibus nostris ad ipsorum quoque dementiam confutandam mittere valeamus. Quapropter, frater charissime, secundum domni apostolici commendationem, de his per tramitem Scripturarum et traditionem majorum, quæ illi convenienter rescribere possimus, quærere et in unum colligere stude, ut cum simul adjuvante Domino venerimus, quæ quisque nostrum invenit singillatim communi studio relegamus, et quæ eidem domno
D papæ a nobis inde scribenda sunt ordinemus. Data quarto Kalendas Januarii, indictione prima.

EPISTOLA XV.

AD CAROLUM REGEM.

De Hincmaro Laudunensi.

(Act. prov. eccl. Rhem.)

Domino CAROLO regi glorioso, HINCMARUS, nomine non merito Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus.

Ecce, domine, sicut hic dilectus frater, venerabilis coepiscopus noster Odo, ac missi vestri verbis plenius possunt dicere, et exiguitas mea his litterulis

dominationi vestræ dixit ratum significare, Hincmaro episcopo rebus et facultatibus ecclesiasticis quibus spoliatus fuerat, revestito, in provincia, et competenti loco, ab electis ex utriusque partis concensu judicibus secundum leges ecclesiasticas, sine potestatis vestræ aliquo detrimento, et cum honoris vestri augmento, dicente Dei spiritu per Psalmistam : *Honor regis judicium diligit* (*Psal.* XCVIII), quæstio contra eumdem Hincmarum commota, regulariter audita et ventilata est ac definita, quantum ad ministerium episcopale pertinuit, licet isdem episcopus ex integro non fuerit revestitus. Contumacium autem causa, alterum finem exspectat. Non igitur, quod in adolescentia vestra, quando animus hominus lubricus, et ad indebita usurpanda solet esse proclivus, Domino vos custodiente, non accidit, in perfecta ætate vobis subripi, minime autem persuaderi leges ecclesiasticas, vel in modico infringi, sive convelli a quocunque sustineatis. « Scientes (sicut Constantinus et Constans imperatores in edicto suæ legis quo immunitatem Ecclesiæ, ac suis ministris conferunt) debere magis religionibus, quam officiis, et labore corporis et sudore rempublicam contineri. » Et sicut sæpe soletis recolere, beatum Gregorium Brunichildi reginæ Francorum scripsisse : « Facite quod Dei est, et Deus faciet quod vestrum est ; » huic præmittens sententiæ : « Confidimus, inquit, quod tanto propitius causas vestras sua pietate disponet, quanto ipse de sua vos esse videt causa sollicitos. » Olim enim, sicut Honorius et Theodosius in lege data Ecclesiæ scribunt, ut eorum utamur verbis : « Clericos indiscretim ad sæculares judices debere deduci infaustus præsumptor edixerat, quos abdicata tyranni præsumptione, episcopali audientiæ reservamus. Fas enim non est, uti divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. » Quæ lex postea a decessoribus et prædecessoribus vestris regibus, Ecclesiæ et ministris suis conservata fuit ; nisi forte aut per excessum principum, aut per negligentiam episcoporum ad tempus aliquomodo exstitit violata : quæ aut correctione, aut innovata constitutione indigens per eosad statum solidatum est reducta, vel in statu solido confirmata. Sicut in avi, et patris vestri capitulis in libro primo Capitulorum habetis quæ in quaterniunculis [a] vobis super apud Pistas oblatis et postea causa compendii, in rotula [b] dominationi vestræ a me collecta, et vobis data sine difficultate potestis relegere. Potest enim fieri ut alicui principi ante vos, hinc subreptum ad modicum fuerit, et iterum æterna lege correctum. Sicut Julianus, et postea imperator Mauricius decreverunt, ut ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, in monasterio recipi, et Christo eum militare non liceat. Quod religiosi imperatores, et sanctus Gregorius auctoritate apostolica et generali episcoporum consensu, ecclesiastico vigore, ac reipublicæ christianæ cohibente religione destruxerunt, velut in ejus epistolis ad ipsum Mauricium imperatorem, et ad plurimos archiepiscopos directis ostenditur. Quod et divæ memoriæ avo vestro Carolo subripuit, sicut majorum traditione, et verbis et scriptis didicimus. Et in libro primo Capitulorum cap. 112 demonstratur, de liberis hominibus ad servitium Dei sine sua licentia non convertendis. Quod Ecclesia et respublica non consensit, quodque postea correxit ; sicut in eodem libro cap. 134 monstratur. De rebus nihilominus ecclesiasticis dividendis eidem avo vestro incongruentia quædam subripuit, quæ oris professione, et edicti subscriptione correxit, sicut in præfato primo libro Capitulorum, cap. 74 evidenter ostenditur. Unde præjudicium ad tempus extortum vel usurpatum, pro legis judicio nemo sanum sapiens tenuit, retinet, vel tenebit.

Cæterum in secundo libro Capitulorum cap. 13 continetur, ut « Si talis causa in qualibet provincia, aut in aliquo comitatu orta fuerit, quæ aut ad inhonorationem regni, aut ad commune damnum pertineat, quæ etiam sine nostra potestate corrigi non possit, nos diu latere non permittatis, qui omnia, Deo auxiliante, corrigere debemus. Quidquid hactenus in his quæ ad pacem et justitiam totius populi pertinent, et ad honorem regni, ac communem utilitatem, aut a nobis, aut a vobis, neglectum est, debemus, Deo auxiliante, certare qualiter abhinc nostro et vestro studio emendatum fiat [c]. » In quarto etiam libro cap. 24 scriptum est : « Si quis aliqua necessitate cogente homicidium commisit, comes in cujus ministerio perpetratum est, et compositionem solvere, et faidam per sacramentum pacificare faciat. Quod si una pars ei ad hoc consentire voluerit, id est aut ille qui homicidium commisit, aut is qui compositionem suscipere debet, faciat illum qui ei contumax fuerit ad præsentiam nostram venire, ut eum ad tempus quod nobis placuerit in exsilium mittamus, donec ibi castigetur, ut comiti suo in obediens esse ulterius non audeat, et majus damnum inde non accrescat [d]. »

Cur autem ista vobis bene scientibus scribo, quia vobis tacere non audeo, patenter ostendo. Jam plusquam quatuor annis ex quo Luido in parochia nostra invitus homicidium perpetravit, unde Lotharius nepos vester in regno suo, sine respectu alicujus personæ, regium ministerium adimplevit. Nunc autem ad Pistas, et inde ad Basivum eumdem Luidonem ut cum hominibus dominationis vestræ pacificatus esse posset, sicut vobis et nepoti vestro convenisse audivi, ducere studui ; et secundum commendationem vestram per legale judicium causa perrexit, usque ad id loci, ut ne faidam homines vestri jurarent. Vias inde ad vestram commendationem

[a] Il s'agit du premier mémoire présenté à Charles le Chauve. Voy. ci-dessus dans les opuscules.

[b] Second mémoire au roi. Voy. *ibid.*

[c] Capitulaire de l'an 813, cap. 13.

[d] Capitulaire de l'an 819, cap. 13.

petierunt, cum judicatum fuerit, ut eisdem leudem rewadiaret et homines vestri faidam jurarent. Et si alia eidem Luidoni quærere vellent, in mallo illius de quibuscunque vellent eum interpellarent et ipse justitiam redderet. Quod et ipse Luido humiliter obtulit. Postea autem qualiter inde actum fuerit, vos non latet; scio tamen quia sicut Capitula dicunt, inde actum non fuit. Nec tantum inde in palatio vestro fuit exsecutum, quantum capitulum jubet, ut quilibet comes in suo comitatu inde facere per auctoritatem debet. Unde vos inquietare tunc propter Aquitanorum præsentiam nolui.

Nunc autem, quia ipsi vestri homines et proprietatem, et beneficium, in vestro regno, et in mea parochia habent; sed et Boso in nostra diœcesi beneficium vestrum habet, consideret inde sapientia vestra qualiter secundum ministerium vobis a Deo commissum, et secundum honorem vestrum inde fiat, ne hæc causa diutius ex vestra parte, imperfecta remaneat et si majus damnum inde fuerit, periculum anima vestra, quod avertat Dominus, contrahat. Utrum autem vobis placeat, ut ipsi homines vestri cum misso vestro, in nostram parochiam, ubi proprietatem et beneficium habent et ipsa causa corrigi debet, veniant; aut nisi renerint, quod in regno vestro habent in bannum mittatur, aut aliter inde fiat, vestræ sapientiæ intererit. Ego autem quoniam amplius hanc causam differre non audeo, si interim aliud quod rationi et auctoritati conveniat, a vobis aut ab illis inde non accepero, in die missa sancti Remigii, vita comite, Domino adjuvante, ubi locus sermonis mei inter sacra missarum solemnia venerit, ante corpus illius sacratissimum qui vere est episcopus, auctoritate Dei, et sanctorum apostolorum, et ipsius Francorum apostoli, in quibus et nobis licet indignis, pro patribus natis filiis, Dominus dicit : *Quæcunque ligaveritis super terram erunt ligata et in cœlis* (*Joan.* XX), eos qui ad pacem redire nolunt, sicut canones sacri præcipiunt, et quolibet modo consentientes eis, ab omni societate totius in Christianitatis excommunicare curabo, donec ad pacem quam Christus ostendit et docuit, redire, cum debita satisfactione procurent; eosque, sicut præcipiunt canones, regibus et episcopis et quibuscunque potuero, litteris excommunicatos esse denuntiabo, ut non communicantes excommunicatis, excommunicati et ipsi pariter habeantur. Non enim vobis vel nobis parvipendenda est sententia beati Gregorii, qua concordans Apostolo, præsertim de potestatem habentibus dicit : « Qui non corrigit resecanda, commttit. »

Audivi denique quosdam reprehendere nos episcopos et dicere, quod volumus tota die per Scripturas parabolare. Quod devotio religionis vestræ non sinat suis auribus susurrari. Apostolus namque plenus dicit : *Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt : scripta sunt autem propter nos* (*Rom.* XV). Et Dominus ad prophetam : *Audiens nuntiabis eis ex me* (*Jerem.* III.) *Ex me*, inquit, id est

A quæ ego in Scripturis loquor, et non ex te, id est ex tuo animali et carnali sensu. Et sanctus Leo sacros canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos dicit. Et de legibus quibus Ecclesia moderatur et Christianitas regitur, Christi Domini sapientia dicit : *Ego sapientia habito in consilio : per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt* (*Prov.* VIII). Conditores quippe legum non nudo verbo, sed scripto leges condiderunt et condunt, et subscriptione confirmaverunt atque confirmant. Quas non illi reges custodiunt de quibus Deus, qui ut scriptum est : *Facit hypocritam regnare propter peccata populi* (*Job* XXXIV) dicit : *Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes exstiterunt, et non cognovi* (*Ose.* VIII). Sed illi reges eas condunt at-
B que conservant, de quibus item Dominus, ut præmisimus, dicit : *Per me reges regnant, quales, præmittens, Dominum timete*, jubet honorificare apostolus, dicens : *Regem honorificate et obedite regi quasi præcellenti* (*I Petr.* II) : videlicet qui Regis regum obedit mandatis, et ejus custodit judicia. Alioquim ut sanctus Petrus dicit : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V). Hinc enim ejus caopostolus dicit : *Non est potestas nisi a Deo.* Et : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* (*Rom.* XIII). Quia nihil fit in mundo, nisi quod aut Deus misericorditer facit, aut fieri juste permittit. Cum itaque reges ex illo regnant, misericordia illius est, ut salventur populi eis commissi : cum vero non ex illo, sed permittente justo ipsius judicio reges regnare videntur, vindicta est peccatoris populi et
C regnantis cumulus pœnæ. Sed fideles quique potestati aut a Deo colllatæ aut a Deo permissæ non resistunt, cum juxta Petri vocem : *Sub manu Dei humiliantur* (*I Petr.* V) et de bonis principibus gratias referunt; et de his qui ad purgationem suam a Deo regnare permissi sunt, gementes exultant; sicut scriptum est : *Exultaverunt filiæ Judæ in omnibus judiciis tuis, Domine* (*Psal.* XCVI). Sicque non resistunt ordinationi Dei, qui novit, non mala facere, sed ordinare. Resistunt autem iniquis iniquorum operibus et mandatis. Unde scriptum est : *Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi* (*Eccli.* XII), quia nesciunt culpas palpare, sed pungere, et tolerant patienter propter Dominum illata mala sibi a principibus malis. Quapropter, qui no-
D bis derogant dicentes, quod volumus tota die loqui per Scripturam, si *de omni verbo otioso reddent rationem in diem judicii* (*Matth.* XII), sicut Veritas non mentiente ore dicit, videant, quid sustinebunt, de hoc criminoso detractionis et contra nos murmurationis verbo. Non enim cum sancto Moyse illis dicimus : *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Nos enim quid sumus?* (*Exod.* XVI.) Illisque cum Apostolo inculcamus : *Neque murmuraveritis sicut quidam murmuraverunt, et a serpentibus perierunt* (*I Cor.* X). Quibus enim increscit legere, vel scribere quæ scripta sunt, vel scribuntur, sciant, quia non de ignorantia judicabuntur ;

sed de contemptu quo nolunt scire, quo nolunt legere, vel audire condemnabuntur. De qualium choro Dominus dicit : *Noluit intelligere ut bene ageret; iniquitatem meditatus est in cubili suo (Psal.* XXXV). Cum enim non dicit, non potuit intelligere, sed *noluit intelligere*, aperte reatum contemptus denuntiat, pro quolibet contemptor merito debitas pœnas luet...

EPISTOLA XVI.

AD CLERICOS PALATII.

Ut hominem suorum rapinas reprimant.

(Apud Sirmond.)

HINCMARUS Rhemorum episcopus fratribus nostris, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, et cæteris clericis in palatio domno nostro regi et domnæ reginæ, ac illorum fidelibus ecclesiastico ministerio consulentibus.

Audio de hominibus vestris quia multa mala, rapinas scilicet et deprædationes, et fornicationes, et adulteria in parochia mea faciunt et etiam de vobis audio quia illis rapinis consentitis, ut videlicet qui de illis vivitis, et vestros homines atque caballos exinde pascitis. Unde timendum est ne de vobis dicat Dominus per prophetam : *Et erit sicut populus, sic sacerdos (Isa.* XXIV, 2). Sed mihi non est necesse multum laborare admonendo in vobis, qui et ministerio et doctrina tales estis, ut non solum vos abstinere a malo, sed etiam alios a malo divertere et bonum facere debere admonere sciatis et debeatis. Tamen pro ministerio imposito admoneo vos cum Paulo apostolo, et obtestor in Christo et per Christum, qui per Paulum locutus est, *ut exhibeatis vos sicut Dei ministros, ne vituperetur ministerium nostrum* (*II Cor.* VI, 3 *et* 4). Et quia jejunia paschalia inchoastis, ante oculos habete quid in Pascha, id est in transitu suo ex hoc mundo ad Patrem, Dominus Jesus tradendo corpus et sanguinem suum discipulis suis de reprobo discipulo dixit : *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa ; væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur (Luc.* XXII, 21). Hoc pascha quotidie sacerdotes immolando, diaconi ministrando, subdiaconi obsequendo, et cæteri clerici Amen respondendo, celebratis pleno ore de rapina, pleno corde de iniquitate. An obliti estis quod scriptum est in Evangelio : *Post buccellam introivit in Judam Satanas ? (Joan.* XIII, 27.) id est in quem introierat prius ut Dominum traderet suadendo, tunc in eum introiit plenissime possidendo ; sicut scriptum est : *Intravit autem Satanas in Judam qui dicitur Scarioth* (*Luc.* XXII, 3) ; et item : *Jam enim miserat diabolus in cor Judæ, ut traderet Dominum (Joan.* XIII, 2) ; ac deinde dictum est : *Post buccellam introivit in eum Satanas.* Quia cum intravit sanctus panis in plenum de iniquitate ventrem, intravit hostis antiquus, qui dicitur diabolus et Satanas, in crudelem et impiam mentem ; et ad quem finem illa communicatio ei pervenit, quam ideo accepit, ut malam conscientiam mentiretur atque celaret, ipsi melius scitis. Et ille enim, sicut ipsi legitis in Scripturis, in exemplum Judæ filium hominis tradit, non quidem Judæis peccatoribus, sed tamen peccatoribus, membris videlicet suis, qui illud inestimabile Domini corpus violare præsumit. Et væ illi homini qui ad mensam Domini malignus accedit, qui insidiis mente conditis, qui, præcordiis rapina aut aliquod scelere pollutis, mysteriorum Christi secretis participare non metuit. Væ, inquam, illi presbytero, væ illi diacono, væ illi subdiacono, væ illi clerico, væ illi homini, de quo Jesus, qui altaribus sacrosanctis inter immolandum, utpote proposita consecraturus munera, adesse non dubitatur, astantibus sibi ministris cœlestibus, queri cogitur quod in cœna discipulis de Juda dixit : *Ecce*, inquiens, *manus tradentis me mecum est in mensa* (*Luc.* XXII, 21) ; et væ illi de quo dicit Paulus apostolus, quod quasi speciali privilegio in cœna Domini quando hæc sunt tradita legimus : *Quicunque manducat panem hunc aut calicem Domini bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit non dijudicans corpus Domini (I Cor.* XI, 29). Sed sic ad mensam Domini accedat sine reverentia et timore de peccatis suis, sicut lætus accedit, quando socius suus illum plena mensa pascit de rapinis suis. Et quod idem dicit Apostolus : *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt (ibid.*, 30), id est moriuntur, *multi*, hoc monstratur in exemplo de infirmitatibus et mortibus corporalibus aliquorum, quod fit in anima in spiritalibus infirmitatibus atque mortibus omnium irreverendorum. Et qua fronte accedit sacerdos immolare, et diaconus ministrare, ad sanctum altarium, ut pro aliorum peccatis Dominum placatum faciant, qui non solum de præteritis suis peccatis illi non satisfaciunt, sed insuper quotidianis ac recentibus illum ad iracundiam provocant ? et cum quali fiducia aliquis homo talem intercessorem pro se ad Deum in altario ministrando transmittit, qui Deum quotidie non mediocriter offendit, quando si ad suum parem illum transmitteret qui ipsi intercessori iratus existeret, plus illum ad iracundiam quam ad placationem excitaret ? Hoc enim Pascha, quod tunc Dominus in novo mysterio egit, quotidie celebratis, quotiescunque missam agitis, sicut ipse tunc omnibus episcopis et presbyteris et cæteris fidelibus celebrantibus atque astantibus ad hoc terribile sacramentum in apostolis suis dixit : *Hæc quotiescunque*, inquit, *feceritis, in meam memoriam facietis (II Cor.* XI, 25). Videte quales cum Domino ad Domini passionem celebrandam acceditis, qui de talibus miseriis coinquinati estis, si tamen, ita ut audivi, vestris hominibus consentitis. Unde nisi vos correxeritis, quicunque de mea diœcesi sunt, sine dubio usque ad synodum ab officio et communione privabo ; et qui de mea diœcesi non sunt, de mea parochia et diœcesi eos excommunicabo, et ad suos episcopos, qui eos corrigant atque dijudicent, divina auctoritate redire mandabo. Quod ut necesse non sit fieri, fratres et filii, et vos ac vestros corri-

gite, et alios admonete, quia sicut majus peccatum A vos peccantes habetis quam populus, sic majorem gloriam apud Deum habebitis, si vos ac vestros custodieritis, et alios admonueritis, scientes quia qui converti facit unum peccatorem ab errore viæ suæ, quid inde sequitur, quanto magis si vobis et vestris, de quibus rationem reddetis, ad salutem consulere studueritis? Domino etiam nostro regi et amabiliores et venerabiliores eritis, et securius vos ille Ecclesiis præficere, quando locus evenerit, et nos vos audacius et amabilius, nutu Dei et ipsius domini nostri favore, ordinare valebimus.

EPISTOLA XVII.

AD PRESBYTEROS DIOECESIS RHEMENSIS.

Ut excommunicationem denuntient iis qui ac deprœcationibus admoniti non abstinuerint. B

(Apud eumdem.)

HINCMARUS Rhemorum episcopus omnibus presbyteris in parochia nostra consistentibus.

Sicut vobis sæpe dixi, sacerdotes medici sunt spiritales, et infirmi homines sunt peccatores. Et licet nos peccatores simus, tamen dignatione Dei officium sanandi peccatores suscepimus; sicut sæpe medici corpore infirmi per magisterium medicinæ infirmos solent sanare. Et quando usitata infirmitas venit in liquo, usitatem faciunt medicinam; quando autem inusitata infirmitas nascitur infirmo, de medicinæ experimento inusitatam medici faciunt medicinam. Propterea, fratres, unusquisque vestrum quotiescunque cantat missam, usque dum ista quam pati- C mur miseria in parochia nostra cessaverit, quoniam tales homines sunt qui non propter salutem, sed propter consuetudinem, ad ecclesiam veniunt, et usque ad Evangelium, juxta quod ista prædicare debueratis, in missa stare solent et recedunt, statim post Apostolum, id est post Epistolam, hanc admonitionem nostram ab initio usque ad finem, cum verbis prophetæ vel Apostoli legite, quia utinam non ad judicium nostrum dicamus, et nos Dei apostoli, id est Dei missi sumus. Ut quoniam ipse per corporalem præsentiam eis qui in parochia nostra tanta mala faciunt annuntiare non possum, verbum Dei per nos ad illos transmissum, quod alligari quacunque infirmitate non potest, illis eorum salutem annuntiet. Et orate pro illis et pro nobis omni- D bus, ut ipsi resipiscant a laqueis diaboli, a quo capti tenentur ad Dei voluntatem, et Deus nobis patientiam sufferendi donet, et liberet nos a malis quæ patimur propter peccata nostra, et det pacem in diebus nostris. Et admonitio nostra ad illos talis est.

Precor vos omnes in amore Dei, legationem ejus portans, per Christum, qui pro vobis crucifixus est, et per Spiritum sanctum, per quem in baptismate sanctificati estis, tam qui de parochia mea estis quam et vos qui de aliis parochiis in parochiam istam venistis et venitis, ut abstineatis vos ab istis deprædationibus et fornicationibus, et aliis criminibus quæ mergunt eos qui illa faciunt in infernum, et de illis quæ in mea parochia facta habetis, confessionem puram et dignam pœnitentiam faciatis. Quæ mala vobis et omnibus Christianis Paulus apostolus enumerat dicens: *Nolite errare, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 9), si vel in uno de istis peccatis quicunque homines vitam istam finierint. Et iterum idem Paulus apostolus dicit: *Si quis frater*, id est si quis Christianus, *nominatur, et est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut ebriosus aut maledicus, aut rapax*, cum tali homine nec cibum debet verus Christianus accipere (*I Cor.* V, 11). Et iterum dicit: *Non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, digni sunt morte* (*Rom.* I, 32). Quoniam sicut demonstrat sanctus Joannes apostolus, qui alicui consentit talia mala facere, id est si in eum emendare potest, aut illi potest vetare ut non faciat, aut si talem non potest corrigere, et ab illus se potest communione separare, et non facit, *communicat* et particeps est *operibus illius malignis* (*II Joan.* XI). Et ideo, fratres et filii, videte quantæ miseriæ et de paganis et de aliis malis Christianis super nos veniunt, et quotidie qui ista mala faciunt, de isto sæculo ex majori parte ad tormenta, quæ sine fine, pro malefactis quæ in parvo tempore fecerunt mortui vadunt; et timentes Dei judicium, retrahite vos ab ista rapina et a cæteris malefactis. Maxime in isto tempore, quando alia peccata, quæ per totum annum sicut fragiles homines committitis, pænitere et satisfacere Deo inde debetis, ut communionem corporis et sanguinis Domini in sanctissimo die redemptionis nostræ non ad judicium, sed ad salutem accipere possitis. Quia si quis de istis peccatis plenus ad illam sanctam communionem accesserit, sine dubio suam perditionem accipiet, sicut et Judas fecit, qui Dominum tradidit, et laqueo strangulatus quo se suspendit medius crepuit, et diffusis visceribus in infernum perrexit. Quoniam sicut ille Dominum Judæis tradidit, ita iste corpus et sanguinem Christi accipiens peccatoribus suis membris in condemnationem tradit. Et de hoc quod ille passus est in anima simul et corpore, multos exspectat Dominus ad pœnitentiam, ut non patiantur in corpore. Omnes autem male hanc communionem accipientes patiuntur in anima et peribunt in æternum, nisi Dei gratia fuerint liberati per pœnitentiam. De istis quæ dico potest fieri ut diabolus humanæ salutis inimicus immittat in corda vestra cum auditis quod tale periculum sit hanc sanctam communionem accipere, si ab iniquitatibus vestris vos non vultis retrahere, et dicatis: Si tale periculum est nobis, sicut iste episcopus dicit, communicare, abstinebimus nos ab illa communione, quia non retrahimus nos a mala operatione. Unde iterum audite quibuscunque diabolus ista susurrat. Quoniam

sicut Dominus dixit de baptismo quod nullus potest A fieri salvus, *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* (*Joan.* III, 5), ita de hac sancta communione dixit : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54). Et sicut dixit : *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit* (*Marc* XVI, 16); id est si quod promisit in baptismate, diabolo et ejus operibus abrenuntiando, et in Deum fide quæ per dilectionem est credendo, quod est ut in fide et bonis operibus permaneat, et si post baptismum peccaverit, per confessionem et dignam pœnitentiam illis qui in eum peccaverunt dimittendo, et bonis operibus insistendo, hoc quod male fecit emendet. Ita etiam de hac sancta communione dixit : *Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI, 57) ; et : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, et ego resuscitabo eum in novissimo die* (*ibid.*, 52, 55). Propterea attendite, omnes Christiani, quia sine ista communione nec remissionem peccatorum potestis accipere, nec de inferno liberari, nec ad regnum Dei potestis pervenire. Et qui istam communionem cum odio et corde pleno de iniquitate, sicut dixi, et cum voluntate peccandi acceperint, judicium et condemnationem sibi accipient. Et ideo nullum consilium aliud restat ei quicunque vult salvus fieri, nisi ut ab iniquitatibus cesset, et inde pœniteat et offerat Deo confessionem de præteritis peccatis et professionem, ut in reliquum cesset a peccatis, quantum ei Deus adjutorium dederit, et bonis insistat operibus, et confisus de misericordia Dei, mundo corpore et pura conscientia et contrito corde accipiat communionem corporis et sanguinis Domini. Et tunc non erit ei in condemnationem, sed in remissionem omnium peccatorum, et in fortitudinem, ut possit resistere diabolo, et ad regnum Dei pervenire. Quoniam sicut *qui adhæret meretrici unum corpus efficitur,* ita qui digne communicat de ista communione unus spiritus est cum Domino (*I Cor.* VI, 16), et in quo Deus habitat et ipse in Deo, et in tali homine in quo Deus habitat, et qui in Deo habitat, non habebit peccatum et peccati auctor atque hortator diabolus, damnabiliter locum ; et si ita perseveraverit, post mortem in refrigerio erit, et post resurrectionem in sanctorum angelorum consortio cum Christo sine fine regnabit. Et nolite sperare quia tantum ad terrorem vestrum, et non ex veritate hoc dicam. Testis est Deus quia sicut ex ore Dei per Scripturas accepi, ita et hic ad salutem et correctionem vestram scripsi. Et sciatis quia nisi vos correxeritis ut ista mala dimittatis, omnes qui in ista mea parochia ista mala facitis excommunicabo, et presbyteris mandabo ut nulli communionem scienter donent, qui ista mala post istam admonitionem relectam in mea parochia fecerit, neque illi qui facienti voluntarie communicavit, aut facienti mala consensit. Et omnibus ad communionem accedentibus presbyter quiscunque denuntiet, ut qui post istam admonitionem ab his malis non cessavit ad communionem non accedat, sciens qui condemnationem accipiet. Et ex verbo Dei mandabo, ut nullus presbyter in mea parochia de alia parochia veniens illis missam cantet qui se ab istis malis non correxerint, sicut in Christi amore vos deprecor. Et nemo despiciat dicens : Quid si iste episcopus talia commendaverit? Sciat pro certo quia qualiscunque ego sim, Deus verax et omnipotens est qui dixit nobis : *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo* (*Matth.* XVIII, 18). Et si aliquis dixerit : Ad illos dies in alteram ibo parochiam, sciat quiscunque ille non hominis sed Dei illusor et suus ipse deceptor, quia si in alteram parochiam communicare sic excommunicatus perrexerit, quoniam majus etiam judicium B coram Deo sustinebit, quia putat se illum effugere posse qui ubique est, et cujus verbo, non mea potestate secundum hominem, sed secundum divinum ministerium, illum excommunicabo. Et non irascimini, dilecti fratres et filii, quia paterna dilectione vos moneo. Sed corrigite vos, attendentes commminationem Dei et ad me et ad vos factam. Ait enim Dominus unicuique qui officium sacerdotale suscepit : *Si annuntiaveritis iniquo iniquitatem suam, et conversus fuerit ille iniquus ab impietate sua, ille vita vivet, et tu animam tuam liberasti. Et si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, et non fuerit conversus ille impius ab impietate sua, ipse iniquus in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III, 39). Quapropter, fratres et filii, attendite, quia Deus omnipotens est C qui ista dixit, et ipse nos fecit, et ipse nos redemit, et ante illius judicium omnes astabimus, et ibi judicati erimus nos sacerdotes, et principes ac seniores, qui vos admonere et castigare debemus, et pro nostris ac vestris peccatis ; et vos etiam judicati eritis, non solum de peccatis quæ fecistis, et non pœnituistis, sed etiam de admonitionibus et castigationibus quas contempsistis. Deus omnipotens, qui per me ista loquitur in auribus vestris, per se hæc loquatur in cordibus vestris.

EPISTOLA XVIII.

AD PRESBYTEROS RHEMENSIS PAROCHIÆ.

De baptismo.

(Act. prov. eccl. Rhem.)

D HINCMARUS episcopus ac plebis Dei famulus dilectis fratribus hujus Rhemensis parochiæ compresbyteris nostris.

Cupiens vos in omni sensu et doctrina atque operis perfectione gratia Dei esse ditatos, pro imposito exiguitati meæ ministerio singulis et in commune vobis quædam de actione sacri baptismatis breviter ex plenitudinis latitudine sanctarum Scripturarum, et doctrina catholicorum patrum curavi excerpere et notitiæ vestræ ingerere, ut secundum sacram Scripturam intelligatis in sancto ministerio cuncta quæ agitis, et ut in aperto sermone non sit in vobis

difficultas intelligendi, neque in prolixo tædium legendi et memoriæ commendandi.

Dominus Jesus Christus, creator et redemptor noster, dicit in Evangelio : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum (Joan.* III) ; unde discipulis suis mandavit dicens : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII) In istis paucissimis verbis totius sanctæ prædicationis ordinem exposuit, bis docere dixit, et semel baptizare. Primo omnium fidem catholicam docere præcepit, et post fidem acceptam, in nomine sanctæ Trinitatis baptizare jussit. Deinde fide imbutum et sacro baptismate ablutum evangelicis instruere præceptis mandavit. Primo fides docenda est, et sic baptismi percipienda sunt sacramenta, deinde evangelica præcepta tradenda sunt. At si aliquid horum trium defuerit, salutem animæ suæ auditor habere non poterit. Hic namque ordo catechizandi, id est instruendi in adultæ ætatis viris ubique firmiter retinendus est. Fragiliori vero ætati pia mater Ecclesia concessit, ut qui alieno in paternæ prævaricationis ligatus est peccato, alterius in baptismi mysterio abrenuntiatione et fidei professione solutus sit. Et si hoc non esset, quanti perirent infantes, ex quorum numero cœlestis quotidie ædificatur Jerusalem ? Absque fide quippe baptisma non proficit, dicente Apostolo : *Sine fide impossibile est placere Deo (Heb.* II). Inter *impossibile* siquidem et *difficile* hoc interesse legimus. Difficile est quod licet vix, tamen fieri potest : impossibile vero, quod omnino ab humana fragilitate fieri non potest. Ideo ipse Dominus in Evangelio stupentibus apostolis, quis ex divitibus salvus fieri posset, respondit : *Apud homines, hoc impossibile est ; apud Deum autem omnia possibilia sunt* (*Matth.* XIX). Docendus est itaque homo rationalem habens intelligentiam, et multimoda prædicatione attrahendus, ut sacræ fidei veritatem agnoscat ; et maxime Dei omnipotentis pro eo deprecanda est clementia : quia otiosa est lingua docentis, si gratia divina cor non imbuit auditoris, dicente ipsa Veritate : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus attraxerit eum* (*Joan.* VI) ; et ut æqualiter sanctam Trinitatem salutem hominis operari intelligatis, dicit et ipse Dominus in Evangelio : *Nemo potest venire ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* XIV) ; item et de Spiritu sancto ait : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei* (*Joan.* III). Quod enim visibiliter sacerdos per baptismum operatur in corpore per aquam, hoc Spiritus sanctus invisibiliter operatur in anima per fidem. Tria sunt in baptismatis sacramento visibilia, et tria invisibilia. Visibilia sunt, sacerdos, corpus et aqua ; invisibilia vero, spiritus, et anima, et fides. Illa tria visibilia nihil proficiunt foris, si hæc tria invisibilia non operantur. Sacerdos corpus aqua abluit, Spiritus sanctus animam fide justificat, et hoc est quod Apostolus ait : *Cooperatores enim Dei sumus* (*I Cor.* III).

A Cooperatur homo sancto Spiritui in salute hominis ; sed et ipse homo qui baptizandus est, cooperari ambobus debet in salute sua ; id est Spiritui sancto et sacerdoti humiliter corpus præstare ad sacri mysterium lavacri, et animam voluntarie ad catholicæ fidei susceptionem.

Ut vim cognoscatis hujus sacratissimi juxta sanctorum Patrum intelligentiam et statuta ecclesiastica, vestræ charitati eadem sacramenta catholica interpretatione ostendam. Nam magna sanctitate et venerabili significatione quidquid in eis geritur statutum esse, neminem dubitare fas esse credimus.

Primo, paganus catechumenus, id est instructus, fit accedens per ordinem traditum ad baptismum, id est sanctam tinctionem ; et renuntiat maligno spi- B ritui et omnibus damnosis ejus pompis.

II. Accipit manus impositionem et crucem in fronte, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti : et exsufflatur in facie, ut fugato diabolo, Christo Deo nostro paretur introitus.

III. Exorcizatur, id est, conjuratur malignus spiritus, ut exeat et recedat, dans locum Deo.

IV. Accipit catechumenus salem, ut putrida et fluxa ejus peccata sapientiæ sale divino munere mundentur.

V. Deinde vero symboli apostolici traditur ei fides, et oratio Dominica ; ut vacua domus et a prisco habitatore derelicta, fide ornetur, et præparetur habitatio Deo. Quorum expositionem, id est symboli et orationis Dominicæ, habetis in scrutinio quod fit in C apertione aurium, sicut vobis credimus esse notum. Quod enim symbolum Græce dicitur, latine indicium, vel signum, sive collatio interpretatur. Indicium, quia per id indicatur fidei integritas. Signum, quod eo bene retento et intellecto fideles ab infidelibus discernuntur. Collatio, quia in eo sancti apostoli omnem fidei integritatem contulerunt : quod autem omnes Apostoli pari fidei sinceritate corde retinebant, ore confessi sunt ; et singuli proprias sententias conferentes, symbolum, id est totius fidei collationem ediderunt. Discessuri enim ab invicem per totius orbis provincias normam futuræ prædicationis in commune statuerunt, ne localiter ab invicem discedentes, diversum aliquid vel dissonum prædicarent. Oratio autem Dominica, quam omnes Christiani sincero corde frequentare necessario debent, D ideo sic appellatur, quia petentibus apostolis ut eis insinuaret qualiter orare deberent, Dominus noster Jesus Christus, sicut sacra Evangelia docent, hanc orationem illis composuit, et sic eos orare præcepit.

VI. Tunc fiunt scrutinia, id est explorationes, vel investigationes secundum morem vobis cognitum, ut exploretur sæpius, quam firmiter post renuntiationem Satanæ sacra verba datæ fidei radicitus corde defixerint ; et sicut vobis notum est per decretos dies in sancta Quadragesima fiunt septem scrutinia, secundum formam septiformis Spiritus.

VII. Deinde tangit consecrando sacerdos nares et aures de sputo, et dicit : *Effeta quod est adaperire*

(*Matth.* VII), et reliqua. Inter cætera quippe consecrationis exordia, de saliva oris sui sacerdos nares tangit, et aures consecrandi, et dicit : *Effeta, quod est adaperire*. Obsurduit enim homo ab audiendo vitæ verbo, postquam mortifera serpentis verba contra Deum timidus audivit; et surditatem quam primus homo peccando promeruit, omnis per traducem virilis seminis generatus ab illo contraxit. Per salivam quidem oris sacerdotis, gustus quo initiandus est supernæ sapientiæ designatur : quia ex capite in quo omnes sensus hominis sunt, saliva descendit : et Apostolus : *Caput*, inquit, *Christi Deus* (*I Cor.* XI), et divinitas hominem assumens, quoddam ex connexione duarum substantiarum in una Dei Filii persona collyrium fecit, unde genus humanum, quod cæcum a primis parentibus natum erat, illuminaret. Non ab re sputo aures tanguntur et nares : ut qui expuens linguam muti tetigerat, et sputo lutum fecerat, et oculos cæci nati aperuerat, nunc per ministerium sacerdotum, et auditum spiritalem his qui baptizandi sunt, tribuat; et recte loquendi, id est veræ fidei confitendi facultatem præbeat; et nares, quibus bonum Christi odorem capiant, aperiat. Per tactum vero narium, ut abjectis delectationibus noxiis, solum Christi semper amplectatur odorem, de quo dicit Apostolus : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II). Et ut meminerit se juxta exemplum beati Job, donec superest halitus in eo et spiritus Dei in naribus ejus, non loqui iniquitatem labiis, nec lingua mendacium meditari debere. Porro per tactum aurium, ut relicto auditu linguæ nequam, audiat verba Christi, et faciat ea: similis vero prudenti, qui ædificavit domum suam supra petram : qui incorporatus Ecclesiæ, quæ corpus est Christi, dicit cum Psalmista : *Sacrificium et oblationem*, veterum scilicet cæremoniarum, *noluisti : aures autem perfecisti mihi, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion* (*Psal.* XXXIX), et : *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi* (*Psal.* LV). Legimus quoque in quibusdam regionibus esse consuetudinem, ut etiam labia consecrandi de saliva sacerdotis tangantur, auctoritate sacri Evangelii : quia postquam Dominus in aures surdi et muti misit digitos suos, sputo tetigit linguam illius, et subintulit : *Effeta, quod est adaperire*. Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte. Et in quibusdam regionibus alii oleo sancto tangunt catechumenorum aures et nares : quia nemo potest per gratiam sancti Spiritus, quæ oleo designatur, fidei sacramenta cognoscere, nisi audiat prædicantem, dicente Apostolo : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (*Rom.* X). Nares quoque simili tactu sanctificantur : ut hi qui ad baptismum veniunt admoneantur tanti mysterii sacramentum per gratiam sancti Spiritus usque ad mortem inviolatum atque integrum custodire. Ut quandiu spiritum vitæ hujus naribus suis attrahunt, a Christi Domini nostri cultura et servitio non re-

A cedant. Sed sicut nostrarum regionum consuetudo ab eis non est reprehendenda, ita nec a nobis illarum consuetudo, quia non abhorrere a fide videtur, penitus est abdicanda : cum in unius fidei soliditate in quibusdam rebus obesse non soleat diversa consuetudo. Sicut et sacramenta Veteris ac Novi Testamenti, licet pro temporum ratione discrepent, fides tamen una, eademque concordat: quia quam nos per apostolos factam, eamdem patres Testamenti Veteris dispensationem Christi per prophetas didicerant esse venturam.

VIII. Posthæc vocato ex nomine consecrando, interrogat eum sacerdos, si abrenuntiet Satanæ et omnibus operibus ejus, et reliqua. Post cujus responsionem ungit eum oleo exorcizato, in pectore et
B inter scapulas, dicens : « Et ego linio te oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam. » Pectus quippe perungitur oleo, ut signo sanctæ crucis diabolo claudatur ingressus. Signatur et inter scapulas, ut undique muniatur. Item in pectoris et inter scapulas unctione signatur fidei firmitas, et operum bonorum perseverantia. Signatur etiam baptizandus pectore et inter scapulas de oleo sancto : ut illius olei sancti, videlicet Spiritus unctione liniatur, de qua Apostolus ait : *Sicut unctio ejus docet vos de omnibus* (*I Joan.* II); ante et retro munitus contra omnia, prospera sive adversa, sit circumspectus. Abrenuntiat autem baptizandus diabolo, id est, resistit, sicut jubet Petrus apostolus, dicens : *Resistite diabolo, et fugiet a vobis* (*I Petr.* V). Abrenuntiat quidem, id est, repudiat, spernit, reji-
C cit, contradicit, abnegat, relinquit, sive aliud quid quod hoc verbo in hoc sensu exprimi potest. Quamvis enim illius verbi quod est *nuntio*, sensus in promptu sit cum sine præpositione profertur : accepta præpositione interdum a sua significatione non longe recedit : ut est illiud, *nuntio* et *renuntio* ; interdum vero in alium sensum vertitur, et est illiud : *Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Quam sententiam beatus Gregorius exponens in homilia Evangelii, renuntiare abnegare, intelligi debere, ostendit. Denique baptizandus post abrenuntiationem Satanæ, interrogatur si abrenuntiet omnibus operibus ejus. Quæ sunt autem opera Satanæ, divinus apostolus Paulus, in quo loquitur Christus,
D demonstrat scribens ad Corinthios : *Si quis frater est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere* (*I Cor.* V). Et item : *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt ? Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* IV). Et ad Galatas : *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ,*

homicidia, ebrietates, comessationes et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur (*Galat.* III) : nisi per debitos pœnitentiæ fructus, antequam exeant de corpore, ea cooperiant, et devotis precibus, eleemosynis, jejuniis, fletibusque et hostiæ salutaris oblationibus, abluere illa curaverint. Abrenuntiat enim baptizandus omnibus diaboli pompis, id est spiritualibus vitiis, ut sunt ambitio, arrogantia, vana gloria, ostentatio et cætera hujusmodi, quæ de superbiæ fonte procedunt. Pompa quippe proprie dicitur publica ostentatio cum multa ambitione. Ambitio quippe phantasia dicitur Græce : quo nomine designatur multiplex apparatus et pompa regalis officii. Et hac conditione post abrenuntiationem, ut præmisimus, oleo sancto linitur.

IX. Et sic fonte verbis solemnibus consecrato, adstante baptizando juxta fontem, obsequente patrono interrogat eum sacerdos, si credit in Deum Patrem omnipotentem, et reliqua secundum morem. Et respondente illo secundum ecclesiasticam consuetudinem; post supradictam trinam diaboli et pomparum, ac operum abrenuntiationem, postque trinam veræ fidei confessionem, quia non potest quisque nisi trina abrenuntiatione et trina confessione purgari; trina mersione baptizatur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : ut sicut interior homo, qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditus est, per invocationem sanctæ Trinitatis ad eamdem revocatur imaginem; et qui tertio gradu peccati, id est, cogitatione, locutione et operatione cecidit in mortem, tertio elevatus de fonte per gratiam resurgat ad vitam. Et sicut interior homo in fide sanctæ Trinitatis ad imaginem sui conditoris reformandus est, ita et exterior trina mersione abluendus est : ut quod invisibiliter Spiritus operatur in anima, hoc visibiliter sacerdos imitetur in aqua. Nam originale peccatum tribus modis actum est, delectatione, consensu et opere ; ita et omne peccatum, aut cogitatione, aut locutione, aut operatione efficitur; ideo triplici generi peccatorum trina videtur ablutio convenire ; vel propter originale peccatum, quod in infantibus valet ad perditionem, vel propter illa quæ in provectioris ætatis hominibus, voluntate, verbo vel facto adduntur. Et quia secundum sanctam Scripturam unus Deus, una fides, unum baptisma, ter baptizandus mergitur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut Trinitas unum appareat sacramentum; et non baptizetur in nominibus Patris et Filii et Spiritus sancti, sed in uno nomine, quod intelligitur Deus, juxta Apostolum. Igitur unus est Deus, una fides, unum baptisma : sed duæ sunt pactiones quæ in baptismate paciscuntur, quas patroni suis susceptis, cum ad intelligibilem ætatem pervenerint, insinuare sollicite et inculcare debent. Quarum pactionum una est qua diabolo abrenuntiatur, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus : et altera qua quisque baptizatus professus fuit se credere in Patrem, et Filium, et Spiritum san-

A ctum. Quas necesse est inconvulsæ mentis intentione servare fidelibus, et ut intemerate custodiri possint, illius semper adjutorium requirere, cujus gratia in baptismate sunt renati.

EPISTOLA XIX.

AD LUDOVICUM III REGEM, BALBI FILIUM.

Ut liberam episcopi electionem in Bellovacensi Ecclesia fieri permittat.

(Apud Sirmond.)

Domino LUDOVICO regi glorioso HINCMARUS episcopus ac plebis Dei famulus.

CAP. I. Episcopi qui apud martyrium sanctæ Macræ in nomine Christi convenimus, non pro ulla indebita voluntate, sed pro sanctæ Ecclesiæ ac vestro et regni vobis commissi honore ac salvamento, sicut
B scripta demonstrant, quæ vobis per consacerdotes nostros transmisimus, relecta præsumptione cleri et plebis Ecclesiæ Belvacensis, qui personam regulis sacris incongruam, cum decreto singulorum manibus roborato, nobis præsentaverunt in synodo, veluti jam fuit actum, quando Fromoldum quemdam elegerunt, et rejecto illo propter insipientiam et improbitatem, Odo ex vicina parochia ibidem cum decreto canonico fuit electus, relectis coram omnibus qui adfuerunt sacris canonibus, secundum easdem sacras leges constituimus designatos ex nomine dilectos fratres et venerabiles coepiscopos nostros, per quos vestræ dominationi litteras direximus, in quibus inter cætera hæc continentur : « Ut sicut sacræ leges et regulæ præcipiunt, archiepiscopis et episcopis collimitanearum diœceseon electionem concedere
C dignemini, ut undecunque, secundum formam regularem electionis, episcopi talem eligant, qui et sanctæ Ecclesiæ utilis, et regno proficuus, et vobis fidelis ac devotus cooperator existat : et consentientibus clero et plebe eum vobis adducant, ut secundum ministerium vestrum res et facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum et tuendum vobis Dominus commendavit, suæ dispositioni committatis, et cum consensu ac litteris vestris eum ad metropolitanum episcopum ac coepiscopos ipsius diœceseos, qui eum ordinare debent, transmittatis, et sic sine scandali macula ad sanctum sacerdotium provehatur. » Et reliqua quæ inde ibi sequuntur.

CAP. II. In quibus verbis nulla indebita cujuscunque voluntas, nihil contra Domini voluntatem, nihil
D contra vestrum honorem, nihil contra regni vobis commissi resonat salvamentum : sed ordinis plenitudo, qualiter electus vitæ merito et sapientiæ doctrina a metropolitano et provinciæ coepiscopis debeat juxta Nicænum sanctum et magnum concilium regulariter ordinari, ubi inter alia scriptum est (*can.* 6); « Illud, inquit, generaliter clarum est quod si quis præter sententiam metropolitani fuerit factus episcopus, hunc magna synodus diffinivit episcopum esse non posse : firmitas autem eorum quæ geruntur per unamquamque provinciam metropolitano tribuatur episcopo. » Et de hac mystica Nicæna synodo sedes apostolica contestatur (Leo,

ep. 56, *ad Anatol.*) : « Quia tanto divinitus privilegio est consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures episcopos, ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum quidquid ab illius fuerit constitutione diversum. » Debetis igitur incunctanter advertere, sicut sanctus papa Leo ad Leonem Augustum scripsit (*epist.* 81), regiam potestatem vobis non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quæ bene sunt statuta defendatis, et veram pacem his quæ sunt turbata restituatis. Quod et optare et quærere atque servare debetis, sicut antecessores vestri imperatores et reges fecerunt. Et non debetis inflexibilem Dei voluntatem, qui si mutat sententiam, non mutat consilium, ad humanam et fragilem voluntatem vestram velle inflectere, quod fieri non potest, sed vestram voluntatem Dei voluntati subdere, sicut Christus nobis et omnibus Christianis, ex humanitate sua loquens, sequendum dedit exemplum, dicens : *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui misit me Patris* (*Joan.* v, 30, *et* vi, 38); Et : *Fiat non sicut ego volo, sed sicut tu vis, Pater* (*Matth.* xxvi, 39). Si enim a divina voluntate humana voluntas vestra perseveranter, quod non permittat Dominus, discordaverit, respondenda sunt ministerio episcopali apostolorum verba : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* v, 29); et : *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui* (*Act.* iv, 19).

Cap. III. Nam si quod a quibusdam dicitur, ut audivi, quando petitam apud vos electionem concediditis, illum debent episcopi et clerus ac plebs eligere, quem vos vultis, et quem jubetis (quæ non est divinæ legis electio, sed humanæ potestatis extorsio), si ita est, ut dici a quibusdam audivi, ille malignus spiritus, qui per serpentem primos parentes nostros in paradiso decepit et inde illos ejecit, per tales adulatores in aures vestras hæc sibilat; quia hoc in Scripturis tam Veteris quam Novi Testamenti non continetur, neque in catholicorum dictis, vel sacris canonibus, nec etiam in legibus a Christianis imperatoribus et regibus promulgatis hoc scriptum vel decretum invenitur, sed talia dicta infernus evomuit. Christus enim per Apostolum loquens, talem jubet eligere : *Qui potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt revincere* (*Tit.* i, 9). Et si quis contra hoc loquitur, iniquitatem contra Dominum loquitur, et inter blasphemos a sancto Spiritu computatur. Sic enim atavus vester Carolus et abavus Ludovicus imperatores intellexerunt, et ideo in primo libro Capitulorum suorum promulgaverunt scribentes (cap. 84, *de episcopis eligendis*) : « Sacrorum, inquiunt, canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini ecclesiastico præbemus, ut scilicet episcopi per electionem cleri et populi, secundum statuta canonum, de propria diœcesi, remota personarum A et munerum acceptione, ob vitæ meritum et sapientiæ donum eligantur, ut exemplo et verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant. » Notandum est sane quod dicitur : « Secundum statuta canonum eligantur, » ut exemplo et verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant. Et sacri canones dicunt (Cœlestinus, *Decret.* 18) : « Primum enim illi (quin clerici uniuscujusque Ecclesiæ) reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis merito præferantur. » Et item : « Ut episcopi judicio metropolitanorum et eorum episcoporum qui circumcirca sunt, provehantur ad ecclesiasticam potestatem : hi videlicet qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei quam rectæ conversationis exemplo. » Attendendum est igitur qualiter hoc imperiale capitulum sacris B regulis et antiquorum imperatorum legibus congruat, ostendens quoniam, sicut et leges et regulæ dicunt, in electione episcopi assensio regis sit, non electio, in episcoporum vero exsecutione sit electio, sicut et ordinatio.

Cap. IV. Sunt qui dicunt, ut audivi, quia res ecclesiasticæ episcoporum in vestra sint potestate, ut cuicunque volueritis eas donetis. Quod si ita est, ille malignus spiritus, qui, ut superius præmissum est, primos parentes nostros perdidit, perditionem vestram in aures vestras susurrat. Sanctus namque Spiritus per eos qui cum Christo in cœlo regnant, et in terris miraculis coruscant dixit, et usque ad nos scriptis pervenire fecit dicens : « Res et facultates ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, et vota sunt fidelium, ac pretia pecca- C torum, atque patrimonia pauperum : si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ et Saphiræ, et oportet hujusmodi tradere Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini. » Quod præfati gloriosi imperatores Carolus et Ludovicus in primo libro Capitulorum suorum ita inseruerunt dicentes (*cap.* 83) : « Quia juxta sanctorum Patrum traditionem, novimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum, cuique non solum habita conservare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus. Tamen ut ab ecclesiasticis de non dividendis rebus Ecclesiæ suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus ut neque nostris, neque filiorum, et, Deo dispensante, successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel pro- D genitorum nostrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus divisionem aut jacturam patiatur. » Quod et vos servare oportet, si feliciter vultis regnare, qui minoris potestatis et ætatis atque sapientiæ adhuc estis, quam et illi fuerunt, qui hæc et servaverunt et servanda promulgaverunt.

Cap. V. Recordamini, quæso, professionis vestræ, quam in die consecrationis vestræ promisistis, sicut ab illis qui interfuerunt accepimus, quamque manu propria subscripsistis, et super altare coram episcopis omnibus qui adfuerunt Domino obtulistis : et diligenter relegi eam facite coram vobis et fide-

libus vestris, quorum consilio et auxilio sanctam Ecclesiam et regnum vobis commissum gubernare debetis, et si aliquid per ignorantiam, vel aliorum suggestionem, ab ea exorbitastis, nolite negligere inde Domino satisfacere. Et quod in epistola mihi directa et in synodo relecta scripsistis, sicut vobis expedit attendite. Sic enim ibi est scriptum : « Jungamur simul, ut ego rex, et vos sacerdos Dei, ministerium condigne tam in divinis quam in humanis adimplere valeamus officiis. » Quatenus devotione et operatione ostendatis, quia Christus, a quo legitimus omnis episcopatus cepit exordium, et omnis principatus accepit provectum, auctor sit vestri regiminis, et protector fiat vestræ sublimitatis. Per quem vos obsecro episcopali ministerio, talia vestro tempore in sanctam Ecclesiam introducere non tentetis, qualia magni imperatores et antecessores vestri suis temporibus introducere non præsumpserunt. Et quoniam sine sancto Spiritu ministerium episcopale non agitur, non sit vobis leve in episcopis contristare Spiritum sanctum, cum Dominus terribiliter comminans dicat : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asimaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris (Matth.* XVIII, 6). Et Apostolus : *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei (Ephes.* IV, 30). Et item idem Apostolus dicit : *Per fidem habitare Christum in cordibus nostris* (*Ephes.* III, 17), qui jam sedens ad dexteram Patris de cœlo Saulo intonuit dicens : *Saule, Saule, quid me persequeris ? (Act.* IX, 4.) Demonstrans quoniam in membris suis Christus persequitur et scandalizatur, et in membris suis suscipitur, velut se dicturum electis in judicio pollicetur : *Quandiu uni de minoribus meis fecistis, mihi fecistis (Matth.* XXV, 40). Et sanctus Spiritus in eis in quibus habitat contristatur, sicut ex Apostoli verbis supra ostendimus. Et quia jam tempus transiit, ultra quod sacri canones Spiritu Dei conditi et totius mundi reverentia consecrati decernunt ut ordinationes episcoporum non differantur, sicut synodus apud martyrium sanctæ Macræ secundum leges et regulas diffinivit, electionem episcoporum, qui designati ad hoc negotium exsequendum una cum consensu vestro fuerunt in synodo, sicut in epistola vobis directa ab eadem synodo scriptum habetur, dominatio vestra consentiat, et non differatis accelerare, ut vobis suggessimus, quatenus ipsa ecclesia diu contra sancti Spiritus promulgationem non vacet pastore, et vos, quod absit, non mediocre incurratis periculum. Quia enim sacri canones *(conc. Anth.*, can. 16) perfectum dicunt esse concilium, ubi cum suis suffraganeis interfuerit metropolitanus antistes, multo magis ratum teneri debet quod metropolitani cum episcopis diversarum provinciarum secundum sacras leges et regulas decreverunt. Sexcenti namque triginta et eo amplius episcopi, quorum nomina scripta sunt in cœlo, quorumque nomina habemus scripta in libris nostris, in Chalcedona civitate apud Martyrium sanctæ Euphemiæ in Christi nomine con-

A gregati, constituerunt (*can.* 25) ut ultra tres menses ordinationes episcoporum non differantur, cum decreto judicio, ut qui ausi fuerint, post diffinitionem magnæ et universalis hujus synodi, quidquam ex his quæ sunt prohibita perpetrare, decrevit sancta synodus a proprio hujusmodi gradu recedere. Et Dominus in Evangelio dicit : *Ubi fuerint congregati duo aut tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et : *Si duo ex vobis de omni re consenserint super terram, fiet.* Et : *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis* (*Matth.* XVIII, 18, 19, 20). Si ergo adesse dignabitur ubi duo vel tres fuerint, quanto magis ubi tanti ex sanctis Patribus congregati hæc irrefragabiliter decrevere servanda ?

CAP. VI. De eo quod in litteris vestris, quas pridie
B Nonas transacti mensis Maii, deferente clerico nomine Teutberto relegi, voluntarie vos subjicere velle exiguitatis meæ consiliis, et secundum quod hortatus fuero, agere et disponere in ecclesiasticis et sæcularibus negotiis, et meæ fiduciæ vosmetipsos subjicere velle, et secundum datum a me consilium regni vestri jura componere : vestræ dominationi rescribo, ut Domini voluntatem vestræ voluntati præponere in omnibus studeatis, cujus voluntatem per sanctas Scripturas, et per eos qui jam in cœlo cum illo regnant, et in terris miraculis coruscant, et per sacras leges a Christianis imperatoribus et regibus promulgatas, sicut ipse dicit : *Per me reges regnant, et conditores legum juxta decernunt (Prov.* VIII, 15), potestis cognoscere : sed et per scripta a nobis ex synodo apud martyrium sanctæ Macræ habita, et
C per consacerdotes nostros vobis directa, potestis agnoscere. Sed satis doleo, et multum timeo, quia, ut cum venia vestra dicam, quantum in hac causa de qua agitur paret, plus intenditis sequi propriam voluntatem quam divinam auctoritatem, et eorum qui se importune ingerunt cupiditatem quam sanctæ Ecclesiæ utilitatem ; et eorum de quibus dicit Apostolus, *quoniam nesciunt quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* (*I Tim.* I, 7), adulationis favorem quam vestram ipsam salutem. Quod scripsistis, vota omnium qui commorantur in Belvacensi Ecclesia, in Odacrum concordare, non est mirum si stulti et improbi ac cupiditate cæcati toties taliter agunt, non correcti de rejectione pravæ suæ electionis in Fromoldum, et reprobato Rodulfo, et a se
D electo Honorato sacro episcopali ordini adhuc fidei doctrina incongruo, perdiderunt electionem, sicut ostensum est illis in synodo, et per sacras regulas non ulterius illorum, sed episcoporum esse electionem, quam non præire sed subsequi, et non se ab ea debere excidere, et nunc contra regulas et leges sine visitatore præsumpserunt electionem. Unde referendum est eidem plebi illud propheticum : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, nescis erubescere.* (*Jer.* III, 3). Et Jacobus apostolus tam tales clericos quam plebeios redarguit dicens : *Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Deo?* (*Jac.* IV, 4). Adulteros enim recte nuncupat, quos

derelicto amore sapientiæ cœlestis, quæ dicit : *Leges meas custodite* (*Levit.* XVIII *et* XX), ad amplexum potius amicitiæ mundialis esse deflexos increpat. Quapropter potius merentur excommunicatione corrigi, quam corrupti in voluntatibus suis audiri. Sed forte non est ita ut vobis est dictum. Dominationi autem vestræ ostendo quod scriptum est, Spiritu sancto dictante, in Decretis apostolicæ sedis : Quod si et omnes sacerdotes, et mundus erroris assentiat, damnatio consentientes involvit, non prævaricationis damnationem consensus absolvit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cum generale fit ex privato. Hoc enim Deus indicavit, qui mundum peccantem generali diluvio interemit.

CAP. VII. Quod scripsistis, ut sicut semper regibus prædecessoribus vestris in omni utilitate regni proficuus et devotus fui, ita vobis fidelis et devotus existam. Quod et hactenus observavi et observare cupio. Vos autem sanctæ Ecclesiæ, et ejus rectoribus, atque mihi servate quod illi conservaverunt ; et pro devotionis fidelitate, quam vobis cum cæteris fidelibus vestris in electione vestra, non sine magno labore, ad provectionem regiminis, quo jam nomine, det Dominus etiam virtute potiti estis, nolite retribuere mihi mala pro bonis, suadentes, non tamen auxiliante Domino, persuadentes, ut in senecta mea declinem a sacris regulis, quod nec pro cupiditate, nec pro amore vel timore hactenus feci, ut a gradu episcopali, quo per triginta et sex annos gratia Dei usque modo functus fui, merito decidam. Non enim excidit mihi a mente sententia Salvatoris, qua dicitur : *Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et animæ suæ detrimentum faciat ? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua ?* (*Luc.* IX, 15 ; *Matth.* XVI, 25.) Et sacri canones Spiritu sancto decreti (*concil. Carth.* II, can. 13) : « Si quis, inquiunt, contra suam professionem vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit. » Et si vobis consensero, ut contra divinas et humanas leges, et contra vestram et meam, coram pluribus in synodo episcopis cohibentibus, professionem faciatis, me perdam, et vos non salvabo, dicente Apostolo : *Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte* (*Rom.* I, 32). Et sicut in ecclesiasticis et in mundanis legibus scriptum habetur : Prava facientes atque consentientes par judiciorum pœna constringit : nec expers facinoris æstimatur, qui licet ipse non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fædusque receperit.

CAP. VIII. Quod scripsistis, ut per meam voluntatem et ministerium Belvacensis Ecclesiæ episcopatum dilecto filio meo et fideli vestro Odacro tribuere valeatis, si vestræ dominationi de illo est cura, hoc nullatenus faciatis, ne forte si feceritis, et ipse episcopium illud, et pastore vacantem Ecclesiam, contra sacras Ecclesiæ regulas invadere præsumpserit, sacris legibus et regulis exigentibus, quod non opto, contingat ut ulterius, nec in vita mea, nec post mortem corporis mei, in diœcesi Rhemensi in gradu ecclesiastico valeat ministrare.

CAP. IX. De eo quod scripsistis, quia si vestræ voluntati, ecclesiasticis videlicet regulis contrariæ, obsecutus fuero, eos quos mihi chariores et familiariores cognoveritis, honorare in omnibus curabitis, tantummodo ut in hac petitione vestra vobis consentiam, non meis, sed sacrorum canonum verbis respondeo, quia secundum eosdem sacros canones, pro indigentibus, et mihi conjunctis, et pro aliis, sicut præcipiunt, ad salutis vestræ augmentum et potestatis honorem, regiam potestatem vestram petitionibus adire curabo, quandiu Dominus me in corpore morari præceperit. Verum, sicut sanctus Innocentius papa dicit : Sollicitos vos pro salute libenter audio ; contra caput autem non libenter admitto. Et sanctus Gregorius exponens (*hom.* 37, *in Evang.*) sententiam Evangelii : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 26), dicit : « Quoniam quisquis jam æterna concupiscit, in ea quam aggreditur causa Dei, extra patrem, extra matrem, extra uxorem, extra filios, extra cognatos, extra semetipsum fieri debet, ut eo verius cognoscat Deum, quo in ejus causa neminem recognoscit. » Unde in hoc episcopali ministerio carnalem propinquum, nec amicum videlicet animi familiarem, carnali affectu recognosco, sed sententiam Domini attendo, qui dicit : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, hic fur est et latro* (*Joan.* X, 1). Et ideo neminem eligo, neminem recognosco, neminem recipio, nisi qui vita et moribus, et scientiæ catholicæ doctrina, per claves Ecclesiæ ad hoc episcopale ministerium accedit, et sciat et faciat quod sacrum ministerium postulat. Et quoniam *non est Deus personarum acceptor, sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi* (*Act.* X, 34), in hac causa nullius personam accipio, sicut sanctus propheta virum justum describens dicit : *Qui excutit manus suas ab omni munere* (*Isa.* XXXIII, 15). Neque enim dixit tantum a munere, sed addidit *ab omni*, id est a munere manus, a munere linguæ, a munere obsequii, sicut jam vobis scripsi, si mente voluissetis recondere.

CAP. X. Vestram denique charam mihi dominationem solerter atque attente ante mentis oculos oportet habere, quod, sicut jam vobis scripsi, qui contra sacros canones ordinantur, et ordinatores et ordinati hæretici sunt, sicut sanctus Gregorius et cæteri catholici Ecclesiæ sanctæ doctores atque rectores multoties in libris suis ostendunt. Quam hæresim sanctus Petrus primum in Simonem Magum æterno anathemate condemnavit (*Act.* VIII). Sed et hujusmodi non ordinationis, sed exordinationis mediatores, præfatum magnum et sanctum Chalcedonense concilium (*can.* 2), si clerici sunt, proprio gradu privari, si vero laici aut monachi fuerint, sine ulla exceptione

aut respectu alicujus personæ, anathematizari præcipit. Propterea hortor dominationem vestram ut a tali mediatione vel interventione vos caveatis. Ne vero pro alicujus temporali placiditate æternum periculum incurratis, sed et dilectus filius meus, fidelis vester, pro quo satagitis, non obliviscatur quod jam in epistola vobis directa, capellanis vestris me inter alia scripsisse recordor, canonicam decretam sententiam, qua dicitur : Sicut is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus, sic qui ultro ambit, vel qui importune se ingerit, est procul dubio repellendus. Quæ itaque præmissa sunt, non mea, neque a me excogitata sunt verba, sed a Christo, et per apostolos, ac ejus sanctos, Spiritu sancto prolata. Propterea illi qui audire ea non sufferunt, vel obaudire contemnunt, timeant Dominum dicentem, quæ nuper quinto decimo die ancte sanctum Pascha legi omnes in ecclesia audivimus : *Qui est ex Deo verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (*Joan.* VIII, 47). Unde sanctus Gregorius (*hom.* 18, *in Evang* : Si enim ipse verba Dei audit qui ex Deo est, et audire verba ejus non potest quisquis ex illo non est, interroget se unusquisque si verba Dei in aure cordis percipit, et intelliget unde sit. Et sanctus Paulus apostolus, per quem ipse locutus est Christus : *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum*: *magis autem et redarguite (Ephes.* V, 11). Et item idem Apostolus. *Si quis non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum illo, ut confundatur* (*II Thess.* III, 14.) Unde sacri canones excommunicatis communicantes excommunicatos esse decreverunt. Hæc de cælo Christus, et sancti ejus apostoli, atque sancti ipsius cum eo jam in cœlo regnantes intonant : et nos, licet peccatores in terra episcopi, et Christi vicarii, atque apostolorum successores in terra, ejus virtute et ministerio divino prosequimur, imitari desiderantes quod de sancto viro cantamus, quia pro lege Dei sui certavit usque ad mortem : fundatus enim erat supra firmam petram. *Petra*, inquit Apostolus, *erat Christus* (*1 Cor.* X, 4). Conveniant ergo in pace Christi, sicut statutum secundum sacros canones fuit, in synodo episcopi et clerus ac plebs Belvacensis Ecclesiæ cum libero consensu vestro, sicut regium ministerium decet, et juxta legalem ac regularem formam electio exsequatur et ordinatio prosequatur.

EPISTOLA XX.

AD EUMDEM LUDOVICUM III REGEM.

De Odacro invasore Ecclesiæ Belvacensis.

(Apud eumdem.)

Domino LUDOVICO regi glorioso HINCMARUS episcopus ac plebis Dei famulus.

Ex litteris sigillo vestro subter signatis, quas mihi Warinus clericus Idibus præsentis Junii mensis ex vestra parte donavit, non statui ad singula vobis rescribere, quoniam de præcedentibus mandatis et litteris vestris jam sufficienter vobis rescripsi. Ve- A rumtamen quia et ex his a me vobis rescribi rogastis, quæ ita inter se dissentiunt, ut a principiis media, et a mediis ultima dissonent, sicut de quodam monstro antiquus poeta dicit :

> Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra,

fatigatus missis et litteris vestris, pro Belvacensi Ecclesia rescribere vobis ad quædam loca, Domino adjuvante, curabo, secundum proverbium, quod in antiquorum libris juvenis legeram : *Bos lassus fortius figit pedem.*

I. De eo quod in prioribus mihi datis litteris ad locum scriptum habetur : « Petitionem filii dilecti justam nullo modo oportet respuere patrem, » hoc exiguitas mea, sed et Dominus approbat dicens disci- B pulis suis : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan.* XVI, 23), Nomen enim Domini Jesus, id est *salvator* interpretatur, et illa petitio justa est, quæ ad veram salutem pertinet. Quam petitionem quoniam Dominus non respuit, nec quilibet Christianus debet respuere. Si autem contra veram salutem quilibet petierint, audient a Jacobo apostolo : *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis* (*Jac.* IV, 3).

II. De eo quod ibidem subsequitur : « Nostræ petitioni ac voluntati clementer faveatis, et desiderium nostrum ad præsens adimpleatis, » rescribo ut velitis et desideretis quod Dominus vult, cui Psalmista dicit : *Domine, ante te omne desiderium meum* (*Psal.* XXXVII, 10); securus voluntati vestræ favebo, et C quantum potero vestrum desiderium adimplere curabo. Vos autem attendite quod omni homini qui Domino placere vult, dicit Scriptura : *Post concupiscentias tuas*, scilicet improbabiles, *non eas, et a tua voluntate* carnali videlicet, *avertere (Eccli.* XVIII, 30) ; et : *Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis usque ad profundum inferni demergit* (*Prov.* XVI, 25).

III. De eo quod ibidem subsequitur ex Odacro, in præcedentibus litteris satis vobis respondi.

IV. De eo quod mox subsequitur, « Quia meus missus Altramnus monachus vobis retulit ex mea parte, nihil aliud me velle ex hoc agere, nisi illud quod vos et Hugo abbas et Theodoricus comes cæterique vestri fideles decernerent, » scio istud man- D datum ex me non processisse, nec ipse frater mihi talia se dixisse professus est. Remitto autem illum ad vos, ut coram fidelibus vestris, aut prefiteatur se ita dixisse, aut veraciter deneget talia vobis ex mea parte non ambasciasse. Unde puto ut sicut in nomine interprisum est, ita sit et in ambasciato. Nam iste frater noster a vobis ad me rediens ambasciavit mihi ex vestra parte, ut pedem meum basiaret et peteret ut ad opus Odacri honorarem vos de episcopio Belvacensis Ecclesiæ. Cui respondi, quoniam sicut melius et honorabilius atque salubrius scivi, vos inde honorare curavi, hortans ut sicut professi estis in die consecrationis vestræ in regimine regni

more prædecessorum vestrorum honoretis Deum, consentiendo ei, conservando sanctæ Ecclesiæ ac ipsius rectoribus leges ejus qui dixit : *Honorificantes me honorificabo* (*I Reg.* II, 30), velut in litteris scriptum habetur quas per eum vobis direxi. Dixit etiam mihi quid de voluntate Hugonis abbatis ex hoc dixeritis, et quam moderate ad interrogationem exinde vestram Theodoricus Comes responderit.

V. In eo quod in primordiis litterarum, quas post præmissas prædictus clericus mihi dedit, scriptum habetur : « Si vobis in ordinatione Odacri non consensero, pro certo scietis non me velle vestrum benigne tractare honorem, nec decus debitum et privilegia prædecessorum vestrorum vobis consentire velle, sed in omnibus vestræ reniti voluntati, » scriptor vester et sensu et litteratura mentitus est.

VII. De honore prædecessorum vestrorum imperatorum et regum, et qualiter privilegia sanctæ Ecclesiæ ac rectorum et ministrorum ipsius decreverunt et conservaverunt, in aliis litteris sufficienter vobis scribere studui : quæ si vobis non profuerint, nec plura proderunt.

VII. De eo quod ibidem subsequitur, « Qualiter contra similem vestrum honorem vestrum evindicaretis pro viribus, quanto magis oportet eum contemnere, me videlicet, qui vestræ ditioni commissus vestrum abjicere satago ne pollens prævaleat honorem, » qui vobis hoc scribere mihi qualicumque ministro Christi persuasit, non bene Dominum, neque Scripturas ejus cognovit. Sicut enim jam vobis ex Scripturis divinitus inspiratis innotuit, quo sunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, et regalis potestas : in quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem ; et pontifices reges consecrare non possunt ; et pontificibus dixit Deus; *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit*, id est contemnit et despicit, *me contemnit* (*Luc.* x,16); et : *Qui contemnunt me, erunt ignobiles* (*I Reg.* II, 30). Non ergo debueratis ita inverecunde qualicunque pontifici scribere, vestræ ditioni commissum, quia sicut dixit Dominus apostolis suis, quorum minimus sum merito, successor autem officio : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* xv, 19), ita et ego juxta modulum meum humili corde ac voce dicere possum : Non vos me elegistis in prælatione Ecclesiæ, sed ego cum collegis meis et cæteris Dei ac progenitorum vestrorum fidelibus, vos elegi ad regimem regni, sub conditione debitas leges servandi.

VIII. De eo quod ibidem subsequitur, « Ex hoc facto, id est quia Odacro Ecclesiam Belvacensem pastore vacantem commisistis (facientes contra regulas ecclesiasticas, contraque antiquorum et Christianorum regum leges, contraque prædecessorum ac progenitorum vestrorum promulgationes, sed et contra illorum consuetudinem), nihil amplius facietis præter quod factum habetis, donec fratri vestro et consanguineis vestris regibus illud mandetis, et eorum jussionibus vel imperio ac vestro, omnes convocentur archiepiscopi et episcopi ex eorum regnis et vestro, et sic ex hoc auctoritativa diffiniatur ratio vestri honoris dignitate plena, » vos videte ne pro hoc illicito facto canonicas sustineatis sententias, vel in hoc sæculo, vel in futuro. Nam nos ex hoc quod egimus non timemus coram archiepiscopis et episcopis reddere rationem, quia nos non habemus alias evangelicas vel apostolicas litteras, sed neque alios canones vel decreta sedis Romanæ pontificum, nec etiam alias sacras leges, quibus una cum sanctis canonibus catholica moderatur Ecclesia, quam illi. Nam cum illis jam, et etiam in domini papæ synodo, de sanctis Scripturis et sacris regulis ac legibus probabilem habuimus rationem.

IX. Quod mandastis, quia nihil aliud ex illo illicito facto facietis nisi quod factum habetis, si vos non facietis, faciet Dominus quando illi placuerit. Non vixit tot annos Ludovicus imperator quot pater suus Carolus ; non vixit tot annos Carolus avus vester quot annos pater suus vixit ; non vixit pater vester tot annos quot pater suus : et quando statis in illo statu ubi avus vester et pater vester steterunt apud Compendium, inclinate oculos ubi jacet pater vester, et si nescitis, interrogate ubi mortuus fuit et ubi jacet avus vester, et non exaltetur cor vestrum ante eum qui mortuus fuit pro vobis et pro nobis omnibus, et resurrexit a mortuis et jam non moritur : et certi estote quia moriemini nescitis qua die vel qua hora ; et ideo necesse est et vobis et nobis omuibus secundum advocationem Domini paratos esse, quia nescimus qua hora veniet nobis finis : et ideo non exaltetur cor vestrum contra eum, in cujus manu vita diesque nostri consistunt. Vos cito deficietis, et sancta Ecclesia cum suis rectoribus sub Christo rectore secundum promissionem ejus permanebit *sicut luna perfecta in æternum* (*Psal.* LXXXVIII, 38).

X. De eo quod ibidem subsequitur : Insuper aliud exinde si necessitas fuerit quod rectum est faciemus, » ut intelligo, ad timorem mihi incutiendum, quatenus jussioni vestræ licet invitus obediam, scribere voluistis. Unde respondeo : *Dominus mihi, adjutor, non timebo quid faciat mihi homo* (*Psal.* CXVII 6). Et : *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* (*Psal.* XXVI, 1.) Et alia Scriptura dicit : *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur* (*Prov.* XVI, 33); et ipse Dominus ad præsidem ante quem stetit : *Non haberes*, inquit, *in me potestatem nisi tibi datum fuisset desuper* (*Joan.* XIX, 11) ; et summus quondam archangelus nec unam oviculam Job servi Dei rapere potuit, nisi Domino permittente. Sed utinam aut per vos, aut per quemcunque sibi placuerit, educat me Dominus de isto carcere, videlicet infirmo et senili corpore, ad eum quem sua gratia

largiente ex toto corde desidero videndum, non meis meritis, quæ nulla nisi mala sunt, sed sua indebita misericordia et gratuita gratia. Sed et de eo quod dixistie, « Quia insuper et aliud si necesse fuerit quod rectum est facietis, » amplector quod promittitis, quod rectum est erga me facietis. Igitur rectum est, ut Scriptura ostendit, ut *per quæ quis peccat, per hæc et torqueatur* (*Sap.* XI, 17). Nam quia contra plurimorum voluntates, et minas, atque suggestiones, in electione vestra consensi, opto et gaudeo, ut si inde peccavi, Domino permittente, hic per vos et non in futuro per Dominum talionem recipiam, sicut legimus de sancto Paschasio, qui per ignorantiam errans in cujusdam electione consensit.

XI. Et quoniam tantopere satagitis de ordinatione Odacri, mandate mihi tempus constitutum, quando episcopi Rhemorum diœceseos, sed et venerabiles episcopi ac dilecti fratres nostri, qui a synodo apud martyrium sanctæ Macræ habita ad vos cum litteris directi fuerunt, valeant convenire ad eumdem locum, et faciam me, vita et possibilitate comite, illuc obvium eis portari,] et veniat vester Odacrus cum electoribus suis sive palatinis, sive Ecclesiæ Belvacensis, et si vobis placet, etiam illuc venite, aut missi vestri, et Domino dicente : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, hic fur est et latro* (*Joan.* X, 1); et : *Qui intrat per ostium in ovile ovium, huic ostiarius aperit* (*ibid.*, 3). *Ego,* inquit, *sum ostium ; per me si quis introierit, salvabitur* (*ibid.*, 9). Et videte, aut per missos vestros audite, si vestro Odacro ostiarius aperiet ostium ovilis sui, et intret securus, ut audiant oves vocem ejus, et non sit mercenarius, sed pastor, et Ecclesia Belvacensis sub mercenario non gemat. Et notum sit nobis, sed et ipse Odacrus pro certo sciat, quia si ad nos non venerit, et in obstinatione suæ prævaricationis manere delegerit, dicente Apostolo, *Quia verbum Domini non est alligatum* (*II Tim.* II, 9) in sermone Domini, qui est *vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti* (*Hebr.* IV, 12), nos ad eum ibimus, ubicunque fuerit in Rhemensi provincia, et quod sacri canones de contemptore suo et Ecclesiæ contra leges et regulas invasore judicant, in illum quod ad nos pertinet exsequi procurabimus, ut nunquam vel nusquam in Rhemensi provincia in ecclesiastico gradu ministret, et omnes de cætero in hoc illi comunicantes, secundum sacros canones Spiritu Domini conditos, et Christi sanguine confirmatos, excommunicati usque ad Ecclesiæ satisfactionem erunt. Sed et qui contra auctoritatem ac rationem, contraque ipsam suam salutem, in hac causa vos stimulat, sicut dicit Apostolus, *portabit judicium quicunque est ille* (*Gal.* V, 10). Paulus apostolus necessitate compulsus, scripsit Corinthiis : *Factus sum insipiens, vos me coegistis* (*II Cor.* XII, 11); et ex quanto dolore vobis compellentibus hæc scripsi, ille videt cui gemitus meus non est absconditus. Et scitote certissime quia, Domino adjuvante, A nec quibuscunque vel quorumcunque terroribus vel blanditiis, ex hac causa unde agitur, a sacris legibus et regulis deviabo.

[a] Hanc epistolam scripsit Hincmarus noster.

EPISTOLA XXI

CONCILII TUSIACENSIS AD RERUM ECCLESIASTICARUM PERVASORES ET AD PAUPERUM PRÆDATORES [a].

Unde et quando ac qualiter acciderit ut res ecclesiasticæ Domino sint consecratæ et quantum sit periculum pauperes deprædori.

(Apud Labb., Conc. tom. VIII.)

Anno Incarnationis Dominicæ 860, indictione IX, XI Kalendas Novembres, sancta synodus congregata in villa Tasiaco Tullensis præciæ, episcoB porum XIV provinciarum, Lugdunensium videlicet, Rothomagensium, Turonensium, Senonum, Viennensium, Arelatensium, Vesontionum, Mogontinensium, Agrippinensium, Trevirorum, Rhemorum, Biturigensium, Burdigalensium, Narbonensium, omnibus Dei fidelibus et sanctæ Ecclesiæ filiis, ad quos hæc divinæ constitutionis notitia potuerit pervenire, pacem et salutem optat in Domino.

Deus omnipotens, summus et verus, unus ac solus, Pater scilicet, et Filius, qui est consubstantiale Verbum ejus, et utriusque Spiritus sanctus, utrique coæternus ac coæqualis, Trinitas inconfusa atque inseparabilis, qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inacessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest, nec locoC rum vel finito vel infinito spatio continetur, nec temporum vel finito vel infinito volumine variatur : neque enim est in ejus substantia, qua Deus est quod brevius sit in parte quam toto; qui sine initio est et permanet sine fine, incommutabili æternitate vivens; creavit omnia simul, ex quibus currerent tempora, et implerentur loca, temporalibusque et localibus rerum motibus sæcula volverentur. In quibus rebus quædam spiritalia, quædam corporalia, visibilia siquidem et invisibilia condidit : formans materiem, quam nec alius, nec nullus, sed omnino ipse informem ac formabilem instituit, ut formationem suam non tempore, sed origine præveniret; testante Scriptura : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII). Et : *In principio, fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I); D et omnia opera sua bona valde, quæ in cœlo sunt et quæ in terra. Duas quoque harum creaturarum suarum rationales creaturas, scilicet angelicam et humanam, imaginis et similitudinis suæ dote ditatas cum libero arbitrio condidit; ut sicut ipse non necessitate, sed natura est bonus et voluntarie, et ita ipsæ rationales creaturæ non constrictæ necessitate, sed bonæ essent, ut natura, ita et voluntarie. Quia si tales essent ut liberæ voluntatis arbitrio malum vitare et bonum non possent agere, lapidibus et cæteris rebus insensibilibus atque irrationabilibus potius quam Deo similes essent, et merito illius retributione carerent, nec esset unde pro

qualitate voluntatis et actionis remunerarentur a Deo. Qui ideo bonus est quia vult, non quia cogitur; quique bonum velle non ex accidenti, sed ut et bonus et omnipotens esset essentialiter habet. Cui, secundum quorumdam opinionem, sententiæ non repugnat quod dicit Apostolus: *Seipsum negare non potest* (*I Tim.* II). Porro nec peccare, nec mori potest. Et tamen non falso angelus et homo, qui potuere peccare, imaginis et similitudinis ejus dignitate donati leguntur. Quia aliud est similitudo et aliud signaculum similitudinis, et aliud imaginem esse et aliud ad imaginem factum esse. Solus quippe consubstantialis Filius essentialiter imago invisibilis et splendor et figura est substantiæ Dei Patris. Sic ad Omnipotentis hac vel magis omnipotentiam pertinet, quia aliud non potest quam bonum velle, et aliud quam bonus et omnipotens esse, et seipsum negare, peccare quoque, vel mori, mutari, falli, miser fieri, seu vinci non potest. Hæc atque hujusmodi absit ut possit Omnipotens. Sed quia non vult, non potest, quia et velle non potest. Non enim potest justitia velle facere quod injustum est, aut sapientia velle quod stultum est, aut veritas velle quod falsum est. Ac per hoc non solum ostendit veritas Omnipotentem non esse quod ista non possit, sed etiam cogit veritas omnipotentem non esse qui hæc possit. Volens enim est Deus quidquid est: æternus ergo, et incommutabilis, et verax, et beatus, et insuperabilis volens est. Si ergo potest esse quod non vult, omnipotens non est: est autem omnipotens, ergo quidquid vult potest: et ideo quod non vult esse non potest, qui propterea dicitur Omnipotens, quoniam quidquid vult potest. De quo et psalmus dicit: *In cœlo et in terra omnia quæcunque voluit fecit* (*Psal* CXXXIV). Nihil enim in cœlo vel in terra fit, nisi quod ipse aut propitius facit, aut fieri juste permittit. Qui vult omnes homines salvos fieri, et neminem vult perire. Sed justus Dominus justitiam diligens, et iniquitatem non volens, eis quos ad imaginem et similitudinem suam fecit, nec post primi hominis casum vult tollere violenter suæ voluntatis arbitrium liberum; quibus reddere paratus est meritum, ut Scriptura demonstrat: *Quis est*, inquiens, *homo qui vult vitam?* (*Psal* XXXIII.) Et ac si respondenti: Ego, Dominus dicit: *Diverte a malo, et fac bonum.* (*ibid.*) Et e regione volens salvari dicit: *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII). Et: *Ex voluntate mea confitebor illi* (*Psal.* XXVII). De quo scriptum est: *Quia non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia* (*Psal.* LXXXIII). Ut autem ambulantes ambulent et perseverent in innocentia, sanat et adjuvat eorum arbitrium gratia, attestante Apostolo: *Gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non autem ego, sed gratia Dei mecum* (*I Cor.* XV).

Quibus et aliis Scripturæ sententiis, quoniam post casum primi hominis inest homini ad bene volendum, et ad bonum incipiendum, et perficiendum atque in A bono perseverandum, liberum arbitrium, gratia liberatum, et gratia de corrupto sanatum, gratia præventum, adjutum et coronandum. A bono autem deficiens, et in malo proficiens homo, post casum primi hominis habet arbitrium liberum, scilicet justitiæ liberum, peccati servum: quo qui se elongant a Deo volente congregare filios nolentis Jerusalem, peribunt. Unde quia gratia Dei est, salvatur mundus; et quia inest liberum arbitrium homini, judicabitur mundus. Ex his namque rationalibus creaturis, angelica videlicet et humana, angelos ad se cognoscendum atque perpetuo collaudandum in cœlesti gloria collocavit. Unde pars quædam angelorum ex superbia debriata per liberum arbitrium cecidit, qui appellantur diaboli; et tales suo vitio sunt effecti, ut jam non velint nec possint meriti esse boni. B Sicut et illi qui per liberum arbitrium in voluntate Conditoris permanserunt, ipsius gratia et retributione justitiæ acceperunt in munere quod Creator, cujus signaculum similitudinis sunt, habet essentia ut non velint nec valeant esse mali. Hominem vero opifex Deus corpore de limo terræ formavit, cui animam de incomprehensibili nobis suæ virtutis opere, in moribus et æternitate ad imaginem et similitudinem suam conditam, in qua, interiore videlicet homine, per fidem in nobis habitat, insufflavit. In quo et si exterior homo noster corrumpitur, renovamur induentes novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate, et veritate. Et factum eumdem primum hominem in animam viventem, id est factam animam rationalem, factam C carnem vivificantem, atque in duabus et ex duabus, scilicet spiritus ac luti, substantiis in unitate personæ subsistentem, in paradiso deliciarum, quem plantaverat ab initio, posuit, ut operaretur eum, vel in eo, sicut et quæ ei præcepit, et custodiret ne illa admitteret quæ et sicut illi prohibuit. Cui ex latere fabricavit mulierem, dum in somno corporis obdormivit, unde et dixit: *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II); itaque jam non sunt duo, sed una caro, secundum præscientiam suam, qua novit omnia etiam antequam fiant, vero demonstrans indicio quoniam sine transfusione seminis viri ex femina ipse venturus esse in carnem, ad redimendum hominem, qui in carne condidit hominem. Et qui eum fabricavit ex pulvere, quo sine seminis D transfusione hominem fecit ex homine, homines quoque fabricetur ex semine. Quique corporis morte in cruce pro omnibus mortis debitoribus, solus inter mortuos liber a mortis debito dormiens, prædestinatus Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis, et prædestinatorum omnium caput, ac lumen, atque exemplum factus ex muliere, legisque lator qui legi nihil deberet, factus sub obedientia legis, ut eos qui sub lege peccati et mortis futuri erant, redimeret, ut adoptionem filiorum, quam in Adam perdituri eramus, reciperemus: de his qui in eum credere voluerint, sive adventum ejus in carne præcesserint, sive etiam forent sicuti (nam *per gra-*

tiam, inquit, *Domini Jesu salvari credimus, quemadmodum et illi* (*Act.* xv), ædificaturus erat Ecclesiam aperto lancea latere, de quo produxit aquam et sanguinem, quibus nunc lavacro rigatur et poculo. id est mundatur aqua baptismatis, et per fidem illi incorporatur potato sanguine redemptionis, justificata spiritu sanctificationis. *Hoc sacramentum magnum est in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* v) : quæ eodem Spiritu sancto ab immaculato divini fontis utero suos regenerat natos, quo et de illibata virgine Christus est natus. Idem namque primus homo, quia et Eva ipsa est Adam, conditus ut dominaretur creaturæ a Creatore factæ, et disponeret orbem terrarum in justitia et æquitate, et in directione cordis judicium judicaret, si in accepta lege vitæ et disciplinæ libero arbitrio permansisset; videlicet si in Conditoris voluntate perseverasset ut non peccaret; nec ipse moreretur, nec mortales, neque mortis ac gehennæ filios generaret. Sed merito hujus permansionis, et retributione justitiæ, sicut et sancti angeli acceperunt, accepisset in munere quod Creator, ad cujus imaginem et similitudinem conditus est, habet essentia, ut nec peccare velle nec jam cadere posset. Ipsi autem diabolo invidenti quia illuc erat homo terrenus per debitam obedientiam ascensurus, unde ipse cecidit per superbiam angelicus spiritus, et mendacia suadenti plus credens quam voluntati conditoris sui obediens, abusus arbitrio libero deseruit Deum, et desertus juste a Deo, peccavit ac cecidit; et per malum velle perdidit bonum posse, qui per posse bonum vincere potuit velle malum. Qua de re facta est massa perditionis totius humani generis. De qua si nullus ad salutem eriperetur, irreprehensibilis esset Dei justitia; quia vero multi salvantur, ineffabilis est Dei gratia, quia ab ipso mundi primordio, incipiens ab Abel justo, salutis humanæ præcones mundo in sua infirmitate languenti, et in peccatorum suorum tenebris tabescenti, donec ipse lux mundi adveniret, per patriarchas et legis doctores, atque prophetas ac justos, verbis et prodigiis prædicans, consolando præmisit. Tandem ipse, qui semper unum et ubique est cum Patre et Spiritu sancto essentia majestatis propter nos homines et propter nostram salutem, opere conceptus ejusdem Spiritus sancti, natus ex Maria virgine, id est ex virginea maternæ carnis substantia, in duabus et ex duabus naturis atque substantiis, divinitatis scilicet et humanitatis, verus per omnia Deus, et verus homo anima rationali et humana carne in unitate personæ subsistens, ad nos per præsentiam assumptæ veniens carnis, factis et dictis et aliud in se credentes sæculum invitavit, id est ad gloriam sempiternam, quam angeli sancti habent in cœlo, et ad quam obtinendam conditus fuerat primus homo. Et quoniam ad illam pervenire non possumus, nisi sicut nos docuit de quo scriptum est: *Quia sic oportuit pati Christum, et intrare in gloriam suam* (*Luc.* xxiv), dux et doctor hujus itineris, scilicet per labores ac dolores, quos in primo parente meruimus, promerentes regnum Dei, quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* viii); et in istius agonis scammate certantes, sine viatico non valemus subsistere.

Primitiva Ecclesia, id est fideles in exordio nascentis Ecclesiæ vendebant omnia quæ possidebant, et deferrebant possessionum suarum pretium ad pedes apostolorum, docentes non debere a rationali homine serviri, sed dominari divitiis, et uti eis in transitum, non eas amare pro æterna perventione. De quo pretio dividebatur singulis, prout cuique opus erat. Cum autem gratia Dei cœpit multiplicari credentium numerus, ad quorum sustentationem non sufficiebat pretii reditus, quoniam omnes ad hoc non dabant, neque valebant compelli, ut a conjugio et in totum a mundanis vacarent actibus, ne sæculum deperiret, donec omnes qui salvandi sunt, id est omnes prædestinati, veluti scriptum est filii Dei, qui erant dispersi, id est in massæ generaliter perditæ ex debito relictione conspersi, et ex ea, antequam mundus fieret, prædestinatione Dei, cui nihil præteritum transiit acciditque futurum, electi, scilicet gratia Dei congregentur in unum, in plenitudinem videlicet cœlestis ac sempiternæ Ecclesiæ, ad quam tanti ex hominibus salvatis et eidem sociandis sunt ascensuri unde diabolus cum suis sequacibus cecidit, quanti illic electi angeli remanserunt: ut unum ovile unius pastoris scilicet, et individuæ Trinitatis perpetua visione et perfecta cognitione, quæ est non solum hominum, sed et angelorum vita sine fine gaudeat, societate gloriosa repletum: constituit idem Dominus et magister salutis per sanctos suos, in quibus et cum quibus loquebatur, et per quos suam gubernabat, et usque hodie meritis et precibus gubernat Ecclesiam, ut credentes non jam ex asse possessiones et prædia venundarent, sed de ipsis possessionibus Domino consecrarent. Unde qui quasi specialiter eidem dominorum Domino adhærent, et ministri sermonis, et donorum æternæ salutis, atque mediatores inter Deum et homines ope fiunt assiduæ intercessionis, vivant; et in omnibus necessariis, sine quibus humana fragilitas non potest subsistere, eis in eleemosynas eorum, qui easdem possessiones Domino consecrarunt, ministretur: ut dum Christi pauperes atque ministri Ecclesiæ ex his in præsenti subsistunt sæculo, largitores possessionum de sua fideli eleemosyna, sicut et in baptismate, a malo funditus conversi et cum fide recta perseverantes in bonis operibus, mundentur a peccato et efficiantur Christo, cui eas devoverant, consortes in cœlo, sicut ipse dicit in Evangelio: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* xi); et item: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* xxv). Quapropter sicut illi qui seipsos ac divitias et possessiones suas Domino fideli mente consecraverunt, hæredes Dei et cohæredes Christi per prophetas et

apostolos, et ab ipso Domino appellantur et fiunt ita et tales possessiones atque facultates, Domino in suis ecclesiis et in specialibus servorum ipsius usibus consecratæ, propter fideles Christi, qui eis et exinde aluntur, Dei hæreditas, cum orbis terrarum et plenitudo ejus ipsius sit, quasi specialiter appellantur. Sicut enim, quando omnis domus Israel Domini hæreditas vocabatur, tribus tamen Levi, quasi decimatio adhuc etiam in lumbis Abrahæ a Deo electa, cum decimis et primitiis, urbibus et suburbiis, villabus atque possessionibus et facultatibus cunctis, specialis Domini hæreditas, pars, vel assumptio dicebatur : ita et isti, qui cleros, id est sors vel pars Domini appellantur, cum omnibus ecclesiis, id est divinis ovilibus ad se pertinentibus, specialis Christi hæreditas dicitur et existit, cum omnes credentes ac credituri, tam ex circumcisione quam qui ex præputio, Christi hæreditas appellentur, dicente Propheta : *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam* (*Psal.* LXXVIII); et : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, ei possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II). De quibus quicunque indebite quodam abutitur, sine ulla dubitatione illa maledictione multatur, et ipsa tenetur obnoxius, quam et cœlestis et omnis terrena continue Domino decantat Ecclesia : *Qui dixerunt,* inquiens, *hæreditate possideamus sanctuarium Dei. Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia, ut quærant nomen tuum, Domine. Erubescant et conturbentur in sæculum sæculi, et confundantur et pereant et cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra* (*Psal.* LXXXII). Sanctus quoque Anacletus papa, ab ipso beato Petro apostolo presbyter ordinatus, postea in sede Romana successor illius factus episcopus, cum totius mundi sacerdotibus judicavit : « Qui abstulerit, inquiens, aliquid patri vel matri, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit ; mater vero nostra Ecclesia, quæ in baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias et Ecclesiæ rapit, aufert vel fraudatur, homicida est, atque ut homicida ante conspectum justi judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui iniquitatem operatur; qui autem res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit et ut sacrilegus judicandus est. » Item, sanctus Urbanus papa et martyr : « Res et facultates ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, et vota sunt fidelium et pretia peccatorum atque patrimonia pauperum. Si quis ia rapuerit, reus est damnationis Ananiæ et Saphiræ, et oportet *hujusmodi tradere Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini* (*I Cor.* V). » Item, sanctus Lucius papa : « Rerum ecclesiasticarum et facultatum raptores, a liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizatos apostolica auctoritate pellimus et damnamus, atque sacrilegos esse judicamus, et non solum eos, sed et omnes consentientes eis, quia non solum qui faciunt rei judicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna et agentes et consentientes comprehendit. A qua pœna consensus liberi esse non possunt illi quorum ministerium est, ei qui talia possunt prohibere, comprimere et emendare, et ea non student corrigere. » Et sanctus Gregorius in epistola ad Sabinum subdiaconum : « Sacrilegium, inquit, et contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis suis tentaverit compendiis retinere. » Et sanctus Augustinus in sermone Evangelii sancti Joannis dicit : Fur sacrilegus loculorum sacrorum et Dominicorum est Judas ; et qui aliquid de Ecclesia furatur et rapit, Judæ perdito comparatur. » Et item in sacris canonibus a sancto Spiritu dictatis, et Christi sanctione confirmatis, scriptum est (*concil. Tolet.* I, *can.* 11) : « Si quis de potentibus clericum aut quemlibet pauperum aut religiosum exspoliaverit, et mandaverit ad ipsum episcopus ut eum audiat ; si contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ episcopos, et quoscunque adire potuerit, ut excommunicatus habeatur, donec audiat et reddat aliena. » Et item scriptum est (*concil. Agath.* can. 4) : « Clerici etiam, vel sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas, retinere præsumpserint, aut id quod ipsi donaverunt ecclesiis vel monasteriis crediderint auferendum, sicut synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab ecclesiis excludantur. »

Unde summopere caveant potentiores quique, unusquisque in ordine et dignitate sua, ne præsumant in damnationem suam res sibi ecclesiasticas, neque fatigent, vel affligant inconsuetis consuetudinibus Dei ecclesias, et loca sanctorum : scientes quia ut præmisimus, res ecclesiasticæ vota sunt fidelium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum ; et in tuitione atque defensione Christi consistunt, qui eas terræ principibus atque primoribus ad defendendum et conservandum, non ad affligendum vel usurpandum, sive præsumendum, commisit. Nam, quæcunque prætendatur a quocunque utilitatis, sive necessitatis occasio, ille corda omnium conspicit, qui novit cogitationes hominum, et remunerat actiones et etiam cogitationes irremuneratas nullatenus derelinquet. Quocirca omnis qui vult salvus fieri, et ab æterna morte liberari, et ad æternam vitam pervenire, attentissima cordis aure exaudiat quid Spiritus sanctus per eos locutus est, quibus dixit Dominus : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII) ; et : *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth* X) ; et : *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo ; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo* (*Matth.* XVIII) : et : *Accipite Spiritum sanctum : quorum*

remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* xx) ; et : *Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x).

Dicunt enim illi qui in cœlo et in terra miraculis coruscant, qui et usque hodie nobiscum vivunt et cum successoribus nostris usque in perpetuum vivent, quoniam apud Dominum est merces eorum :

« Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam episcopi, vel ejus cui hujusmodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit (*concil. Gangr.*, can. 7). » Anathema autem interpretatur in Romana lingua *alienatio ;* quia omnis talia faciens, quandiu in illis peccatis manet, licet nos episcopi, qui in apostolis et cum apostolis, non nostro merito, sed gratia divina, ligandi et solvendi potestatem accepimus, interdum tardi, interdum divini sensus ignari, interdum quæ committantur nescientes, aliquando etiam commissa, ut expedit, corrigere non valentes, quæ statuta sunt exsequi dissimulemus vel etiam negligamus, ut talem hominem ab Ecclesia et fidelium societate excommunicantes non segregemus : jam tamen a sacris canonibus excommunicatus et prædamnatus est, donec peccatum illud deserat, et per satisfactionem ecclesiasticam et sacerdotalem reconciliationem Domini gratiam et fidelium societatem recipiat. Et quicunque in peccatis suis et talibus sceleribus implicatus, ante satisfactionem necessariam vitam istam finierit, communionem et societatem cum electis in regno Dei habere nullatenus poterit; nec de inferni pœnis et dæmonum societate unquam liberari valebit. Sed sunt forte tales qui privilegia de locis et rebus Deo dicatis, sanctorum manibus confirmata, parvipendentes sibi, quia volunt, non quia possunt, excommunicationes usurpatoribus rerum et facultatum ecclesiasticarum a sanctis Domini intentatas alleviant dicentes se pro hoc illata damnatione, id est anathematis vinculo, non teneri. De quibus sanctus Gregorius in epistola ad Theoctistam patriciam dicit : « Ipsi, inquiens, sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere ; ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia per omnia despiciendi et anathematizandi sunt ; et unde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur. » Si qui sunt igitur qui sub nomine Christiano hæc aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere, eos et ego, et omnes catholici episcopi, atque universa Ecclesia, anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt et contraria loquuntur.

Rapinæ quoque et deprædationes quæ in istis regnis jam ex consuetudine sic ab omnibus pene tenentur, quasi peccata non sint, aut quasi levia peccata sint, sanctus Paulus apostolus, per quem locutus est Christus, et qui antequam mortis debitum solveret, ad tertium cœlum et paradisum fuit raptus, ubi- A studuit secreta Domini verba, inter mortalia crimina ea posuit dicens : *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt ? Nolite errare : Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* vi) ; et iterum dicit : *Si quis fornicator est, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere* (*I Cor.* v); id est cum tali non homine, sed cum tali diabolo, non licet Christi discipulo, id est Christiano homini, ante satisfactionem, id est correctionem atque emendationem, et dignam pœnitentiam, cibum sumere. Sanctus quoque Joannes apostolus electus et di- B lectus Christi, qui in cœna supra pectus ejus recubuit, talem hominem etiam salutare vetat : *Nec ave ei,* inquiens, *dixeris, neque in domum eum receperis. Qui enim dicit ei, Ave, communicat operibus ejus malignis* (*II Joan.* x). Et item sanctus Paulus dicit unicuique Christiano : *Nec communicaveris peccatis alienis* (*I Tim.* v).Et dominus, quando venturus est judicare vivos et mortuos, et in adventum ejus omnes homines resurgent cum corporibus suis, et reddent de factis propriis rationem, se in judicio dicturum promittit in Evangelio his qui peccata sua eleemosynis redimere cum possent noluerunt : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv). Unde cogitandum est raptoribus, quo ibunt illi qui aliena rapiunt, si in infernum ibunt qui eleemosynas non fecerunt. Et C item Dominus per Isaiam prophetam dicit raptoribus : *Rapina pauperis in domo vestra* (*Isa.* iii); et : *Lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt ; et exclamatio ejus super deducentem eas ; maxilla in cœlum coram Deo ascendunt, et Dominus non delectabitur in illis* (*Eccli.* xxxv), scilicet viduæ lacrymis, qui pater orphanorum et defensor viduarum queritur contra judices dicens : *Causa viduæ non ingreditur ad eos* (*Isa.* i) Quapropter sciant raptores, in cujus domo sive corporis, sive mansionis, rapina est pauperis, quia non habitat in illa domo Spiritus sanctus, sed spiritus malignus. Et si accedit ad communionem corporis et sanguinis Christi ante dignam satisfactionem, non mundatur per illam communionem a peccato, sed plenius possidetur a diabolo : sicut D Judas, quando in cœnam Dominicam plenus rapina et iniquitate, et avaritia atque cupiditate, communicare præsumpsit de manu Domini Salvatoris. Et forte tales erunt, cum hæc audierint, qui dicant : Non communicabimus. Sed sciant, quia sicut Dominus dixit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* iii), ita dixit : *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* vi); et sicut dixit : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* xvi) ; ita etiam dixit : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo; et ego resuscitabo*

eum in novissimo die, et non morietur in æternum (*Joan.* VI). Propterea nullum aliud restat salutis refugium, nisi ut declinet quisquis vult salvus fieri ab istis malis et ab aliis mortalibus criminibus, et per pœnitentiam reconcilietur Deo, et communicet vivificis mysteriis, ut vivere valeat in æternum. Nihil enim prodest ulli homini si Christianus vocatur, si opera Christi, quæ præcepit ipse Christus, non fecerit : imo etiam magis ad suum judicium Christianus vocatur, qui sub nomine Christi idola colit diaboli. Ipsa enim Veritas, quæ Deus est, protestatur, quia qui servit mammonæ (sic enim dæmon divitiarum præpositus appellatur) diabolo servit, vel idola colit diaboli : qui servit luxuriæ, voluntati carnis pro Deo servit; unde scriptum est : *Gloria eorum in confusione est* (*Philip.* III), id est in genitalibus membris, quæ vulgo verecunda appellantur. Deum quippe Scriptura gloriam appellavit, quæ dicit de Judæis : *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum* (*Psal.* CV.) Sed et de eis qui gloriantur quando sua libidine castitatem expugnant, et aliorum toros maculant, hæc quæ supra idem dicit Apostolus : *Gloria in pudendis eorum qui terrena sapiunt* (*Philip.* III ;) et alibi Scriptura: *Lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis* (*Prov.* II). Contra quod præcipit ut *qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I). Qui servit avaritiæ, idola colit, sicut Paulus dicit : *Et avaritiam quæ est idolorum servitus* (*Coloss.* III). Qui servit gulæ et ebrietati, ventrem pro Deo colit; unde item dicit : *Quorum Deus venter est* (*Philip.* III). Quæ ita non utique ad dignitatem dominantium, sed ab infelicitate famulantium, sic appellat Apostolus. Qui fratrem, id est Christianum hominem, injuste per potentiam opprimit; aut pro acceptione munerum justitiam facit, diabolum imitatur, et justitiam vendit, quæ Christus est, sicque similis Judæ est. Qui veritatem pervertit pro invidia, aut veritatem reticet, aut dicit pro muneribus, diabolum imitatur, et Judæ similis est. Et sic de cæteris vitiis intelligendum est. Et cui vitio quisque servit, illi diabolo subjectus est qui eidem vitio præpositus est, et cum eo sine fine torquebitur, nisi digne antea pœnituerit. Et ne principes terræ, vel quilibet Christiani, dicant : Episcopis, presbyteris et monachis strictiora præcepta dedit Deus ; nos qui homines laici et sæculares sumus, hæc omnia attendere non valemus, audiant quid Dominus in Evangelio dicat : *Qui est ex Deo, verba Dei audit ; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (*Joan.* VIII). Et qui non est ex Deo, certum est quia ex diaboli parte est. Et quid lucrabitur, si etiam totum mundum habuerit, et animæ suæ detrimentum patiatur ? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua ? Idcirco quicunque est homo, audiat dicentem sibi Dominum per prophetam : *Indicabo tibi, homo quid sit bonum* : *Facere judicium et justitiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* (*Mich.* VI).

Hæc, fratres et filii, in quocunque ordine et dignitate sit quisque Christianus, ad vos ex Domino mandata dirigimus, qui de omnibus hominibus dicit omni episcopo : *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me* (*Ezech.* XXXIII). *Ex me,* inquit, et non, Ex te. Propterea hæc sicut Domini mandata suscipite : cujus potentiæ non potestis, et cujus voluntati atque mandato non debetis resistere, si non vultis ut vestri proprii inimici saluti vestræ obsistere. Nos autem talia nobis tacere nec possumus nec audemus, quibus Dominus per prophetam dicit quod si non annuntiaverimus vobis, sanguinem vestrum de manu nostra requiret. Et ab illis Patribus et prædecessoribus nostris, quorum vices tenemus in terris, coram Domino degradamur in cœlis, si non exsequimur quæ illi statuerunt regulis divinitus inspiratis. Quapropter si vos ab his unde commonemini quantocius non correxeritis, sicut illi in cœlo et nos in terra, una cum apostolicæ sedis præsule, et omni sacerdotum unanimitate, vos a Christi et fidelium ejus consortio segregabimus. Quod ne nos agere compellatis, vos pro Christo et vestra salute obnixius deprecamur. Vos autem si mandatis Dominicis obedire studueritis, et vestram salutem, præsentem scilicet et futuram agetis; et gloria atque corona nostra coram Deo eritis, qui de vobis reddemus illi in die judicii rationem, sicut et vos de vobis ipsis et de omnibus vobis commissis rationem estis sine dubio reddituri. Et ideo multo studio satagite ut in illa tremenda die ab iniquorum consortio segregati sitis ; quod tunc erit si modo a diabolicis et malis operibus atque a perversis hominibus vos separaveritis : vindicantes contra diabolum, et vitia atque peccata, honorem vestrum, qui homines ad Dei imaginem facti estis. Ad hoc enim, sicut scriptum est, ut Deum timeat et mandata ejus custodiat factus est omnis homo, propter quem factus est Deus homo, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivit et regnat in sæcula sæculorum.

EPISTOLA XXII.

AD ROFULDUM BITURICENSEM ET FROTARIUM BURDIGALENSEM, METROPOLITANOS AQUITANIÆ.

De nuptiis Stephani, et filiæ Regimundi comitis.

HINCMARUS, nomine non merito, Rhemorum archiepiscopus, ac plebis Dei famulus, reverentissimo Bituricensium archiepiscopo et charissimo fratri RODULFO et FROTARIO fratri et honorabili Burdigalensium archiepiscopo, cum omnibus provinciarum vestrarum episcopis venerabilibus, plurimam optat in Salvatore salutem.

Nuper synodo episcoporum quatuordecim provinciarum, Lugdunensium videlicet, Rothomagensium, Turonensium, Senonum, Viennensium, Arelatensium, Vesontionensium, Moguntinensium, Agrippinensium, Trevirorum, Rhemorum, Bituricensium, Burdigalensium, Narbonensium, apud Tusiacum villam Tullensis parochiæ, anno Incarnationis Dominicæ 860, indictione IX, mense Novembrio habita, delatæ sunt litteræ querelam Regi-

mundi comitis adversus Stephanum depromentes, A quia videlicet idem Regimundus filiam suam præfato Stephano legaliter ad conjugii copulam dederit : sed ipse non illa utatur ut conjuge, eo quod, ut fatetur, cum aliqua ejusdem puellæ propinqua quondam carnali commercio se miscuerit : sed cum qua vel quam proxima affinitate conjuncta, indicare non velit. Hic litterarum sensus, si rite remetior, quarum verba non teneo, constitit in synodo recitatus. Unde licet talis accusatio non mereretur synodaliter obtinere responsum, quia nemo quemquam per scripturam absens potest regulariter accusare : et si legaliter filiam suam alteri nuptum tradidit, eam a sua potestate dimisit; pro qua ex hoc negotio, quod forte utrum ita an non sit latere poterat, aut aliter quam sit dictum interpretari, illum cui eam tradi- B dit canonice accusare non poterat. Qua de re accusationem sive interpellationem adversus maritum suum, si necessitas postulat, uxor debet conserere, consilium autem pater debet pro illa exinde quærere, vel correctionem viri ejus, suadendo, vel suggerendo modis quibus potuerit, et ipse agere satis. Sed quoniam hæc ratio per tres circiter annos a plurimis ventilatur, et ambo viri nobiles et illustres, et juxta sæculi dignitatem potentes, si inter se hinc diutius dissident, maximum scandalum in Ecclesia et detrimentum in regno ob hoc accidere poterit, et quia isdem Stephanus ibidem in domni regis erat obsequio, visum est synodo ut eum accerseret, et quid de his diceret per ipsum rescire curaret. Vocato autem ut hæc relata fuere, post quædam suæ responsionis obloquia, petiit ut tantummodo cum epi- C scopis sibi loqui liceret. Et recedentibus aliis, quæ sibi visa fuerunt episcopis intimavit. Cum inter cætera dixerunt episcopi, quia de talibus, ex quibus Regimundi locutæ sunt litteræ, et quæ per omnium pene ora in regnis plurimis ventilentur, ei non secretum dare consilium, neque privatum decernere possent judicium. Quapropter et ipse, quod hinc apud se erat, in omnium dixit velle venire notitiam, et necessarium obtinere consilium, et salubre sibi decerni judicium : velle tamen prius, ut synodus patienter ejus audiret sententiam, et tunc demum sibi donaret consilium, et promulgaret judicium.

Et ut personam illius inducamus loquentem : Ut assolet, inquiens Stephanus, in fragili juventutis ætate cum quadam femina juvene mihi convenit. D Sed et quando tempus mihi advenit, ut more prædecessorum meorum legitimum conjugium peterem, una cum consensu parentum et amicorum meorum, ipsius Regimundi ut nobilis viri, filiam meis natalibus competentem apud eum in conjugem legaliter petii, et obtentam legaliter desponsavi. In me autem reversus, et sciens quid fecerim, ad confessorem meum perrexi, et consilium ejus quæsivi : ut quoniam juvenis femina, cum qua carnali commercio mistus fueram, propinqua istius puellæ exstitit, et audieram quod et quarto genu, et in reliquum pertinentes sibi copulari non valerent, utrum cum hac desponsata mihi puella sub pœnitentia occulte manens, sine mea et ipsius æterna damnatione, in connubio illam mihi potuissem conjungere. Qui ostendit mihi librum quem, ut spero, canones appellavit, et legit coram me, quoniam quandiu potest affinitatis propinquitas computari, mihi, nec cuiquam Christiano, cum cognata sua, vel quam cognatus habuit, vel cum duabus cognatis salubriter liceret conjungi ; et quandiu in tali incestu maneremus, nec ego, nec illa, fructuosam pœnitentiam agere possemus : neque talis incestus, nisi separatione nostra ab invicem sanari valeret. Interea accidit discordia inter domnum regem seniorem meum, et meam juventutem, intantum ut in illo regno solide non possem subsistere. Propterea ex utraque parte constrictus, nec frangere desponsalia potui, nec eamdem sponsam meam in conjugem ducere ausus fui : ne cum discordia senioris mei, etiam ipsius Regimundi, et nobilium parentum ejus, accumularetur discordia ; et sic aut de regno funditus pelleret, aut si in regno manere vellem, occumberem. Et idcirco per duo placita subterfugi, ne sponsam meam in conjugem ducerem. Tandem autem necessitate compulsus, quia causa mihi de vita instabat, dotavi eam, et publicis nuptiis honoratam accepi. Sed ne illam, quæ adhuc sana erat, mecum perderem, et mihi cumulatius perditionem acquirerem, intactam hactenus conservare disposui. Et quoniam ita se rationis veritas per omnia habeat, et non dolo, neque odio, sive despectu alicujus, aut amore feminæ alterius, nisi sicut vobis modo Deo teste narravi, hoc egerim : qualicunque modo vobis placet, per meipsum, et per parentes atque amicos, seu fideles meos, hoc vobis verum esse sacramento, vel alio quolibet conveniente modo demonstrabo : et si vultis ac quæritis, quantoscunque servos meos decernitis inde in judicium mitto, et quale consilium mihi inde secundum Deum ad meam salutem, et secundum sæculum ad competentem honorem et ad pacificationem Regimundi, et ad salvamentum, et honorem ipsius puellæ dederitis, paratus sum in omnibus, quibus valuero, obedire.

Auditum autem eum synodus jussit secedere, et dicentibus singulis, prout cuique visum fuit, decretum est, ut vos comprovinciales archiepiscopi, cum coepiscopis vestris, in regni illius convenienti loco, et tempore synodum condicatis, et placitum fiat, ubi princeps cum primoribus terræ intersit : ne, quod absit, ex utraque parte, cum parentum et amicorum auxilio, illustres isti viri convenientes, operante diabolo seditiosus valeat exoriri tumultus. Et hanc causam rex, cum viris nobilibus, inter viros nobiles pacificare procuret. Vos autem episcopali auctoritate, et canonica diffinitione eam dirimere, et ad debitum atque salubrem terminum studeatis perducere. Revocato autem Stephano, conditio ista illi proposita, et ab eo est gratissime accepta. Hujus autem rei modum, et ordinem diffinitionis, quoniam pusillitas intelligentiunculæ meæ, quid exinde senti-

ret, jussa synodo suggerere studuit, communi consensu sanctæ unanimitati complacuit, ut ea litteris commendaret, et sapientiæ vestræ, sicut tunc fuerunt in concilio acceptata, transmitteret. Et idcirco non quasi nescientibus hæc quæ sequuntur vobis necessaria, nec ut arrogans auctoritatem specialis scientiæ, vel jactans diffinitionis audaciam, sed ut Ecclesiæ ac vester omnium videlicet servorum domini servus, et plebis dominicæ famulus, quanquam non ut debui, tamen ut potui, devotionis obedientia colligere, et collecta vobis transmittere procuravi. In quibus nihil de civili judicio, cujus cognitores non debemus esse episcopi, ponere, sed quæ ecclesiasticæ definitioni noscuntur competere, quantum occurrit memoriæ, breviter studui adnotare. Ordinem judicii de nondum sponte confessis, vel aperte convictis, quoniam aliter nemo, ut Leo papa decernit, potest regulariter judicari, sanctus Gregorius in commonitorio ad Joannem defensorem demonstrat dicens : Primum ut judicium ordinabiliter fiat, quatenus sint alii accusatores, et alii testes : deinde ut causarum qualitas, si digna exsilio vel condemnatione sit, exploretur : et præsente eo qui accusatur, sub jurejurando contra eum testimonium proferatur, et scriptis actuum inseratur : et accusatus licentiam respondendi et defendendi se habeat. Sed et de personis accusantium et testificantium subtiliter est quærendum, cujus conditionis, cujusve opinionis, aut ne inopes sint, aut ne forte aliquas contra accusatum inimicitias habeant : et utrum testimonium ex auditu dixerint, aut certe specialiter se scire testati sint : et ut scriptis judicata partibus præsentibus sententia recitetur, et sic omnia solemniter roborentur. De manifesta autem, et nota plurimis causa, vel quæ ita confitetur, ut ista, si tamen ita et puella dixerit ut Stephauus profitetur, quia sæpe inter masculos audimus et feminas, quia quod alter dicit, alter sæpenumero denegat : non sunt quærendi testes, ut sanctus Ambrosius in epistolam ad Corinthios dicit, de fornicatore exponens sententiam apostoli : Judicis, inquit, non est, sine accusatore damnare, quia et Dominus Judam, cum fur esset, quia non est accusatus, minime abjecit, cognito opere isto pellendum illum fuisse de cœtu fraternitatis, omnes enim crimen ejus sciebant, et non arguebant. Publice enim novercam suam loco uxoris habebat ; in qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. Et paulo post : Absens facie, præsens autem auctoritate Spiritus, qui nusquam abest, jam judicavi ut præsens eum qui hoc admisit. Quapropter necesse est ut Stephanus puellam adducat ad synodum, et pater ipsius puellæ veniat, et interrogetur puella, si verum est quod Stephanus dicit, se illam hactenus servasse intactam. Et quoniam de altera femina audivimus, quia volens liberari a conjuge, persuasa super se aliqua quæ non erant, ut fertur, jam dixerit : debita ei libertas tribuatur, et periculum indicetur, ne persuasa pro veritate mendacium fateatur. Et si dixerit

A ita ut Stephanus, tunc si necesse fuerit, credulitas rationi et auctoritati conveniens sacramento exinde suscipiatur, vel per convenientem personam satisfactio, si ita necessitas exigit, judicio expetatur, quia non pro dolo, neque pro alia qualibet causa, Stephanus se a carnali copula puellæ hujus subtraxerit, nisi pro ea quam ipse synodo indicavit : videlicet quia cum puellæ sibi desponsatæ consanguinea, et carnis cognatione propinqua, carnaliter concubuerit.

Hoc enim sanctus Leo papa, et beatus Gregorius in re dubia a presbytero, vel a quolibet tam viro quam femina, nobili vel ignobili, per sacramentum fieri manifeste decernunt, sicut qui legere voluerit invenire valebit ; inter cætera dicente beato juniore Gregorio, in epistola per Denualdum presbyterum B directa ad Bonifacium, Moguntinum episcopum : In causa, inquiens, in qua certi non fuerint testes, qui criminis illati approbent veritatem, jusjurandum erit in medio, et illum testem proferat accusatus de innocentiæ suæ puritate, cui nuda et aperta sunt omnia, habeatque conscientiæ suæ testem, quem habebit et judicem. Quæ sacramenti purgatio, et in ecclesiasticis, et in exteris legibus usitatissima, et de fidei veritate etiam a primis sæculis esse constat exorta. Judicium autem, nonnisi pro pacis charitatisque concordia, inter coæquales fieri solet ; fit autem a subjectis ad satisfactionem majorum, quod in hac causa nisi ex placito fiat, non potest ex auctoritate requiri. Hinc autem cognita veritate, quoniam dictum est nobis, requiri a Stephano, ut feminam designet ex nomine, et certam propinquitatis C affinitatem demonstret, pro cujus concubitu huic puellæ se non valet salubriter carnali copula commiscere : quia contra rationem et auctoritatem ecclesiasticam, et Christianæ devotionis morem, ab eo quæritur, si forte ab eo quæritur, quæ ex hoc apostolica decrevit auctoritas, et catholica tenet Ecclesia, hic ponere dignum duximus : Leo universis episcopis per Campaniam, Samnium et Picenum, atque universas provincias salutem. Magna indignatione commoveor, et dolore multo contristor, quod quosdam ex vobis comperi, apostolicæ traditionis oblitos, et studio sui erroris intentos. Et post aliquanta : De pœnitentia scilicet, quæ a fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur, cum reatus conscien- D tiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur : tamen, quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt non timeant publicare, removeatur improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium peccator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam potuerunt provo-

cari, si populi auribus non publicetur conscientia pœnitentis. Et quoniam qualiter debeat iniri conjugium, et vetus et nova lex edocet, Domino per Moysen præcipiente, et Evangelio demonstrante : *Cum esset*, inquit, *desponsata mater Jesu Maria Joseph antequam convenirent* (*Matth.* I), id est antequam nuptiali celebratione convenirent, sicut in nuptiis celebratis idem ostendit, quas sua præsentia sanctificare, et miraculo ibidem patrato illustrare dignatus est. Sed et sanctus Evaristus, quartus a beato Petro Romanæ sedis episcopus, et sanctus Siricius, et beatus Leo, atque cæteri quique doctores ostendunt, quæ omnia hic ponere propter pluralitatem et longitudinem devitamus.

Tantum dicere necessarium duximus, et inter æquales legitima fiunt conjugia, cum a parentibus, quorum interest, petita, et legaliter desponsata, et dotata, et publicis nuptiis honorata femina conjugii copulæ sociatur, et ex duobus unum corpus unaque caro efficitur, sicut scriptum est : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II) ; jam non duo, sed una sunt caro. Et : *Quod Deus junxit, homo non separet* (*Matth.* XIX). De qua conjunctione magnus Leo papa ad Narbonensem scribit episcopum : Non omnis, inquiens, mulier viro juncta uxor est viri, quia ne omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, et inter æquales. Et paulo post : Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem, haberet in se Christi et Ecclesiæ sacramentum ; dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Et nos e regione hinc etiam ostendere possumus, quia non omnes nuptiæ conjugalem copulam faciunt, quas non sequitur commistio sexuum : sicut nec semper illius est filius omnis et hæres, cujus esse noscitur hæres. Nec habent nuptiæ in se Christi et Ecclesiæ sacramentum, sicut beatus Augustinus dicit, si se nuptialiter non utuntur, id est, si eas non subsequitur commistio sexuum. Nec pertinere poterit illa mulier ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commistio sexuum : sicut dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Quod ita esse præfatus Leo demonstrat dicens : Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesiæ sacramentum. E item idem : Igitur, inquiens, qui filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam conjugato dederit : nisi forte illa mulier et ingenua facta, et legitime dotata, et publicis nuptiis honestata videatur. Paterno arbitrio viris junctæ carent, culpa, si mulieres, quæ a viris habebantur, in matrimonio non fuerunt. Quibus sententiis evidenter ostendit, quia tunc est vera legitimi conjugii copula, quando inter ingenuos, et inter quales fit, et paterno arbitrio viro mulier

A juncta, legitime dotata, et publicis nuptiis honestata, sexuum commistione conjungitur. Et tunc habent nuptiæ in se Christi et Ecclesiæ sacramentum, et tunc pertinere noscitur mulier illa ad matrimonium, in qua et sexuum commistio, et nuptiale docetur fuisse mysterium. De quo mysterio Paulo apostolus ad Ephesios dicit : *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam ; quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V). Hinc sanctus Ambrosius mysterii sacramentum grande in unitate

B viri ac feminæ esse significat : nec hoc tantum prodit, sed aliam causam, quæ non discordet a memorato mysterio, flagitat, quam scit ad profectum humani generis pertinere, hoc est Ecclesiæ et Salvatoris, ut sicut relictis parentibus homo uxori suæ adhæret, ita et relicto omni errore Ecclesia adhæreat, et subjiciatur capiti suo quod est Christus. Quoniam una natura in viro et femina est : idcirco vir quasi seipsum et mulierem diligere commonetur. Naturali ratione mulier portio corporis viri est : ac per hoc vir in muliere seipsum diligit ; quo modo si fornicetur in seipsum peccat, quia duo in carne una sunt. Non ergo personæ substantiam dividunt, ut per personas numerus fiat naturæ ; sed sunt in unitate naturæ. Et sanctus Augustinus in libro de Nuptiis et Concupiscentia dicit : Sane non

C tantum fecunditas, cujus fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cujus vinculum fides est, verum etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, unde dicit Apostolus : *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam* (*Ephes.* V). Hujus procul dubio sacramenti res est, ut mas et femina connubio copulati, quandiu vivant, inseparabiliter conjuncti perseverent ; nec liceat, excepta causa fornicationis, conjugem a conjuge dirimi. Hoc enim custoditur in Christo et in Ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio separetur in civitate Domini nostri, in monte sancto ejus, hoc est in Ecclesia catholica. Et sanctus Gregorius in epistola ad Theoctistam patriciam dicit : Per se enim Veritas dicit : *Quod Dominus jun-*

D *xit, homo non separet* (*Matth.* XIX). Quæ etiam ait : *Non licet dimittere uxorem excepta causa fornicationis*. Scimus enim quia scriptum est : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Si igitur vir et uxor una caro sunt, et religionis causa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel fortasse ad illicita migrantem, quæ est ista conversio, in qua una eademque caro ex parte transit ad continentiam, et ex parte manet in pollutione ? Si vero utrisque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare ? quando certum est, quia omnipotens Dominus qui minora concessit, majora non prohibuit. Et post aliquanta : Si vero continentiam, quam vir appetit

uxor non sequitur; aut quam uxor appetit, vir recusat, dividi conjugium non licet : quia scriptum est : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir* : *similiter vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier* (*I Cor.* VI). Et in epistola ad Adrianum Panormitanum : Nam, inquit, excepta fornicationis causa, virum uxorem relinquere, divina lex nulla ratione concedit : quia postquam copulatione conjugii viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, et ex parte in sæculo remanere. Et sanctus Augustinus in libro de Bono conjugii : Ad hoc enim nuptiæ sunt, ut illa concupiscentia, redacta ad legitimum vinculum, non deformis et dissoluta fluitaret, habens de seipsa irrefrenabilem carnis infirmitatem, de nuptiis autem indissolubilem fidei societatem : de seipsa progressum immoderate coeundi, de nuptiis modum caste procreandi. Debent ergo sibi conjugati, non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum causa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas; verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo servitutem : ut et si alteri eorum pepetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu, continere non possit. Ad hoc enim uxor non habet potestatem corporis sui, sed mulier : ut et quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis et incontinentiæ causa expetit, vel ille de matrimonio, vel illa de marito, non sibi alterutrum negent; ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante Satana, propter incontinentiam vel amborum, vel cujusquam eorum.

Et item in eodem libro : Generationis itaque causa fieri nuptias Apostolus ita testis est : *Volo*, inquit, *juniores nubere* : et quasi ei diceretur : Ut quid ? continuo subjecit : *Filios procreare, matres familias esse* (*I Tim.* v), ad fidem castitatis illud pertinere : *Uxor autem non habet potestatem corporis sui, sed vir : similiter et vir non habet potestatem corporis sui sed mulier* (*I Cor.* IV), ad sacramenti sanctitatem; et illud : *Uxorem a viro non discedere* : *quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari* (*I Cor.* VII), et : *Vir uxorem ne dimittat.* Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ sunt, proles, fides, sacramentum.

Et in libro de Nuptiis et de Concupiscentia : In nuptiis tamen bona nuptibilia diligantur, proles, fides, sacramentum : sed proles, non ut nascantur tantum, verum etiam ut renascantur. Nascitur namque ad pœnam, nisi renascatur ad vitam. Fides autem, non qualem habent inter se etiam infideles zelantes carnem : quis enim vir, quamlibet impius, vult adulteram uxorem? aut quæ mulier, quamlibet impia, vult adulterum virum ? Hoc enim in connubio bonum naturale est quidem, carnale tamen, sed membrum Christiani conjugis adultero conjugi debet timere, non sibi, et a Christo sperare fides præmium quodlibet conjugi. Sacramentum vero, quod nec separati et adulterati amittunt conjuges concorditer casteque custodiant. Solum est enim, quod etiam sterile conjugium tenet jura pietatis, jam spe fecunditatis amissa, propter quam fuerat copulatum. Hæc bona nuptialia laudet in nuptiis : qui laudare vult nuptias. Et in Genesi ad litteram : Quod bonum habent nuptiæ, et quod bonæ sunt nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripertitum est, fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera, vel altero concumbatur : in prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur religiose educetur : in sacramento, ut conjugium non reparetur, et dimissus, aut dimissa, nec causa prolis alteri conjungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fecunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas. Nunc cum his quæ sancti doctores dicunt de nuptiis, conferamus Stephani nuptias, non habentes amorem prolis, sed necessitatem vitandi exsilii, sive mortis : non habentes servandæ conjugalis castitatis fidem, sed incurrendi incestus mortiferi non parvipendendum timorem : non habentes incorporationis unitate Christi et Ecclesiæ sacramentum, sed superducentes turpitudini velamentum : totumque quod in eis est actum, figmentum simulationis fuit, non veritas. Quæ nuptiæ, licet inter ingenuos et inter æquales, paterno arbitrio desponsationem atque dotationem præcedente, fuerunt celebratæ, etiamsi jam sexuum commistio eas subsequeretur, legitimam conjugii copulam obtinere non possent, nec ratum conjugium stabilire valerent, quin potius irrita omnia fierent : quoniam non sine separatione, propter incestus crimen, quod habere non potest Christi e Ecclesiæ sacramentum, vulnera quæ concumbentes inflicta susciperent, medicamento pœnitentiæ in eis sanari non valerent, sicut subsequentes orthodoxorum et Ecclesiæ magistrorum sententiæ demonstrabunt. Quapropter tales non mysticæ, neque legales in oculis Dei sunt nuptiæ.

Quia si per Stephani et puellæ, non ante Deum legaliter ductæ, sed magis abductæ, coitum carnalis commistionis ex his duobus unum corpus efficeretur, non secundum nuptiale bonum, sed secundum incestale malum, propter incestum Stephani unum corpus efficerent, sicut scriptum est : *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur* (*I Cor.* VI). Et sit puella ab incestu sana, per coitum juncta Stephano, incestuosi caro fieret : et Stephanus illi junctus, sicut antea fornicator, ita et post conjunctionem illius, quoniam cum propinqua ejus concubuit, quod nondum erat, incestuosus existeret. Et propterea saniore consilio, et puellæ sanitati, quæ necdum infirmata erat, intactam eam servans providit, et se, ne gravius offenderet, cautius secundum Deum juxta quod res conjacuit custodivit. Quia sicut sacri canones dicunt, tale connubium, vel potius adulterium, sine separatione sanari non poterat, si carnaliter miscerentur. Unde ibidem scriptum est (*concil. Epaon. can.* 30) : De incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium se-

paratione sanaverint. Incestuosos vero nullo conjugii nominė censemus deputandos, quos etiam designare funestum est. Et S. Gregorius in epistola ad Felicem Siciliensem episcopum, quem audierat perverse interpretari quod beatus Gregorius Augustino Anglorum episcopo consilium secundum indulgentiam de Paganis a quarto genu, et in reliquum, ne a fide refugerent, dederat, quodque ipsi venerando papæ suggesserat, ad eumdem Felicem rescribens dicit : Progeniem, inquiens, suam unumquemque, de his qui fideliter edocti, et jam firma radice plantati stant inconvulsi, usque ad septimam observare decernimus generationem, et quandiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad hujusmodi copulæ non accedere societatem : nec eam, quam aliquis ex propria consanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, in conjugium ducere ulli profecto Christianorum licet, vel licebit : quia incestuosus est talis coitus, et abominabilis Domino, et cunctis fidelibus : incestuosos vero nullo conjugii nomine deputandos a sanctis patribus dudum legimus constitutum.

Nec hoc quoque in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod homines incestuosi a liminibus sanctæ Ecclesiæ sunt separandi, usquequo per satisfactionem precibus sacerdotum eidem sanctæ Ecclesiæ catholicæ reconcilientur. Et in edicto canonico ante corpus beati Petri prolato : Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Et non dubium est huic anathematismo nuptias Stephani subjacere debuisse, si cum ista concumberet, qui se cum cognata ejus concubuisse fatetur. Et item in canonibus scriptum est (*conc. Ilerd. can.* 4) : De his qui se incesti pollutione commaculant, placuit, ut quousque in ipso detestando et illicito carnis contubernio perseverant, usque ad missam tantum cathecumenorum in Ecclesia admittantur ; cum quibus etiam, nec cibum sumere ullum Christianorum, sicut Apostolus jussit, oportet. Et hinc plura ex canonibus potuissemus congerere, si incestu intercedente quod Stephanus devitavit, se et uxorem suam propter hoc necesse fuisset disjungere. Nunc autem, ne nuptiali simulationi superaddatur incestus, quoniam oportet eos, et coram divinis et coram humanis oculis legaliter ac rationabiliter disjungi, qui non legaliter in divina justitia visi fuere conjuncti ; talia sanctorum Patrum donemus testimonia, quæ ad agendam causam sint manifestissime pertinentia.

Sanctus Ambrosius in Epistolam ad Corinthios dicit : Non est enim frater, aut soror, servituti subjectus in ejusmodi, hoc est, non debet reverentiam conjugii, ei qui horruit auctorem conjugii. Non enim ratum est matrimonium quod sine Domini devotione est. Et sanctus Hieronymus in tertio libro commenti Epistolæ Pauli ad Ephesios : Quomodo itaque Christo subjecta est Ecclesia, sic subjecta sit uxor viro suo. Quem enim habet principatum et subjectionem Christus et Ecclesia, huic eidem ordini maritus et uxor astringitur. Sed videndum, ut quomodo in Christo et in Ecclesia sancta conjunctio est, ita et in muliere sancta sit copula. Sicut autem non omnis congregatio hæreticorum Christi Ecclesia dici potest, nec caput eorum Christus est ; sic non omne matrimonium, quod non viro suo secundum Christi præcepta conjungitur, rite conjugium appellari potest, sed magis adulterium. De quibus ita sacri definiunt canones : Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. Et in synodo apud Liptinas (an. 743) habita, cui sub Carlomanno principe Georgius episcopus, et Joannes sacellarius, ac sanctus Bonifacius, ex præcepto Zachariæ papæ præsederunt, legitur, ut si vir mulieri desponsatæ, dotatæ, ac publicis nuptiis ductæ secundum Apostolum debitum conjugale non potuerit reddere, et hoc aut amborum confessione, aut certa qualibet approbatione fuerit manifestum, ut separentur, et mulier, si se continere nequiverit, alteri viro legaliter nubat. Videlicet, quia secundum diffinitionem sancti Leonis papæ, et traditionem doctorum superius demonstratam, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua conjunctione sexuum non docetur Christi et Ecclesiæ sacramentum, hoc est nuptiale fuisse mysterium.

Multo magis autem hujusmodi, de quo agitur, separato conjugio, aliam legaliter adire licebit copulam, qui concubitum non contraxit impotentia carnis, sed reverentia mentis. In copula vero conjugali, in qua desponsatione, dotatione et nuptiarum sacramento, corporis scilicet, unitate, Christi et Ecclesiæ docetur fuisse mysterium, nisi morte corporis intercedente, conjugii non poterit solutio fieri, sicut evangelica et apostolica testatur auctoritas, et omnium catholicorum doctorum chorus. Et beatus Augustinus in libro de adulterinis Conjugiis dicit : Quoniam si vel pro intolerabili ac diuturna infirmitate concubitum vir exercere, aut femina sustinere nequiverit, nec etiam pro sterilitate, seu religionis continentia, aut pro alia qualibet excepta fornicationis causa, vir et uxor, legaliter et carnali commistione conjuncti, separari non valebunt. Quapropter hanc legem a Domino audientes discipuli dixerunt : *Si hæc causa ita cum uxore habetur, non expedit nubere* (*Matth.* XIX). Non tamen pro hoc Dominus suam mutavit sententiam. Unde et Leo ad Nicetam Aquileiensem episcopum scripsit, ut si per bellicam cladem, et gravissimos hostilitatis incursus, ira quædam fuerint divisa conjugia, ut abductis in captivitatem viris, feminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios, aut interemptos putaverint, aut nunquam a dominatione hostium crediderint liberandos, in aliorum conjugum amplexus solitudine cogente transierint, quia a Domino scriptum est : *Jungitur mulier viro* ; et : *Quod Deus junxit, homo non separet* (*ibid.*), si reversi, vel raptæ reversæ fuerint conjuges, legitima fœdera nuptiarum redintegranda perdocuit. Nec tamen tanquam pervasorem quem

quam judicari, qui personam ejus mariti vel uxoris, qui vel quæ jam non æstimabatur, assumpsit; sed inculpabile judicandum quod necessitas intulit, et restituendum quod fides poposcit. Mulieres autem, vel viros, posteriorum virorum vel uxorum delectatione captos, et ad priorum conjugum amorem redire nolentes, communione privari decrevit.

Et quia ecclesiasticæ regulæ de his etiam definitionis sententiam proferunt, qui sponsalitiorum fidem infringunt, videtur nobis, non secundum auctoritatem promendo, sed consilium, si forte vobis ita visum fuerit, dando, ut quia Stephanus, si sponsalitiorum fidem fregisset, secundum legem civilem multam eorumdem sponsalitiorum judicaretur componere: et ipsa puella, post desponsalitia dotem acceptam, quam de seipsa, si carnaliter jungeretur, mercari debuerat, ut eamdem dotem habere non debeat, non ipsa, sed Stephanus, ut videtur, commisit; habeat loco multæ sponsalitiorum dotem a Stephano sibi datam, et cum eadem dote patri restituatur, et nubat parentum consilio cui vult, tantum in Domino, sitque pax inter parentes ejus et Stephanum. Et ne quis argute his quæ posuimus volens resistere dicat: Si dos manebit, et desponsalitia atque celebratæ nuptiæ non negantur, quomodo esse poterit, ut et Stephanus maritus, et illa uxor non maneant? aut quomodo ille alteri feminæ, et illa alteri viro se sine adulterio conjungere poterunt? præsertim cum idem sanctus Augustinus in præfato libro de Bono conjugii dicat: Si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis: et si aliqua culpa quisquam ab officio suo removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente: sic et in istis desponsatione, dotatione, et nuptiis permanentibus, conjugale vinculum permanebit, et alteri nemo eorum, nisi cujuslibet ex eis morte intercedente, sine adulterio se poterit jungere. Audiat, si quis hæc fuerit conatus opponere, quia de dotalitio puellæ habendo, non nisi propter pacificationem parentum ejus et Stephani, loco multæ fractorum sponsalitiorum diximus, quam multam si dissoluto dotalitio puellæ parentes exigere maluerint, aut utraque indulgere, vel utraque reposcere, ipsi viderint, et legibus civilibus eorumdemque pacificationi exinde conveniat. Nos autem, quod ad nos pertinet, astute forte quærenti respondemus, quoniam hanc comparationem de ordinandis positam beatus Augustinus, non de imaginaria viri et uxoris conjunctione, sed de incorporata per sexuum commistionem copulatione posuit, sicut in proxime præcedentibus infit: Sequentur, inquiens, agnum pueri cantantes canticum novum, sicut in Apocalypsi scriptum est, qui cum mulieribus se non contaminaverunt, nec ob aliud, nisi quia virgines permanserunt. Nec ideo se arbitrentur meliores esse primis patribus sanctis, qui nuptiis, ut ita dicam, nuptialiter usi sunt. Earum

A quippe usus se ita habet, ut si quid in eis per carnis commistionem fiat, quod excedit generandi necessitatem, quamvis venialiter factum contaminatio sit. Et post paululum: Bonum igitur nuptiarum, per omnes gentes atque homines in causa generandi est, et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum conjux ejus vivit, nec saltem ipsa causa pariendi, quæ cum sola sit qua nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente, propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale, nisi conjugis morte.

Et statim de ordinatione cleri ad plebem supposuit, sub quo sensu in libro de Nuptiis et Concupiscentia dicit: Ita manet etiam inter viventes quiddam con-
B jugale, quod nec separatione, nec cum altero copulatione possit auferri. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis; sicut apostatæ anima, quæ de conjugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amisit, quod lavacro regenerationis acceperat. Redderetur enim procul dubio redeunti, si amisisset abscedens.

Et in præcedentibus ipsius libri dicit de sacramento nuptiarum: Propterea, inquiens, sacramentum nuptiarum temporis nostri, sic ad unum virum et uxorem redactum est, ut Ecclesiæ dispensatorem non liceat ordinare, nisi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui catechumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in baptismo peccata omnia dimittuntur.
C Sed qui dixit: *Si acceperis uxorem non peccasti, et si nupserit virgo non peccat, et quod vult faciat, non peccat si nubat* (*I Cor.* VII); satis declaravit nuptias nullum esse peccatum. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut femina, etiamsi catechumena fuerit vitiata, post baptismum in Dei virginem consecrari, ita non absurde visum est, eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam amisisse sacram, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum necessariam. Et hinc dicat, si quis ad hæc quæ prædiximus opponere attentaverit, et nunc Stephanus morte præventus fuerit, et illa intacta, sicut hactenus manet, permanserit, et nubere non voluerit, quia catechumena vitiata,
D post baptismum in Dei virginem consecrari non poterit, utrum hæc in sacram virginem ab episcopo consecrari valebit, qui non nisi virginem in virginitatis professione, vel in legitima conjugii copula, sacrare debet: sicut nec episcopus fieri, qui præter virginem et unam duxit uxorem. Dicat etiam, si post mortem Stephani virgo permaneat, et se continere non potuerit, et nubere magis quam continere elegerit, utrum fratri ejusdem Stephani copulari valebit. Quibus cum contradicere non valebit, aut in quæstione sua deficiat, aut ei nostra solutio satisfaciat. Et hæc in vita Stephani, de consecratione si delegerit, vel de maritatione si maluerit puella, fieri

posse ratione et auctoritate monstrante cognoscat : A sciatque ut traditione majorem docuimus propter talem desponsationem, dotationem, atque pro talibus nuptiis, sicut istæ fuerunt, non esse conjugium, quibus defuit conjunctio sexuum, ac cum prolis spe fidei sacramentum : quæ ut plurimum in omni salutari actione, tum etiam in hoc negotio, in quo per nuptiale mysterium vir et uxor una caro efficiuntur sed in baptismate operosius operatur, quo per fidei sacramentum, non solum generaliter omnis Ecclesia corpus Christi, ut dicit Apostolus, et plenitudo fit ejus, verum sigillatim singulus quisque fidelis Christo incorporatus membrum ejus efficitur.

Unde S. Beda in homilia Evangelii dicit : Nam videtur, inquiens, qui baptizatur in fontem descendere, videtur aquis intingui, videtur de aquis ascendere : B sola autem fidelium pietas novit, quia peccator in fontem descendit, sed purificatus ascendit. Cæterum oculis insipientium videtur talis exire de fonte qualis intravit, totumque ludus esse quod agitur. Et in hac desponsatione, dotatione, atque in his nuptiis, totum simulatio fuit, non veritas. Propterea sicut sanctus Leo, de his qui formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute susceperunt, decernit ut episcopali confirmatione firmentur : ita hæc non conjugii fides, sed copulationis imago, ecclesiastica functione solvatur, et in eo qui indiget ecclesiastica medicina sanetur.

Cæterum si hæc quæ posuimus studiosis vel curiosis nequaquam sufficiunt, apponere adhuc etiam alia procurabimus. Ait enim beatus Augustinus in C libro de Nuptiis et Concupiscentia : *Relinquet homo,* inquiens, *patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II) : quod *magnum sacramentum* dicit *Apostolus in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V). Quod est in Christo et in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris atque uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabilis sacramentum.

Quapropter legaliter et nuptialiter copulati excepta causa fornicationis, separari non possunt ; et causa fornicationis separati, aut permanere innupti, aut mutuo debent reconciliari, sicut evangelica et apostolica docet auctoritas, et Africana synodus definivit : Placuit, inquiens, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungatur ; sed ita D maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. Et quia uxor a marito, vel maritus ab uxore, nisi causa fornicationis, non valet neque debet discedere, ex hac evangelica et apostolica doctrina beatus Augustinus in libro primo de adulterinis Conjugiis ad Pollentium dicit : Quis est qui dicat, si discesserit mulier a viro non fornicante, ut innupta permaneat, cum ei nisi a viro fornicante discedere omnino non liceat ? Et item : Hanc solam causam fornicationis Dominus magister excepit, cum de dimittenda loqueretur uxore : deditque intelligi talem formam etiam a viro esse servandam, quoniam non solum mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir, sed similiter et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier (*I Cor.* VII) : et propterea, nisi ex communi consensu non valent etiam propter continentiam separari ; adeo ut si vir contra voluntatem mulieris conversus tondeatur, aut mulier sine voluntate viri conversa veletur, mulieri vir vel viro mulier, a sancto Gregorio in epistola ad Secundum Taurominitanum episcopum, et in epistola ad Adrianum Panormitanum, jubeatur restitui. Si autem ex communi consensu se mutare permiserint, et quilibet eorum se inde retraxerit, ad conversionem suum sequi parem præcipitur. Causa autem fornicationis vir aut mulier ab invicem discedentes, propter sacramentum nuptialis conjunctionis, aut innupti quousque alter eorum moriatur manebunt, aut sibi reconciliari studebunt. Reconciliatio autem, post pœnitentiam et reconciliationem sacerdotalem ejus qui peccavit, fieri debet, ut prius restituatur Ecclesiæ sacramento, et postea nuptiali mysterio.

Et hinc sanctus Augustinus in secundo libro de adulterinis Conjugiis dicit : Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum pudoris, propter quod fit reus adulterii qui dimissam duxerit etiam ob hanc causam fornicationis. Sicut enim in se manente sacramento regenerationis excommunicatus cujusquam criminis reus, nec illo sacramento caret, etiamsi nunquam reconcilietur Domino ; ita si manente in se vinculo fœderis conjugalis, uxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illa vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro : carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus ; reus vero excommumicatus ideo nunquam carebit regenerationis sacramento, etiam non reconciliatus quoniam nunquam moritur Deus. Remanet itaque ut, si sapere secundum Apostolum volumus, non dicamus virum adulterum pro mortuo deputandum, et ideo licere uxorem ejus alteri nubere. Quamvis enim sit mors adulterium, non corporis, sed quod pejus est, animæ ; non tamen de ipsa morte loquebatur Apostolus, cum dicebat : *Quod si mortuus fuerit vir ejus, cui vult nubat* (*I Cor.* VII) ; sed de illa sola qua de corpore exitur. Et item in eadem : Hæc namque alligatio quandoquidem non solvitur, etiamsi per repudium conjux a casta conjuge separetur ; multo minus solvitur, si non separata mœchetur. Ac per hoc non eam solvit nisi mors conjugis, non in adulterium corruentis, sed de corpore exeuntis. Quapropter si recesserit mulier ab adultero viro, et ei reconciliari non vult, maneat innupta : et si dimiserit vir adulteram mulierem, et eam non vult recipere, nec post pœnitentiam, custodiat continentiam, etsi non voluntate eligendi potioris boni, certe ex necessitate vitandi perniciosi mali.

Et hinc latius in præfatis libris doctor facundissimus disputat, sicut qui intelligenter legerit, nescire non poterit. Sed et in primo libro de Nuptiis et Concupiscentia dicit, quia lavacro regenerationis,

et verbo sanctificationis, omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundantur, atque sanantur, non solum peccata, quæ omnia tunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur : non ut baptisma, quoties peccatur, toties repetatur, sed quia ipso, quod semel datur, fit ut non solum antea, verum etiam postea, quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodest vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet ? Et in epistola ad Bonifacium scribit : Non aliquid remanet in baptismo, quod non dimittatur, præteritorum omnium peccatorum, si tamen ipse baptismus non frustra foris habeatur sed aut intus detur, aut si foris datur, non foris cum illo remaneatur. Et quidquid ab eis, qui post acceptum baptismum hic vivunt, humana infirmitate contrahitur quarumcunque culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur.

Hinc liquido demonstratur, quia sicut ut semel acceptum baptismi sacramentum, quo quisque fidelis in unitate catholicæ Ecclesiæ Christo incorporatur, postea nulla interveniente causa amittitur : sic et vinculum conjugale, legaliter et nuptialiter celebratum, indissolubiliter manet connexum licet fornicationis causa vel quacunque de causa videatur separatum. Causa vero fornicationis separatum si post pœnitentiam fuerit reunitum, non tamen ideo erit reiteratum, quia permanet unum. Sed si in continentia pœnitentiali, quod magis pœnitentibus convenit manere conjuges non valebunt, reconciliatione medicinali ex consensu mutuo, post ecclesiasticam reconciliationem, indulgentia computabitur esse sanatum : sicut nec baptismum, quoties peccatur, toties reiteratur ; sed pœnitentiæ medicamento per reconciliationem ecclesiasticam, non iteratum creditur, sed divina gratia reparatur. Reparari autem de non amisso eo modo dicitur, sicut mens et corpus eucharistiæ perceptione reparari, et satisfactione congrua renovari mentis nostræ spiritus legitur. Et sicut quæ ante baptismum, vel post baptismum humana ignorantia vel infirmitate peccantur, baptismatis munere est ut dignis pœnitentiæ fructibus remittantur : ita nuptiarum bono defenditur, ne crimina habeantur, quæ ab Apostolo secundum indulgentiam conceduntur : illa videlicet, quæ concupiscentia impellente non nisi conjugibus conceduntur ; tantum ut cum legaliter nuptis naturaliter concumbatur. Naturaliter autem dicimus, quia de Ona legitur (*Gen.* XXXVIII), quod cum uxore naturaliter non concumbens interiit percussus a Domino.

Unde beatus Augustinus in libro de bono conjugii, et de Nuptiis et Concupiscentia, et in aliis suis libris sufficientissime disputat. Sed et ibidem inter alia dicit : Quod ergo præcipiunt apostoli conjugibus, hoc est nuptiarum ; scilicet, uxori vir debitum reddat, et uxor viro, et filios procreare, matres familias esse. Quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit ad orandum, non cogunt nuptiæ, sed ferunt.

A Et sicut opera bona ad salutem æternam non prosunt sine baptismatis sacramento : et non est baptismum verum, quia non est Secundum Scripturam unum, id est, in unitate catholicæ fidei unicum, si catholice non fuerit celebratum : sic et legitimum et verum non potest esse conjugium, in quo docetur nuptiale non esse mysterium, vel quod non docetur nuptialiter copulatum. Unde et Dominus de nuptiis Joannem volentem nubere, ut tradunt historiæ, non post celebratas nuptias, sed de nuptiis, et ante carnis copulationem, vocando retraxit, qui legem non solvere, sed adimplere venit. De cujus scilicet Joannis futura uxore, nisi eum Dominus, non solum ante carnis unionem, verum et ante nuptiarum percelebrationem, revocaret, sicut de beati Petri uxore, B quæ continentissime perseveravit, non legitur utrum in continentia manserit, an secundum legem veterem, ut semen in Israel relinqueret, alii forte nubere delegerit : in cujus arbitrio hoc non maneret, si post legales nuptias fuissent nuptialiter copulati ; nec Joanni esse licitum secundum Evangelii documentum, si desponsatam, dotatam, et publicis nuptiis honoratam duxisset, etiam ante unionem carnis relinquere, si non delegisset ex consensu in continentia permanere, sed aliam ducere. Sicut non licet Stephano istam, quam desponsavit, dotavit et publicis nuptiis honoravit, licet ei non sit misius, relinquere, et aliam cum pœnitentia, vel sine pœnitentia ducere, nisi in istius concubitu incestale malum potuisset intervenire : sed aut ex consensu cum ipsa in continentia Stephanus permaneret, aut si se con- C tinere non posset, cum ea nuptialiter copulatus maneret. Si autem sine incestu, cum hoc debito ordine commisti forent, nisi ex mutuo consensu propter continentiam separari non possent, aut propter fornicationem separati, vel inuptii permanere, vel sibimet reconciliari deberent : et si cum incestu fuissent conjuncti, separatione eorum ac pœnitentia adulterium secundum auctoritatem canonicam sanari deberet.

Et hæc sibimet ita concinere sacra demonstrat auctoritas, dicens de Maria et Joseph : *Antequam*, inquit, *convenirent* (*Matth.* I), id est, antequam nuptiarum solemnia rite celebrarent. Verbo enim conveniendi, non ipsum concubitum, sed nuptias, quæ præcedere solent concumbendi tempus, insi- D nuat, quando ea quæ prius desponsata fuerat, esse conjux incepit. Et paulo post : *Voluit occulte dimittere eam* (*ibid.*). Videns Joseph sponsam concepisse suam, quam bene noverat a nullo viro fuisse attactam, cum esse justus et juste omnia vellet agere, optimum duxit, ut neque hoc aliis proderet, neque eam ipse acciperet uxorem, sed mutato occulte nuptiarum proposito, in conditione eam sponsæ manere pateretur ut erat. Sed si eam occulte dimitteret, neque acciperet conjugem, et illa sponsa pareret, nimirum perpauci essent, qui eam virginem, et non potius autumarent esse meretricem, et quasi adultera lapidaretur a Judæis.

Unde et sacri canones in capitulo, in quo de parentibus, qui fidem sponsalitiorum frangunt, decernentes providentissime statuerunt adjungere (*conc. Elib. c.* 54). Si tamen, inquiunt, sponsus vel sponsa in gravi crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes : quia quod parentes fidei fractæ debuissent judicium punitionis sustinere, ad eos jam qui meruerant pertinebit. Et ut ad superioris exempli ordinem redeamus, propterea consilium Joseph repente consilio meliore mutatur, ut videlicet ad conservandam Mariæ famam, ipse eam celebrato nuptiarum conjugio conjugem acciperet, sed castus castam perpetuo custodiret, ut sequitur : *Hæc autem eo cogitante ecce angelus Domini in somnis apparuit ei dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam (Matth.* I).

De cujus conjugii genere Siricius ad Himerium Tarraconensem episcopum scripsit, dicens (*cap. 4)*: De conjugii violatione requisisti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur. Et in concilio Ancyrano (*can.* 10): Desponsatas puellas, et post ab aliis raptas, placuit erui, et eis reddi, quibus ante fuerant desponsatæ, etiamsi eis a raptoribus vis illata constiterit. Quæ supra taxato ordine non modo sponsæ, verum etiam quasi conjuges factæ, etiam violenter corruptæ, ita sponsis reddendæ sunt, sicut etiam separati, sive fornicationis causa, et absque mutuo consensu disjuncti conjuges rejungendi sunt : fornicationis autem causa separati, aut innupti manebunt, aut ex consensu sibimet mutuo reconciliabuntur. De nuptiatis autem, sed innuptis, id est de nuptiarum celebratione, in quibus arrhæ sponsaliorum, et benedictio sacerdotalis, et dotationis confirmatio, et Christi atque Ecclesiæ mysterium ad completionis perfectionem dirigitur, sed non carnis unione completur, sed consilium bonum, ut de Joseph diximus, consilio meliore mutatur, ut in continentia perpetuo maneatur, ibidem iterum scriptum est : *Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut ei præceperat angelus Domini, et accepit conjugem suam, et non cognoscebat eam* (*Matth.* I). Accepit autem ad nomen conjugis, ob causas necessarias quæ tunc imminebant; et non cognoscebat eam ad opus conjugale, sed uterque in continentia permanebant.

Quod et Paulus licenter fieri posse in Epistola prima ad Corinthios, et Augustinus in libro primo de Nuptiis et Concupiscentia demonstrat dicens : Quibus vero placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut vinculum inter illos conjugale rumpatur : imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusque servanda sunt, non voluntaris corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab angelo dictum est ad Joseph : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, et reliqua, quæ latius ibidem prosequitur.

Qua de re his edocti testimoniis sacræ auctoritatis, quicunque desponsatas, dotatas, publicis nuptiis honoratas uxores ingenuas, vel ob hoc factas ingenuas duxerint, aut in perpetua continentia maneant, aut nisi hoc crimen incestuale, vel aliud quodlibet prohibuerit, quod in se vel secum non recipit Christi et Ecclesiæ sacramentum, nuptialiter nubant, si se ex consensu continere non poterunt, et non nisi fornicationis causa disjungantur : qui disjuncti, aut innupti permaneant, aut si continere non possunt, sibi post pœnitentiam reconcilientur. Ubi autem, ut in Stephani nuptiis, periculum cum periculo vitandum emerserit, minus periculum ad majus devitandum periculum, ut sanctus Gregorius in libris docet moralium, eligatur : sed et ipsum quod eligitur periculum non negligatur, verum dignis pœnitentiæ fructibus, videlicet piis operibus, et profusis lacrymis, ne æternaliter periculum maneat, sed salutari remedio temperetur, aut penitus evadatur, apud omnipotentis Domini misericordiam obtineri modis omnibus satagatur.

Nos autem hæc his idcirco interponere necessarium duximus, quia quosdam, etiam qui se doctores esse dicebant, audivimus pertinaci contentione intendere, quasi ex verbis beati Ambrosii, et sancti Augustini, quæ parum diligenter intenderant, virum non fornicantem, et a fornicatore muliere discedentem, aliam illa vivente ducere posse, et quæ causa fornicationis a viro recesserit, non posse reconciliari : illam autem quæ non causa fornicationis, sed alia qualibet recesserit, aut reconciliari, aut innuptam debere remanere ; non advertentes, quia sic adulterino sensu interpretabantur verba Apostoli, sicut et illi, contra quos olim beatus Augustinus istos libros descripserat, et Africana synodus, quæ præmisimus, definivit, quando et Cœlestianos evisceravit, et ipsas etiam Pelagianorum medullas excussit. Nec mirum : sic enim pravo erant infecti dogmate, sicut et moderni Prædestinatiani, qui veterum Prædestinatianorum hæresim, quasi de sancti Augustini verbis compilatam instaurare laborant. Quorum capita confregit, et verticem capillorum perambulantium in delictis suis conquassavit, atque contrivit beatus Cœlestinus papa in epistola decretali ad Venerium, et cæteros Gallicanos episcopos : et isdem beatus Augustinus in libro de Correptione et Gratia, et de Prædestinatione sanctorum, ac Bono perseverantiæ. Sed et sanctus Prosper, ex delegatione sedis apostolicæ, in absolutionibus objectionum Gallorum, Vincentianorum, atque Massiliensium, in libris etiam de Vocatione gentium, catholico sensu, et perfecta evidentissimæ rationis facundaque doctrina eorum argumenta dissolvit. Verba autem eorumdem auctorum, unde imperiti magistri talia insulsa captarunt, hic poneremus, si non pro solutione nodum componere vitaremus.

Addendum etiam necessarium duximus, ut his

sanctorum sententiis cognoscamus, nuptias, quas A concubitus pro quibusdam causis non sequitur, solvi posse, et propter incontinentiam feminas ad alias convolare valere. Sed subtilis investigatio, et rationabilis discretio in his prius est adhibenda, utrum quasi naturalis in viris sit hujusmodi commistionis impossibilitas (quia et sunt eunuchi, sicut scriptum est, qui de matris utero sic nati sunt,) an hoc impedimentum operatione diaboli, sicut fieri assolet, illis accidit. Quod si per sortiarias (33. *q.* 1), atque maleficas, occulto, sed nunquam vel nusquam injusto, Dominici judicio permittente, et diabolo operante, accidit, hortandi sunt quibus ista eveniunt, ut corde contrito, et spiritu humiliato, Deo et sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, et profusis lacrymis, ac largioribus eleemosynis, et B orationibus, atque jejuniis, Domino satisfaciant, cujus judicio, pro suo merito, et ab illa benedictione privari inviti meruerunt, quam Dominus primis parentibus ante peccatum in paradiso donavit, qua etiam post peccatum genus humanum in totum privari non voluit : et per exorcismos, atque cætera medicinæ ecclesiasticæ munia, ministri Ecclesiæ tales, quantum annuerit Dominus, qui Abimelech ac domum ejus Abrahæ orationibus sanavit, sanare procurent *(Gen.* **XX**). Qui forte si sanari non poterunt, separari valebunt. Sed postquam alias nuptias expetierit, illis in carne viventibus, quibus junctæ fuerint, prioribus quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt. Incestuosas autem nuptias, propter incestus crimen, quod habere non potest, ut prius C diximus, et iterum dicimus, Christi et Ecclesiæ sacramentum, non debere manere, sed crimen separatione et pœnitentia debere sanari noscamus. Stephani vero nuptias, de quibus agitur, ne incestus admittatur, debere dissolvi modis omnibus cognoscamus : et nuptias quæ nuptiale habent mysterium, non quacunque alia, nisi sola fornicationis causa, posse dissolvi, docente Veritatis auctoritate teneamus. Quoniam etsi communi consensu continentiam voverint conjuges, tanto obnixius, quanto spiritalius in Domino juncti manebunt : quorum conjunctioni, ac indivisæ separationi, nulla simulatio in oculis ejus intervenire valebit, qui cordium ac renum scrutator esse dignoscitur.

Unde Stephanus pro fornicatione, de qua, nisi D coactus necessitate eam publicaret, secreta confessione pœnitentiam agere poterat, et quia sacro nuptiarum mysterio, licet necessitate compulsus, simulationis culpam superinduxit, sicut ille qui zizaniam tritico superseminare non metuit : et quoniam post tale connubium, antequam legaliter dissolveretur, quod quasi legaliter visum fuit initum, alios pravo exemplo destruens, concubina usus fuisse dicitur, juxta modum culpæ, cum pietatis modestia, quia reverentiam Deo exhibuit, ne incestum fornicationi adjungeret, a proprio episcopo secundum ejus arbitrium, qui canones sic decernunt, pœnitentiam regularem suscipiat, et cum dignis pœnitentiæ fructibus peragat, ut qui suo neglectu Ecclesiam, et multos Ecclesiæ filios scandalizare præsumpsit, Ecclesiæ et ejus rectoribus atque filiis satisfaciat, et post satisfactionem, si se continere non poterit, juxta sententiam magni Leonis papæ ad Rusticum Narbonensem episcopum, et secundum decreta sancti Toletani concilii (*Decret. cap.* 25, *conc. Tolet.* VI, *can.* 8), copulam uxoris legitimæ exspectat, ne iterum fornicationis crimen incurrat. In quo tamen, cum eodem Patre loquentes sanctissimo, non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus. Nam secundum veram cognitionem nihil magis ei congruit qui pœnitentiam agit, quam castitas perseverans, et mentis, et corporis. Cui ne laqueum injiciamus, remedii manum porrigimus, non imperium actionis imponimus.

Quia etiam sanctus Siricius de benedictione sponsarum in decretis suis quædam ponere studuit. De quibus, quod notum est, sacri canones decernunt, et nos exinde aliqua diximus, et plura alia diceremus si his nuptiis, de quibus loquimur benedictionem sacerdotalem datam fuisse ex more ecclesiastico audiremus. Sed quibus debita fides defuit, locum benedictio sacerdotalis non habuit : præsertim cum scriptum sit : *In quamcunque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui ; et si fuerit in ea filius pacis, requiescet super illum pax vestra : sin autem, pax vestra ad vos revertetur* (*Luc.* **X**). Et Petrus Domino et fidelibus dicit : *Fide purificans corda eorum (Act.* XV). Et item scriptum est : *Omnia opera ejus ex fide*, et iterum, *Quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV). Et ubi peccatum manet, ante congruam satisfactionem benedictio locum non habet. Nihil enim, ut beatus dicit Gregorius, prodest oratio, ubi iniqua est actio.

Post hæc omnia, si Regimundus filiam suam recipere non voluerit, aut illa in sua libertate manere decreverit, indicandum est eis, quoniam si ipsa stuprum quodcunque consenserit, ad illum, vel ad illam, non autem ad Stephanum, quod perpetratum fuerit pertinebit. Debetis etiam vos, sancti antistites, et Regimundo et Stephano, atque illorum parentibus et amicis, ex divino mandato suggerere, intimare, atque præcipere, ut pacem inter se, quam Dominus præcepit, et sine qua eum nisi ad judicium videre non poterunt, habeant; et terræ principes cum primoribus debent satagere, ne pro hac causa in Ecclesia, et in regno, scandala et seditiones fiant. Quod qui eorum obedire contempserit, juxta evangelicum præceptum, sicut ethnicus et publicanus efficiatur : et secundum Apostolum, qui non obedit verbo notetur, ut nemo ei commisceatur ; et qui hanc pacis doctrinam non receperit, nullus ei Ave dicat, ut non communicet peccatis ejus, et sicut canones decernunt, oblatio ejus nec in sacrario recipiatur. Et qui ad pacem redire noluerit, tandiu excommunicatus maneat, quandiu ad pacem redire

contempserit, et ad charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum, quantocius redire festinet.

Et item in canonibus scriptum est, ut de concilio bini vel terni judices ad quæque diffinienda deligantur atque mittantur, quæ ecclesiastico debent examinari ac diffiniri judicio, et alibi rationabilius atque convenientius quam in eodem concilio poterunt definiri ; et quisquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ sedis episcopo fuerit probatum, det litteras ut nullus ei communicet donec obtemperet. Qua de re sancta synodus vos, qui primarum sedium regni Aquitanici estis, ad hanc causam diffiniendam, cum coepiscopis vestris, et principibus, ac terræ illius primoribus, eligere studuit quorum diffinitioni sine suo periculo et excommunicationis invectione, quisquis vobis obtemperare distulerit, evadere non valebit.

Hæc de evangelica veritate, et apostolica atque canonica auctoritate, seu catholicorum doctrina et traditione, sicut synodus sancta jussit, pro mediocritate ingenioli mei colligere studui. De quibus, sicut audivi quoniam quidam faciunt, nemo contra me debet irasci : quia non meo sensu mea verba composui, neque quod meum non est mihi arrogare præsumpsi, neque statuendo vel imperando in hac causa, quod non est meum, quiddam scribere procuravi, nullius præjudicans sanæ sententiæ, nec deshonorans auctoritatem, aut ad obsequendi quemquam cogere volens necessitatem. Sed cum beato Leone scribente ad Rusticum Narbonensem episcopum, dilectissimam atque reverentissimam fraternitatem vestram commoneo, quia sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli ita multa sunt quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari : illa semper conditione servata, ut in his quæ vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inveniatur adversum.

EPISTOLA XXIII.

AD CAROLUM IMPERATOREM.

De auctorite Vitæ S. Dionysii ab Anastasio translatæ.

(Apud Mabill., Analect., page 212.)

Domno glorioso CAROLO imperatori Augusto, HINCMARUS, nomine, non merito, Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus.

Lecta beati Dionysii Passione a Methodio Constantinopolim Roma directo Græce dictata, et ab Anastasio utriusque linguæ perito et undecunque doctissimo, apostolicæ sedis bibliothecario. Latine conscripta, sicut in præfatione sua narrat, recognovi his quæ ibi scripta sunt ea quæ in adolescentia legeram consonare, videlicet per quos et qualiter gesta martyrii beati Dionysii sociorumque ejus ad Romanorum notitiam indeque ad Græcorum pervenerint. Nam quando Deo disponente in Franconofurth palatio nati estis, Hucberto præcentori palatii episcopium Meldensis urbis commissum est,

A ubi propter Hilderici episcopi ætatis prolixitatem et diturnam ægritudinem, quædam ad scientiam et religionem pertinentia, necnon et ædificia et cætera quæque necessaria neglecta invenit. Quapropter a familiari suo Bodone clerico domni et nutritoris mei Hilduini abbatis sacri palatii clericorum summi quemdam clericum ipsius Bodonis propinquum, nomine Wandelmarum, qui cantilenam optime a Teugario magistro in sancti Dionysii monasterio didicit, ad erudiendos clericos suos obtinuit ; cui abbatiolam sancti Sanctini in beneficium dedit. Idem autem Wandelmarus in loco sibi commisso quaterniunculos valde contritos, et quæ in eis scripta fuerant pene delecta, de Vita et actibus beati Sanctini reperit, quos ob familiaritatis notitiam, et quia me

B sciolum putabat, ad exhaurienda ea quæ in eisdem quaterniunculis contineri videbantur, et ad transcribendum aperte in nova pergamena mihi commisit. Quod est studiose peregi, et mihi emendata emendanti restitui. Sed quia diu est quod idem Wandelmarus etiam ante obitum Hucberti defunctus fuit, et sicut audivi, idem locus neglectus exstitit, ac demum in eadem urbe Nortmanni fuerant, et quædam incendio concremaverant, quædam vero prædantes diripuerant, nescio si ipsi quaterniunculi vel eorum exemplaria in eadem urbe valeant reperiri. Propterea eorum exemplarium quod mihi retinui, vestro devoto et bono studio offerendum putavi : ut si quæ sunt illorum reliquiæ, qui negabant Dominum et Patrem nostrum, patronum nostrum Dionysium esse Areopagiten, et a beato Paulo apo-

C stolo baptizatum, ac Atheniensium ordinatum episcopum, et in Gallias a sancto Clemente directum, ex his quæ Græca testificatio et Romanæ sedis assertio et Gallicana intimat contestatio, ratum et in hac recognoscant, quod inde ante nos dictum est. Nam veritas sæpius agitata magis splendescit in lucem.

EPISTOLA XXIV.

AD CONVENTUM EPISCOPORUM.

Responsio ad interrogationem Guntharii archiepiscopi Coloniensis, de uxore Bosonis quæ virum suum relinquerat.

(Apud Sirmond., ex veteri codice Biblioth. Thunæ.)

HINCMARUS nomine, non merito, Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, sacro CONVEN-

D TUI.

Quiddam beato Ambrosio quædam proposuit, ad quorum solutionem in crastina illum ad ecclesiam invitavit, unde sermonem adoriens (*De Incarn. Domini*) : Ad solvendum, inquit, debitum creditori meo adveni. Sed et ego de mihi proposita heri quæstione, cujus solutionem nunc assero, tunc domno Guntario pro tribus causis respondere non potui : videlicet, quia ad revertendum jam jamque commovebamur, et quoniam plures viri sapientes in conventu consistunt, quorum quidam certant proponere, quidam autem absolvere, interdum necessitate compulsus tanta velocitate cogor verba con-

fundere potius quam proferre, antequam alius mihi A sententiam ab ipsis labiis rapiat, ut nec bucca efferre sufficiat quod vel convulsa memoria subministrat. Sed et sicut scriptum est : *Qui fortiter premit ubera, exprimit butyrum ; et qui vehementer emulget, elicit sanguinem* (*Prov.* XXX), timui ne si inconsulte ac præpropere responderem, in carnalem intellectum deciderem, quia occupatum ad alia cor meum me dereliquerat, et lumen intelligentiunculæ serenum mihi vel mecum non erat. Quapropter distuli, donec si forte secundum prophetam (*Ezech.* III) mitteretur manus, quæ me cibaret intellectus volumine : quæ videlicet toties mittitur quoties quæ ante nesciebamus divina nobis gratia revelantur. Qua de re propositionem domni Guntharii præferamus, et solutionem ex largitione divinæ gratiæ pro captu nostræ intelligentiæ referamus.

« Si, inquit, femina Bosonis ad nos venerit, et « publice confessa fuerit, dicens : Mea culpa, virum « meum adulteravi : quapropter timore mortis perterrita ad vos confugi, qui Dei estis vicarius, « ut me et Deo salvetis, et a morte corporali, « quæ mihi imminet ex parte mariti mei, me liberetis ; utrum debeam illi publicam pœnitentiam imponere, quam aut in parochia mea, in « quam confugit, sejuncta a viro suo peragat, aut « eam eidem viro suo sub tali conditione reddere « debeam, ut nullo modo eam interficiat, sed post « pœnitentiam illam in conjugio habeat. Quam si « interfecerit, sciat se ecclesiastica damnatione « plectendum, quoniam nefas est quemquam in « publica pœnitentia positum a quocunque interfici. »

Respondemus : Feminam illam in tua vel alterius cujusque parochia natam, baptizatam, nutritam, adultam, facultatum hæreditate ditatam, Boso ex alia non modo parochia, verum ex alia provincia natus, et per omnia incrementa in perfectum virum perductus, sub alterius episcopi cura degens secundum legem divinam et humanam, apud eos quorum intererat obtinuit, desponsavit, dotavit, publicis nuptiis honoravit, et sibi in conjugii copula sociavit, et unum corpus unamque carnem secum effecit, sicut scriptum est : *Erunt duo in carne una ; jam non sunt duo, sed una caro* (*Gen.* II ; *Matth.* XIX) ; et : *Quod Deus junxit, homo non separet* (*Matth.* XIX) ; nisi forte perpetuo, ex consensu, propter continentiam, unde tanto conjuncti sunt amplius quanto et spiritualius ; aut ad tempus, ut vacent orationi, et revertantur iterum in idipsum, ne tententur a Satana propter incontinentiam (*I Cor.* VII) ; aut causa fornicationis, qua separati, aut sic, id est innupti et separati maneant, aut mutuo reconcilientur. Quomodo poteris inferiorem partem corporis hominis illius qui sub alterius providentia degit, separare, et tenere sub pœnitentia, quæ nec orationi continenter sine consensu partis superioris vacare potest ? Mulier enim non habet potestatem corporis sui, sed vir ; et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier (*Ibid.*). Uxori vir debitum reddere debet, et uxor viro, ut non tententur a Satana propter incontinentiam. Quod qui eorum non fecerit, nisi ex consensu propter Deum dimiserit, parem suum, imo partem corporis sui mœchari facit. Si tu huic feminæ pœnitentiam posueris, quæ pars est corporis viri diœcesis alterius, sine consensu rectoris et viri, contra regulas ecclesiasticas facis, et, docente Leone papa, honoris communione privaris. Et item : Si huic feminæ lege pœnitentiæ manum imponis, et illa membrum caput suum (caput enim mulieris vir), in alteram provinciam secuta fuerit, sub providentia alterius præsulis quis curam de ejus accipiet pœnitentia ? Quis ut reconcilietur B secundum canones, ad ejus attendet lacrymas et confessionem, quam non audivit ? Quis ei manum ad reconciliationem imponet, sacris regulis decernentibus, ut nemo episcoporum sub manu positum alterius sacerdotis ad reconciliationem suscipiat, neque reconciliatum sine litteris vel consensu reconciliatoris recipiat ? Et quomodo partem corporis, imo hominem alterius episcopi et parochiæ judicabis, quin pœnitentiali judicio condemnabis ? cum scriptum sit, quod sanctus Gregorius hinc in suis decretis exposuit : « *Si transieris per messem amici tui, fricans confricabis spicas manibus tuis, et manducabis, falcem autem non mittas* (*Deut.* XXIII), sive falce non metas, id est homines parochiæ alterius verbo prædicationis et exemplo operis C (ita tamen ut non conculces smpliciorem fratrem tuum, ne indicas in ruinam et laqueum, vanam scilicet gloriam diaboli) in corpus Christi, quæ est Ecclesia, festina trajicere, falcem autem judicii non permitteris mittere, vel falce judicii metere, id est incidere sive abscidere. » Et quoniam, sicut ipse Boso dicit, eidem mulieri, quæ caro sua est, nullum crimen impingit, sed non modicam negligentiam, quia ab ejus se subtraxit servitio, et quantum ex ipsa est, illum mœchari fecit, contra auctoritatem atque justitiam eum dimittens, et in aliis regnis circiter per triennium immorans, contumax mandatis illis adeo exstitit, ut nec compellata per tanta temporum spatia ad eum redierit, pro domni apostolici est jussione illi paratus indulgere; restat ut rex, in cujus regno degit, secundum conD scriptionem chirographi regum nostrorum, eam ad viri sui præsentiam adduci faciat, et tu episcopus, in cujus parochia immoratur, quia hoc non est regis, sicut sanctus Gregorius de his qui ad Ecclesiam confugiunt præcipit, si exposcit necessitas, securitatem de æquitate sibi servanda apud virum ejus expetas et obtineas, et post hoc missus reipublicæ viro uxorem fuga lapsam restituat. Qui vir, si sacramentum fregerit, et apostolicis monitis inobediens exstiterit, episcopus ad cujus curam pertinet, canonicum judicium in illum proinde exerat. Si autem confessa, vel legaliter de adulterio convicta, incolumis evaserit, lege ecclesiastica pœnitentiæ illam

isdem episcopus subigat, quia et mundanis legibus A cautum atque usitatum esse dignoscitur, ut mala quæ perpetrantur in illis locis emendentur, in quibus perpetrata fuisse legaliter comprobantur. Præter hæc nihil mihi videtur agendum, nisi aut domni apostolici monita exsequamur aut judicium incurramus.

De sacramento autem, quoniam quasi ad pietatem confugit ecclesiasticam, quia tuum, id est episcopale poposcit auxilium, quod ex impunitate, in membrorum vel vitæ, si ita qualitas facti exegerit, legali privatione requiris, super id quod sanctus decrevit Gregorius pro eis etiam qui ad sacraria sacra confugerint requirendum, videlicet de æquitate servanda, subtiliter debes perpendere, ne videaris vel dicaris non solum Ecclesiæ, verum et totius mundi statum et ordinem atque vigorem velle confundere B atque destruere, et apostolicæ atque apostolicorum virorum doctrinæ obsistere, qui non solum leges a Christianis regibus promulgatas observaverunt, et observantes tradiderunt, verum etiam promulgandas expetierunt, sicut in Carthaginensis atque Africani concilii cæterorumque conciliorum canonibus, et in decretis apostolicæ sedis multoties reperitur. Unde et sanctus Gregorius commonitoria ad Joannem defensorem et ad alios etiam ex integro de legalibus edictis condiderat, et sanctus Gelasius ad imperatorem Anastasium scripsit (*epist.* 10, sub initium) : « Si enim, inquiens, quantum ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis C exclusæ videantur obviare sententiæ, quo, oro, te decet affectu eis et convenit obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis. » Et sanctus Leo ad Turibium Asturicensem episcopum scribens (*epist.* 4, sub initium) : « Merito, inquit, patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egerunt ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur ; quando etiam mundi principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut auctorem ejus cum plerisque discipulis legum publicarum ense prosternerent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam dissociari, simulque divinum jus humanumque subverti, si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset. Profuit diu ista districtio ecclesiasticæ leni- D tati, quæ etsi sacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spiritale nonnunquam recurrunt remedium qui timent corporale judicium. Ex quo autem multas provincias hostilis occupavit irruptio, et exsecutionem legum tempestates interclusere bellorum, ex quo inter sacerdotes Dei difficiles commeatus, et rari cœperunt esse conventus, invenit ob publicam pertubationem secreta perfidia libertatem, et ad multarum mentium subversionem his malis est incitata, quibus debuit esse correcta. »

Lege librum XVI legis Romanæ, lege decreta Damasi, percurre Leonis epistolas et cæterorum pontificum de diversis conciliis ad imperatores transmissas ; revolve Augustorum edicta de hæreticis ad petitionem pontificum promulgata, scrutare Cæsarum nostrorum capitula, et invenies quantum profuerit atque prosit legum severitas, non solum ecclesiasticæ lenitati, verum totius Christianitatis optandæ paci et colendæ tranquillitati. Sapientia namque, videlicet Christus Dei virtus et Dei sapientia dicit : *Per me reges regnant, et conditores legum justa decernunt* (*Prov.* VIII) ; et Apostolus : *Lex quidem est sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum* (*Rom.* VII, 12). Unde Ambrosius : « Mandatum legem intelligi evangelicus sermo testatur. » Ait enim : *Si vis ad vitam venire, serva mandata* (*Matth.* XIX). Et item Apostolus : *Lex propter transgressiones posita est* (*Gal.* III, 19). Et : *Lex non est posita justis, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis, contaminatis, patricidis et matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur* (*I Tim.* I, 9). Et item : *Nam qui principantur non sunt timori bonis operibus, sed malis* (*Rom.* XIII, 3). Unde Ambrosius : « Principes hos reges dicit, qui propter corrigendam vitam et prohibenda adversa creantur. Dei habentes imaginem, ut sub uno sint cæteri. » Et item Apostolus : *Vis autem non timere potestatem ? Bonum facito, et habetis laudem ex illa* (*ibid.*) Hinc idem doctor : « Laus ex potestate tunc surgit, cum quis innocens invenitur. Dei enim minister est tibi in bono. Manifestum est ideo rectores datos ne malum fiat. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat : hoc est, ideo comminatur, ut, si fuerit contemptus, vindicet. Dei enim minister est, vindex in ira in eum qui male agit. Quoniam futurum judicium Deus statuit, et nullum perire vult, huic sæculo rectores ordinavit, terrore interposito hominibus, velut pedagogi sint, erudientes illos quid servent, ne in pœnam incidant futuri judicii. Ideoque subditi estote, non solum propter iram, id est ultionem præsentem, sed etiam propter conscientiam. Recte dicit subjectos debere esse, non solum propter iram, id est ultionem præsentem, parit enim vindictam, sed propter futurum judicium, quia si hic evaserint, illic eos pœna exspectat, ubi, accusante ipsa conscientia, punientur. » Et sanctus Cyprianus in nono abusionis gradu dicit : « Quia regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. » Et item ibi inter cætera : « Debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, parricidas et perjurantes non sinere vivere, filios suos non sinere impie agere. » Et beatus Joannes Chrysostomus in homilia decima sexta Matthæi evangelistæ : « *Auditis*, inquit Dominus, *quia dictum est antiquis : Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Matth.* V). Non enim ut nobis vicissim effoderemus oculos sanxit hanc legem, sed ut metu quo ab alio

istud timemus pati, ipsi quoque tale quidpiam caveremus admittere, ut et qui ipso voluntatis bono nollent a crudelitate desinere, saltem metu cogerentur oculis parcere proximorum : si vero illud crudele dicitur, et homicidam et adulterum coerceri crudele dicatur. Sed insipientium omnino ista verba sunt, et extremo furore dementium. Ego enim adeo metuo dicere hæc esse crudelia, ut his contraria etiam iniqua perdoceam, quod certe communis quoque ratio deprehendit. Tu enim dicis quia oculum pro oculo jussit auferri, idcirco crudelis; ego autem refero, quia nisi præcepisset istud, tunc vere apud plurimos talis fuisset, qualem tu eum falso esse conquereris. Denique sermone fingamus omnem legem esse dissolutam, nec quemquam pro hujuscemodi factis formidare supplicium, sed cunctis prorsus malignis licere uti moribus suis, et adulteris, et homicidis, et furibus, et perjuris, et parricidis, nonne sub hac licentia omnia pariter una confusio iniquitatis involveret? Nonne mille sceleribus et cædibus urbes, fora, domus, maria, totusque omnino mundus fuisset impletus? Nam si legibus certe dominantibus, et vigente comminatione atque terrore, vix tamen voluntates cohibentur malignæ, si etiam hoc præsidium defuisset, quanam posset malitia ratione frænari? aut quæ non in vitam hominum pestis irrueret? Nec tamen solum istud crudele est, permittere scilicet malis agere quæ velint: sed aliud quoque isto certe nihil minus, id est læsum et immerito afflictum negligere atque despicere? Dic enim mihi, si quis feros homines ac semper malignos in unum colligens, gladiis armaret, totamque circumire civitatem juberet, atque obvios sibi quosque confodere, quid tandem hoc esset immanius? At si alius eos quidem, qui ab illo armati essent, ligaret, violenterque constringeret, eos vero qui interimendi erant ab iniquis illis manibus liberaret, quid e regione isto inveniretur humanius? Hæc igitur etiam ad legum transfer exempla. Quæ enim oculum pro oculo effodere præcepit, timorem quasi carnificum peccatoribus immitens, illius similis invenitur, qui illos quos dixi cohibuit armatos. Qui vero nullam omnino pœnam decrevit nocenti, sed armasse tibi iniquitatem videtur, eumque imitatum fuisse qui sceleratos illos gladios instruxit, hincque totius civitatis immisit exitium, videsne quemadmodum non solum nullius crudelitatis, verum etiam maximæ pietatis sunt illa præcepta? » Et in epistolis beati Gregorii idem competenti ultione plectendis maleficis et iniquis sæpenumero qui legere voluerit, invenire valebit.

Unde, frater charissime, collige, quia contra hæc agere aut exigere, non solum est pietatis jura confundere, verum et sacerdotali innocentiæ ac puritati detractionis molestias importare, et derogationis blasphemias irrogare. Dicent enim maliloqui : Paulus dicit: *Non solum qui faciunt, seu qui consentiunt facientibus, digni sunt morte* (*Rom.* I, 32), iste iniquos coerceri non sinit. Unde et Dominus per Psalmistam tali sicut iste est sacerdoti : *Quare*, inquit, *tu enerras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, currebas cum fure, et cum adulteris portionem tuam ponebas* (*Psal.* XLIX, 16-18). Non enim foveret melos si bonum diligeret : sed diligens Dominum, et odiens vitium, quod suum ageret, et quod a Deo per conditores legum justa decernentes decretum est non oppugnaret. Et iniquæ mulieres ac perversi homines inquient : Faciamus quod volumus, et adeamus ecclesiam vel episcopum et erimus impuniti. Hinc namque vituperabitur ministerium nostrum, et erimus contemptibiles, ut videlicet legalem justitiam injustis a Domino positam contemnentes, quia unaquæque lex justa crimen non habet, ne sit injusta, et tamen criminosum punit, ut vere sit justa. Et e regione quidam jactabunt, Scriptura dicit : *Ne sis multum justus. Beati quoque misericordes* (*Eccli.* VII; *Matth.* V). Et: *Judicium illi sine misericordia, qui non facit misericordiam* (*Jac.* II, 13); et : *Superexaltet judicium misericordia* (*ibid.*); et Dominus adulteræ : *Nec ego te condemnabo : vade, et amplius noli peccare* (*Joan.* VIII, 11). Et tu sacerdos, cui misericordiam nisi misero debes impendere, et illi claudis non miserendo misericordiæ viscera, qui in eum liber es a punitione? Quam utriusque partis derogationem erga sacris mysteriis servientes provide atque discrete cavens beatus Gregorius ad Leontium exconsulem scribit : « Debet, inquiens, gloria vestra meminisset quia nunquam meas epistolas pro commendatione alicujus accepit, nisi ut protectionem vestram faciente justitia præstaretis, quia turpe est defendere quod prius non constiterit justum esse. Ego quidem homines propter justitiam diligo, non autem justitiam propter homines postpono. » Et ad Romanum defensorem (*lib.* VII, *epist.* 24, *indict.* 2): « Patrocinia ecclesiastica, sive mea suscipiatis scripta, sive etiam minime fuerint directa, sub tanto moderamine debeatis impendere, quatenus hi qui in furtis publicis implicati sunt, a nobis non videantur injuste defendi, ne opinionem male agentium ex indiscretæ defensionis ausu in nos ullo modo transferamus : sed quantum decet Ecclesiam, admonendo et verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite, ut et illis opem feratis, et opinionem sanctæ Ecclesiæ non inquinetis. » Sed et de his qui ad septa ecclesiæ, et etiam ad ipsa sacraria confugerint sanctuarii, ad Joannem episcopum Caralitanæ civitatis scribit : « Si, inquiens, de quibus est quæstio, ad ecclesiam fortasse refugerint, ita debet causa disponi, ut nec ipsi violentiam patiantur, nec hi qui dicuntur oppressi damna sustineant. Curæ ergo vestræ sit, ut eis sacramento ab his quorum interest, de servanda lege et justitia promittant, et per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum reddere rationem. »

Hæc, domini et fratres, rogatus, vobis audientibus, a suprascripto venerabili consacerdote nostro, sapientiæ vestræ deposui : quæ si illi ad interroga-

tionem suam non videntur sufficere, plura hinc poterit in sanctorum paginis legere, et a nostra mediocritate in solutionibus quæstionum, de quibus ab aliis interrogatus sum, vicesimæ secundæ, et vicesimæ octavæ latius invenire.

Quoniam quidem supra chirographi regum nostrorum memoriam feci, quæ de his ibidem constituta sunt hic subnectere procuravi (*Capitul. Caroli Calvi*, tit. 8, c. 4) : « Et quia per vagos et tyrannica consuetudine irreverentes homines pax et quies regni perturbari solet, volumus ut ad quemcunque nostrum talis venerit, ut de his quæ egit rationem et justitiam subterfugere non possit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat vel retineat, nisi ut ad rectam rationem et debitam emendationem perducatur : et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cujus regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno deleatur. Similiter et de eo agendum est, qui pro aliquo capitali et publico crimine a quolibet episcopo corripitur, vel excommunicatur, aut ante excommunicationem crimen faciens, regnum et regis regimen mutat, ne debitam pœnitentiam suscipiat, aut susceptam legitime peragat : interdum etiam incestam propinquam suam, aut sanctimonialem, vel raptam, sive adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens secum ducit. Hic talis, cum episcopus, ad cujus curam pertinebit, nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi vel latendi locum in regno alicujus nostrum inveniat, et Dei ac nostros fideles suo morbo inficiat, sed a nobis, vel per ministros reipublicæ constringatur, et ut simul cum diabolica præda, quam secum duxit, ad episcopum suum redeat, et de quocunque crimine publico debitam pœnitentiam suscipiat, aut susceptam legitime peragere compellatur. »

EPISTOLA XXV.

AD HILDEGARIUM EPISCOPUM MELDENSEM.

De judicio aquæ frigidæ.

(Apud eumdem, ex codice S. Remigii Rhemensis.)

HINCMARUS Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, dilecto fratri ac venerabili episcopo HILDEGARIO salutem.

Dum confabularemur, et inter nos de quibusdam quæreremus, sermo habitus est de judicio aquæ frigidæ, de quo Rabanum venerabilem archiepiscopum Moguntinæ civitatis quædam scripsisse dixisti, ex cujus scriptis quid mihi videretur sciscitari curasti. Unde inter alia et me scripsisse ad interrogationem fratrum ac coepiscoporum nostrorum de regno quondam junioris Lotharii tibi respondi, quæ ex scriptis nostris excipi et tibi transmitti magnopere postulasti. Et quia scriptum est : *Omni petenti te da, et volenti mutuari a te ne avertaris* (*Matth.* v, 42), quæ petisti de responsionibus exiguitatis nostræ ad interrogationes prædictorum fratrum nostrorum excerpta tuæ dilectioni transmitto, A quæque utrum probabilia, aut per auctoritatem et rationem improbanda sint, catholici lectoris judicio derelinquo. Loquens Dominus de judicio quod in secundo adventu suo est futurum per ignem, commemoravit illud quod primum per aquam factum est : *Sicut*, inquiens, *factum est in diebus Noe, ita erit et in die filiis hominis* (*Matth.* XXIV, 37). Et referens quod per ignem Sodomam judicaverit, similiter, inquit, *sicut factum est in diebus Lot* (*Luc.* XVII, 28). Solertia Christianitatis, inter acta et agenda judicia consistentis, ex antiquo sanxit et frequentavit judicium quod fit per aquam, quodque sub Noe factum fuerat in arca fidei, liberans innocentes et condemnans noxios. In ignita autem aqua, sicut factum est sub Lot in igne, et fiendum in adventu B Filii hominis, Petro attestante, qui, dicit : *Quod cœli erant prius et terra, de aqua, et per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cœli autem qui nunc sunt et terra, eodem verbo, repositi sunt, igni reservati in diem judicii et perditionis impiorum hominum* (*II Petr.* III, 5); aperte docens quia non alii cœli sunt igne perituri, quam qui aqua perditi, hoc est inania hæc et nubilosa ventosi aeris spatia. Neque enim aqua diluvii, quæ quindecim tantum cubitis montium cacumina transiit, ultra aeris ætherisque confinia pervenisse credenda est. Quocunque autem pervenire potuit, eo nimirum, juxta præfatam beati Petri sententiam et ignis judicii perveniet. Sed quia scriptum est : *Cœlum et terra transibunt* (*Matth.* XXIV, 35); et iterum : *Terra vero in æternum stat* C (*Eccle.* I, 4), sciendum est quia cœlum et terra per eam quam nunc habent imaginem transeunt, attamen per essentiam sine fine subsistunt. *Præterit enim figura hujus mundi* (*I Cor.* VII, 31), *et erunt*, inquit, *cœlum novum et terra nova;* quæ quidem non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renovabuntur. Transient et permanebunt, quoniam ab ea specie quam nunc habent tergentur, et in sua semper natura servabuntur. Unde scriptum est : *Mutabis ea, et mutabuntur* (*Psal.* CI, 27).

Quapropter fieri aquam ignitam, ad hæc duo copulata in unum indaganda judicia, illud videlicet quod jam per aquam factum est, et illud quod per ignem fiendum est, licet sint pro temporum varietate disparia, sed unum sunt operationis mysterio, D in quibus sancti liberantur illæsi, et reprobi puniuntur addicti, Ecclesiæ, quam designavit arca diluvii, creditur tradidisse auctoritas, quæ etiam inde sanxit ut aquæ baptismatis halitu sacerdotali sanctus insuffletur Spiritus, qui inter ipsa mundi primordia ferebatur super aquas. Ut jam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet, et quo rubigo omnium excoquitur peccatorum, cerei lumine sanctificato accensi a loco teneantur immissi, donec ejusdem fontis consecratio compleatur, per eum qui nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa diluvii effusione signavit, ut unius ejusdemque elementi mysterio, et finis

esset vitiis, et origo virtutibus, quique venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. Quia in eodem baptismate, in quo signanter Moyses propheta lignum velut in myrrhato fonte miserat, et dulcoratus est (*Exod.* XV, 25,) prædicata per Domini sacerdotem sanguinis Christi cruce, tres unum sunt, non natura, sed operationis mysterio, id est, sanguis redemptionis, spiritus sanctificationis, et aqua lavacri : ubi exsufflatus et exorcizatus immundus spiritus exit ab homine, fitque mundi judicium, et princeps mundi foras ejicitur, et qui in veritate non stetit, mendax et pater mendacii a veritate naturæ secernitur, quæ ad imaginem Dei condita, et ex aqua et Spiritu sancto renata, ad suum reformatur principium, ac fide interius exteriusque purgatur, et ab omni figmento mendacii totiusque malitiæ innocens comprobatur. Sed et si quis frigida tantum aqua, vel igniti cujuscunque elementi judicio, in auctorem et gubernatorem elementorum, quem omnia fideliter invocatum sentiunt elementa, sicut in Moysi virga et aquæ in sanguinem versæ, et iterum sanguis in aquas, et petra quæ dedit aquam (*Exod.* VII, 20; XVII, 6), et sub Eliseo sal vel lignum aquæ immissum (*IV Reg.* I, 21), indubitanti fide, quæ est argumentum non apparentium, credens fieri satis sibi decreverit, nihil differt. A qua enim frigida, sicut et in baptismate sacratur, in diluvio innoxii cum arca sunt ad cœlum levati, et noxii perditi, igneque sunt Sodomitæ puniti. Et in libro Numeri aqua frigida, in quam Dominus imprecationes jussit elui, hausta a muliere adultera computrescendum femur ipsius legitur (*Num.* V, 27). Et Joannes Apostolus de olei ferventis dolio evasit illæsus. Et qui aquam ignitam delegerit, intelligat quoniam venientem ad futurum judicium terribilem Judicem tempestas ignisque comitabuntur, sicut scriptum est : *Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX, 3), ut tempestas examinet quos ignis exuret. Et ignis ille futurus sanctis erit pervius, qui rapientur nubibus obviam in aera Domino, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Quoniam quidem de purgationis judicio per aquam ferventem vel frigidam se ratio intulit, dicamus quod quidam sagacis ingenii vigilanter adjiciunt. Constat nimirum, ut inquiunt, quia in aqua ignita coquuntur culpabiles, et innoxii liberantur incocti. Quia de igne Sodomitico Lot justus evasit inustus. Et futurus ignis, qui præibit terribilem Judicem, sanctis erit innocuus, et scelestos aduret : ut olim Babylonica fornax, quæ pueros omnino non contigit, neque contristavit, vel quidquam molestiæ intulit, sed vincula eorum comburens, incendit quos reperit de Chaldæis ministros regis qui eam succendebant (*Dan.* III, 48, 50). Sed in aquæ frigidæ judicio quibusdam non constare videtur quod innoxii submerguntur, et aquam culpabiles supernatant, cum in cataclysmi judicio innocentes cum arca levantur, et noxii submersione perierint. Et Ægyptii insequentes

A Hebræos per mare Rubrum, respiciente Domino in vigilia matutina per columnam ignis et nubis, submersi sint quasi plumbum in aquis vehementibus, et ne unus quidem superfuit ex eis (*Exod.* XIV, 24). Et filii Israel super littus stantes viderunt Ægyptios mortuos. Et infideles ac peccatores terra sustinere non potuit, quando aperta est et deglutivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron (*Num.* XVI, 32). Et Petrum fide fidentem aquæ instabilitas se calcantem sustinuit, in fide vero dubitantem jam pene dimersum obsorbuit, quando eum Christi dextera allevavit (*Matth.* XIV, 29); et ipsius Epistolæ sententiam (*I Petr.* III, 20) de figura baptismatis in arca diluvii exponentes Patres catholici, dicunt quia non aliis, sed ipsis aquis hæretici et mali Christiani

B ad inferna merguntur, quibus orthodoxi et justi quique ad cœlestia regna sublevantur. Sed sciendum nobis est, ut beatus dicit Gregorius (*hom.* 26 *in Evang.*), « quod divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis : nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Et cum Paulus apostolus dicat : *Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI, 1), profecto liquet quia fides illarum rerum argumentum est quæ apparere non possunt. Quæ enim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. » Sed hæc ipsa Redemptoris nostri opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia ejus operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Et idcirco Dominus quædam

C de Scripturis per semetipsum dignatus est exponere, ut sciamus rerum significationes quærere in his etiam quæ per semetipsum noluit explanare. Unde in responsum accipiant, qui in divinis judiciis atque miraculorum signis experimentum humanæ postulant rationis, quoniam et justos continens arca, qua fidelium est designata Ecclesia, fides sanctæ Trinitatis, quæ per incarnationem Jesu Christi ædificata, et omnes de quibus dixit Dominus : *Finis venit universæ carnis coram me, repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra* (*Gen.* VI, 13), superfluente aqua operti, et non omnes submersi sunt, sed innoxii liberati, et puniti sunt noxii, sicut scriptum est : *Ingressus est Noe, et filii ejus, uxor ejus, uxores filiorum ejus cum eo*

D *in arcam, propter aquam diluvii* (*Gen.* VII, 17); et post paululum : *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt, et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus* (*ibid.*, 11); et item : *Et multiplicatæ sunt aquæ, et levaverunt arcam in sublime a terra* (*ibid.*, 17); et post pauca : *Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram. Remansit autem solus Noe et qui cum eo erant in arca* (*ibid.*, 21, 23); et item post pauca : *Et clausi sunt fontes abyssi, et cataractæ cœli* (*Gen.* VIII, 2). Et nubes una, tenebrosa facta est Ægyptiis, et luminosa Hebræis, ut iterum scriptum est : *Tollensque se angelus Dei, qui præcedebat*

castra Israel, abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis priora dimittens, post tergum stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israel. Et erat nubes tenebrosa et illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent (*Exod.* XIV, 19). Et una eademque virga extenta super aquas, quæ erant quasi pro muro a dextris et a sinistris, *filios Israel transduxit*, sicut scriptum est, *per aquam nimiam* (*Sap.* X, 18), et involvit Ægyptios in mediis fluctibus, ut ne unus quidem superfuerit ex eis, quos viderunt Israelitæ mortuos super littus maris (*Exod.* XIV, 28), quos respexerat Dominus in vigilia matutina, ut diximus, in columna ignis et nubis, *et expandit nubem in protectionem suorum, et ignem ut luceret eis per noctem* (*Psal.* CIV, 39), videlicet Christum, qui est columna lucis, tenebras infidelitatis depellens, et lucem veritatis ac gratiæ spiritalis affectibus humanis infundens, et per columnam nubis, qui est Spiritus sanctus. In quo baptismate typus baptismatis jam sicut et in diluvio monstrabatur. Adhuc addamus quia invocavit Elias nomen Domini Dei sui, et descendit ds cœlo ignis (*IV Reg.* I, 10); invocavit et Eliseus nomen Domini, et de aqua ferrum securis levatum est ad manubrium ligneum et supernatavit aquis (*IV Reg.* VI, 7). Gravior enim est ferri species quam aquarum liquor. Advertimus igitur majoris esse gratiam quam naturam. De his omnibus beati Ambrosii sufficiat explanatio, ut colligi possit assimilatio cur in frigidæ aquæ judicio unius fiat mersio, alterius sublevatio. Ait enim in libro de Sacramentis sive mysteriis (*lib.* II, *cap.* 6): « Verumtamen, ne in hoc sæculo diaboli fraus vel insidiæ prævalerent, inventum est baptisma. De quo baptismate audi quid dicat Scriptura, imo Filius Dei, quia *Pharisæi*, qui noluerunt baptizari baptismo Joannis, *consilium Dei spreverunt* (*Luc.* VII,3). Ergo baptismum consilium Dei est. » Et post paululum: « Quod mergis, solvitur sententia illa: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Impleta sentensia, locus est beneficio remedioque cœlesti. Ergo aqua de terra, possibilitas autem vitæ nostræ non admittebat ut terra operiremur, et de terra resurgeremus. Deinde non terra lavat, sed aqua lavat. Ideo fons quasi sepultura est. » Cæterum, ut dicit Apostolus, *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* (*II Tim.* III, 16). Et sicut in Patrum catholicorum dictis legimus, margaritum est sermo divinus quod ex omni parte forari potest; et qui ad instructionem fidelium Scripturarum testimonia profert, etiamsi aliter illa exposuerit quam ea intellexerint per quos fuere prolata, non est fabricator mendacii, salvo majorum intellectu, hinc dicam quod ex eorum verbis pro exiguitate ingenioli mei exsculpere conjiciendo posset suspicor.

Sanctus Apostolus docet (*I Cor.* X) Rubrum mare, quod sub duce Moyse patres nostri transierunt, baptismum Christi sanguine rubricatum, et ipse Moyses ducem Christum, qui nos per baptismum eduxit de Ægyptia servitute ad terram repromissionis, videlicet de peccati servitute et mortis dominatione, in libertatem gloriæ filiorum Dei, et in regnum æternæ vitæ, præfiguravit, sicut et petra per desertum consequens populum, qui nos in eremo istius sæculi mysteriis suis consequitur. Unde item dicit de baptismate idem Apostolus: *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte* (*Rom.* VI, 3). « Quid est, inquit Joannes Chrysostomus (*homil.* 10 *in Epist. ad Rom.*), *in morte ipsius baptizati sumus?* ut et ipsi moriamur sicut et ille. Crux enim est baptisma. Quod ergo crux Christi et sepulcrum, hoc nobis baptisma factum est, tametsi non eisdem ipsis. Quapropter non dixit: *Complantati morti*, sed *similitudini mortis* (*Rom.* VI, 5). Ipse namque carne et mortuus et sepultus, nos autem peccato in utroque. » Quibus dictis colligi posse videtur, ut consepultus Christo per baptismum in morte, et liberatus per idem baptismum a morte, et per peccatum ad eamdem servitutem et mortem reversus. *Anima*, inquit, *quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 4), complantetur similitudini mortis in aqua, ut aut noxius comprobatus, velit nolit, quia sæpe bona invitis præstantur, confiteatur, et per emendationis ac correctionis confessionem liberetur iterum a morte commissi peccati: aut innoxius Dei judicio demonstratus, inter peccati reos non tenetur a nobis, complantatus similitudini mortis in aqua. Mare quippe, sicut supra ostensum est, baptisma designans, nihil in se mortuum retinet; quod, ut scriptum est, *mortuos Ægyptios ejecit super littus* (*Exod.* XIV, 31). Ergo Ægyptius mortuus, id est peccato obnoxius, quandiu negando in peccati sui morte manet, ab aqua invocatione veritatis, quæ Christus est, sanctificata non recipitur, non tenetur. Veniat autem ligatus institis iniquitatum suarum foras de latebris malæ conscientiæ confitendo, et per confessionem veritatis consepelietur in aqua, quasi quodammodo complantatus similitudini mortis verissimæ veritatis, liberatus ab eadem veritate.

Colligatur autem fune qui examinandus in aquam dimittitur, quia, ut scriptum est, *funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V, 22). Qui ab duas causas colligari videtur: scilicet ne aut aliquam possit fraudem in judicio facere, aut si aqua illum velut innoxium receperit, ne in aqua periclitetur ad tempus valeat retrahi. Nam et Lazarus quatriduanus mortuus, per quem designatur quisque criminum mole sepultus, ligatus institis sepultus, et eisdem colligatus institis a sepulcro Domino vocante legitur egressus, et ipsius jussu a discipulis disligatus (*Joan.* VI, 39). Et hoc examinandus judicio colligatus in aquam dimittitur, et colligatus retrahitur, et aut purgatus statim judicio arbitrorum absolvitur, aut usque ad purgationem colliga-

tus judicio examinatur. Et item in sacra historia legimus quia venit Elias ad Jordanem cum discipulo Eliseo, et involuto pallio suo percussit aquas, quæ divisæ sunt, et transierunt ambo. Postea levavit Eliseus pallium Eliæ quod ceciderat ei, et veniens ad Jordanem percussit aquas, atque, invocato Deo Eliæ, divisit ac transiit (*IV Reg.* II). Recte enim per Jordanem fluxus nostræ mortalitatis exprimitur, quia et Jordanis Latine dicitur *descensus eorum*, scilicet Christianorum. Quia, inquit Gregorius (*Mor.* lib. XXXIII, c. 6), in Jordane flumine ipse auctor redemptionis nostræ baptizari dignatus est, recte Jordanis nomine eorum multitudo exprimitur, qui inter sacramentum baptismatis tenentur. Unde scriptum est in Job de antiquo hoste humani generis : *Et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus* (*Job* XL, 18); quia postquam infideles quosque a mundi origine rapuit, adhuc se posse suscipere etiam fideles præsumit. Nam ore pestiferæ persuationis eos quotidie devorat in quibus a confessione fidei reproba vita discordat. Unde ac si pallio Eliæ involuto aqua percutitur et divitur, et per eam transitus præparatur, quando tales, ut præmissimus ex verbis sancti Gregorii, colligantur et in aquam dimittuntur : et quasi aqua dividitur, cum aut quosdam aqua recipit, et innoxios ostendit, aut quosdam rejicit, et noxios esse demonstrat; et transitus præparatur, cum aut quidam a reputatis criminibus ad innoxios transferendi judicantur aut a negatione sua rei inter criminum noxios declarato judicio deputantur. Nam et quando qui putatur et qui est noxius, in aquam examinandus dimittitur, a dimittentibus, secundum quemdam modum formæ baptismatis. Dominus invocatur, quatenus veritas unde requiritur demonstretur, et tenebras ignorantiæ nostræ illuminare dignetur, ne aut innocens injuste a nobis damnetur, aut nocens sua negatione, aut diabolica fraude aliquo modo impunitus evadat. Sed et ipse qui examinandus in aquam dimittitur, invocationem invocantium sua responsione et denotatione confirmat, juxta formam quodammodo ante baptisma, quando aut ore patroni, qui alieno, id est originali peccato perditus, aliena fide salvatur : aut adultus peccata sive contracta, sive admissa confitetur, abrenuntians diabolo, et omnibus operibus ac pompis ejus, et ad interrogationem sacerdotis, ut in quo jam non est immunditia ejus per negationem abscondita, sed per confessionem publicata, illum recipiat aqua, et consepeliatur Christo, et demergantur peccata ejus, juxta Scripturam in profundum maris, ad instar Ægyptios in mare Rubrum, de fidei suæ confessione respondet, sicut sanctus Ambrosius in libro de sacramentis dicit (*lib.* II, *c.* 7) : « Interrogatus es : Credis in Deum Patrem omnipotentem ? Dixisti : Credo, et mersisti, hoc est consepultus es. Iterum interrogatus es : Credis in Dominum nostrum Jesum Christum et in crucem ejus ? Dixisti : Credo, et mersisti. Ideo et Christo es consepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es :

A Credis et in Spiritum sanctum ? Dixisti : Credo, tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio. Denique, ut vobis afferamus exemplum, sanctus apostolus Petrus, posteaquam in passione Domini lapsus videtur infirmitate conditionis humanæ, qui antea negaverat, postea, ut illum lapsum aboleret et solveret, tertio interrogatus a Christo si Christum amaret, tum ille dicit, *Tu nosti, Domine, quia amo te* (*Joan.* XXI, 15). Tertio dixit, ut tertio absolveretur. » Sic et inventus in judicio noxius, si fuerit forte super plura suspectus, iterato est judicio examinandus, quousque inveniatur emendationis confessione probatus. Et ad hoc assumamus sancti Ambrosii verba dicentis : « Denique ut vobis afferamus exemplum, sanctus
B apostolus Petrus posteaquam in passione Domini lapsus videtur infirmitate conditionis humanæ, qui ante negaverat, postea ut illum lapsum aboleret et solveret, tertio interrogatur a Christo si Christum amaret, tum ille dicit : *Tu nosti, Domine, quia amo te.* Tertio dixit, ut tertio absolveretur. » Et quoniam, sicut supra ostendimus divina auctoritate baptismum esse judicium, unde et Jordanis baptisma designans interpretatur *rivus judicii*, quo princeps mundi, mendax, et pater ejus foras ejicitur, et baptismum consilium Dei est, consilium divini viri ad ignota investiganda invenerunt judicium aquæ frigidæ. In quo aquæ frigidæ judicio, ad invocationem veritatis, quæ Deus est, qui veritatem suo mendacio cupit obtegere, in aquis, super quas vox Domini majestatis intonuit, non potest mergi, quia pura natura aquæ
C naturam humanam, per aquam baptismatis ab omni mendacii figmento purgatam, iterum mendacio infectam non recognocit puram, et ideo eam non recipit, sed rejicit ut alienam. Et ut in baptismate ab homine spiritus immundus, id est princeps hujus mundi ejicitur, ita et qui a diabolo, principe videlicet mundi hujus, per peccatum reoccupatus, sicut scriptum est (*Matth.* XII, 45), quia cum exierit ab homine revertitur ad eum a bonis operibus vacantem, imo vacuum, cum aliis septem spiritibus nequioribus se ab aqua invocatione divini nominis sacrata rejicitur. Quem hominem non naturalem, sicut ex aqua et Spiritu renatus est, purgatum, non carnis depositione sordium, sed interrogatione et confessione conscientiæ bonæ
D in Deum, verum potius talem de quo in Levitico scriptum est sentit : *Omnis*, inquit, *homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino* (*Levit.* XXII, 3). Non dicit : In quo fuit immunditia. Immunditia quippe ejus in ipso est, qui mendacio contegit veritatem ; et idcirco de stirpe sacerdotali : *Vos*, inquit, *genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II, 9); et in Apocalypsi : *Fecisti nos regnum Deo et sacerdotes* (*Apoc.* V, 10), ad ea quæ consecrata sunt Domino accedens, quandiu immunditia ejus in ipso est, non poterit aquis invocatione Dei sanctitatis immergi, ut

innoxius pereat, sed pereundus monstrabitur. *Expurgate*, inquit Apostolus, *vetus fermentum, ut sitis nova consparsio, sicut estis azymi* (*I Cor.* v, 7). Ac si patenter dicat : Reputatum de crimine, atque negantem, quem idoneis testibus judiciario ordine comprobare nequitis, aut sacramento, aut Dei judicio expurgate, ne in medio vestri manens anathema, dicatur vobis : *Anathema in medio tui, Israel, non poteris stare coram inimicis tuis* (*Josue* VII, 13). Et item dicit Apostolus : *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum (Ephes.* v, 11). Unde Augustinus (*de verbis Domini serm.* 18): « Nolite communicare, hoc est, nolite consentire. Et quia parum erat non consentire si sequeretur negligentia disciplinæ, *magis*, inquit, *et redarguite*. Duobus modis non te maculat malus, si non consentias, et si redarguas. » Igitur arguendus est peccator, et si negaverit et ordine judiciario comprobari non poterit, examinetur, ut probatus manifestus fiat, et reprobatus latere non possit. Deprehensus autem confiteatur et pœniteat, et non tenebitur fune peccatorum suorum, quo est illigatus, ut non mergatur et lavetur aqua salutari perfusa lacrymis, et dimergatur ut Ægyptii, et qui corrupti erant carnali corruptione coram Domino, sicut plumbum in aquis vehementibus, et secundum prophetam : *Projiciantur iniquitates ejus in profundum maris* (*Mich.* VII, 19), quia antea cum mendacio suo mergi ut ablueretur non poterat, donec confessione a se illud in profundum projiceret, et ablutus emergeret, qui ante confessionem sicut ferrum Elisei premebatur aqua (*IV Reg.* VI, 7), usquedum ad confessionem divini nominis ad lignum rediit : ita nihilominus negans peccati pondere premitur anxia conscientia, usque dum pronuntians impietatem peccati sui Domino, in cujus ligno crucis omnium hominum, ut dicit Ambrosius, levatur infirmitas. Et hoc est diluvium, quod et baptisma, quo peccata omnia diluuntur, sola justi mens et gratia resuscitatur, pridem quippe mortui negatione peccati. Legat devotus librum Dialogorum beati Gregorii (*lib.* II, *cap.* 23, 24, 3, 28, 7, 6), et inveniet sanctimoniales non correctas, et pro incorrectione sua a sancto Benedicto excommunicatas, post mortem tempore communionis de sepulcris ab Ecclesia, quia non communicabant, exisse, post reconciliationem autem, se in suis sepulcris continuisse, et pueri monachi corpus a terra teneri non potuisse, quia Benedicti gratiam non habebat, et vas vitreum signo crucis per Benedictum edito disruptum : et iterum vas vitreum in ingens præcipitium, saxorum molibus aspersum, ejus jussione propter inobedientiam projectum, atque incolume reservatum, et discipulum ejus Maurum super undas laci deambulasse : ferrum autem de profundo laci, Elisei more, per ipsum in manubrium revocatum fuisse. Et sicuti scriptum divinis paginis continetur (*II Mac.* I, 20), sacer ignis absconsus, post multa annorum curricula in crassam aquam versus reperitur, eadem aqua super oblatum sacrificium versa divina potentia est

A igne consumpta. Sed et Gedeonis sacrificium cum superfuso jure, cujus abundantia solet ignis exstingui, per angelicum ministerium, igne etiam lambente petram consumptum est (*Jud.* VI, 19) ; et in unius ejusdemque elementi mysterio et finis est vitiis, et origo virtutibus, operante Spiritu sancto, in aqua sacri baptismatis. Hæc diligens lector legat, et non mirabitur in judicio aquæ frigidæ innocentes ab aqua recipi, nocentes autem non recipi : sicut et in aqua calida coquuntur noxii, innoxii vero reservantur incocti. Quia et Christus, cœlestis medicina Patris, verus humanæ medicus salutis, invocatus a suis fidelibus, ut et medicis carnis ipso inspirante solent, contraria contrariis, calida frigidis, frigida calidis curat. Et in veteri Ecclesia, quæ vocatur usitatius
B Synagoga, de unius ejusdemque seditionis hominibus, quosdam terra absorptos operuit, quosdam vero super terram edax flamma consumpsit (*Num.* XVI, 30 et 35). Dumque caro innoxia Salvatoris aquis frigentibus tinguitur, opposita quondam noxiis romphæa ignea paradisi restinguitur. Sed et dispositione ipsius elementorum conditoris atque rectoris, uno eodemque sole lutum stringitur, cera liquatur. Hæc dicta sint, quia elementum instabile in mergendo, pro fide credentium, quosdam recipit, quosdam autem non recipit : sed et fervore elementi ejusdem quidam coquuntur, et quidam evadunt incocti.

Nec prætereundum quia legimus in capitulis Augustorum (*addit.* IV, cap. 80) fuisse vetitum frigidæ
C aquæ judicium : sed non in illis synodalibus, quæ de certis accepimus synodis. Quod, ut quidam insulse dicunt, propterea fuerat vetitum, quoniam quasi rebaptizatur, qui in nomine Domini aquis immergitur. Sed hoc ibidem scriptum nequaquam reperimus. Nec nos etiam ignoramus quia beatus Ambrosius plura dicit baptismata, id est plura baptismatis adnotat præconia. Et sacri canones rebaptizationes omnibus ut vitandæ sunt prohibent : nemo tamen est pene fidelium, qui se sine crucis signo, vel invocatione divini nominis aquis etiam ad lavandum immittat, jubente Apostolo : *Omnia agendum in nomine Domini (I Cor.* x, 31) ; et non se illo baptizati putat baptismate quo renatus est ex aqua et spiritu. Sermo enim, et opus Dei, cunctaque sacramenta divina, manna sunt, quod sicut scriptum est :
D *Habuit omne delectamentum, et omnis saporis suavitatem (Sap.* XVI, 2,) quodque sicut pro desiderio suscipientium quondam factum est in saporem gustantium, ita et hæc pro devotione credentium fiunt causa ostensionum. Velut incarnatio Domini in ruinam et resurrectionem multorum est, et crux ejus, pereuntibus quidem stultitia est, credentibus vero in salutem virtus Dei est, et prædicatio ipsius aliis est odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam; et baptismatis sacramentum, quod verbis solemnibus consecratur, ut catholici doctores produnt, infidelibus est ludificatio, fidelibus autem redemptio. Si autem extra Domini institutionem et apostolicam fit

traditionem, lavacrum est corporalium sordium, non ablutio peccatorum. Veluti et sanctus Augustinus de consecratione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi in libro contra Faustum dicit (*lib.* XX, *cap.* 13) : « Panis et calix non qualibet sed certa consecratione mistus fit nobis, non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamvis sit panis et calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis. »

Et ipsa sacramenta altaris devote ad se accedentibus vita, indevotis judicium, sicut et panis vitam fortium roborat, parvulorum necat, et lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat, et sol qui ceram liquat, lutum stringit, sanis oculis lumen est, et lippientibus tenebræ; utque venenum mors est homini, et vita serpenti, sic et istud judicium firmiter et rite credentibus ostensio veritatis, hæsitantibus autem et dubiis error involvens esse dignoscitur. Quoniam sicut Paulus dicit : *Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI, 1), profecto liquet quia, exponente beato Gregorio (*hom.* 26), fides illarum rerum argumentum est quæ apparere non possunt Quæ etenim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. Sic in hoc divino judicio his, de quibus antea dubitabamus, divina ostensione monstratis, quæ corporalibus oculis videre non possumus, oculis fidei contemplantes credulitatem accommodare debemus. Sicut Thomas antea dubitans, dum Dominum palpavit, aliud vidit, et aliud credidit : a mortali quippe homine Divinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit, et Deum confessus est, dicens : *Dominus meus, et Deus meus* (*Joan.* XX, 28). Videndo ergo credidit, quem considerando verum hominem, hunc Deum quem videre non poterat exclamavit. Ita et veritatem rei de qua dubitamus, quia corporalibus oculis videre nequibamus, divinæ ostensioni credentes, veritatem, quæ Deus est, exclamando laudare debemus, cum impleri viderimus quod dicit Apostolus : *Nolite judicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (I Cor.* IV, 5). Venit quidem nunc Dominus ad illuminationem nostrarum tenebrarum, ut cognoscamus veritatem per manifestationem ipsius judicii, qui venturus est ad manifestanda consilia cordium in futuro judicio. Hæc autem dicimus, non quo quemquam reprehendamus, quia nec ibi scriptum est cur hoc judicium non debeat fieri, sed tantummodo dictum ne fieret, aut nostra, quasi sapientius prolata, quam alii invenire ex sanctorum documentis prævaluerint, sive prævaleant, defendere stagamus. Unusquisque enim in suo sensu abundat. Tantum quilibet hoc caute provideat, ut a fide catholica et traditione apostolicæ sedis non discrepet. Sed quæ sentimus humiliter proferentes, parati sumus, si quis convenientius nobis ostenderit, sine contentione sano intellectui cedere, et libentissime non modo consentire, quin etiam discere.

EPISTOLA XXVI.

AD HILDEBOLDUM EPISCOPUM SUESSIONENSEM.

Illum, infirmitate detentum, juxta petitionem litterarum confessionis ejus, absentem reconciliando absolvit.

(Apud eumdem, ex codice S. Remigii Rhemensis.)

HINCMARUS, nomine, non merito, Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, charissimo filio et venerabili fratri nostro HILDEBOLDO mentis et corporis salutem tribui a Deo deposco.

Quando confratres et coepiscopi nostri, Hodo et Rainelmus, Willebertus quoque, et Adalbernus, atque Geroldus, et noviter ordinatus Hadelbertus, mecum Rhemi fuerunt, humilis ac sinceræ mentis tuæ confessionem relegi, et pro tua animæ et corporis salute per omnem nostram parochiam Domini misericordiam implorari poposci. Et quoniam fratrem nostrum Hodonem ad te iturum cognoveram, non putavi necesse fore ut tibi litteras mitterem, quia ipse et unanimitate nostra, et ministerio episcopali, ea quæ agenda sunt erga infirmum fratrem per se agere poterat. Sed quoniam presbyterum tuum ad me mittens eumdem breviculum confessionis tuæ mihi remisisti, petens ut absolutorias litteras tibi transmittam, quam devotionem tuam gratanter suscepi : scio enim quia non in me bona merita quæ nulla sunt, sed virtutem ministerii immerito mihi commissi attendis. Et ideo per verba sancti Leonis exsecutionem ministerii indignitatis meæ, et fidem tuam, ad pontificem confessionis nostræ Jesum mitto. Ait enim idem sanctus Leo, quia aliter in Ecclesia Dei, quæ corpus Christi est, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus non Pontifex reconciliet, verus immaculati Agni sanguis emundet. Qui licet sit in Patris dextera constitutus, in eadem tamen carne quam sumpsit ex Virgine sacramentum propitiationis exsequitur, dicente Apostolo : *Christus Jesus, qui mortuus est pro nobis, imo qui et resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis* (*Rom.* VIII, 34); cujus misericordiæ nec modum possumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confessio, dicente Dei Spiritu per prophetam : Cum conversus ingemueris salvus eris ; et alibi : Dic iniquitates tuas prior, ut justificeris ; et item : *Quia apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio* (*Psal.* CXXIX, 7); et sanctus dicit Ambrosius : Beatus qui vel sub ictu mortis avertit a vitiis. *Beati* enim *quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 1), quia scriptum est : *Desine a malo et fac bonum, et inhabita in sæculum sæculi* (*Psal.* XXXVI, 27). Quicunque ergo desierit a peccatis, et fuerit ad meliora conversus, habebit superiorum indulgentiam peccatorum, quæ fuerit vel pœnitendi confessus affectu, vel corrigendi aversus ingenio.

Quapropter sicut principali sententia constat, quia in multis offendimus omnes, unde ingemisci-

mus ; ita principali sententia consolamur, quia si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, quin Jesus Christus, conditor et redemptor ac salvator noster, quem habemus advocatum justum apud Patrem, et est propitiatio pro peccatis nostris, et interpellat pro nobis, fideliter confitentibus nobis dimittit nobis peccata nostra, et emundat nos ab omni iniquitate. Quibus animati divinis sententiis, frater et consacerdos noster Hildebolde, confitenti tibi peccata tua, per ecclesiasticam apostolicæ auctoritatis potestatem, quam Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis et apostolis suis, dicens : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis* (*Joan.* XX, 22, 23); et per eosdem apostolos suos ipsorum successoribus, quorum vices licet indigni tenemus, etsi non merito, tamen nomine atque officii susceptione, eamdem potestatem donavit, et in se credenti fideliter dixit : *Fiat tibi secundum fidem tuam (Matth.* VIII, 13 ; IX, 22*)*, gratia et omnipotentia sua, virtute sancti Spiritus, qui est remissio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet in omni bono, et perducat te ad vitam æternam, et ad sanctorum sacerdotum consortium, Amen.

Et quia, dulcissime frater, tali infirmitate, sicut ipse nosti, detentus corpore ad te ire non possum, spiritu et devotione ad te vado, et quod ipse corporaliter erga te gererem spiritu ago, et per comministros ac compresbyteros nostros in te agi corporaliter posco : mittens manu mea, secutus majorum exempla, in manu istius presbyteri oleum sanctificatum, ut etiam obsequio meo per ejus mentionem, Spiritus sancti gratia, qui est remissio omnium peccatorum, indulgentiam percipias omnium delictorum, et consortium sanctorum episcoporum. Velut ex superfluo denique, quoniam hæc te egisse non dubito, bonam devotionem tuam commoneo, ut præter istam generalem confessionem, quæque ab ineunte ætate, usque ad hanc in qua nunc degis, te commisisse cognoscis, specialiter ac singillatim Deo et sacerdoti satage confiteri ; et dum unumquodque erroris tui inquinamentum singillatim confiteris et defles, simul te de omnibus actorum lacrymis mundes. Unde dicitur per Prophetam : *Divisiones aquarum deduxit oculos meus* (*Psal.* CXVIII, 136*)*. Divisam quippe ex oculis aquam deducimus, quando peccatis singulis dispertitas lacrymas confitendo exhibemus. Quæ singillatim de singulis semel sacerdoti sufficit confessio facta, si post hanc confessionem, et per sacerdotale consilium emendationem, non fuerint iterata peccata. Quotidie tamen de singulis singillatim cum gemitu vel lacrymis in oratione Deo est facienda confessio, ut ita confitens Domino cum Psalmista dicere possit : *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper* (*Psal.* L, 3*)*. Si autem quiddam subreptum fuerit de his quæ per dignos pœnitentiæ fructus deleta sunt, recurrendum est ad divinum per beatum Joannem consilium : *Memor esto unde cecideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac* (*Apoc.* II, 5). Sed sciendum est quia tunc bona opera nos a culpis mundant et liberant, cum perpetrata mala plangimus et abdicamus. Nam qui semper peccare vult, et quasi semper bona agere, scire debet quia commista pravis actibus opera bona animam non redimunt, quam a vitiis non compescunt. *Cor*, inquit, *contritum et humiliatum Deus non despicit (Psal.* L, 19). Quisquis enim peccata plangit, nec tamen deserit, cor quidem conterit, sed humiliare contemnit : quisquis vero peccata sua jam deserit, nec tamen plangit, jam quidem humiliat, sed conterere cor recusat. Quotidiana autem leviaque peccata, secundum Jacobi Apostoli (*cap.* V, 16) hortamentum, alterutrum coæqualibus quotidie confitenda sunt. Quæ quotidiana eorum oratione cum quotidianis piis actibus credenda sunt mundari, si cum benignitate mentis in oratione Dominica veraciter dicitur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Luc.* XI, 4).

Frater charissime, de quotidiana communione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi noli te securare ut quotidie te illa non munias : quatenus per hanc communionem sacramentorum ejus unum effectus cum eo, in quo princeps mundi veniens nihil suum invenit, et fidelis in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis dixit : *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI, 57), ab omni hoste munitus, securus ad conditoris et redemptoris ac salvatoris tui præsentiam venias.

EPISTOLA XXVII.

AD ADRIANUM PAPAM.

Respondet ad quæ pontifex de regno Lotharii et de Hincmari nepotis causa mandarat.

(Apud eumdem, ex editione Parisiensi.)

Domino sanctissimo et reverentissimo Patrum Patri ADRIANO, primariæ sedis apostolicæ universalis Ecclesiæ papæ, HINCMARUS, nomine, non merito, Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus.

Excellentiæ vestræ auctoritas nuper XIV Kalend. Novembris, indict. IV, mihi per legatos suos multis et magnis increpationibus repletam, sicut sibi placuit, misit epistolam. De quibus, ut viri flagellis eruditi verbis utar, quantum ad humanum spectat judicium : *Non viro qui similis mei est respondebo, nec qui mecum in judicio possit audiri : nec est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus* (*Job* IX, 31, 32) ; et : *Si locutus fuero, non quiescet dolor meus ; et si tacuero, non recedet a me* (*Job* XVI, 7). Propterea non ex æquo ad omnia, sed ad quædam de his quæ scripsistis, de quibus tacere non audeo, brevi et humili sermone mihi est respondendum. Quia scripsistis me reminisci debere, si unquam epistolis non rescriptum sit, et convenientibus responsis de negotiis de quibus agebatur

apostolicæ sedi remissum, sicut me pro vestro contemptu fecisse penitus constat, quando nuper per viros missos in Galliarum partes epistolas tam mihi quam aliis destinastis, et nullum inde responsum recepistis. Humiliter suggero, quia nunquam per contemptum a sedis apostolicæ præceptionibus deviavi, et in vestra epistola per commemoratos missos vestros, Paulum scilicet et Leonem venerabiles episcopos, pusillitati meæ directa scripsistis quid inde agerem, sed non scripsistis ut inde vobis rescriberem. Verumtamen eisdem missis vestris verbis respondi, pro viribus me jussionem vestram exsecuturum. Egi autem exinde quantum valui, et quantum mihi agendum esse videre potui, et quod me agere non posse vidi, ad potestatis vestræ auctoritatem tractatione mea referre curavi, sicut et vobis innotescendum cujus rei exitum et effectus certitudinem scivi, quando præfatas increpatorias litteras mihi misistis, parabam scilicet, quomodo ipsa die, quando epistolas vestræ auctoritatis mihi Paulus et Leo venerabiles episcopi dederunt regi et episcopis, et regnorum primoribus, qui tam de regno quod antea domnus Carolus habuit, quam et de regno quod olim rex Lotharius habuit adfuerunt, relegi, et eis ut ita servarent denuntiare curavi.

His autem quidem episcopis regni quod antea domnus Carolus habuit, detulerunt epistolam, ad eos generaliter directam transmisi. Indeque episcopis tam ex regno suo quondam Lotharii, qui in Attiniaco jussu ipsius domni Caroli regis convenerunt, eamdem epistolam relegi, et præfato domno regi Carolo, sed et episcopis regni ipsius, et episcopis regni dudum Lotharii, et episcopis regni Ludovici, sed et ipsi Ludovico regi Germaniæ hanc schedulam quæ subsequitur, post juramenta inter reges sine me facta, dedi. In qua sic auctoritatis vestræ præceptionem indixi, ut periculis imminentibus commemoratis, quomodo eis obviare, et illa omnia penitus et insimul commovere non poteram, relatione ad auctoritatem vestram, et si non resistentibus, vel mihi consulerem. Ipsa autem schedula, et regibus, et episcopis, ac regnorum primoribus a me recitata et data, ita se habet : « Domnus apostolicus Adrianus, sicut multis est cognitum, et litteris suis, quas præ manibus habeo, exiguitati meæ dignatus est intimare, regibus et præsulibus ac regnorum primoribus in his Galliarum partium regionibus, et inter cætera auctoritate ministerii sui mandavit, ut regnum quondam ac regis Lotharii, quod domno imperatori Ludovico spirituali filio ejus hæreditario jure debetur, et quod ad eum post mortem ipsius Lotharii rediet, vel homines in eo degentes, mortalium nullus invadat, nullus commoveat, nullus ad se conetur inflectere. Quod si quis præsumpseri, non solum per suæ auctoritatis ministerium infirmabitur, verum etiam vinclis anathematis obligatus, nomine Christianitatis privatus, cum diabolo omnino locabitur; et si quis nostrum de episcopis tam nefariæ temeritatis auctorem vel tacendo fugerit

A vel non resistendo consenserit, non jam pastoris sed mercenarii nomine se noverit censendum, et quia jam non pertinebit ad eum de ovibus, non pertinebit consequenter de pastoralibus dignitatibus. Quæ autem in epistolis ad episcopos et regnorum primores regni quondam Lotharii directis contineantur, melius ipsi scitis, qui eas legistis. Audivi etiam quod similes epistolæ, sicut domno nostro Carolo, et episcopis ac primoribus regni ipsius directæ sunt, domno nihilominus Ludovico regi glorioso, et episcopis ac regni ejus primoribus missæ sunt, quod vos qui de regno ejus estis certius scitis. Mihi quoque exiguo Rhemorum episcopo auctoritate sua domnus apostolicus specialiter commendavit, ut vice sua tam reges, quand B cæteros Dei ac mundi ministros admonendo, suadendo, ac prohibendo a cupiditatis vel avaritiæ vitio, et ut aliena non suscipiant, atque regnum quondam Lotharii et homines in eo degentes non invadant, comprimant et compescant. Sed et per multos et a multis audio, divulgatum inter principes nostros, dominos scilicet ac reges gloriosos, mutuis sacramentis firmatum, ut inter eos qui se dicunt ipsius regni hæredes esse æqua divisio ipsius regni fiat : quæ firmitas si facta non fuisset, ut multi affirmant, jam seditio inter populos illis subjectos exorta fuisset. Et si ipsa firmitas exsecuta non fuerit, prælia et seditiones, sicut jam fuerint post obitum domni Ludovici imperatoris, inter eos exsurgent, et maxima strages populi ac perditio animarum inde proveniet, quod postea emendari non poterit. Qua- C propter inter tanta et talia pericula, scilicet domni apostolici præceptum negligere, et pactum juramentis in nomine Domini et sanctorum ejus inter reges nostros firmatum dissolvendum judicare, et seditiones populorum ac prælia parvipendere, et ut ecclesiarum rectores ac viri nobiles, de multis partibus a paganis impetiti, et sine rege ac principe, nisi quem ipsi post mortem Lotharii pro sua quisque convenientia elegerint, sicut fatentur, existentes, non debeant vel sicut habent necessitatem non habeant libertatem rectorem eligere, qui sanctam Ecclesiam, et eos atque Christianitatem in illo regno consistentem defendat et gubernet, dicere anxians sine generali unanimitate episcoporum regni domni Caroli, quibus domnus apostolicus de causa D regni Lotharii, suam misit epistolam, quam eis, sicut mihi est præceptum , direxi, de his quæ præmisi, quantum ex me est, nulli definitioni audeo consentire, reservato per omnia privilegio sententiæ domni papæ, cujus auctoritas, si aliquid de actis corrigendum fuerit, admonitione paterna corriget, et quæ stabilienda sunt poterit roborare. »

De hoc vero quod mihi scripsistis dicentes : « Quis melius te novit, quod filii quondam Ludovici imperatoris, in unum convenientes, regnum inter se diviserunt, jureque jurando sibi invicem promiserunt, ut nullus eorum regnum alterius fratris sibi usurparet, aut omnino pervaderet, et tunc Carolus rex,

juramentis contemptis, illud regnum quod Lothario imperatore defuncto domino serenissimo imperatori filio ejus debetur invasit, et fidem debitam violavit? » Reverentiæ vestræ debita humilitate respondebo, quoniam etsi ita esse ut scribitis scirem, cum ipse rex Carolus ita esse non confiteatur, nec vel legali vel regulari judicio inde convictus appareat, et multis attestantibus fateatur hanc regni partem sibi a patre Ludovico Augusto, consensu tam episcoporum quam cæterorum procerum totius imperii traditam, et a fratre Lothario sacramento publice confirmatam, sequendum tamen mihi arbitrarer quod præmisso judicio dicit Africanum concilium (*can.* 100) : « Ut magis caveat episcopus ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non potest. »

Unde sanctus Augustinus, qui eidem concilio interfuisse legitur, a sede apostolica, beato Cœlestino docente, pro vita sua atque meritis ac magna scientia inter magistros optimus habitus, in libro de Pœnitentia dicit (*homil.* 50, *cap.* 3) : « Plerique boni Christiani propterea tacent, et sufferunt aliena peccata quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, et ea quæ ipsi sciunt indicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen judici facile credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos vero a communione quemquam prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum. Quis enim sibi utrumque audet assumere, ut cuiquam ipse sit accusator et judex ? Cujusmodi regulam etiam Paulus apostolus in Epistola ad Corinthios breviter insinuasse intelligitur, cum quibusdam talibus commemoratis criminibus, ecclesiastici judicii formam ad omnia similia ex quibusdam daret, ait : *Scripsi vobis in Epistola, non commisceri fornicariis,* et reliqua (I *Cor.* v, 9) ; et aliquando post : *Si quis frater nominetur aut fornicator, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum quidem simul sumite. Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare ? nonne de his quæ sunt inter vos judicatis ? de his autem qui foris sunt Dominus judicabit. Auferte malum a vobis ipsis* (*ibid.*, 11, 12, 13). Quibus verbis satis ostendit non temere aut quomodolibet, sed per judicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione : et si per judicium auferri non possunt, tolerentur potius, ne perverse malos evitando quisque ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur vinciat ad gehennam. Et item : *Si quis frater nominatur fornicator, aut raptor,* et reliqua. Eam, inquit, nominationem intelligi Apostolus voluit, quæ fit in quemquam, cum sententia ordine judiciario atque integritate profertur. Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpe falso in quemquam crimen nominatur. Noluit enim hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potius ex lege Dei, A secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum, atque convictum. »

Sunt enim leges, et canones, ac decreta sedis apostolicæ ex eisdem canonibus promulgata, quæ manifestant qualiter et a quibus, vel ubi quis debeat accusari vel judicari ; de quibus sanctus Augustinus in libro de vera Religione (*cap.* 31) dicit : « In istis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent cum eas instituunt, tamen cum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. » Et sanctus Gelasius in decretis suis ad Orientales episcopos : « Ideo, inquit, vocatur ad judicium certa quæcunque persona, ut aut fateatur objecta, aut vincatur objectis. » Et iterum (*II Reg.* xii) : « Nathan propheta palam pu- B bliceque in facie regis David et commissum pronuntiavit errorem, et ipsum commissum non tacuit, et confessione correctum consequenter absolvit. » Et sanctus Bonifacius longe ante decrevit : « Et accusatus præsens, si confidit, ad objecta respondeat. » Non insurgendum ergo mihi est visum ad judicandum illum qui non confessus, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatus est atque convictus : nec utrumque fui ausus assumere, ut ejus ipse forem et accusator et judex.

De eo quod sanctitas vestra exiguitati meæ scripsit, quia silui, et contra tale facinus saltem leviter non insurrexi, non solum consors, sed etiam, quod est deterius, hujus tyrannidis auctor ipse videor, cum venia et pace vestræ sublimitatis dico, quia ille C qui forte hac opinione, sed non cognitione, ad injuriam et increpationem meam vobis suggessit, scire debuerat vestræ auctoritatis gravitatem sufficienter recolere quod scriptum est : *Causam quam nesciebam diligentissime investigabam (Job* xxix, 16). Et ut beatus dicit Gregorius (*Moral.* xix, cap. 14) : « Cum omnia nuda et aperta sint oculis Domini, tamen mala Sodomæ noluit audita judicare, qui ait : *Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint, an non est ita, ut sciam (Gen.* xviii, 21). Omnipotens itaque Dominus et omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere quam probare ? » Nam ut vestræ dignationi veraciter fatear, nec auctor, nec consors, nec consensor ullius tyrannidis D unquam, vel usque ab ipsis cunabulis hactenus exstiti. Hæc qui vobis talia nuntiavit, adjuvante Domino, de me probare non valebit. Et quia non silui, et in annuntiando vel exsequendo ea quæ mihi a vestra auctoritate præcepta sunt, pro scire et posse meo, deses vel segnis non exstiti, sicut et ante scriptis ostendi, et coram missis vestris viva voce monstravi.

De hoc quod dicitis, quia honore et dignitate cæteris Caroli regis regni episcopis sum sublimior, suggero quia scientia et meritis inferiorem, et non dignitate ac honore loci priorem cæteris metropolitanis me esse cognosco. Quia sicut Innocentius et

Bonifacius, ac cæteri sacræ sedis Romanæ pontifices in decretis suis ex sacris canonibus promulgatis dicunt, unaquæque provincia suo metropolitano debet esse contenta. De hoc quod scripsistis, ut si ipse rex Carolus in obstinationis suæ perfidia post meam conventionem persistere maluerit, quam juxta vestra monita resipiscere, ab illius me communione atque consortio sequestrem, et secundum apostolum : *Ne ave ei dicam* (*Joan.* I, 10), si vestræ communionis volo esse particeps, præsentiam ejus modis omnibus devitem, cum magno cordis dolore ac gemitu dico, quoniam et ecclesiastici et sæcularis ordinis viri, qui diversis de regnis Rhemis civitatem plurimi convenerint, quos mandatum vestrum ibidem mihi delatum, quia non debuit, latere non potuit, exiguitati meæ, qui quantum scivi et potui semper apostolicæ sedis privilegium extuli, improperando dixerunt et dicunt : Nunquam hujusmodi præceptionem ab illa sede ulli decessorum meorum missam fuisse, cum inter reges sacramentis etiam confedœratos, sed inter patrem et filios, ac inter fratres prælia et seditiones eorum temporibus fuisse noscantur. Et aliis peccatis meis reputo, me hac intentionis vestræ comminatione singulariter ab auctoritate vestra impetitum, cum cæteros episcopos regni sui, confratres scilicet et consacerdotes meos, tantum monueritis, increpueritis, redargueritis et instruxeritis, non tamen sicut me illos de participatione communionis vestræ intentando comminari voluistis, nec etiam eos qui, ut quidam dicunt, regem nostrum in regnum quondam Lotharii pro sua necessitate invitaverunt, et honores ex eodem regno obtinuerunt, neque illos qui regibus et regnorum primoribus sicut ego vestram præceptionem et de ipso regno interdictionem non intimaverunt, et ex adverso ascendentes non restiterunt ut ego, qui secundum quod potui jussionem vestram perficere procuravi, et nihil emolumenti, et quantum passus est pedis in rebus cum plures ex Ecclesia mihi commissa diuturnis temporibus abstractæ in eodem regno habeantur, nec aliud quodcunque commodum, nisi impedimenta et dispendia sim adeptus.

Sed et domno nostro regi Carolo ad exaggerationem dicitur a quibusdam, quod nec pro Lothario, sicut multorum certa notitia, et infantes inde geniti protestati sunt, publico adulterio denotato, et apud sedem apostolicam accusato, in cujus parte regni non solum pars diœcesis, verum et pars parochiæ meæ conjacuit, talem præceptionem et comminationem ab antecessore vestro nullus episcoporum in isto regno acceperit, nec etiam ab hæreticorum, vel schismaticorum, sive tyrannicorum imperatorum ac regum, quales fuerunt Constantius Arianus, ac apostata Julianus, et Maximus tyrannus, præsentia et salutatione sivi collocutione, sedis apostolicæ pontifices, vel alii magnæ auctoritatis atque sanctitatis episcopi, cum locus et ratio ac causa exigit, se subtraxisse leguntur. Et si, aliis episcopis regi nostro communicantibus, ego me ab illius communione vel præsentia subtraxero, dicunt secundum concilium Africanum (*can.* 100), quandiu illi non communicavero, ut mihi ab illis non communicetur episcopis. Præsertim cum ipse rex se perjurum esse deneget, se invasorem alterius et non ad se pertinentis regni diffiteatur, se tyrannum non esse confirmet, se hæreticum vel schismaticum, quibus apostolus nec ave a quoquam dici præcepit, non esse confiteatur : sed confessione rectæ fidei, et amplexione ecclesiasticæ pacis, se catholicum et in pace ecclesiastica manere et permanere velle demonstret : et secundum leges ac canones, præsens in judicio, aut ad objecta respondere, aut objectis convinci, se non refugere dicat. Et ut de regia persona, inquiunt, reticeamus, nec sicut quemlibet plebeium vel liberi capitis virum, in istis regionibus, secundum ecclesiasticas regulas et secundum leges publicas, illum accusatum vel sponte confessum, aut legaliter ac regulariter aperte convictum audivimus. Sed in libris illa satis notissima ad legendum oculis ingerunt, qualiter proavus suus Pipinus a Stephano ipsius auxilium petente, et pro liberatione Romanæ Ecclesiæ in Galliam veniente, in regem sit unctus, cum adhuc degeret Romana Ecclesia sub nomine et non auxilio defensionis Græcorum imperatoris, et idem Pipinus non excommunicatione apostolica, sed virtute hostili, Haistulfum qualemcunque regem Christianum oppressit, et Italiam domuit, atque justitias sancti Petri obtinuit.

Similiter et quæ avus ejus Carolus temporibus Adriani et Desiderii regis Longobardorum egerit, et quomodo patriciatum Romanum suscepit, quomodo etiam temporibus Leonis papæ nomen imperatoris adeptus fuit, et quæ in Italia, et quanta erga Romanam Ecclesiam fecerit ; et quomodo Stephanus in Belgicam veniens, et Rhemi patrem suum imperatorem coronans sacraverit ; et quomodo Gregorius subreptus cum Lothario patre suo repugnante in Franciam venit, et pax postea in Francia ut antea non fuit, et ipse papa cum tali honore sicut decuerat et sui antecessores fecerunt, Romam non rediit. Et computant quanta iste ab episcopis et populo qui regem non habebant, et a paganis et seditiosis impetebantur, in regnum quod Lotharius habuit invitatus exordinata ordinaverit : et dicunt sæcularem scripturam dicere, quia omne regnum sæculi hujus bellis quæritur, victoriis propagatur, et non apostolici vel episcoporum excommunicationibus obtinetur, et Scripturam divinam proponunt dicere : *Quia Domini est regnum, per quem reges regnant, et cui voluerit dat illud* (*Psal.* XXI, 29 ; *Prov.* VIII, 15 ; *Dan.* IV, 29) ; ministerio angelorum et hominum. Quibus cum verba beati Jacobi apostoli opponimus, dicentis : *Unde bella et lites inter vos ? Nonne hinc ?* id est *ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris ? Litigatis et belligeratis, et non habetis, propterea quod non postulatis* (*Jac.* IV, 1, 2).

Et ideo, *quia Domini est regnum, et per eum reges*

regnant, ab illo regnum postulare debetis, qui litigatis et belligeratis pro temporali gloria, cum, si Dominum pia intentione postularetis, ipse vobis necessaria ad usum temporalem et ad fruendum perpetuo superna bona tribueret. Et cum potestatem a Christo sancto Petro primo apostolorum, et in eo suis successoribus datam, sed et apostolis, et in eis episcopis, pontificium ligandi et solvendi collatum illis insinuare volumus, respondent : Et vos ergo solis orationibus vestris regnum contra Nortmannos et alios impetentes defendite, et nostram defensionem nolite quærere ; et si vultis ad defensionem habere nostrum auxilium, sicut volumus de vestris orationibus habere adjutorium, nolite quærere nostrum dispendium, et petite domnum apostolicum, ut quia rex et episcopus simul esse non potest, et sui ante- B cessores ecclesiasticum ordinem quod suum est, et non rempublicam, quod regum est, disposuerunt, non præcipiat nobis habere regem, qui nos in sic longinquis partibus adjuvare non possit contra subitaneos et frequentes paganorum impetus, et nos Francos non jubeat servire, quia istud jugum sui antecessores nostris antecessoribus non imposuerunt, et nos illud portare non possumus, qui scriptum esse in sanctis libris audimus, ut pro libertate et hæreditate nostra usque ad mortem certare debeamus. Et si aliquis episcopus aliquem Christianum contra legem excommunicat, sibi potestatem ligandi tollit, et nulli vitam æternam potest tollere, si sua peccata illi eam non tollunt. Et non convenit uni episcopo dicere, ut Christianum, qui non est C incorrigibilis, non propter propria crimina, sed pro terreno regno alicui tollendo, vel acquirendo nomine Christianitatis debeat privare, et eum cum diabolo collocare, quem Christus sua morte et suo sanguine de potestate diaboli venit redimere, et Christianos pro fratribus suis animas suas docuit ponere. Propterea si domnus apostolicus vult pacem quærere, sic pacem quærat ut rixam non moveat, quia non nos concredemus ut aliter ad regnum Dei pervenire non possimus, si illum quem ipse commendat terrenum regem non habuerimus. Et alia de juramentis, et perjuriis, et de tyrannide, de quibus scripsistis, sed et de firmitatibus quæ inter reges nostros factæ fuerunt, et de siditionibus quæ pro illo regno exortæ fuerunt, et ad internecionem multorum pervenirent, nisi ipsæ firmitates exsecutæ fuis- D sent, nobis dicunt quæ vestræ auctoritati mandare nobis non convenit. Quapropter, quomodo ipsius regis, in cujus regno parochia et provincia mea consistit, et eorum qui cum eo degunt, sine animæ periculo, et mihi commissæ Ecclesiæ detrimento, consortium vel præsentiam valeam devitare non video, cum beatus Augustinus in præfato libro de Pœnitentia dicat : *Scripsi vobis*, inquit Apostolus in Epistola, *non commisceri fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut raptoribus, aut idolis servientibus* : *alioquin debueratis de hoc mundo exire* (*I Cor.* v, 9). Non enim possunt homines in hoc mundo

A viventes, nisi cum talibus vivere, nec eos lucri possunt facere Christo, si eorum colloquium conviviumque vitaverint. Unde et Dominus cum publicanis et peccatoribus comedens : *Non est*, inquit, *opus sanis medicus, sed male habentibus. Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Marc.* II, 17). Et paulo post : « Quibus satis ostendit, non temere et quomodolibet, sed per judicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione, et si per judicium auferri non possunt, tolerentur potius, ne perverse malos evitando, quisquam ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur vinciat ad gehennam. Quia et ad hoc nobis sunt in Scripturis exempla proposita, vel in messe (*Matth.* III), ut paleæ sufferantur usque ad ultimum ventilabrum, vel infra illa retia (*Luc.* v,) ubi pisces boni cum malis usque ad segregationem, quæ futura est in littore, hoc est in fine sæculi, æquo animo tolerentur. » Et item idem ex sententia Pauli : « Duobus modis non te maculat malus, si non consentias, et si redarguas : hoc est non communicare, non consentire. Communicatur quippe, quando facto ejus consortium voluntatis et approbationis adjungitur. Hoc ergo admonens non Apostolus ait : *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum* (*Ephes.* v, 11). Et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ, *magis autem*, inquit, *et redarguite* (*ibid.*). Videte quemadmodum utrumque complexus est. *Nolite communicare, magis autem et redarguite*. Quid est, *nolite communicare ?* Nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est autem, *magis et redarguite?* Reprehendite, corripite, coercete. » Hoc enim secundum præceptionem vestram verbis et scriptis egi sæpissime. Et in epistola concilii ad Donatistas (*epist.* 152 *Augustini*), idem doctor solertissimus dicit : « Quisquis, inquit, in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præjudicant aliena peccata : quia unusquisque in ea proprium onus portabit, sicut Apostolus dicit : Et quicunque in ea corpus Christi manducaverit *indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI, 29). Cum autem dicit *judicium sibi manducat*, satis ostendit quia non alteri judicium manducat, sed sibi : quia communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum, Nam si in factis malis non eis quisquam consentiat, portat malus causam suam et personam suam, nec præjudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis. » Et in primo libro de Baptismo (*cap.* 17) dicit : « Spirituales sive ad hoc ipsum pio studio proficientes, non eunt foris, quia et cum aliqua vel perversitate, vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probant quam intus permaneant, cum adversus Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solida unitatis petra fortissimæ charitatis robore radicantur. Ad hoc enim pertinet quod in illo Abrahæ sacrificio dicitur : *Aves autem non divisit.* »

Igitur qui me a solida unitatis catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ petra non divido, et sicut nostis

scriptis, et etiam præsentibus vestris missis, adeo ex vestra jussione verbis restiti regi, ac regnorum primoribus, ut et coram eisdem missis comminaretur mihi, quoniam si in mea sententia permanerem, ad altare Ecclesiæ meæ cantare possem, de rebus vero et hominibus nullam potestatem haberem, a vestra communione non debeo separari aliorum factionibus quorum, quantum ex me est, non communico quæcunque sunt tenebrosis operibus. *Qui*, inquit Dominus, *peccaverit mihi, delebo eum de libro meo* (*Ezech.* XIV, 9) ; et : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 20). Sed et in peccantibus, ut bene nostis, et beatus dicit Gregorius, causæ pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Quæ potestas, ut Leo dicit, in alios apostolos, et ad omnes Ecclesiæ principes commeavit : sed ideo singulariter Petro creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur æquitate judicium : nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil est ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut ligaverit, aut solverit. Qualiter etiam frater et sacerdos noster Odo, Belvacensis episcopus, mecum pro obtemperandis vestris jussionibus laboraverit, iidem legati vestri vobis innotescere possunt. Sed et aliæ comminationes in nos sunt jaculatæ, quas adhuc nolo proferre, quasque scio, si Dominus illis permiserit, ut jam in deliberatione, ita sine retractatione comminantes in opere monstrare curabunt. Et ut mihi experimento videtur, propter meam interdictionem, vel propter linguæ humanæ gladium, nisi alius eis obstiterit, rex vester vel regni ejus primores non dimittent, ut quod cœperint quantum poterunt non exsequantur. Et nescio quomodo ipsius regis, vel inter quos habito, præsentiam et communionem vel consortium valeam devitare, cum rex et cohabitantes mecum una cum rege, non solum in parochiam, verum et in civitatem meam sæpe conveniant, et ibi tandiu sicut regi complacet degant, et cum tanta multitudine, tam de regno quod antea habuit, quam et de regno quod Lotharius habuit, necnon de aliis regnis ad eum confluentibus, sicut missi vestri viderunt, et hoc quam sæpe illi videtur, in civitate mea sustineo, qui ecclesiam et plebem mihi commissam deserere, et aliorsum ut mercenarius non valeo fugere, nec quo extra regnum ejus fugiam habeo : sed regio cultu eo recepto, de ecclesiasticis facultatibus, sicut præcipit et quandiu præcipit, illi et sibi obsequentibus servio, ut quiete, secundum quod instat tempus, cum mihi commissis degere possim. Dicit enim hanc potestatem suos decessores habuisse, quam ipse nullius interdictione dimittet.

Quæ omnia supra et infra dicta, sicut non ad accusandum, sic nec ad excusandum in advocatione præfati regis depromo : ætatem enim habet, ipse de se loquatur, neque ad resistendum vestræ auctoritati, neque ad contradicendum vestræ præceptioni, sed consulendum qualiter nos episcopi, et ego præcipue, in quem tantam comminationem intentastis, erga regem nostrum gerere debeamus, cum beatus Augustinus Apostoli exponens sententiam dicat : « Apostolica, inquit, doctrina, ut omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, et ut reddantur omnibus omnia, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, et cætera, salvo Domini nostri cultu, constitutionis humanæ principibus reddamus, quando et ipse Dominus, ut nobis hujus sacræ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis, quo erat indutus, tributum solvere non dedignatus est. Jubentur etiam servi Christiani et fideles boni dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterque servire, quos judicaturi sunt, si usque in finem iniquos invenerint, aut cum quibus regnaturi sunt, si et illi ad verum Deum conversi fuerint. Omnibus tamen præcipitur servire humanis potestatibus atque terrenis, quo usque post tempus præfinitum, ab istius sæculi confusione, tanquam de captivitate Babyloniæ, sicut Hierusalem liberetur Ecclesia. Ex cujus captivitatis occasione, si etiam terreni reges, desertis idolis pro quibus persequebantur Christianos, unum verum Deum et Christum Dominum cognoverint et colant, pro quibus Paulus apostolus jubet orare Ecclesiam, cum persequerentur Ecclesiam, *ut securam et tranquillam vitam agamus cum omni pietate et castitate* (*I Tim.* II, 2), sicut et ille populus in Babyloniam ductus per Jeremiam jubetur orare pro rege Babyloniæ, et beatus Petrus dicit : *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Dominum, sive regi, quasi præcellenti* (*I Petr.* II, 13); et item : *Dominum timete, regem honorificate* (*ibid.*, 17). Omni humanæ creaturæ, inquit doctor sagacissimus, omni dignitati hominum, omni personæ, omni principatui, cui vos divina dispositio subdi voluerit. » Hoc est enim quod ait *propter Dominum, quia non est potestas, nisi a Deo, et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* (*Rom.* XIII, 1, 2). Et item sanctus Augustinus in sermone Evangelii Joannis (*serm.* 6) : « Leguntur, inquit, leges manifestæ, ubi præceperunt imperatores, eos qui præter catholicæ Ecclesiæ communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere. Sed quid, inquiunt, nobis et imperatori ? Sed jam dixi de jure humano agitur : et tamen Apostolus voluit serviri regibus, voluit honorari reges, et dixit : *Regem reveremini*. Noli dicere : Quid mihi et regi ? noli dicere possessiones tuas, qui et ipsa humana jura renuntiasti, quibus possidentur possessiones. « Et si per jura regum possidebunt possessiones, non possunt ut regi de ecclesiasticis possessionibus obsequium non exhibeant, sicut antecessores mei suis antecessoribus exhibuerunt.

Quapropter, domne pater reverentissime, consulite secundum privilegium sedis vestræ subjectioni nostræ, ne talia nobis cujuscunque suggestione mandetis, unde inter episcopalem auctoritatem et regalem potestatem, inter Ecclesiam et rempublicam

tantum scandalum possit oriri, quod facile ac sine dispendio religionis, vel detrimento ecclesiasticarum rerum, unde servi et ancillæ Dei debeant nutriri, et ecclesiastica negotia contineri, postea non possit sedari, quia sicut Abraham dixit ad Dominum : ***Absit hoc a te, a Domine, non est hoc tuum, qui judicas omnem terram*** (*Gen.* XVIII, 25). Et hanc meæ subjectionis humillimam suggestionem ea benignitate suscipite, qua primus apostolorum non solum minoris sui apostoli redargutionem pro simulatione suscepit, verum et minorum suorum quæstionem, cur ad præputiatos intraverit, satisfacere ac lenire curavit. Epistolam autem generaliter episcopis regni domni nostri Caroli a vobis directam quantocius potui metropolitanis regni sui direxi, ut et ipsi per suos coepiscopos illam transmittant, quatenus scientes præceptionem vestram, quod jubeatis exsequi studeant. Vestra denique auctoritas misit mihi præterito anno epistolam, per missum coepiscopi nostri Hincmari, præcipientem ut oris mei officio Nortmannum, qui res Ecclesiæ Laudunensis invaserat, excommunicarem. Sed ipse Nortmannus, sicut manifestum est, multis in istis regionibus, in quibus leges et canones exortas causas agitari et definiri præcipiunt, res ipsius Ecclesiæ non invasit, ex quibus quasdam idem Hincmarus episcopus domno regi Carolo, sine meo et coepiscoporum ac comministrorum suorum consensu concessit, ut eas Nortmanno beneficiaret, sicut plurimi sciunt, et in scriptis suis domno regi, et mihi directis fatetur. Quas siquidem res nuper domnus rex Ecclesiæ Laudunensi restituit, quasdam etiam res prædictus episcopus filio Nortmanni sibi commnendato in beneficium dedit, quas ab eo receptas tenet.

Præterea si vestræ complacet auctoritati, quando talia et hujusmodi ad vos veniunt, et inde præcipere postulamini, interponite si ita est ut vobis innotuit, quatenus sanius vestra jussio juste et rationabiliter ponderata valeat exsequi. Et metropolitanus qualiscunque, qui secundum sacros canones excommunicationes intentatas a provinciali episcopo, si inde ad me venerit proclamatio, debeo retractare, si vestro benigno sedet animo, in obsequium illius parochianum suum juberi non debeo excommunicare. Alteram siquidem mihi pro negotio ipsius Hincmari direxistis epistolam dicentes : « Miranda est plane vestra fraternitas, quare ministerio juris episcopalis in regionibus illis abutitur : et multorum charitas abundante nequitia refrigescere dicitur. Hincmarus namque nepos et æquivocus tuus venerabilis duntaxat episcopus, sicut audivimus, non minima in sua Ecclesia sustinet detrimenta, sed vobis, ut ita dixerim, tepescentibus, nullam consolationem potuit invenire. » Unde humiliter auctoritati vestræ rescribo quomodo, ut scriptum est, sicut audio judico, et vos sicut audistis scripsistis; sed qui vestræ sanctitati hæc verbis vel litteris intimavit, mendacium vobis dixit. Plurimum enim pro eo et apud regem et apud alios laboravi, sed et a præcedentibus annis,

A sicut multis est notum, ab eo plurima suffero, et timeo ne in Scripturæ sententias incidat quibus dicitur : *Qui mentis est duræ corruet : abominatio enim Domino est omnis arrogans* (*Prov.* XXVIII, 14 ; XVI, 5); et : *Qui se exaltat, humiliabitur* (*Matth.* XXIII, 12). Et sicut illa de quibus mihi pro eo scripsistis mendaciter dicta sunt, etiam aliquis vobis suggessit quod eum ire Romam prohibuerim, vel dissuaserim, mendacium vobis nihilominus dixit, sicut et plures in istis regionibus sciunt, et scriptis ad eum sæpe directis possum ostendere.

De eo quod pusillitati meæ vestra rescripsit sublimitas, ut eumdem Hincmarum, et alios tres episcopos omnium episcoporum regni domni Caroli vicem ferentes ad synodum Romam mitterem, vestra sciat B auctoritas, quia nec prædictum Hincmarum, nec etiam quemlibet episcoporum diœceseos Rhemorum, minime autem aliarum provinciarum episcopos, nisi domnus rex illis præceperit, Romam, vel in aliquam partem, mea commendatione mittendi habeo potestatem, nec ipso ego ultra fines sui regni absque illius scientia progredi valeo, sicut missis vestræ sanctitatis coram Odone venerabili episcopo, et Ansegiso religioso presbytero et abbate, quibus nostræ causæ sunt cognitæ, dixi. Epistolam quoque, sicut mihi scripsistis, domno nostro regi Carolo a vobis directam, et a me dandam pro Hincmaro, quæ ut coram illo relegeretur, et quod in ea petebatis impleret me instare jussistis, frater Hincmarus mihi non dedit, nec etiam misit, sed sicut, audivi, a Remigio C et Harduiro archiepiscopis aliarum provinciarum eam regi dari obtinuit. Deus omnipotens sanctitatem vestram, ad honorem sanctæ sedis, et correctionem sanctæ suæ Ecclesiæ, in suo apto servitio per annorum multa curricula conservare dignetur, domine sanctissime et reverentissime Patrum Pater in Domino.

EPISTOLA XXVIII.

AD ADRIANUM PAPAM.

Caroli Calvi regis nomine.

(Vide inter epistolas Caroli Calvi, Patrologiæ, tom. CXXIV, col. 881.)

EPISTOLA XXIX.

AD ADVENTIUM EPISCOPUM METENSEM.

D *Quo debeant ordine consecrari metropolitanus atque diœcesanus episcopus.*

(Apud Sirmond., ex codice S. Laurentii Leodiensis.)

HINCMARUS, Rhemorum episcopus, domno ADVENTIO glorioso pontifici salutem.

Sicut jussistis, mitto vobis consecrationem episcopi, et exemplar decreti, quod in ampla pergamena debet scribi, ut confirmationes cleri et legatorum singulorum monasteriorum, et primorum presbyterorum parochiæ ac plebis, ibi valeant scribi : et si isdem electus in diaconii gradu adhuc est, canonico tempore debet presbyter ordinari. Sabbato autem

præcedente Dominicam, quando electus est ordinandus, convenire debent episcopi diœceseos ad principalem ecclesiam metropolis, et publice coram omnibus debet recitari decretum, et interrogare debent episcopi, si omnium vota, sicut ibi continetur, in eumdem electum concordent. Et post responsionem illorum, debent interrogare episcopi, si has virtutes, quæ ibidem continentur, credunt vel sciunt esse in eodem electo. Et accepta inde responsione, debent interrogare episcopi, si aliquis ibi est, qui contra eumdem electum aliquid dicere, vel ordinationi episcopali contrarium illi velit objicere, ut exeat et dicat memor communionis suæ. Quod si aliquis quiddam illi objecerit, habetis in canonibus quid inde sit faciendum Sin autem omnes concordes fuerint in ejus electione, referendæ sunt ab omnibus Deo laudes, et examinandus est idem electus ab episcopis, secundum capitulum Carthaginensis concilii, quo manifestatur qualis debeat ordinari episcopus. Si ita credat, et simplicibus verbis catholicam fidem profiteatur, sicut ibidem scriptum habetur, et tunc monendus est idem electus, ut ipsa nocte, secundum traditionem apostolicam, se studeat Domino commendare.

Dominica autem die maturius episcopi diœceseos et clerus ac plebs convenire debebunt ad locum, ubi secundum consuetudinem solet metropolitanus episcopus ordinari. Et præparatis omnibus, et episcopis et ecclesiasticis ministris in vestibus sacris, et stantibus episcopis secus altare, idem electus indutus pontificalibus vestibus a primoribus clericis ejusdem metropolis de sacrario debet educi, et in ultimo loco post episcopos collocari. Is autem episcopus diœcesaneus, qui consecrationem fusurus est super eum, incœpto *Introitu* ad missam secundum morem procedat. Et finito *Introitu* dicatur *Kyrie eleison*, prosequente ab ipso episcopo *Gloria in excelsis Deo*. Et post *Gloria in excelsis Deo*, dicat hanc orationem, quæ prima est in rotula consecrationis. Statim autem post completam ipsam orationem, antequam legatur Apostolus, commoneat clerum et plebem ut orent pro ordinando electo et pro ordinatoribus ejus, et accipiat electum manu sua dextera per manum illius, et incipiatur litania, et tam ipse cum electo, quam et cæteri qui adfuerint episcopi, incurventur ante altare, usque dum breviter pro tempore finiatur litania. Ut autem clerus incœperit dicere *Agnus Dei*, erigant se episcopi, et qui fundet consecrationem accipiat quatuor Evangelia, et aperiat per medium, et incurvato ipso electo ante altare, mittat ipse Evangelia super collum et cervicem ejus, et teneant ipsa Evangelia super eum duo episcopi, unus ex una parte, alter ex altera, et tam consecrator quam omnes episcopi, teneant manus dextras suas super caput ordinandi, et dicat consecrator: *Oremus. Propitiare, Domine, supplicationibus nostris*, et reliqua. Et oratione completa, et respondentibus omnibus, *Amen*, dicat consecrator: *Dominus vobiscum*, *Sursum corda*, *Gratias agamus*

A *Domino Deo nostro*. Et respondente choro ad singula, incipiat consecrationem cantando: *Vere dignum et justam est*, usque ad *æterne Deus*; et tunc, sicut ipsa consecratio consequitur, et semper teneant manus dextras episcopi super caput ordinandi. Ut autem ventum fuerit ad loca in quibus sunt cruces signatæ, accipiat consecrator vas chrismatis in sinistra manu, et cum dextro pollice, cantans quæ ibidem continentur, per singula loca faciat crucem de chrismate in verticem consecrandi, et perfecta consecratione, et respondentibus omnibus *Amen*, tollantur ab episcopis Evangelia de collo ejus, et mittat annulum in dexteræ manus digito qui præcedit minimum, dicens ad quid illi annulus datur. Signum est enim fidei, ut audientibus se ex divinis mysteriis
B signet quæ et quibus signanda sunt, et aperiat quæ et quibus aperienda sunt. Deinde donet illi baculum sancti regiminis, et det a se ordinato pacem, et sic per ordinem ordinatus osculetur episcopos et ponatur sella juxta eum qui illum ordinavit, et sedeat ibi metropolitanus episcopus: alioquin si non esset metropolitanus, in ordine consecrationis suæ sedere deberet. Et tunc legatur Apostolus ex Epistola ad Timotheum, qualis debeat esse episcopus; et expleta missa, ordinatus metropolitanus episcopus ducatur, vel deportetur, ad cathedram principalis ecclesiæ, cantantibus clericis ea quæ ad hoc opus conveniunt. Illuc autem perveniens resideat in principali cathedra, et commendet ministris ecclesiasticis ut unusquisque in suo ordine ministret sibi atque sibi commissæ Ecclesiæ. Inde pergat in sacrarium, et incœ-
C pto *Introitu* ad missam secundum morem procidat, et salutato altari ascendat ad sedem suam, et stet ibi donec in suo loco incipiat *Gloria in excelsis Deo* de gradibus sedis, et post datam orationem resideat in sede sua, consedentibus secum episcopis et presbyteris. Et completa misssa, habeat episcopus qui eum ordinavit litteras manibus suis subscriptas, quas sacri canones ordinato ab ordinatoribus suis jubent accipere, præferentes diem et consulem: et antequam ordinatus ab altari discedat, mittant easdem litteras super altare, unde eas accipiant et donent illas a se ordinato, et sic perfectis omnibus benedicatur Dominus. Cæterum quando provincialis ordinatur episcopus, ipsæ canonicæ litteræ a metropolitano et cæteris episcopis subscribendæ sunt,
D quandiu legitur Apostolus et cantatur responsorium et alleluia, et statim post missam finitam dantur ab episcopis ante altare ordinato provinciali episcopo, et archiepiscopus et alii episcopi vadunt ad sua. Ipse autem ordinatus cantat missam ubi locus est opportunus.

De his omnibus quæ mihi mandastis, et de his etiam quæ non mandastis, ut sit, veluti dicitur, quod supererogaveris, vobis rescripsi qualiter ordinationem agamus episcopi, et qualiter in me acta fuerunt. Decretum autem et consecrationem episcopalem, quæ ibi memoratur, ego non habui, quæ tamen vos habere posse cognosco.

EPISTOLA XXX.

AD EPISCOPOS.

De jure metropolitanorum, cum de Ansegisi primatu ageretur.

(Apud eumdem, ex Mogunt. edit. Joan. Busæi.)

I. Domini et sanctissimi ac reverendissimi patris nostri apostolici papæ Joannis decreta ex sacris canonibus promulgata, sicut et sancti decessores ac prædecessores sui ex eisdem sacris canonibus spiritu Dei conditis, et totius mundi reverentia consecratis, promulgaverunt, quantum ex nobis est, non præjudicantes sententiis fratrum et coepiscoporum nostrorum, qui absentes sunt, ad quos hæc sua scripta mittuntur, reverenter suscipimus, singulis metropolitanis suo jure servato, velut mystica Nicæna synodus irrefragabiliter servari decrevit, dicens (*can.* 6) : « Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam et Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et urbis Romæ episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam cæterasque provincias suis privilegia serventur Ecclesiis. Firmitas autem eorum, quæ geruntur per unamquamque provinciam metropolitano tribuatur episcopo. »

II. Quæ sancti et magni concilii Nicæni decreta beatus Innocentius ad Alexandrum Antiochenum episcopum ita explanat, dicens (*epist.* 20) : « Revolventes itaque auctoritatem Nicænæ synodi, quæ una omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia, cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam aliam provinciam recognoscimus constitutam. » Et Bonifacius papa scribens ad Hilarium Narbonensem episcopum (*epist.* 3) : « Convenit, inquit, nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus, Per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subjectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, servandum sancto Spiritu suggerente sibimet, censuerunt. » Et post aliquanta : « Quod idcirco dicimus, ut advertat charitas tua adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. »

III. Et sancta synodus episcoporum Africæ provinciæ scribens ad S. Cœlestinum papam (*in fine synodi Africanæ*) : « Decreta, inquit, Nicæna, sive inferioris gradus clericos, sive episcopos ipsos, suis metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim justissimeque providerunt quæcunque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda, nec unicuique provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas a Christi sacerdotibus, et prudenter

A videatur, et constantissime teneatur, maxime quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad concilium suæ provinciæ, vel etiam universale provocare. « Et hinc sanctus Cœlestinus, ad rei firmitatem commemorans decreta præfati Bonifacii, decrevit ut unaquæque provincia suo metropolitano debeat esse contenta, dicens (*ad episc. Galliæ*, c. 4) : « Primum, ut juxta decreta canonum unaquæque provincia suo metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem episcopum continent constituta, nec usurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur injuriam. Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus, alter in alterius provincia nihil præsumat. » Et item idem (*Ad episc. Apuliæ*, c. 1) : « Nulli sacerdoti suos li-
B ceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa frangatur ? « Et sanctus Leo ad Theodorum Forojuliensem episcopum (*epist.* 92) : « Sollicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo primitus de eo quod quærendum videbatur esse conferres, ac si id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis, quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, sine primatibus nihil oportet inquiri. »

IV. Et quia sancta Romana Ecclesia, cui sollicitudo omnium Ecclesiarum in beato Petro principe apostolorum est commissa, plures metropolitanos in
C speciali sua diœcesi habet, sicut sanctus Leo apud Anastasium Thessalonicensem episcopum monstrat (*epist.* 88), similiter et Alexandrina Ecclesia in sua diœcesi ; sed et Antiochena sedes nonnullos metropolitanos in sua diœcesi habet, sicut sanctus Innocentius ad Alexandrum ejusdem sedis episcopum scribit (*epist.* 20), et in ecclesiasticis historiis ac synodalibus gestis invenimus, eisdem etiam metropolitanis, quos suis vicariis sancta Romana commisit Ecclesia, secundum Nicænos sacros canones sua jura decrevit servari, veluti ad eumdem Anastasium idem beatus Leo scribens (*epist.* 88) : « Igitur, inquit, secundum sanctorum Patrum canones, spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, metropolitanos singularum provinciarum epi-
D scopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decrevimus, ita ut a regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant. » Attendendum est igitur si apostolica sedes metropolitanis suæ specialis diœceseos, sicut in epistolis beati Gregorii ex Regesto legimus, quos propter longinquitatem suas vices agentibus delegavit, sua jura secundum sacros Nicænos canones servari præcepit, sicut et in epistola præfati Leonis ad prædictum Anastasium dicitur (*epist. eadem* ante superiora) : « Si quid grave, inquiens, intolerandumque gessisset metropolitanus,

nostra erat exspectanda censura, ut nihil prius ipse decerneres, quam quid nobis placeret, agnosceres. Vices enim nostras ita tuæ credidimus charitati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. »

V. Illis metropolitanis (qui et primates multoties in sacris canonibus appellantur, quique in loco defunctorum archiepiscoporum et metropolitanorum ab episcopis uniuscujusque provinciæ sine interrogatione alterius primatis prævalent ordinari, et ex antiquæ consuetudinis lege, a sede apostolica, cui sollicitudo et prælatio omnium Ecclesiarum in primatu est sancti Petri collata, pallii solent genio insigniri, et in loco decedentium episcoporum, sine consultu vel licentia primatis alterius, in sua provincia quique possunt episcopos ordinare), sua jura debent modis omnibus secundum eosdem sacros Nicænos canones conservari : qui inviolabiliter decreverunt, ut sicut Alexandrinæ Ecclesiæ, quia et urbis Romæ episcopo parilis mos est, similiter et apud Antiochiam, cæterasque provincias suis privilegia serventur Ecclesiis. De quibus sacris canonibus præfatus sanctus Leo ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum ita passim dicit (*epist.* 56) : « Post consecrationem Antiocheni episcopi, quam tibimet contra canonicam regulam vindicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones conareris infringere, tanquam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, et Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit, ut his locis juri tuo subditis, omnes Metropolitani episcopi proprio honore priventur. Quibus inauditis et nunquam ante tentatis ita præveniris excessibus, ut sanctam synodum, ad exstinguendam solum hæresim, et confirmationem fidei catholicæ, studio Christianissimi principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, et ut conniventiam suam tibi dedat impellas, tanquam refutari nequeat quod illicite voluerit multitudo. »

VI. Consona his et in aliis decretis apostolicæ sedes habentur : « Quod si et omnes sacerdotes et mundus assentiat, damnatio consentientes involvit, non prævaricationem consensus absolvit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cum generale fit ex privato. Hoc enim Deus omnium indicavit, qui mundum peccantem generali diluvio interemit. » Et item S. Leo ad præfatum Anatolium (*ibid., post superiora*) : « Illa, inquit, Nicænorum canonum per sanctum vere Spiritum ordinata conditio in nulla unquam parte est solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur, neque trecentis illis decem, atque octo episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum comparare se audeat vel præferre, cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. » Et paulo post : « Sancti illi et venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, et si quid usquam aliter quam illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur, ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla communicatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa : et manentibus terminis quos constituerunt Patres, nemo in jus tendat alienum, sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine charitatis se exerceat. » Aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes, et magnus unicuique honor est integritas sua.

VII. Et item idem ad synodum Chalcedonensem scribens (*epist.* 65) : « De custodiendis, inquit, sanctorum Patrum statutis, quæ in synodo Nicæna inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis centum decem et octo Patribus divinitus inspiratis sunt ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, et appetitus suos conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit quidquid a prædictorum Patrum canonibus discreparit. Quorum regulis apostolica sedes quam reverenter utatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere, et me, auxiliante Domino nostro, et catholicæ fidei et paternarum traditionum esse custodem. » Et ad Martianum Augustum (*epist.* 57) : « Privilegia Ecclesiarum sanctorum Patrum canonibus instituta, et venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo fideliter exsequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, et ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in synodo Nicæna, ad totius Ecclesiæ regimen spiritu Dei instruente sunt conditæ, me, quod absit, connivente violentur, et major sit apud me unius fratris voluntas, quam universæ domus Domini communis utilitas. »

VIII. Et ad Pulcheriam Augustam (*epist.* 58) : « Contra statuta paternorum canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuique audere conceditur : ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat. Quæ si ut oportet a cunctis pontificibus intemerata serventur, per universas Ecclesias tranquilla erit pax et firma concordia, nullæ de mensuris harum dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de privilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieni usur-

patione certamina, sed ea quæ jure charitatis rationabilis est et morum et officiorum servabitur unanimitas. Et ille vere erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino : *Quicunque voluerit inter vos major fieri, erit vester minister; et quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (*Matth.* xx; *Marc.* x). Et tamen hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, et de infimis ad summa transire. » Et ad Maximum Antiochenum episcopum (*epist.* 66) : « Tanta apud me est Nicænorum canonum reverentia, ut ea quæ sunt a sanctis patribus constituta nec permiserim, nec patiar aliqua novitate violari. Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen jura permanent sedium, quibus etsi possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Nunc autem ad omnia generaliter pronuntiare sufficiat, quod si quid a quoquam contra Nicænorum canonum statuta in quacunque synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præjudicii potest inviolabilibus inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet consensionum pactum dissolvi, quam predictorum canonum regulas ex ulla parte corrumpi. » Quoniam universæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reverentia intemerata servetur. Quidquid enim præter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est a sanctis patribus apud Nicæam diffinitum. Nam quod ab illorum regulis et constitutione discordat, apostolicæ sedis nunquam poterit obtinere consensum.

IX. Et sanctus papa Hilarus ad Leontium, Veranum et Victorium episcopos, inter cætera ad locum (*epist.* 4) : Ita vestræ charitati cognitionem adnexæ querimoniæ delegamus, ut nihil adversum venerandos canones, nihil contra sanctæ memoriæ decessoris mei judicium valeat, quidquid obreptum nobis esse constiterit. Nolumus namque, fratres charissimi, Ecclesiarum privilegia, quæ semper sunt servanda confundi, nec in alterius provincia sacerdotis alterum jus habere permittimus, quia per hoc non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur, cum exspectatio fructus nostri ministerii, » non in regionum latitudine, sed in acquisitione ponitur animarum. » Et item idem ad episcopos diversarum provinciarum (*epist.* 10) : « Hæc ad universam charitatem vestram et jam per fratrem et coepiscopum nostrum Antonium scripta direximus. Quibus admoniti communis omnium sollicitudo procuret, ne quisquam frater in alterius prorupturus injuriam trascendat terminos venerandis Patribus constitutos. » De quibus terminis Antiochenum concilium, in magna synodo Chalcedonensi collaudatum, capite decimo tertio dicit (*conc. Antioch., can.* 13) : « Nullus episcopus ex alia provincia audeat ad aliam transgredi, et ad promotionem ministerii aliquos in Ecclesiis ordinare, licet consensum videantur præbere nonnulli, nisi litteris tam metropolitani, quam cæterorum qui cum eo sunt episcoporum, rogatus adveniat, et sic ad actionem ordinatio accedat. Si vero nullo vocante inordinato more deproperet, super aliquibus ordinationibus, et ecclesiasticis ordinationibus ad eum non pertinentibus componendis, irrita quidem quæ ab eo geruntur existant, ipse vero incompositi motus sui, et irrationabilis audaciæ subeat ultionem, ex hoc jam damnatus a sancto concilio. » Et consona huic dicit in capite vicesimo secundo cujus conclusio talis est : « Si ordinare non potuerit, nullatenus judicabit. »

X. Et hinc sanctus Gelasius in decretis ad omnes episcopos de Institutis ecclesiasticis (*epist.* 6) : « Cumque, inquit, nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, et cum sedes apostolica superior his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est quemquam vel pontificum vel ordinum subsequentium, hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere, satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus totius Ecclesiæ posuit principatum. » Attendendæ summopere sunt omnibus nostratibus inter cœteros præcipue horum duorum heroum sententiæ, Leonis et Gelasii, ne præsumant discipuli quod licere sibi magistri non voluerunt, et si ad tanti tonitrui magnivocum sonitum tremunt cedri, quid faciendum sit tabulis. Ait enim Leo (*epist.* 56, *ad Anatolium*), « quod Nicænorum canonum per sanctum vere Spiritum ordinata conditio in nulla cuiquam sit parte solubilis. » In qua sententia nulla persona excipitur, quacumque prædita potestate vel dignitate. Et Gelasius (*epist.* 6) : « Cumque, inquit, nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, satis indignum est quemquam hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere, » Hinc sanctus Augustinus, tempore prior, loco posterior, ab omnibus sedis apostolicæ pontificibus in suo tempore, ac post suum obitum, imo et a cuncta catholica Ecclesia inter magistros optimos receptissimus, in libro de Vera Religione (*cap.* 21) dicit : « Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem a nemine judicatur, id est a nullo homine, sed a sola ipsa lege, secundum quam judicat omnia, quoniam et illud verissime dictum est : Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Omnia ergo judicat, quia super omnia est quando cum Deo est; cum illo autem est, quando purissime intelligit, et tota charitate quod intelligit diligit. Ita etiam quantum potest, lex ipsa etiam fit, secundum quam judicat omnia, et de qua judicare nullus potest : sicut in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent cum eas instituunt, tamen cum fuerint

institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est et sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est, ut secundum ejus incommutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum vetandumque discernat. Æternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, judicare non fas est. »

XI. Cujus sententiam et beatus Gelasius confirmat in decretis ad episcopos per Dardaniam constitutos, dicens (*epist*, 2, sub initium) : « Confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, unius cujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exsequi sedem præ cæteris oportere quam primam, quæ unamquamque synodum et sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper, et retinet. » Et Symmachus papa ad Cæsarium Arelatensem episcopum (*epist.* 11) : « Rationabile est ut sancta Arelatensis Ecclesia propriis privilegiis perfruatur, et quod vetustas præstitit, et Patrum auctoritas roboravit, nova non debet violare præsumptio : sic tamen, ut cætetarum Ecclesiarum privilegia temporibus acquisita non titubent, quia non potest ex parte firmum esse, quod generalitatis tangit injuriam. Manentibus siquidem his quæ Patrum constituta singulis Ecclesiis concesserunt, decernimus ut circa ea, quæ tam in Gallia quam in Hispania provinciis de causa religionis emerserint, solertia tuæ fraternitatis invigilet. » Et post aliquanta : « Igitur quemadmodum supra diximus, per singulas Ecclesias beneficia, quæ sunt diu custodita, serventur. » Et hinc sanctus Hormisda in epistola ad beatum Remigium Rhemorum episcopum scripsit, dicens : « Dilectissimo fratri Remigio Hormisda. Suscipientes plena fraternitatis tuæ congratulatione colloquia, quibus nos germanæ salutis tuæ lætificavit indicio corporali cum spiritualibus officiis incolumitate subnixia, congruum esse perspeximus hanc ipsam quam mente gerimus verbis aperire lætitiam. Agis enim summi documenta pontificis, dum et prædicanda facis, et ea insinuare non differs. Prærogativam igitur de nostri sumpsimus electione indicii, quando id operatum te esse didicimus, quod cæteris agendum obnixius imperamus, ut in provinciis tanta longinquitate disjunctis, et apostolicæ sedis vigorem, et Patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne regnum dilecti et spiritualis filii nostri Clodovei, quem nuper adminiculante superna gratia plurimis, et apostolorum temporibus æquiparandis, signorum miraculis prædicationem salutiferam comitantibus, ad fidem cum gente integra convertistis, et sacri dono baptismatis consecrasti, salvis privilegiis, quæ metropolitanis decrevit antiquitas, præsenti auctoritate committimus : augentes studii hujus participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, a quo jam probavimus acutius universa servari, gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, et laboraturis injuncti operis forma monstratur. Paternas igitur regulas, et decreta sanctissimis diffinita conciliis ab omnibus servanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam et fraternæ monita exhortationis ostendimus. His ea, quanta dignum est, reverentia custoditis, nullum relinquit culpæ locum sanctæ observationis obstaculum. Ibi fas nefasque præscriptum est, ibi prohibitum, ad quod nullus audeat aspirare, ibi concessum quid debeat mens Deo placitura præsumere. Quoties universæ poscit religionis causa concilium, te cuncti fratres evocante conveniant : et si quos eorum specialis negotii pulsat intentio, jurgia inter eos oborta compesce, discussa sacra lege determinando certamina. Quidquid autem illic pro fide et veritate constitutum, vel provida dispensatione præceptum, vel personæ nostræ auctoritate fuerit confirmatum, totum, ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perveniat. Eo fit ut et noster animus officii charitate dati, et tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. »

XII. Et sanctus Gregorius in epistola ad Virgilium Arelatensem episcopum (*lib.* IV, *epist.* 52) : « Fraternitati tuæ, inquit, vices nostras in Ecclesiis quæ sub regno sunt præcellentissimi filii nostri Childeberti, juxta antiquum morem Deo auctore committimus. Singulis siquidem metropolitis secundum priscam consuetudinem proprio honore servato, pallium quoque transmissimus. » Ei in epistola ad Dominicum Carthaginensem archiepiscopum (*lib.* XI, *epist.* 39) : De ecclesiasticis, inquit, privilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia, sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus. Nec cuilibet favente gratia ultra quam meretur impartior, nec ulli hoc quod sui juris est ambitu stimulante derogo : sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honore singulos subvehi, dummodo non sit quod alteri jure ab altero possit opponi. » Et ad Natalem Salonitanum episcopum (*lib, eod.*, *epist.* 37) : « Quod, inquit, dicitis nostris temporibus debere servari, quæ a meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt, absit hoc a me, ut statuta majorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo. »

XIII. Hæc ita, ut supra ostensum est, de antiquo jure singulis metropolitanis servando, et subsequentes sacram Nicænam synodum conciliorum canones statuerunt. Silicet Antiocheni, dicentes (*can.* 9) : « Per singulas regiones episcopos convenit nosse metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere. Propter quod ad metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere concurrant, et reliqua. » Et Constantinopolitani

canones decreverunt (*can.* 2), ut illa quæ sunt per A unamquamque provinciam ipsius provinciæ synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse concilio. Et universale Chalcedonense concilium dicit (*can.* 1) : « Regulas, inquiens, sanctorum Patrum per singula nunc usque concilia constitutas proprium robur obtinere decrevimus. » Et item idem (*can.* 19) : « Decrevit itaque sancta synodus secundum Patrum canones bis in anno episcopos in id ipsum in unaquaque provincia convenire, quo metropolitanus antistes probaverit, et corrigere singula, si quæ fortassis emerserint. »

XIV. Sic et Africæ provinciæ sancta concilia decreverunt, ut quæ in Nicæno concilio statuta sunt omni modo conserventur, et ut qui posterius ordinati sunt prioribus se non audeant anteferre. Unde inter cætera ad locum dicit Aurelius (*cap.* 53) : « Non decuerat, inquiens, ut hæc repeteremus, nisi forte existerent inconsideratæ mentes quorumdam, quæ ad hæc statuenda nostros acuerent sensus. Sed communis hæc causa est, quam insinuavit frater et consacerdos noster Valentinus, ut unusquisque nostrum ordinem sibi decretum a Deo cognoscat, et posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Qua de re dico, prout captus animi mei retinet, eos qui putaverint spretis majoribus aliquid præsumendum, competenter esse ab omni concilio coercendos. Xantippus episcopus primæ sedis Numidiæ dixit : Audivit omnium fratrum præsentia prosecutionem fratris et consacerdotis nostri Aurelii, quid ad hæc respondent? Datianus episcopus dixit : Quæ majorum decrevit sententia nostro assensui mancipabuntur, ut quæ præteritorum conciliorum gentis tenentur Carthaginensis Ecclesiæ nostra assensione plene apud omnes firma teneantur. Universi episcopi dixerunt : Hic ordo et a Patribus et a majoribus servatus est, et a nobis Deo propitio servabitur, salvo etiam jure primatus Numidiæ et Mauritaniæ. »

XV. Et item iidem sacri canones (*conc. Milevit. c.* 14) : « Placuit ut quicunque deinceps ordinantur per provincias Africanas, litteras accipiant ab ordinatoribus suis, manu eorum conscriptas, continentes consulem et diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur. Unde Pelagius, antecessor sancti Gregorii, ad Childebertum regem Francorum scribit de Sapaudo Arelatensi archiepiscopo (*Pelag.* I, D *epist.* 11), increpans eum, ut ipsius verbis utamur, quoniam ad petitionem episcopi ab eo ordinati in judicium, sequentis civitatis episcopi, quod nulla ecclesiastica lege et ratione conceditur, judicandum juberetis occurrere, ut ipso de conculcato loci sui præjudicio conquerente, illum qui usurpavit, necesse sit de illicita præsumptione culpari. » Et sanctus Gregorius vigilantissime servari decrevit ut posteriores se prioribus non præferant, et ut nullus metropolitanus in alterius metropolitani provincia, inconsulto eo quiddam juris præsumat, scribens ad Augustinum Anglorum episcopum (*interrogatione* 9) : « In Galliarum, inquit, episcopis, nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis episcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus. » Et post aliquanta : « Ipse auctoritate propria episcopos Galliarum judicare non poteris, sed suadendo, blandiendo, bona quoque opera tua eis imitanda monstrando, pravorum mentes ad sanctitatis studium reforma, quia scriptum est in lege : Per alienam messem transiens falcem mittere non debes, sed manu spicas conterere et manducare (*Deut.* XXIII, 25). Falcem enim judicii mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa, sed per effectum boni operis frumenta Dominica vitiorum suorum paleis exspolia, et in Eccle- B siæ corpus monendo et persuadendo, quasi mandendo converte. Quod vero ex auctoritate agendum est, cum prædicto Arelatensi episcopo agatur, ne prætermitti possit hoc quod antiqua Patrum institutio invenit. »

XVI. Et quod de uno hoc primate Gallicano, qui a sede apostolica pallium acceperat, dixit, hoc et de reliquis Gallicanorum et Belgicorum atque Germanicorum primatibus est utique intelligendum. Inter quos, sicut et inter reliquos episcopos, hæc conditio regularis servatur, ut qui prius fuerit ordinatus, prior habeatur, velut idem S. Gregorius in alia epistola ad præfatum Augustinum patenter ostendit. De quibus primatibus iidem sacri canones dicunt, ut quisquis episcoporum accusatur, ad primatem provinciæ ipsius causam deferat accusator. C Et qui provocandum putaverint, ad primates suarum provinciarum, sicut et de episcopis sæpe constitutum est, provocent. Et episcopus, qui ad synodum non occurrerit, ad primatem suum jubetur rationem impedimenti sui reddere. Et si episcopi inter quos causa versatur, diversarum sunt provinciarum, ille primas debet judices dare, in cujus provincia est locus, de quo contenditur, et quæstio per episcopos judices jubetur finiri, sive quos primates dederint, sive quos inter se conquerentes vicinos ex consensu delegerint.

XVII. Ordo autem ac prærogativa prioratus non solum secundum sacros canones et decreta sedis Romanæ pontificum, inter episcopos est conservandus, verum et inter presbyteros, sicut sanctus Leo in decretali sua epistola ad Dorum Beneventanæ civitatis episcopum, ex eisdem sacris canonibus promulgata, inter cætera dicit ad locum (*epist.* 6) : « Si ambientis intentio, aut imperita faventium studia, id quod nunquam habuit consuetudo, poscebant, ut incipiens imeritis, et novellus præferretur antiquis, tuæ fuerat industriæ atque doctrinæ, ut injuste petentium desideria rationabili auctoritate cohiberes, ne quem in sacerdotali propere provehebas honore, ad injuriam eorum quibus sociabatur inciperet, minorque se fieret, dum in illo non humilitatis virtus, sed elationis vitium roboraretur. Neque enim ignorabas dixisse Dominum, quod qui se humiliat exal-

tabitur, qui vero se exaltat, humiliabitur. Eumdemque dixisse : *Quicunque vult inter vos major fieri, sit vester minister, et quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus* (*Marc.* x, 43). Vos autem quæritis de pusillo crescere et de honore majores esse. Utrumque enim inordinatum, utrumque præposterum est, et omnis laborum fructus aufertur, omnis meritorum mensura vacuatur, si tantum quis assequitur dignitatis, quantum adulationis obtinuit, ut cupiditas eminendi non solum superbientem minuat, sed etiam conniventem. Si vero, ut asseritur, primi secundique presbyteri circa Epicarpium sibimet præponendum, tam huic assentatio fuit, ut illum cum sui dedecore poscerent honorari, nec hoc quidem illis proprio se judicio dejicientibus tribui debuit quod volebant, cui tam miseræ voluntati te dignius fuerat obviare, quam cedere. Deformis autem et ignava subjectio bene sibi consciis, et non irritam facientibus gratiam Dei, præjudicare non potuit, ut primates suos quocunque commercio in alterutrum transferentes, subsequentium suorum minuerent dignitatem, et quem ultimum sibi anteposuerant, cæteris præmineret. Prædicti igitur presbyteri, qui indignos se honoris sui ordine sunt professi, licet privari etiam sacerdotio mererentur, tamen ut eis pro apostolicæ sedis pietate parcatur, ultimi inter omnes Ecclesiæ presbyteros habeantur. Et ut judicii sui sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt, quem propria sententia sibimet prætulere, cæteris omnibus presbyteris in eo ordine permanentibus, quem unicuique ordinationis suæ tempus ascripsit. Nec quisquam præter prædictos duos imminutæ dignitatis patiatur injuriam, sed in eorum statum tantummodo hoc recurrat opprobrium, qui novello et immature ordinato inferiores fieri elegere, ut illam evangelicam sententiam ad se sentiant pertinere, qua dicitur : Quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis ; et qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis (*Matth.* vii, 2). Paulus vero presbyter ordinem suum, de quo laudabili firmitate non cessit, obtineat, nec ulterius aliquid in cujusquam præsumatur injuriam. »

XVIII. Hæc ita de jure singulis metropolitanis conservando, et ut posteriores se prioribus suis non præferant, sed ordinem sibi a Deo traditum quique conservare procurent, a Nicænis canonibus Spiritu Dei conditis, et totius mundi reverentia consecratis, cæterisque sacris canonibus irrefragabiliter decretis, ac providentia et auctoritate pontificum apostolicæ sedis ex eisdem canonibus promulgatis, ad eorum qui sciunt memoriam, vel nescientium forte notitiam commemorare debere putavimus, quoniam in Cisalpinis provinciis delegatio vicium apostolicæ sedis, propter Simoniacam hæresim exstirpandam, et ad præsumptionem, quia laici potentes repente tonsurabantur, et ordinabantur episcopi, amputandam, sicut in apostolicæ sedis pontificum, maxime autem in beati Gregorii epistolis legimus, fuit exorta, privilegiis singularum provinciarum metropolitanis

A inconcusse juxta sacras regulas conservatis. Quæ temporibus Theodosii et Honorii imperatorum, pontificatu papæ Zosimi, per septem provincias, scilicet Viennensem, Lugdunensem, Narbonensem primam et secundam, et Alpinam, et Novempopulanam, et secundam Aquitanicam emanavit, ut de his provinciis honorati vel possessores, judices et episcopi præfatarum provinciarum, ab Idibus Augusti quibuscunque mediis diebus in Idus Septembris, in urbe Arelatensi, quæ et Constantina vocatur, ad concilium forense vel ecclesiasticum convenirent. Ita ut de Novempopulana et secunda Aquitanica, quæ provinciæ longius constitutæ sunt, si eorum judices et metropolitanos occupatio certa retineret, legatos suos juxta consuetudinem mitterent, sicut B in edicto præfatorum imperatorum, et in epistolis apostolicæ sedis pontificum invenitur. Deinde hic primatus per præfatas provincias Viennensi civitati commissus est, indeque hanc sollicitudinem episcopus Arelatensis recepit.

XIX. Demum in regno Clodovei, nuper cum integra gente ad fidem conversi per sanctam prædicationem beati Remigii, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis, beatus Hormisda vices suas eidem sancto Remigio Rhemorum Durocortorum antiquæ metropolis episcopo, quæ præcedentibus temporibus habuit sub se duodecim civitates, videlicet Suessionum, Catalaunorum, Veromandorum, Atrebatum, Camaracensium, Tornacensium, Silvanectum, Belgivagorum, Ambianensium, Morinum, id est, Ponticum, Bononiensium, et Laudunum C Clavatum, in quo castro ex sua parochia idem sanctus Remigius Africanorum canonum et apostolica fultus auctoritate constituit episcopum, per Belgicas et quasdam provincias Gallicanas commisit, ut Dei ecclesias, quas Franci adhuc pagani devastaverant et incenderant universa prædantes, et quæcunque perperam gesta fuerant, ad debitum statum reduceret, manente privilegio Arelatensi Ecclesiæ in sibi antiquitus delegatis provinciis.

XX. Postea vero, tempore beati Gregorii Virgilius Arelatensis episcopus, petente Childeberto rege, in regno ipsius, sicut decessores illius in præfatis provinciis habuerant, hanc delegationem eodem beato Gregorio committente suscepit (*lib.* iv, *epist.* 52). Denique tempore Caroli principis, quando propter D discordiam et contentionem de principatu inter eum et Raganfredum, et frequentia ac civilia imo plus quam civilia, quia intestina et parricidalia bella, in Germanicis et Belgicis ac Gallicanis provinciis omnis religio Christianitatis pene fuit abolita, ita ut episcopis in paucis locis residuis, episcopia laicis donata et rubus divisa fuerint, adeo ut Milo quidam tonsura clericus, moribus, habitu, et actu irreligiosus laicus, episcopia Rhemorum ac Trevirorum usurpans insimul, per multos annos pessumdederit : et multi jam, maxime in Orientalibus regionibus, idola adorarent, et sine baptismo manerent, Gregorius a primo secundus, sed et tertius Gregorius. Winfrid cogno-

mento Bonifacium legatum apostolicæ sedis ad reformandam Christianitatis religionem, primo presbyterum, postea vero episcopum ordinatum direxerunt. Cui per annos viginti quinque in eadem prædicatione sine cardinali sede laboranti, præfatorum successor Zacharias papa inter cætera in privilegio sibi directo scripsit atque firmavit ad locum ita dicens (*epist.* 14): « Ubi Deus prædicationem tuam auxit, obtinere voluisti, ut tibi episcopalem Ecclesiam, vel successoribus tuis confirmare debeamus, juxta eorumdem filiorum nostrorum Francorum petitionem. Et idcirco auctoritate B. Petri apostoli sancimus, ut supradicta Ecclesia Moguntina perpetuis temporibus tibi et successoribus tuis in metropolim sit confirmata, habens sub se has quinque civitates, id est, Tungris, Coloniam, Warmaciam, Spiratiam, et Trectis, et Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per suam prædicationem Christi lumen cognoscere fecit. His a nobis diffinitis, per hujus nostræ confirmationis paginam in tua Ecclesia perpetuis temporibus pro sui confirmatione hæc conservari mandamus. » Sic enim et sacri Africæ provinciæ canones (*cap.* 86) decreverunt, ut quos adminiculante divina gratia episcopus potuerit lucrari ad catholicam unitatem, ad ipsum pertineant.

XXI. De primatu quoque in aliis provinciis item idem Zacharias papa ad eumdem Bonifacium scripsit hoc modo (*epist.* 8) : « Et quia si deberes in Bajoariæ provincia jus habere prædicationis sciscitasti, an non, quam a decessore nostro habuisti concessam, nos denique, auxiliante Deo, ea quæ tibi largitus est decessor noster, non minuimus, sed augemus, et non solum Bajoariam, sed etiam omnem Galliarum provinciam, donec te divina jusserit superesse majestas, nostra vice per prædicationem tibi injunctam, quæ repereris contra Christianam religionem, vel canonum instituta, spiritaliter stude ac ad normam rectitudinis reformare. »

XXII. Sed et cum Ebbo quondam Rhemorum episcopus se in synodo quadraginta quatuor episcoporum scripto et propria subscriptione ac viva voce pro criminibus suis damnavit, et a sacerdotali ministerio alienum reddidit, quem postea Sergius papa, sicut etiam in gestis ejus legitur, condemnavit, defuncto domno Ludovico imperatore, contentione de regno inter filios ejus exorta, primum ad Lotharium, deinde ad Ludovicum damnatus idem Ebbo se contulit. Qui reges, quoniam per merita sanctorum, adminiculante Domino et domno nostro Carolo, violentia non valebant, per insidias, tam apud apostolicam sedem quam et apud quoscunque valebant episcopos, et quaquaversum poterant, Rhemorum episcopo laqueorum tendicula injicere quæ præparaverant, et res ipsius Rhemensis Ecclesiæ, quæ in diversis regnis sitæ sunt, a pluribus usurpari cœperunt, gratia et nomine Benedictus papa, in privilegio Rhemorum episcopo, qui nunc eidem servit Ecclesiæ, B. Petri et apostolicæ ipsius sedis auctoritate, secundum sacros canones, et decreta decessorum ac prædecessorum suorum collato, ita dicit ad locum. Inter hæc quidem et hoc sancimus, ne quilibet tuæ diœceseos regulis subjectus Ecclesiæ, te contempto, impune audeat seu valeat aliena expetere aut exspectare judicia, ut almorum traditionibus Patrum canonumque promulgationibus est constitutum, salvo in omnibus jure apostolicæ nostræ sedis, ut ab ipso veluti Christo sacris est cautum canonibus : sed cuncti, sive in prælatione, sive in subditione debita, ordinem ab ecclesiasticis regulis traditum observantes, obediant et studiosius obtemperare procurent.

XXIII. In quo decreto et beati Innocentii scribentis ad Victricium Rothomagensem episcopum est secutus decretum, quo dicit (Innocent. *I*, *epist.* 1) : « Si quæ, inquiens, causæ vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis quam etiam inferioris, fuerint exortæ, placuit ut secundum synodum Nicænam, congregatis ejusdem provinciæ episcopis, judicium terminetur. Nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesias nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis forte præsumpserit, et ab officio cleri summotus, et injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, et beata consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur. » De qua hic specialiter reverentia dicat, apostolicæ sedi reservari debere, cui in omnibus rebus debet reverentia custodiri, sicut synodus statuit, et vetus consuetudo exigit, et quos canones, tertio et quarto ac septimo demonstrat capitulo.

XXIV. De quibus et S. Gelasius in commonitorio dato Fausto contra Orientales episcopos dicit ita (*epist.* 3) : « Viderint ergo, si alios habent canones, quibus suas ineptias exsequantur. Cæterum isti, qui sacri, qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, sedem apostolicam ad judicium vocare non possunt. » Et aliquanto superius : « Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, » et reliqua. Qui vero præfatam epistolam sancti Innocentii ad Victricium Rothomagensem archiepiscopum, ex sacris canonibus promulgatam, de qua præmissi decreti ejus sententiam hic posuimus, diligenter a principio sui usque ad finem relegerit, inveniet eadem de privilegiis singulorum metropolitanorum, scilicet primatuum provinciarum, quæ et sanctus Bonifacius ad episcopos Gallicanos et ad Hilarium Narbonensem episcopum constituit, videlicet, ut nullus metropolitanus duas metropolitanas civitates, duasque provincias debeat habere subjectas, sed unaquæque provincia metropolitani sui in omnibus rebus ordinationem semper exspectet, et de majoribus causis ad sedem apostolicam singuli metropolitani ex suis

provinciis post episcopale judicium referant, ut quidquid singuli metropolitani cum suis suffraganeis duxerint decernendum, cum relatum ad sedem apostolicam fuerit, ejus, ut condecet et necesse est, auctoritate firmetur, aut emendetur.

XXV. Sed et qui vigilanter eamdem epistolam recensuerit, reperiet beatum Innocentium decrevisse, ea quæ in illa scripta sunt, et a cunctis provinciarum primatibus et ab omnibus episcopis debere servari. Et item in præfato beati Benedicti papæ privilegio est decretum : « Et hoc promulgamus atque statuimus, ut te, qui primas ipsius provinciæ esse dignosceris, nullius unquam infestatione contra canonica apostolicaque decreta, sive judicia ecclesiastica tibi commissa, aut virtute aut facultate nudari, vel ante audientiam Romani pontificis, a quocunque damnari statuimus, omnem judicandi ordinem comprehendit, ut suis videlicet libere utens legaliter ac regulariter, si judicandus est, ad electorum judicum, vel ad ejus vicarii, cum fuerit specialiter ad hoc deputatus, judicium intra suæ terminos provinciæ provocetur pro certis existentibus causis, quibus majores natu legaliter ac regulariter apud canonicos judices accusari valent, dierum et dilationum, atque in discussione personarum accusantium et testificantium, utrum debeant vel non debeant ad accusationem vel testimonium admitti, canonica et legali forma servata, et sic demum legaliter vel regulariter convictus vel confessus apostolici papæ judicio primas Rhemorum provinciæ reservetur, sicut S. Leo ad Anastasium cui vices suas commisit de metropolitano scripsit episcopo (*epist.* 88) : Sed etiam, si quid grave intolerandumque gessisset, nostra erat exspectanda censura, ut nihil prius ipse decerneres, quam quid nobis placeret agnosceres. » Unde et in præfato privilegio sequitur : « Sed si compellatus appellare ad hanc sanctam sedem volueris apostolici papæ judicio reservari, nostra, imo beati Petri apostoli, auctoritate præcipimus, nec alicui cujuscunque juri vel judicio te subjici, excepta potestate sedis Romanæ pontificum. »

XXVI. Et in hac sententia canonici privilegii domni Benedicti attendat, si quis forte supra mensuram suam ire voluerit, et non de his quibus dicit Dominus : *Ecce ego mitto vos* (*Matth.* x), sed de his esse delegerit, de quibus Dominus dicit : *Ipsi ibant, et ego non mittebam eos (Joan.* XXIII); quia primas Rhemorum provinciæ apostolici papæ judicio reservari B. Petri apostoli auctoritate cum anathematis interdictione præcipitur, et nec alicui cujuscunque juri vel judicio submitti permittitur, excepta potestate sedis Romanæ pontificum. Contra quæ si aliquis nostratium præsumere non voluerit, sed obaudiens Apostolum dicentem : *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam (Philip.* II), charitose, sicut frater a fratre, quæ pacis et dilectionis sunt expetierit, audiet cum Apostolo : *Cum liber essem ex omnibus,* duntaxat vobis, *omnium vestrum* A *me servum feci* (*I Cor.* IX). *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum (II Cor.* IV), salva memorata conditione privilegii gratia et nomine Benedicti. Si autem non desierit digitum extendere, et loqui quod non prodest, audiet cum Apostolo : *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem : potens est enim Deus statuere illum* (*Rom.* XIV, 4); et : *Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer* (*I Cor.* IV, 3); ne illa, quæ auctoritate canonica atque apostolica ædificata sunt in præfato privilegio, mea destruantur consensione, dicente magno papa Leone ad Leonem Augustum, cum peteretur annuere quæ illi fas non erat consentire (*epist.* 84) : « Si quæ, inquit, destruxi, B hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, et eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmavi, quia, ut idem alibi dicit, sicut in mala suasione delinquitur, ita et in mala consensione peccatur. » Sequitur in eodem privilegio.

XXVII. « Et hoc volumus, ne quilibet ex provincia et diœcesi metropoli tuæ tibique subjecta, jus secundum ecclesiasticas constitutiones primatui Ecclesiæ tuæ et tibi debitum quoquo modo per contemptum convellere, aut tibi vel Ecclesiæ tuæ quamcunque violentiam, contra eadem canonica constituta et decreta Romanorum pontificum, pertinaciter inferre præsumat, cum anathematis interpositione, C nostra apostolica et beati Petri apostolorum principis auctoritate prohibemus. Optamus fraternitatem tuam in Christo nunc et semper bene valere. » Quæ constitutio quantum sacris canonibus Nicænæ, Antiochenæ, Chalcedonensis, Sardicensis, et Africæ provinciæ synodis, sed et decretis apostolicæ sedis pontificum ac sacris legibus consonet, nemo est qui dubitat, si sacros canones et decreta sedis Romanæ pontificum ac venerandas leges cognitas habet. Quia enim scriptum est : *Post concupiscentias tuas non eas* (*Eccli.* XVIII); et : *Altiora te ne quæsieris (Eccli.* III); et beatus scribit Hormisda : Elevatio semper affert saluti periculum, per quam psius inventor diabolus angelica potestate privatus est, satis superque suffecit, ac sufficit, semperque sufficiet præsignato Rhemorum Ecclesiæ servienti, D quæ per sacros canones et decreta sedis Romanæ pontificum unicuique sunt metropolitano collata.

XXVIII. Hæc tantum propter vitandam prolixitatem, quia hinc sufficienter in canonibus sacris et in decretis prædecessorum suorum habetur, de privilegio domni Benedicti, quod in scrinio sanctæ Romanæ Ecclesiæ noscitur contineri, et in synodo apud Suessiones ostensum est, et si necesse fuerit, adhuc valet ostendi, duximus commemoranda : non ut domni et Patris nostri apostolici papæ Joannis canonicis et apostolicis præceptionibus, quod absit, resultemus, qui etiam ante et post privilegia hæc collata, sedis apostolicæ jussione, et domni tunc

regis Caroli, nunc autem gratias Deo imperatoris Augusti, verum et invitatione confratrum ac coepiscoporum nostrorum, seqentes apostolicam regulam, quæ dicit : *Per charitatem servite invicem, subjecti invicem in timore Christi* (*Gal.* v) ,per diversa loca diversasque provincias, ad synodos convenire studuimus, et prout dederit Dominus posse studebimus, ut prædictum est, et sæpe dicendum est, qui non ab re est sæpius verbo repetere, quod semper necesse est animo retinere, servato jure privilegii domni Benedicti, si nos fraterna charitas invitaverit, potiusque jussio apostolicæ sedis, et præceptio domni nostri Caroli imperatoris Augusti nos ad synodum, sicut præcipiunt regulæ, vocare decreverit pro talibus, quæ forte provinciali nequiverint examine diffiniri, maxime in causa fidei vel generalis religionis, sicut in apostolicæ sedis pontificum, et in epistolis legimus Augustorum. Quoniam imperatorum auctoritate convocatas generales synodos, et in historiis ecclesiasticis et in epistolis apostolicæ sedis pontificum reperimus.

XXIX. Et sanctus Gregorius reges Francorum synodos in Gallicis et Belgicis provinciis convocare sæpe commonuit. Sed quoniam, ut Leo monuit (*epist.* 56 *ad Anatolium*), mens potentiæ avida nec abstinet vetitis, nec gaudet concessis, et difficile est ut cupiditas improborum non aliquid supra mensuram moliatur appetere : ne quis nostrum oblitus præceptionis Apostoli, imo per Apostolum Domini, qui dicit : *In omnibus exhibeamus nos ipsos sicut Dei ministros, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum* (*II Cor.* vi), aut improbitate, aut assentatione contra præfata privilegia pertinaciter moliatur insurgere, et periculum intentatæ damnationis possit incurrere, decernente Zosimo papa ad Aurelium, et universos episcopos per Africam constitutos, universosque episcopos per Gallias et septem provincias constitutos, et universis episcopis per Hispaniam constitutis, a pari (*epist.* 6). « Cum adversus, inquit, statuta Patrum venitur, non tantum illorum providentiæ atque sententiæ, qui in ævum victura sanxerunt, sed ipsi quodammodo fidei et catholicæ disciplinæ irrogatur injuria. » Et sanctus Hilarus papa, ut supra ostendimus, dicit (*epist.* 11) : « Non minus in sanctarum traditionem delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur. » Et sanctus papa Symmachus ad Cæsarium Arelatensem episcopum dicit (*epist.* 1) : « Cum ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas unum sit per diversos antistites sacerdotium, quemadmodum priorum statuta a sequentibus convenit violari ? Huc accedit quod hæc si eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem credimus pertinere, cujus omnis potestas infringitur, nisi universa quæ a sacerdotibus Domini semel statuuntur perpetua sint. Quod alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, et roborando quæ gesta sunt, faciat rata

A esse quæ gesserit. Quanta enim vicariis beatissimi Petri apostoli judicabitur esse reverentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, eisdem transentibus dissolvantur ? » Et sanctus Leo papa in decretis suis præfixit (*epist.* 1) : « Hoc itaque admonitio nostra denuntiat quod si quis fratrum contra hæc constituta venerit, vel venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se novurit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid vero sit, quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra di-
B lectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. » Quia enim in Lege et in Evangelio duorum vel trium testium rata sententia comprobatur, quanto studio horum quatuor, de qualibus dicit Dominus : *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re fiet*, de præstitutis anteriorum privilegiis conservandis uniformis sententia debeat conservari, cordatus quisque attendat, et unde quisque nostratium pro fideli reverentia ac conservatione meritum sibi beatæ remunerationis potest acquirere, ne prævaricando periculum incurrat, magnopere caveat.

XXX. Tandem brevites commemorare censuimus, quia sancto et venerando viro Bonifacio in Frisia verbum Domini prædicante, anno Incarnationis Dominicæ 754, martyrio coronato, et Simoniacæ hæ-
C resis pravitate, et neophytorum præsumptione, ac cæteris quibusque pro temporum opportunitate et qualitate compositis, hactenus provinciæ Cisalpinæ, temporibus Pippini regis, et Caroli ac Ludovici imperatorum, sine hoc primicerio vel primate a sede apostolica delegato annos circiter viginti tres (*imo annos nonaginta*) manserunt, et metropolitanis singulis suo jure servate, apostolicæ sedis favore, et principum suorum dispositione, secundum sacros canones, et decreta ejusdem sanctæ sedis pontificum, quæque fuerunt agenda, venerabiles episcopi per auctoritatem canonum sacrorum, et decreta sedis Romanæ pontificum peregerunt.

XXXI. Drogo interea Metensium episcopus, fastu regiæ prosapiæ subvectus, hanc prælationem in Ci-
D salpinis regionibus, nacta quadam occasione, temporet Lotharii imperatoris apud Sergium papam obtinuit ; sed quod affectu ambiit, effectu non habuit ; et quod efficaciæ usu, non consentientibus quibus intererat obtinere non potuit, patientissime ut eum decuit toleravit, ne scandalum fratribus et consacerdotibus generans, schisma in sanctam Ecclesiam introduceret. Quem tantæ generositatis ac dignitatis virum quisque nostrum imitari debuerat, nc indebite appeteret quod non habeat, qui sine contentione non exsequi pertulit quoc adeptus fuerat. Cum legamus, quia pravorum præsumptio, non solum ex sua tortitudine, verum etiam ex comparatione rectorum,

quam sit damnanda monstratur, dicente Scriptura : *Probata autem virtus corripit insipientes* (*Sap.* II). Quantumque fraternum scandalum, ut ex altitudinis nostræ rapina, si forte aliquis nostrum hoc morbo laborat, fratibus scandalum non generemus, vitare debeamus, Domini sententia demonstrat dicentis ad Petrum, ut vitando scandalum exigentibus censum pro eo et pro se daret, quem non debebant.

XXXII. Et quoniam anni triginta secundum leges publicas, ut notum est, et juxta constitutionem ecclesiasticam, ut demonstrat Gelasius papa, humanas adimunt questiones, et Justiniana lege, ac decreto beati Gregorii ex eadem lege promulgato, negotia inter venerabiles Ecclesias, ac monasteria, locaque religiosa anni quadraginta determinant, si superstitiosus appetitus excellentiæ avidarum mentium nostrarum suffere valeret, non sedem apostolicam, vel aures imperiales, sine ulla nova necessitate, pro hoc indebito supercilio inquietaret, cum quies episcoporum Cisalpinarum provinciarum, sine hujus inquietudinis scandalo atque dispendio, post tanta tempora manere valeret. Si enim quique nostrum regulam pastoralem beati Gregorii sequi per omnia ut debueramus maluissemus, metas nostræ mensuræ nequaquam transcenderemus, et quod cujuscunque nostratium civitas unquam non meruit, appetere deviteramus. Timere quippe ac cavere debemus, quæ passim beatus Gregorius in epistola ad Joannem Constantinopolitanum episcopum Roma scripsit, et unicuique nostrum altiora se quærenti de cœlo dicit (*lib.* II, *epist.* 38) : « Perpende, inquiens, rogo, quia in hac præsumptione temeraria pax totius turbatur Ecclesiæ, et gratiæ contradicitur communiter omnibus effusæ. In qua nimirum ipse tantum crescere poteris, quantum penes temetipsum decreveris : tantoque major efficeris, quanto te a superbi et stulti vocabuli usurpatione restringis, atque in tantum proficis in quantum tibi non studueris derogando fratribus arrogare. Quis, rogo, in hoc tam perverso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut et nulli subesse, et solus omnibus præesse videretur? Qui etiam dixit : *In cælum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum : sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*(*Isa.* XIII, 14). Quid enim fratres tui, omnes universalis Ecclesiæ episcopi, nisi astra cœli sunt? quorum vita simul et lingua, inter peccata erroresque hominum, quasi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis præponere, eorumque nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis, nisi *in cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum*? An non universi episcopi nubes sunt, qui et verbis prædicationis pluunt, et bonorum operum luce coruscant? Quos dum vestra fraternitas despiciens sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc quod ab antiquo hoste dicitur : *Ascendam*

A *super altitudinem nubium?* Pestilentia et gladius per mundum sævit, gentes insurgunt gentibus, terra concutitur, orbis cum habitoribus suis terra dehiscente sorbetur, omnia enim quæ prædicta sunt fiunt. Rex superbiæ prope est, et quod dici nefas est, sacerdotum est præparatus exercitus, quia cervici militant elationis, qui ac hoc positi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re, etiamsi nostra lingua minime contradicat, illus virtus contra elationem in ultionem erigitur, qui superbiæ vitio per semetipsum specialiter adversatur. Hinc enim scriptum est : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV, 6). Hinc rursus dicitur : Immundus est apud Deum qui exaltat cor ; hinc contra superbientem hominem scriptum est : Quid su-
B perbis, terra et cinis (*Eccli.* X)? Hinc per semetipsam Veritas dicit : *Omnis qui se exaltat humiliabitur* (*Luc.* XIV, 11). Quæ ut nos ad viam vitæ per humilitatem reduceret, in semetipsa dignata est quod nos admonet demonstrare, dicens : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Nunquidnam mente excidit, quod Veritas dicit : *Qui scandalizaverit unum de pusilis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris*(*Matth.* XVII, 6)? Quod tamen si considerare negligimus, contra tantæ elationis tumorem judicia superna vigilabunt. »

XXXIII. His ita se habentibus, quia, ut sanctus Leo dicit (*epist.* 56), quoties ob occurrentes causas generalis congregatio facta fuerit sacerdotum, difficile
C est ut cupiditas improborum non aliquid supra mensuram moliatur appetere, sicut sæpe et etiam in universalibus synodis legimus accidisse, si quid in hoc humilitatis nostræ conventu, duorum vel trium favore, ac paucorum silentio, fastu imperialis potentiæ, contra suprascripta sacrorum canonum et apostolicæ sedis pontificum decreta ex eisdem sacris canonibus promulgata, contraque singulis metropolitanis antiqua privilegia, etiam et per sacras leges, quibus una cum venerandis canonibus sancta moderatur Ecclesia, conservanda, immaturo atque inconsiderato jussu est superinductum, sive sancitum, prohibente Domino, ut non plantetur nemus secus templum suum, id est ne obumbretur, et decoloretur typo terreni principatus sinceritas et fulgor humilitatis ecclesiasticæ, juxta decreta mysticæ Nicænæ
D synodi, quo dicitur : « Si duo aut tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum, spretisque, ut diximus, si duo vel tres propter assentationem forte non corde, sed verbo, vel silentio conspiraverunt, generalitas nostra Deo auctore non annuit, sed corde ac contradicente ore constantissime abnuit, et sententia plurimorum debitum robur atque vigorem obtinuit, obtinet, ac adjuvante Domino perpetim obtinebit. » Quia, ut memoratus sanctus Leo ad Maximum Antiochenum episcopum scripsit (*epist.* 66) : « Si quid a quoquam contra Nicænorum canonum statuta in quacunque synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur ex-

tortum, nihil præjudicii potest inviolabilibus inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet consensionum pactum dissolvi quam prædictorum canonum regulas ex ulla parte corrumpi. »

XXXIV. De eo autem quod quidam frater imperiali edicto velut dato sibi collatum fuisse (quod non illi, sed nobis de illo, sicut lectionis auditu comperimus, a sede apostolica est directum, quibus non est donatum) visus est exultasse, idem sanctus Leo ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum scripsit (*epist.* 54) : « Alia, inquit, ratio est rerum sæcularium, alia divinarum, nec præter illam petram quam Dominus in fundamento posuit stabilis erit ulla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit. » Et ut Gelasius dicit, nunquam invenitur de pontificibus nisi Ecclesiam judicasse, et non esse humanarum legum, de talibus ferre sententiam absque Ecclesiæ principaliter constitutis pontificibus, obsequi solere principes Christianos decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem, episcopis caput subdere principem solitum non de eorum capitibus judicare.

XXXV. Et in lege Valentiniani, Theodosii et Arcadii decretum est de episcopis : « Habent inquiunt, illi judices suos, nec quidquam his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamen ecclesiasticas pertinet, quas decet episcopali auctoritate decidi. » Quæ non dicimus, quod absit, potestati ac per hoc Dei ordinationi resistentes, sed potius obsequentes, quia sicut Dominus præcepit reddi quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Matth.* XXII), ita quæ sunt imperatoris obsequia obedienter ipsius obsequiis exhibemus, et quæ sacerdotii sunt ordini sacerdotali dependimus, sicut memoratus sanctus papa Gelasius ad Anastasium imperatorem discrevit atque decrevit (*epist.* 10) : « Duo sunt, inquiens, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, et regalis potestas, in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis exspectas, inque sumendis cœlestibus sacramentis, eisque ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus humanis exclusæ videantur obviare sententiæ, quo rogo te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis ? Proinde sicut non leve discrimen incumbit pontificibus, siluisse pro divinitatis cultu quod congruit : ita his, quod

A absit, non mediocre periculum est, qui cum parere debeant despiciunt. »

EPISTOLA XXXI.

AD QUEMDAM EPISCOPUM.

De translationibus episcoporum, contra Actardum Namnetensem.

(Apud eumdem, ex codice Virdunensi.)

Servus Christi et servorum ejus dilecto fratri et venerabili episcopo salutem.

De quibus apud exiguitatem meam prudentia tua perquirit, et mox ac festinato breviterque sibi quid inde sentiam obnixe responderi deposcit, obediens postulanti respondeo cui negare nihil habeo, quia nec debeo, dicente Scriptura : *Qui abscondit frumenta*

B *maledicitur in populis, benedictio autem super caput vendentium (Prov.* XI, 26) ; id est, qui scientiæ verbum abscondit, a Domino audiet : *Serve male et piger, quare non dedisti pecuniam meam ad mensas, et ego veniens recepissem utique quod meum est cum usura ?* (*Luc.* XIX, 23). Benedictio autem super caput vendentium, quoniam qui dat conservis in tempore tritici mensuram, a Domino audiet : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam* (*Matth.* XXV, 21). Et quidam catholicus doctor ait : Invidiæ siquidem maculam de sese non abluit, qui alteri conferre denegat hoc quod sentit. Igitur quæ non suffers tibi per tempus plenius ac latius responderi, breviter ac capitulatim, ab exordio rei hujus incipiens, ad interrogata rescribo.

C I. Ad quid Dei Filius formam servi accepit Apostolus monstrat dicens : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt. Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quoniam Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* V, 12).

II. Ad quid apostoli ab eo sunt ordinati, ipse manifestat dicens : *Ecce ego mitto vos. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis* (*Luc.* X, 3 ; *Matth.* XXVIII, 19). *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui*

D *in cælis est* (*Matth.* V, 16).

III. Horum in Ecclesia locum tenent episcopi, de quibus quasi ore ad os alloquens Ecclesiam per apostolos fundatam, Spiritu sancto afflatus Psalmista præcinuit dicens : *Pro patribus nati sunt tibi filii* (*Psal.* XLIV, 17) ; qui ordinantur singuli, secundum apostolicam traditionem, per singulas civitates, et sicut ad Titum scribit Apostolus : *Hujus*, inquiens, *rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas et constituas per singulas civitates presbyteros* (*Tit.* I, 5), id est episcopos, sicut paulo post demonstrat : *Oportet*, inquit, *episcopum sine crimine esse* (*ibid.*, 7). Episcopus enim nomen est officii, sicut presbyter est

nomen ætatis, non corporeæ, sed sapientiæ et vitæ immaculatæ. Sicut per quemdam sapientem dicitur : *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata* (*Sap.* IV, 8). Hinc est ergo quod ad Moysem Dominus dicit : *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint* (*Num.* XI, 16) ; in quibus quid aliud quam senectus cordis requiratur, cum tales jubentur eligi qui senes sciuntur ? Si enim senectus in eis corporis quæreretur, a tantis sciri poterant, a quantis videri. Dum vero dicitur *quos tu nosti quod senes populi sint*, profecto liquet quia ut sanctus dicit Gregorius senectus mentis, non corporis, eligenda monstratur. Hinc et Paulus ad Timotheum scribit: *Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate* (*I Tim.* IV, 12). Hanc autem traditionem, singulos per singulas civitates ordinandos episcopos, auctoritas apostolica constituit, sicut sanctus Clemens, successor beati Petri apostoli, ex traditione ipsius promulgavit, veluti sanctus Anacletus ab ipso beato Petro apostolo presbyter ordinatus, postea Romanæ sedis episcopus, in epistola sua demonstrat, decente sancto Spiritu per Prophetam : *Deus locutus est in sancto suo lætabor et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum dimetiar* (*Psal.* LIX, 8). Hinc sanctus Basilius : « Nunc, inquit, quod hanc præcipuam et veluti privatam quamdam hæreditatem populi in divisionem vocabo, et communem cum cæteris omnibus faciam. Cum autem divisum fuerit testamentum in omnes, et cuncta ejus utilitas universis cœperit esse communis, Deo pro nobis omnibus melius aliquid providente, tunc etiam convallis tabernaculorum dimetietur, hoc est universus orbis terrarum, qui vallis tabernaculorum pro habitaculis corporis dictus est hic, velut quadam sorte divisus atque dimensus per singula loca Ecclesiarum Dei parochiis et incolatibus distinguetur. Tunc etiam ea quæ divisa sunt in unitate fidei congregabit ille qui pacificat per sanguinem suum quæ in terra sunt, sive quæ in cœlis et qui medium parietem sepis solvens facit utraque unum. »

IV. Ordinantur autem singuli episcopi in civitatibus singulis, non pro temporalium honorum potestatibus, non pro villis et possessionibus, non pro facultatum propriis, quas tamen episcopi, suscepto ministerio, secundum regulas et leges sancto Spiritu promulgatas, conservare juste, ac rationabiliter ampliare et dispensare debent, ut re vera Deo dicata et consecrata sanctuaria, vota fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum, sed pro lucrandis animabus et salvandis hominibus, sicut dicit Apostolus : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, qui condolere possit his qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet, quemad*-

A *modum et pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis* (*Hebr.* V, 1). Et item idem : *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (*I Tim.* III, 1). « Ipse, inquit sanctus Gregorius (*reg. past.* I, cap. 8), sibi testis est, quia episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cognitionis cæterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerunt, cumque mens humilitatis culmen aripere ad elationem cogitat, quod foris appetit, intus, immu-

B tat. » Et idem alibi de verbis Domini : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (*Joan.* XX, 21). Pater, inquit Filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit : quem videlicet in mundo venire ad passionem voluit, sed tamen amavit filium quem ad passionem misit. Electos vero apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est ad passiones in mundum mittit. Itaque dicitur : *Sicut misit me Pater et ego mitto vos*, id est, ea vos charitate diligo, cum inter scandala persecutorum mitto qua me charitate Pater, diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit.

V. Ordinatis autem singulis episcopis in civitatibus singulis, non ad mundi gloriam, sed inter scandala persecutorum, non licet eis mutare civitates in

C quibus sunt regulariter ordinati, nec transferri de civitate ad civitatem pro terrena cupiditate vel gloriæ ambitione, sicut sanctus Gregorius in homilia Ezechielis prophetæ tractat dicens (*homil.* 5) : « *Thronus ejus*, quin Dei, *flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus* (*Dan.* VII, 9). Hi enim qui animarum custodes sunt, et pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minime permittuntur. Sed quia uno in loco positi Divinitatis in se præsentiam portant et ardent, thronus Dei *flamma ignis* dicitur. Hi autem qui amore Domini in prædicatione discurrunt, rotæ ejus ignis ardens sunt, quia cum ex ejus desiderio per varia loca discurrunt, unde ipsi ardent, et alios accendunt. » Sicut. B. Paulus gentium ordinatus apostolus, totum ut ita dicamus mundum Evangelio

D Christi replevit, et rota Christi non uni civitati tantum præsedit, sed et multis civitatibus per suam præsentiam evangelizavit, ut sacra narrat historia, et per suas Epistolas confirmavit. Hinc et sacri canones Africani consilii decreverunt ut non liceat fieri rebaptizationem, reordinationem, vel translationem episcoporum ; et si quilibet episcopus de civitate in qua ordinatus fuit ad aliam transierit civitatem eamque invaserit, nisi ad propriam civitatem sponte vel commonitus redierit, liberum esse adversus eum rectorem adire provinciæ, ut secundum statuta gloriosissimorum principum auctoritate judiciaria protinus excludatur. Sed et colligendum est

quam grande scelus fit hujusmodi translatio, quæ rebaptizationi et reordinationi comparando conjungitur. De rebaptizatione autem, quam grande sit piaculum, in sacris canonibus, et in pontificum Romanorum decretis, specialiter autem in epistola Felicis papæ ad universos episcopos per diversas provincias constitutos, quisquis legere voluerit invenire valebit. De reordinatione vero S. Gregorius in epistola ad Joannem Ravennensem ita ic it (*lib.* II, *ep.* 33) : « Illud, inquiens, quod dicitis, ut is qui ordinatus est iterum ordinetur, valde ridiculum est, et ab ingenii vestri considératione extraneum : nisi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo et ille judicandus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit enim a fraternitate vestra sic sapere. Sicut enim baptizatus semel iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non valet consecrari. » De lapsis autem, qui ad ordinem cleri per ignorantiam vel ordinantium dissimulationem veniunt, et de presbyteris sine examine provectis, sacrum Nicænum concilium, et decreta Gelasii ex eodem promulgata concilio, quid agendum sit patenter ostendunt.

VI. Si autem causa certæ necessitatis vel utilitatis exegerit ut quilibet episcopus de civitate in qua ordinatus est ad aliam civitatem transferatur, synodali dispositione, vel apostolicæ sedis consensione, apertissima ratione manifestum fieri debet, quia transfertur de civitate, in qua ordinatus fuit, ad aliam civitatem causa fidei, non temporalis commodi, pro animarum lucro, non pro rerum temporalium quæstu, non suo vitio, sed aliorum repudio, necessitate persecutionis, non ardore ambitionis vel præsumpsione propriæ voluntatis; *neque*, ut dicit Apostolus, *quisquam sumat sibi honorem sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (*Heb.* v, 4). Sicut et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). Aliud est enim mutare et aliud mutari, sicut aliud est ministrare et aliud ministrari. Unde et Dominus in Evangelio loquitur dicens : *Non veni ministrari, sed ministrare* (*Matth.* xx, 28). Non ergo, ut in decretis apostolicæ sedis legimus, mutat sedem qui non mutat mentem, id est, qui non mutat qua suscipi episcopatus debet, intentionem, ut transeat de civitate ad civitatem per cupiditatem et ambitionem.

VII. Nam ut de multis exempli gratia quædam devocemus in medium, beatus Petrus causa fidei, ordinato pro se episcopo in Antiochia, insequens magum Simonem, Romam venit, in qua per viginti et quinque annos apostolatum et episcopatum gessit. Augustinus, a beato Gregorio papa causa fidei ad Anglos rota Christi directus, postquam ad prædicationem ejus gens illa fidem recepit, ab Arelatensi episcopo, jussione beati Gregorii episcopus est ordinatus, deinde ab eodem beato Gregorio in civitate regia ejusdem gentis accepto pallio archiepiscopus A est incardinatus. Sed postea sedem non mutavit sicut in epistola beati Gregorii qui legit invenire valebit. Et ut antiquiorum temporum exempla prætereamus, tempore Caroli principis, cum ordo ecclesiasticus et Christiana religio in istis Cisalpinis regionibus pene fuit abolita, Winfrit, cognomento Bonifacius a tertio papa Gregorio Romæ fuit ordinatus episcopus, et pro animarum lucro in istas regiones directus. In quibus ejus prædicatione et sanctæ conversationis exemplo cum ordo ecclesiasticus et religio cœpit reparari, aliquandiu in civitate Agrippinensi Colonia sedit, et emergente necessitate atque utilitate ad Moguntinam civitatem translatus, ibi est archiepiscopus regulariter incardinatus, sed sedem postea non mutavit, sicut in epistolis B apostolicæ sedis pontificum studiosus lector cognoscere prævalet.

VIII. De eo siquidem qui non suo vitio, sed alieno repudio, ad aliam in qua ordinatus non fuit civitatem transfertur, Antiocheni canones dicunt (*can.* 18). « Si quis episcopus ordinatus ad parochiam minime cui est electus accesserit, non suo vitio, sed quod eum aut populus vitet, aut propter aliam causam, non tamen ejus vitio perpetratam, hic et honoris sic et ministerii particeps, dummodo nihil molestus Ecclesiæ rebus existat, ubi ministrare cognoscitur. Quem etiam observare conveniet quidquid synodus perfecta provinciæ judicando decreverit. » Et hinc in Ancyrano concilio decretum est de his qui ad episcopatum provecti sunt, nec recepti (*can.* 17) : C « Si qui episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa parochia in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare parochias, et vim præsulibus earum inferre, seditiones adversus eos excitando, hos abjici placuit. Quod si voluerint in presbyterii ordine, ubi prius fuerant, ut presbyteri residere, non abjiciantur propria dignitate. Si autem seditiones commoverunt ibidem constitutis episcopis, presbyterii quoque honor talibus auferatur, fiantque damnatione notabiles. » Dicit enim Antiochenum capitulum, quia regulæ sacræ præcipiunt, ut nullis invitis detur episcopus, cleri et plebis et ordinis consensus et desiderium requiratur, et ille omnibus præponatur, quem cleri plebisque consensus concorditer postularint, ne civitas episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, et fiat minus religiosa quam D convenit, cui non licuerit habere quem voluit. »

IX. De eo qui necessitate persecutionis de civitate in qua ordinatus fuit transit ad civitatem, Sardicenses canones dicunt (*can.* 21) : « Ut si aliquis episcopus vim perpessus est, et inique expulsus pro disciplina et catholica confessione vel pro defensione veritatis, effugiens pericula, innocens et devotus ad aliam venerit civitatem, non prohibeatur immorari quandiu aut redire possit, aut injuria ejus remedium acceperit, quia durum est eum qui persecutionem patitur non recepi, etiam et larga benignitate humanitas ei est exhibenda. » Et hinc S. Gregorius ad universos episcopos per Illyricum (*lib.* I, *epist.* 43).

« Fratres coepiscoposque nostros, quos et captivitas diversarumque necessitatum angustiæ comprimunt, debetis consolandos convicturosque vobiscum in ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere : non quidem ut per communionem episcopalis throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia juxta possibilitatem sufficientia debeant alimenta percipere. Sic et proximum in Deo et Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris Ecclesiis auctoritatem tribuimus, sed tamen eos vestris solatiis contineri summopere hortamur. » Et hæc novissima verba epistolæ hujus concordant præmisso concilii Sardicensis capitulo.

X. Sed et persecutio pro qua episcopus de civitate ad civitatem transire possit vel debeat, attente consideranda est, quam canones Sardicenses demonstrant (*Can.* 21). « Si aliquis episcopus vim perpessus est, et inique expulsus pro disciplina et catholica confessione, vel pro defensione veritatis, effugiens periculum innocens et devotus ad aliam venerit civitatem, quia solent a catholicis hæretici vel schismatici seu criminosi persequi. » Et sanctus Augustinus in epistola ad Honoratum episcopum ostendit (*epist.* 180) : « Restat, inquiens, ut nos, quorum ministerium quantulæcunque plebi Dei ubi sumus manenti, ita necessarium est, ut sine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino : *Esto nobis in Deum protectorem, et in locum munitum* (*Psal.* xxx, 3). Sed hoc consilium tibi propterea non sufficit, ut scribis, ne contra Domini præceptum vel exemplum facere nitamur, ubi fugiendum esse de civitate in civitatem monet. Recolimus enim verba dicentis : *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* (*Matth.* x, 23). Quis autem credat ita fieri hæc Dominum voluisse, ut necessario ministerio, sine quo vivere nequeunt, deserantur greges quos suo sanguine comparavit ? Nunquid hoc fecit ipse, quando portantibus parentibus in Ægyptum parvulus fugit, qui nondum Ecclesias congregaverat, quas ab eo desertas esse dicamus ? Nunquid quando apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per fenestram in sporta submissus est per murum, et effugi manus ejus (*II Cor.* xi, 33), deserta est quæ ibi erat Ecclesia necessario ministerio, et non aliis fratribus ibidem constitutis quod oportebat impletum est ? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, ut seipsum servaret Ecclesiæ, quem proprie persecutor ille quærebat. Faciant ergo servi Christi, ministri verbi et sacramenti ejus, quod præcepit sive permisit. Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cum autem omnium, id est episcoporum et clericorum, est commune periculum, ii qui aliis indigent non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis, per quos illorum est ecclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant quod eos paterfamilias volet perpeti. Quod si contigerit ut sive alii minus, alii majus, sive omnes æqualiter patiantur, qui eorum sint qui pro aliis patiantur apparent, illi scilicet qui cum se possent talibus malis eripere fugiendo, ne aliorum necessitatem desererent manere maluerunt. Hinc maxime probatur illa charitas quam Joannes apostolus commendat dicens : *Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus pro fratribus animas ponere* (*I Joan.* iii, 16). Nam qui fugiunt, vel suis devincti necessitatibus fugere non possunt, si comprehensi patiantur, ipsi non pro fratribus utique patiuntur. Qui vero propterea patiuntur, quia fratres qui eis ad Christianam salutem indigebant, nolunt deserere, sine dubio suas animas pro fratribus ponunt. » Et post aliquanta : « Cur enim sibi putant indifferenter obtemperandum esse præcepto, ubi legunt de civitate in civitatem esse fugiendum, et mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem, et fugit quoniam non est ei cura de ovibus ? » Et paulo post : « Fugit Apostolus, cum a persecutore ipse proprie quæreretur, aliis utique necessitatem similem non habentibus, a quibus illic ministerium absit ut desereretur Ecclesiæ. » Sicut fugit S. Athanasius Alexandrinus episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet imperator. Et aliquanto superius : « Non enim quisquam est qui dicat ministros manere oportere, ubi jam non fuerit quibus necesse sit ministrare. »

Et hinc S. Gregorius in libro Moralium (*lib.* xxxi, *cap.* 14) : « Intuerit libet illum sessoris sui calcaribus excitatum contra armatos hostes, quantus Paulum fervor accenderat, quando eum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat. Scriptum quippe est : *Repleti sunt ira, et exclamaverunt dicentes : Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno anima in theatrum* (*Act.* xix, 28), rapto Gaio et Aristarcho Macedonibus comitibus, atque mox subditur : *Paulo autem volente intrare populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem et de Asiæ principibus, qui erant amici ejus, miserunt ad eum rogantes ne se daret in theatrum* (*ibid.*, 30). In quibus profecto verbis agnoscimus quo impetu contra cuneos adversantes irrueret, nisi eum per amicos et discipulos charitatis frena tenuissent. Sed si obviare hostibus, si ultro pugnam petere, si nosmetipsos semper relinquere in cursu nostri fervoris debemus, quid est quod isdem prædicator egregius de semetipso fatetur dicens : *Damasci præpositus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum ut me comprehenderet, et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus* (*II Cor.* xi, 33). Quid est quod equus iste modo sponte armatorum cuneos impetit, et modo se ab armatis hostibus quasi trepidus abscondit, nisi hoc quod necesse est ut in ejus artificiosa virtute disca-

mus, adversariorum pugnam, et constanter aliquando appetere, et prudenter aliquando declinare. Necesse quippe est ut per omne quod agimus in mentis trutina positum hinc pondus, illinc fructum nostri laboris æstimemus. Et cum pondus fructum superat, laborem quisque innoxie declinat, dummodo se in aliis exerceat, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cum vero subsequenti quantitate fructuum mensura laboris aut æquatur aut vincitur, labor non sine gravi culpa declinatur. Unde prædicator sanctus, cum Damasci valde obstinatas mentes persequentium cerneret, eorum noluit adversitati confligere, quia semetipsum, quem profuturum multis noverat, vidit posset deficere, et aut nullis se illic aut paucis prodesse. Secessum ergo a certamine petiit, et pugnaturum felicius ad alia se bella servavit. Non enim loco virtus, sed locus virtuti defuit. Et idcirco fortissimus miles ab obsidionis angustia certaminis campum quæsivit. Ubi autem subjuganda regi proprio multa adversariorum colla conspexit, subire bellum vel cum morte non timuit. Sicut ipse cum Hierosolymam pergeret, cumque discipuli passionem illius per prophetiam præscitam prohiberent, sibimet ipsi attestatur dicens : *Ego enim non solum alligari, sed et mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini Jesu. Neque enim facio animam meam pretiosiorem quam me* (*Act.* XXI. 13). Quia prædicator egregius, despectis potestatibus sæculi, nullos minarum sonitus pertimescit. Videamus alium equum Dei quomodo terram sorbeat, quomodo nullus eum turbæ terror attingat. Scriptum est : *Supervenerunt autem quidam ab Antiochia et Iconio Judæi, et persuasis turbis, lapidantes Paulum traxerunt extra civitatem, æstimantes eum mortuum esse. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, et postera die profectus est cum Barnaba in Derben. Cumque evangelizassent civitati illi, et docuissent multos reversi sunt Lystra, et Iconio, et Antiochia, confirmantes animos discipulorum* (*Act.* XIV, 17). Perpendamus ergo quæ hunc equum possent minæ compescere, quando eum ab intentione sua non valet mors ipsa prohibere. Ecce lapidibus obruitur, nec tamen a veritatis sermone removetur. Occidi potest, superari non potest. Velut exstinctus extra urbem projicitur, sed intra urbem die alio illæsus prædicator invenitur. O quam fortis huic viro inest firmitas ! o quam victrix pœna ! o quam dominatrix patientia ! Ad agendum repulsione provocatur, ad prædicandam salutem plagis erigitur, ad propellendam laboris lassitudinem pœna refovetur. » Sed et isdem beatus Gregorius in epistola ad Agnellum episcopum scribit (*lib.* XI, *ind.* 11, *epist.* 13) : « Quia igitur ob cladem hostilitatis, nec in civitate, nec in Ecclesia tua est cuiquam habitandi licentia, ideo te auctoritate nostra Terracinensi Ecclesiæ cardinalem constituimus sacerdotem. » Et in epistola ad Joannem episcopum (*lib.* XI, *ind.* 10, *epist.* 25) : « Te Joannem ab hostibus captivatæ Lisitanæ civitatis episcopum in Squillitana Ecclesia cardinalem necesse duximus constituere sacerdotem, ut et susceptam semel animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas et licet a tua Ecclesia sis hoste imminente depulsus, aliam quæ pastore vacat debeas Ecclesiam gubernare. Ita tament, ut civitatem illam hostibus liberam effici, et Domino protegente ad priorem statum contigerit revocari, ad aliam in qua et prius ordinatus es Ecclesiam revertaris. Sin autem prædicta civitas continua captivitatis calamitate premitur, in qua a nobis incardinatus es debeas Ecclesia permanere. »

XI. His auctoritatibus Actardus, Namnetensis episcopus, prius a Nominoio Brittonum duce de sua civitate expulsus, a domno rege Carolo, fugato eodem Brittonum duce, consilio episcoporum illum quem in sede Namnetensi isdem tyrannus fecerat exordinari, in monasterio sancti Martini jussit exulare, et Actardum in sede sua restitui. Postea autem a Salomone tyranno eumdem Actardum a civitate sua expulsum, in vacante Morinensi ecclesia concilii consensu concessit aliquandiu immorari, donec petentibus clero ac plebe provinciæ Turonensis, et conhibentibus episcopis, ad provinciam suam rediit. et a pontifice apostolicæ sedis in vacante metropoli fuit incardinatus. Qui Actardus non debuerat sedem suam mutare, si valerat ibi consistere, vel si alius aliquis esset, qui simili vel forte majori utilitate regulariter in Turonensi ecclesia posset ordinari, dicente Cœlestino (*epist.* 1, *ad episcopos per Viennen*, etc) : « Tunc alter de altera eligatur ecclesia, si de civitatis ipsius clericis, cui est episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit inveniri. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis ecclesiis merito præferantur. Habeat unusquisque suæ fructum militiæ in ecclesia, in qua suum per omnia officia transegit ætatem : in aliena stipendia minime alter obrepat, nec aliis debitam alter sibi audeat vindicare mercedem. »

XII. Quod autem isdem Actardus apposuit, ut utrasque sedes Turonensem scilicet et Namnetensem simul teneret, contra Chalcedonense concilium (*can.* X) egisse videtur, quo decretum est : « Non licere clericum in duarum civitatum conscribi simul ecclesiis, et in qua initio ordinatus est, et at quam confugit, quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad suam ecclesiam in qua primitus ordinati sunt, et ibi tantummodo ministrare. Si vero jam quis translatus est ex alia in aliam ecclesiam, prioris ecclesiæ, vel martyriorum quæ sub ea sunt, aut ptochiorum, aut xenodochiorum rebus in nullo communicent. Eos vero qui ausi fuerint, post diffinitionem magnæ et universalis hujus synodi quidquam ex his quæ sunt prohibita perpetrare, decrevit sancta synodus a proprio hujusmodi gradu recedere. »

XIII. Quod autem quidam contra hoc capitulum hujus magnæ et universalis synodi, quasi ex verbis beati Gregorii satagunt se munire, ut duas sedes simul tenere valeant, cum nulli Christiano sit

licitum, vel duas uxores simul, vel uxorem et concubinam insimul habere, diligenter verba ejusdem beati Gregorii in epistola ad Bacandum episcopum curent discernere, qua dicit, non de longius civitatulis a se invicem disparatis, sed de collimitaneis, et de tam cleri quam plebis imminutione destitutis, et rebus ac facultatibus desolatis. « Et temporis necessitas nos, inquit (*lib.* I, *epist.* 8), perurget, et imminutio personarum exigit ut destitutis ecclesiis salubri ac provida debeamus dispositione succurrere. Et ideo quoniam ecclesiam Minturnensem funditus tam cleri quam plebis destitutam desolatione cognovimus, tuamque pro ea petitionem, quatenus Formianæ ecclesiæ, in qua corpus beati Erasmi martyris requiescit, cuique fraternitas tua præsidet, adjungi debeat, piam esse ac justissimam prævidentes, necessarium duximus, consulentes tam desolationi illius, quam tuæ ecclesiæ paupertati, reditus suprædictæ ecclesiæ Minturnensis, vel quidquid ei antiquo modernoque jure vel privilegio potuit potestve qualibet ratione competere, ad tuæ ecclesiæ jus potestatemque hac præcepti nostri auctoritate transmigrare. » In cujus verbis quisque debet attendere, quia dicit quod temporis necessitas perurget, et imminutio exigit personarum, ut destitutis ecclesiis debeat succurrere, et necessarium ducit tam desolationi loci, quam paupertati ecclesiæ consulere. Volunt etiam quidam, ex quorumdam novelli temporis adinventione, usurpare præsumptionem, quatenus liceat eis sedes suas mutare, non causa utilitatis, sed superducto quasi velamento necessitatis, revera quidem ambitione cupiditatis; in qua commemorantur quidam de civitatibus ad civitates, et etiam de minoribus ad potiores translati fuisse episcopi, antequam hinc certæ diffinitiones sacrorum canonum fuere præfixæ, quas transgredi perniciosum est. Manifestum, sicut sanctus Hilarus papa ad Leontium et ad cæteros episcopos scribit dicens (*epist.* 11) : « Quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur. » Et sanctus Cœlestinus (*epist.* 11): « Nulli sacerdotum suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod patrum possit regulis obviare. Quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur? » Et sanctus Leo (*epist.* 1 0): « Hoc admonitio nostra denuntia, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. » Et sanctus Gelasius (*epist.* 6 *ad universos episc.*) : « Cumque nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nil licere et cum sedes apostolica super his omnibus favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est quemquam, vel pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere, satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. » Et item idem : « Patres, inquit, nostri catholici videlicet doctique pontifices, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica, secundum Scripturarum tramitem traditionemque majorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare, nec in hac eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt, sapientissime pervidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper isdem furoribus redivivis omnis integra diffinitio turbaretur. » Et Symmachus dicit (*epist.* 1, *Æonio*) : « Ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem pertinere, cujus omnis potestas infringitur, nisi universa quæ a Domini sacerdotibus semel regulariter statuuntur perpetua sint. Quod alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, et roborando quæ gesta sunt faciat rata esse quæ gesserit. » Et item idem (*epist. eadem*) : « Quanta vicariis beatissimi Petri apostoli judicabitur esse reverentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, eisdem transeuntibus dissolvantur? » Et item : « Non potest ex parte firmum esse quod generalitatis tangit injuriam, et quod quasit ad astructionem, magis autem ad destructionem positum est in adinventione præmissa. » Unde sancti Patres Nicæni capite secundo dicunt (*can.* 11) : « Quoniam plura aut per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus adversus ecclesiasticam facta sunt regulam; » et sanctus Leo papa capite quadragesimo quarto Decretalium suorum dicit, omittendum esse et inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Quam alienum a ratione et auctoritate astructionis hujus perniciosæ permissionis sit, qui eadem capitula legit patenter agnoscit, quia illius secundi capituli Nicæni concilii processus, quod perpere actum eatenus fuerat, ne deinceps quisque præsumat, cum magna interminatione prohibuit, et capitulum quadragesimum tertium Leonis, ab hac ratione penitus est alienum, sicut trigesimum octavum capitulum in decretis suis ad Anastasium Thessalonicensem episcopum, sed id ipsum capitulum evidenter ostendit. Sed et de his quæ per necessitatem fiunt, potiusque usurpari videntur, sanctus Innocentius in decretis suis ad Rufum et Eusebium ac cæteros episcopos dicit (*epist.* 27) : « Pervideat ergo dilectio vestra hactenus talia transisse, et advertite quod utique ut dicitis necessitas imperavit, in pace jam ecclesias constitutas non posse præsumere. » Et Paulo post : « Priora ergo dimettenda dico Dei judicio, et de reliquo maxima sollicitudine præcavendum. » Videre igitur et mentis et corporis oculo qui hæc adinvene-

runt debuerant Pauli sententiam qua dicit : *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei* (*II Cor.* II, 17). « Adulter, inquit beatus Gregorius (*Moral.* XVI, cap 25), in carnali coitu non prolem sed voluptatem quærit, et perversus quique ac vanæ gloriæ serviens recte adulterare verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostentare. Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quam procreationi operam impendit. » Sic et qui pro opibus et facultatum copiis ac rebus terrenis Ecclesiam suam mutat, adulter merito vocatur, et inter adulteros deputabitur. Nam civitatem, in qua Comes inhabitat, et clerici ac laici nobiles, sed et ignobiles atque rustici laboratores, et etiam Judæi ut fertur inhabitant, et in parochia sub nomine Christiano degunt, episcopum causa cupiditatis, aut ardore ambitionis deserere, et alteram sedem vacantem invadere, et cum illa in qua ordinatus fuit, et in qua sine periculo mortis degere valet, tenere, non solum turpe sed et periculosum atque perniciosum est, cum sacri canones etiam de vacante episcopo in Ecclesiam vacantem prosiliente decernant (*conc. Antioch.* can 14), « ut si quis episcopus vacans in ecclesiam vacantem prosiliat, sedemque pervadat absque integro perfectoque concilio, hic abjiciatur necesse est, etsi cunctus populus quem diripuit eum habere delegerit. Perfectum vero concilium illud est, ubi interfuerit metropolitanus antistes. » Sed et de eo qui irrationabiliter et irregulariter civitatem suam in qua ordinatus fuit deserit, et ad aliam transit, Sardicense concilium dicit (*can.* 1) : « Non minus mala consuetudo, quam perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat episcopo de civitate sua ad aliam transire civitatem. Manifesta est enim causa qua hoc facere tentat, cum nullus in hac re inventus sit episcopus, qui de majore civitate ad minorem transiret : unde aparet avaritiæ ardore eos inflammari, et ambitioni servire, et ut dominationem agant. Si omnibus placet, hujusmodi pernicies sævius et austerius vindicetur, ut nec laicam communionem habeat qui talis est. » In hoc capitulo major et minor civitas, non solum pensanda est nomine, sed et possessione, sicut et avaritia non solum pecuniæ est ac possessionis, sed etiam altitudinis. In nomine Metropolitano avaritia dicitur, cum supra modum sublimitas ambitur : in possessione, videlicet in rerum ac facultatum copiositate, est avaritia, quam Apostolus idolorum servitutem appellat. Et sanctus Leo papa hoc sequens capitulum decrevit (*epist.* 88 *Anastasio Thessal.*), « ut si quis episcopus civitatis suæ mediocritate despecta administrationem loci celebrioris ambierit, et ad majorem se plebem quacunque ratione transierit, a cathedra quidem pellatur aliena, sed et carebit et propria, ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis quisque contentus sit, nec supra mensuram juris sui affectet augeri. » Et item Sardicense concilium dicit (*can.* 11) : « Ut etiamsi talis aliquis exstiterit temerarius, ut fortassis excusationem afferens asseveret quod populi litteras acceperit, cum manifestum sit potuisse paucos præmio et mercede corrumpi, eos qui sinceram fidem non habent, ut clamarent in Ecclesia, et ipsum petere viderentur episcopum, omnino has fraudes damnandas esse arbitror, ita ut nec laicam in fine communionem talis accipiat. » Quia vero duabus metropolitanis sedibus unus metropolitanus episcopus regulariter præsidere non poterit, sanctus Bonifacius papa auctoritate Nicæni concilii manifestat scribens ad Hilarium, Narbonensem episcopum (*Epist.* 8) : « Nulli, inquiens, videtur incognita synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit ut eadem proprie verba ponamus ; per unamquamque provinciam ejus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subjectas, quod illi, quia aliter credendum non est, servandum sancto Spiritu suggerente siblimet censuerunt. » Et post aliquanta : « Quod idcirco dicimus, et advertat charitas tua, adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra offiniat, quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. » Cogunt, inquit Augustinus, multis invenire medicinas multorum experimenta morborum. Et quia, ut Daniel dicit : *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia* (*Dan.* 12, 4), pro temporum diversitate, et morborum varietate, atque hominum sanitate, quædam conceduntur, sicut Noe et filiorum jus usibus alimenta nova permissione concessa deinde, per Moysem populo Judæorum prohibita rursusque nobis sunt ita concessa, ut quæ Judæis fuerunt vetita in pecoribus, nobis prohibeantur in moribus, sicut Dominus in Evangelio dicit : *Audistis quia dictum est antiquis : ego autem dico vobis* (*Matth.* V, 21). Quapropter quod licitum fuit, necessitate vel utilitate, de transmigrandis episcopis ab ecclesiis ad ecclesias ante sacrarum regularum præfixionem, postea intantum fuit, est, et erit illicitum contra easdem sacras regulas usurpare, ut sanctus Gregorius Nazianzenus, vir doctissimus, catholicissimus atque eloquentissimus, et vitæ merito ac sapientiæ doctrina venerandus, qui apud Græcos Theologus cognominatur, multorum decreto episcoporum, ut in historiis ecclesiasticis legimus : de parva civitate Nazianzo Constantinopolim causa fidei translatus, quam per annos duodecim insignissime gubernavit et ab hæresi Ariana gloriosissime liberavit, et dogma Nicæni concilii quasi jam mortuum in eadem regia civitate suis expositionibus resuscitavit, agnoscens episcopos murmurare eo quod esset et alia civitate contra canones translatus ad aliam, vitare imo auferre fraternum volens scandalum, ne schisma in Ecclesiam introducere videretur, monente Apostolo : *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.* (*II Cor.* VI, 4), adveniente Constantinopolim Theodosio principe, pa-

citiee impetrata licentia, habitare ulterius in eadem A civitate declinavit, sequens Domini sententiam dicentis ad Petrum, ut qui censum non debebant, exigentibus censum darent, quatenus scandalum devitarent. *Qui scandalizaverit*, inquit Dominus, *unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII, 6). Per molam quippe asinariam, ut sanctus Gregorius in Pastorali regula exponit (*part.* I, *cap.* 2), « sæcularis vitæ circuitus ac labor exprimitur, et per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo cæteros destruit, vel exemplo, melius profecto fuerat ut hunc ad mortem sub exteriori habitur terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpa cæteris imitabilem B demonstrarent : quia nimirum si solus caderet, utcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. » Et item (*part.* III, *cap.* 5) : « Scire etenim prælati debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava quæ faciunt non soli moriuntur. » At si aliquis dixerit, non ego invado Ecclesiam ad quam multorum consensu episcoporum et plebis transmigro, penset sollicite, sicut et sanctus pensavit Nazianzenus Gregorius, quæ, ut præmisimus, a sacris sunt præfixa canonibus, a quibus per, contemptum deviare in schisma est ruere, sicut sanctus papa. Hilarus patenter ostendit (*epist.* 11) : « Non minus, inquiens, in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in C injuriam ipsius Domini prosilitur. » Qua sententia beatus Hilarus papa hæreticos et schismaticos pariter denotavit. Schismaticos quidem, in eo quod dixit, non minus in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, et hæreticos, in eo quod dixit, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur. » Nam hæretici ut S. Gregorius ex sententia apostoli Pauli quia dicit *Si tradidero corpus meum ut ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (*I. Cor.* XIII, 3), demonstrat (*Mor.* XVIII, cap. 14), prava de Deo sentiunt schismatici recta de auctore tement, sed unitatem cum fratribus in sanctarum traditionum sanctione non tenent : illi errore fidei, isti vero schimatis perpetratione divisi sunt. Unde et in ipsa prima parte Decalogi utrarumque partium culpæ reprimun- D tur, cum divina voce dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (*Deut.* VI, 5), atque mox subditur : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Qui enim de Deo perversa sentit, liquet profecto quia Deum non diligit : qui vero de Deo recta sentiens, a sanctæ Ecclesiæ unitate divisus est, constat quia proximum non amat, quem habere socium recusat. Quisquis ergo ab hac unitate matris Ecclesiæ, sive per hæresim de Deo perversa sentiendo, sive errore schismatis proximum non diligendo dividitur, charitatis hujus gratia privatur, de qua hoc quod præmisimus, Paulus dicit : *Si tradidero corpus meum ut ardeat, charitatem non habeam, nihil mihi prodest* ; ac si aperte diceret : Extra locum suum conflationis mihi ignis adhibitus tormento me cruciat, mundatione non purgat. » Auro enim locus est in quo conflatur, id est unitas catholicæ Ecclesiæ, in qua baptismum, et opera bona, et etiam martyrium prodest, extra illam quippe, nec baptismus, nec opera bona, nec etiam martyrium proficit. Quia etiam cognati sunt hæretici et schismatici, et solemnibus orationibus sextæ feriæ ante Pascha monstratur. « Hinc ergo, ut sanctus Cœlestinus scribit (*epist.* 8 *in fine*), legem credendi lex statuat supplicandi. » Sed et quam grave peccatum schisma sit, sanctus Augustinus in libro secundo de Baptismo (*cap.* 6) demonstrat, dicens : « Afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis, et in illa quid sit gravius appendamus : imo non appendamus, sed a Domino appensa recognoscamus, tempore illo quo Dominus prio delicta recentibus pœnarum exemplis cavenda monstravit, et idolum fabricatum atque adoratum est, et propheticus liber ira regis contemptoris incensus et schisma tentatum idolatria gladio punita est, exustio libri bellica cæde et peregrina captivitate, schisma hiatu terræ sepultis auctoribus vivis, et cæteris cœlesti igne consumptis : quis jam dubitaverit hoc esse sceleratius commissum, quod est gravius vindicatum ? »

Hinc et in decretis apostolicæ sedis est scriptum : Sicut enim justos ad æternam vitam Dominus prædixit ituros, sic impios æterno damnandos interitu : ut sicut non potest finiri beatitudo justorum, sic nec impiorum tormenta finiantur. Hæc hæreticis schismaticisque sunt. Et quia quidquid nunc gerit Ecclesia, mystice typus est futurorum, si gustabunt de pane cœlesti, id est te suavitate divina, gehennæ participes, hæreticis schismaticisque damnatio est corporis et sanguinis Christi communio. Quisquis ergo assentit schismatico, schismaticus esse negari non poterit. Quod etsi omnes sacerdotes et mundus assentiat, damnatio consentientes involvit, non prævaricationem consensus absolvit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cum generale fit ex privato. Hoc enim Deus omnium indicavit, qui mundum peccantem generali diluvio interemit.

« Et sicut non potest, ut Gelasius scribit (*epist.* 10, *ad Anastasium*), perversitatis communicatore suscepto, non pariter perversitas approbari : sic non potest refutari perversitas complice sectatore perversitatis admisso, cum dicat Apostolus non solum qui non facienda faciunt reos videri, sed etiam *qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I, 32). Legibus enim publicis criminum conscios, susceptoresque latrocinantium par judiciorum pœna constringit, nec expers facinoris æstimatur, qui licet ipse non fecerit facientes tamen in familiaritatem fœdusque receperit. Hinc ergo audianus quomodo et Dominus vocet eos, qui in ovile ovium contra sacros canones

Spiritu Dei conditos insiliunt, id est regimen Ecclesiæ rapiunt potius quam assequuntur, *Qui non intrat*, inquit, *per ostium in ovile ovium, ascendit aliunde, hic fur est et latro* (*Joan.* x, 1). De qualibus idem per prophetam dicit : *Ipsi regnaverunt et non ex me principes exstiterunt, et non cognovi* (*Ose.* VIII, 4). » « A se, inquit Gregorius (*Pastor.* I, cap. 1), et non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt potius quam assequuntur : quos tamen internus judex et provehit, et non cognoscit, quia quos permittendo tolerat, profecto perjudicium reprobationis ignorat. » Timenda est igitur eis qui talibus favent a beato Gelasio ad sensum præmissa sententia Pauli, qua dicit : *Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte* (*Rom.* I, 32), quia, ut Leo dicit, in talium prælatione non est populis consulere, sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discrimen.

XIV. Quod scripsisti, episcopum de quo agitur dicere ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam sunt in civitate metropoli, in qua ordinatus fuerat, ministri ecclesiastici, qui indigentium necessitatibus possunt consulere, sed ipse non habe sufficientiam rerum ac facultatum, quibus in ea honorabiliter possit subsistere, unde se conatur excusare, inde magis videtur accusare, et cupiditatis atque cauterio ambitionis inurere, qui plus possessiones terrenas quam animarum lucra videtur acquirere. Debuerat enim in mente habere quod spiritus Paulo dixit, ut non exiret de civitate in qua ei multus populus erat, sed constanter prædicaret. Quid enim scit, utrum multi de paganis illis, qui in eadem civitate habitant, sint a Deo prædestinati ad vitam, qui per prædicationem ejus oris et operis converti poterant, et ubi Christiani sunt salvari valerent, si in ea maneret, etiamsi necessitas eum ibidem taliter manere cogeret, sicut Paulus se mansisse apud Corinthios dixit : *Ego*, inquiens, *in infirmitate et timore et tremore multo fui apud vos* (*I Cor.* II, 3). Legat igitur decimam quartam beati Gregorii homiliam ex lectione sancti Evangelii, *Ego sum pastor bonus* (*Joan.* XI, 14), et inveniet qualiter ac quantum ab auctoritate et suo ordine deviaverit. Sed et scandalum in Ecclesia misit, sicut et quidam episcopi, etiam a longe præcedentibus temporibus, scandalum pro sua quiete et voluptatibus in Ecclesiam intromiserunt, ordinantes chorepiscopos, et eis quæ summis pontificibus conveniunt agere permittentes. Quos apostolica sedes sæpius reprobavit, et apostolico mucrone recidit, sicut in decretalibus eorum qui voluerit recensere inveniet. Inter quos Damasus papa de talibus dicit episcopis (*epist.* 5 *ad episc. Numidiæ*) : « Illi, inquiens, episcopi, qui talia sibi præsumunt, videntur mihi esse meretricibus similes, quæ statim ut pariunt, infantes suos aliis nutricibus tradunt educandos, ut suam citius libidinem explere valeant. Sic et isti infantes suos, id est populos sibi commissos, aliis educandos tradunt, ut suas libidines expleant, id est pro suo libitu sæ-

A cularibus curis inhient, et quod unicuique visum fuerit liberius agant. » Et alia, quæ in suis locis lector invenire valebit. Sed et sicut in epistola beatæ memoriæ Nicolai papæ ad quosdam episcopos Belgicæ provinciæ directa continetur, Græci contra eum fremuerunt, quia ipse, sicut et predecessores sui, sacerdotes ab uxoribus abstinere præcepit, volentes per canones statuere ut liceat illis uxores habere. Nos autem moderni et Gallicani episcopi, novos canones facere conamur, ut liceat nobis quod gravius est quam carnali commercio, spiritali adulterio, aut duas uxores, id est duas sedes simul habere, aut uxorem simul et concubinam tenere, vel vivente licet infirma uxore, id est Ecclesia nostra persecutione qualibet rebus ac possessionibus
B imminuta, ad alterius copulam transmigrare. Cum sicut vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier, quandiu uxor ejus licet infirmat vivit, ita et episcopus non habet potestatem ecclesiam, videlicet plebem suam deserere, et alteram invadere vel usurpare, quandiu, sicut sanctus Augustinus dicit (*epist.* 180, *Honorato*), in ea residui sunt conservi sui, quibus præbeat cibaria, quos aliter vivere non posse novit. Quod si fecerit, tanto majus committit adulterium, quanto spiritaliter adulterat, et plebem suam adulterare facit, si alteri eo vivente et in sacerdotii incolumitate manente se junxerit, quia mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir, quandiu vir ejus vivit, et plebem quam invaserit secum adulterare facit, ut beatus Innocentius in decretis suis ostendit, loquens de repudio viri atque
C uxoris, quod merito intelligendum ac sequendum et de spiritali episcopi et Ecclesiæ, in qua primum ordinatus fuit, conjunctione.

« De his, inquit (*epist.* 11, *ad Exuperium*), requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio alio se matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui viro vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum ut etiam hæc personæ quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsi adulterium commisisse videantur, secundum illud quod legimus in Evangelio : *Qui dimiserit uxorem suam et duxerit aliam, mœchatur : similiter et qui dimissam duxerit, mœchatur* (*Matth.* v, 21), et ideo omnes a commu-
D nione fidelium abstinendos. At sit uxor episcopi, ecclesia scilicet ac parochia ejus, fuerit qualibet oppressione percutionis desolata, id est de solo elapsa, ut in ea non remaneant quibus necesse sit ministrare, licite valet episcopus ad vacantem aliam ecclesiam transmigrare, sicut supra verbis beatorum Augustini atque Gregorii est demonstratum. Et plebs episcopo suo viduata, id est vacans, carne vel regulariter defuncto sacerdotio episcopum viduatum, id est vacantem, regulariter potest suscipere, veluti Apostolus de muliere dicit : *Mortuo*, inquiens, *viro, nubat cui vult, tantum in Domino* (*I Cor.* VII, 39). Sanctus quippe Leo, inter præcipuos sedis Romanæ,

ornatus præcipius, de viro et muliere Apostoli sen- A tentiam exponens, quid per hanc conjunctionem intelligi voluerit patenter ostendit : *Sacramentum hoc*, inquiens, *magnum est* : *ego autem dico in Christo et in Ecclesia*(*Ephes*. v, 32). Utique duo sunt, Deus et homo, Christus et Ecclesia, quæ de sponsi carne provibit, et de latere Crucifixi manante sanguine et aqua, sacramentum redemptionis et regenerationis accepit. »

Et idem alibi : Unde, inquit, cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesiæ sacramentum, non ergo fornicetur quisquam, indebita voluntate abiens post uxorem legitimo et spiritali sibi sortitam conjugio, sed diligat et foveat eam, sicut Christus Ecclesiam : neque post pastorem suum, in fide et in nobis operibus manentem, quem ordinante Deo legitima sorte suscepit, Ecclesia abiens fornicetur sed in ea vocatione qua vocati sunt maneant, veluti sacræ Scripturæ et traditiones ecclesiasticæ præfixerunt. Si enim, quia concedente Apostolo unius uxoris vir assumi in sacerdotium jubetur, ut uxorem quam ante sacerdotium habuit castis foveat et tueatur auxiliis, et non eam destitutam, debet relinquere, multo minus sacerdos destitutam, aut pro superinducta, vel cum superinducta deserere vel negligere, minime autem cum alia una cum ipsa debet mœchari ecclesia : et sicut non adulterare verbum Dei, ita nec adulterare debet Ecclesiam suam. Nisi enim viri et uxoris legalis conjunctio ad episcopi et ecclesiæ sibi conjunctæ mysterium pertineret, magnum Chalcedonense concilium defuncto suo episcopo viduatam ecclesiam non vocaret, cujus reditus penes œconomum futuro reservari jubet episcopo, nec ab aliis quibusque, vel vivente vel defuncto cujuscunque civitatis episcopo usurpari, vel pessumdari : quod qui præsumpserint, verenda est illis sententia ejusdem sancti et universalis concilii, qua intentando decernit (*can*. 10) : « Eos, inquiens, qui aussi fuerint, post diffinitionem magnæ et universalis hujus Synodi, quidquam ex his quæ prohibita sunt perpetrare, decrevit sancta Synodus a proprio hujusmodi gradu recedere. » Et de transgredientibus quæ constituta sunt, item conjuncte dicit (*can*. 27) : « Si quidem clerici sunt, decidant gradu proprio ; si vero laici, anathematizentur. » Sic etiam de rerum ac facultatum præsumptoribus, et aliorum conciliorum canones, et apostolicæ sedis pontifices multoties decreverunt, quæ non parvipendent qui irrefragabili Domini sententiæ credunt, dicentis in Petro, et apostolis omnibus, et in eis illorum successoribus : *Quæcunque ligaveris super terram, ligata erunt et in cœlis* (*Matth*. xvi. 19). Nam sicut Petrus respondit pro interrogatis a Christo apostolis omnibus, ita et Christus hæc in Petro dixit apostolis, et successoribus eorum omnibus, quibus manet hoc privilegium, a quibus fertur ex apostolorum æquitate judicium, sicut sanctus Leo et Gregorius evidenter ostendunt. Unde sanctus Gregorius item dicit : « Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere : ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia per omnia despiciendi et anathematizandi sunt, et unde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter implicantur, eosque et ego et omnes catholici episcopi, atque universa Ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, et contraria loquuntur. »

Hæc idcirco de rebus et facultatibus Ecclesiæ viduatæ sub œconomo futuro reservandis Episcopo hic interposuimus, ut attendat de quo agitur episcopus, quia si nemini Christiano eas licet præsumere, B multo minus item episcopus, sine sui status periculo ac animæ detrimento, ecclesiæ invasæ res et facultates prævalet usurpare. Sicut enim comes civitatis homo sæcularis, et alii etiam sæculares, et majoris et minoris potestatis, habent unde in sua metropoli possint consistere, et comministri ejus ecclesiastici valent ibidem vivere ; sic et ipse, nisi eum cupiditas et ambitio unde ejiceret, ibidem vel de operibus manuum, vel de decimis fidelium ac collatione presbyterorum, et si aliter non posset, vel sub censu, sicut Hierosolymis patriarcha, et viri religiosi ac fideles in Corduba, et in aliis civitatibus per Hispaniam faciunt, ibi valeret manere, et conservis in tempore tritici mensuram donare, id est verbum prædicationis impertire, et ministeria quæ non nisi ab episcopis ministris ecclesiasticis et plebibus possunt de- C pendi, sicut sunt ordinationes ecclesiasticorum ministrorum, sicut est confectio sacri chrismatis, et consecratio olei exorcizati et ad infirmorum unctionem consecrati, sicut est confirmatio et consignatio baptizatorum, sicut est manus impositio et reconciliatio publice pœnitentium, et velatio virginum, et alia quæ per singula non necesse est computare : quæ non nisi ab episcopis valent regulariter fieri, et in utrisque civitatibus, tanto spatio inter se distantibus, ab uno episcopo congruis temporibus non valent, imo nec debent, nec regulæ permittunt exsequi. Quæ et si per tempora possunt in sua metropoli ab eo fieri, convincitur in ea posse immorari, et quæ sibi a subditis competunt exsequi. Legat namque secundam epistolam Pauli apostoli ad Corinthios, D cum quanta difficultate atque cum quanto labore prædicationis ministerium fuerit exsecutus, qui præter labores quos sustinuit in carceribus, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, in flagellis, in lapidatione, in naufragiis, *in itineribus* sæpe vexatus fuit, *periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis, in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum* (*II Cor*. xi, 25, 26, 27, 28), et manibus suis la-

boravit, quæ necessitaria sibi et suis fuerunt, ne quem libet gravaret, et inveniet se a successione illius extorrem, cujus sequi detractat exemplum, et illorum constringi judicio, qui jam in cœlis cum Deo regnant, sancto Spiritu inspirati sacros canones per eumdem sanctum Spiritum protulerunt, quibus decernitur, ut hujusmodi nec in eo episcopos, ut supra scripsimus, habeatur, nec communionem laicam mereatur, sicut evidenter sanctus Leo apostolicæ sedis pontifex in decretis suis iterato decernit *(epist.* 1, *in fine)* : « Hoc inquiens, admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venerit vel venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. »

XV. Cur enim non posset religiosus homo et episcopus ac continens, sine uxore et filiis, ita in civitate sua vivere, sicut sæcularis homo comes, uxorem habens et liberos, etiam inter paganos vivit : præsertim cum alias possessiones et abbatias largitione domni regis habeat, unde sumptus habere valet, quibus ad Deo serviendum, et ministerium suum exsequendum in plebe sibi commissa sufficere posset? « Sed sunt, inquit Gregorius *(hom.* 14, *in Ev.)*, nonnulli quidum plus terrenam substantiam quam oves diligunt, merito nomen pastoris perdunt. De quibus protinus subditur : *Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit* (*Joan.* x, 12). Non pastor sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur. Istæ sunt etenim mercedes mercenarii, ut pro eo ipso quod in regimine laborat, hic quod quærit inveniat, et ab hæreditate gregis in posterum alienus existat. » (*Ibid.*, *post aliqua.*) « Et lupus rapit et dispergit oves. Lupus venit et mercenarius fugit, quia malignus spiritus mentes fidelium in tentatione dilaniat, et is qui locum pastoris tenet, curam sollicitudinis non habet : animæ pereunt, et ipse de terrenis commodis lætatur. » Unde quia sicut beatus dicit Gelasius *(epist.* 10, *ad Anastasium)* : Duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacras pontificum et regalis potestas, sequendum est episcopi ac principibus terræ consilium hortantis, imo præcipientis Apostoli : *Nolite*, inquit, *communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem et redarguite* (*Ephes.* v, 11). » Hinc sanctus Augustinus : « Duobus modis non te maculat malus, si non consentias et si redarguas : hoc est non communicare, non consentire. » Communicatur quippe, quando facto ejus consortium voluntatis vel approbationis adjungitur. Hoc ergo nos admones Apostolus ait : *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum;* et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ. *Magis autem*, inquit, *et redarguite.* Quid est nolite communicare? Nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est autem magis et redarguite? reprehendite, corripite, coercete. Nam et sanctum Africanum concilium eos qui negligunt loca ad suam cathedram pertinentia in catholicam unitatem lucrari, conveniri a diligentibus vicinis episcopis, ut id agere non morentur, signanter cum diffinitione certissima præcipit, sicuti suo loco diligens lector inveniet. Et constat esse certissimum, quia iste civitatem suam, in qua remanent plures qui episcopali ministerio indigent, pro alia quietiore ac locupletiore mutaverit, et alterum loco suo ordinari permiserit, quia, ut supra ostendimus, duabus metropolitanis civitatibus præsidere non potest, non pro animarum lucro, sed pro temporali augmento cum spiritali suo detrimento hoc agat, quia, ut Leo dicit, non putabitur honor ille legitimus, qui fuerit contra divinæ legis præcepta collatus. Fautores autem ac ordinatores hujusmodi sancti papæ Simplicii percellit decretalis sententia qua dicit, Privilegium, inquiens, meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate. Hæc quantum pro tempore et occupatione licuit, et Dominus ad mentem mihi venire concessit, de his quæ interrogaveras, Frater charissime tibi respondere curavi. Quæ si cuiquam displicuerint, non contra me sed contra se irascatur, quia contra verba divina nisi in malum suum irasci non poterit. Dum ergo est in via, id est in hac vita concorde cum adversario suo cito, ne forte tradat eum adversarius suus judici, et judex tradat eum ministro, et minister mittat illum in carcerem, Amen, non exiet inde donec reddeto novissimum quadrantem. Notum est vel parva de scripturis scientibus, quia in hoc loco adversarius noster dicitur sermo Dei, quoniam jubet contraria operibus nostris malis quæ agimus : Cui si non concordaverimus, justo Dei judicio per ministrum mittemur in carcerem, et non exiemus inde, donec reddamus novissimum quadrantem, id est, exsolvamus et minimum peccatum.

EPISTOLA XXXII.

AD JOANNEM PAPAM.

Caroli II imperatoris nomine.

De judiciis et appellationibus episcoporum et presbyterorum.

(Apud eumdem, ex editione Moguntina Joan. Busæi.)

Sanctissimo ac reverentissimo Patri JOANNI summo pontifici et universali papæ, CAROLUS gratia Dei imperator Augustus ac spiritalis filius vester.

I. Antequam provinciæ Transalpinæ, propter seditiones et bella frequentia, progenitorum nostrorum temporibus, sacrarum legum ac regularum notitiam et observationem plene caperent, sicut poster per incrementa studio illorum ab ac sancta sede gratia Dei ceperunt, gloriosæ memoriæ avus noster Carolus imperator Augustus, diu per egregios ac præcipuæ auctoritatis et sapientiæ viros, de presbyteris ex criminibus diffamatis, qualiter judicari vel purgare se debeant perquisivi, et reperit, sicut in suæ imperialis auctoritatis edictis, quæ in alia schedula habemus scripta, posteris servanda reliquit, quæque usque ad nostra tempora ex tunc in Transalpinis regionibus servata, et quando necessitas postulavit exsecuta fuerunt.

II. In diebus autem domini et genitoris nostris piæ memoriæ Ludovici imperatoris, cum ipsa tepesci exsecutio aliquatenus cœpit; apud papam Eugenium inde ab eo commonitio facta est. Qua de re synodum iisdem universalis papa convocans, inter alia generalia decreta promulgare curavit, quæ Leo IV tempore fratris nostri Lotharii, et nepotis nostri Ludovici, observanda decrevit, sicut in gestis synodalibus, et in hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ archivo haberi credimus, et ab hac sancta sede nostris decessoribus directa venerabili sanctione habemus. Cum autem non longe ante hos annos nepos noster Ludovicus Italiæ imperator instinctu quorumdam contra nos se commovit, missæ sunt nobis epistolæ quasi ex apostolicæ hujus sedis auctoritate ac nomine, quas tenoris inconvenientia hanc sanctam et discretissimam sedem non misisse ostendit.

III. Et quoniam pravis sæpius prava quam recta innotesci solent, nata hinc occasione, Transalpinarum regionum presbyteri, a suis episcopis de certis criminibus regulariter ab ordine sacerdotali dejecti, et pœnitentiæ subacti, sine licentia et conscientia primatum et episcoporum suorum, huc venire, et hinc epistolas, quæ regulis non convenierunt, referre cœperunt. Quas non jussione apostolica, sed, ut assolet etiam in republica, propter multiplicia reclamatorum negotia, quorumcunque ministrorum quasi pia miseratione factas, et nos illius regionis putant episcopi. Quapropter quia, ut sanctus Augustinus dicit (*epist.* 50, *ad Bonifacium comitem*), cogunt multas invenire medicinas multorum experimenta morborum, intermissis propter proxilitatem sacrarum legum capitulis prædecessorum nostrorum imperatorum, quibus ecclesiasticæ regulæ consonant, necessarium duximus pandere sanctissimæ vestræ paternitati, ac summæ auctoritati, qualiter regulas de honore in suo statu episcoporum, et de apellatione, si necessitas et ratio in dejectione illorum poposcerit, sed et de apellatione presbyterorum intelligimus, et intelligi a rectoribus Transalpinarum Ecclesiarum didicimus: quatenus ab hujus sanctæ sedis auctoritate nostra sana, ut credimus, intelligentia confirmetur, a qua fidei ac A religionis sumpsit initium, et quotidie gratias Deo, sumit augmentum, et si quid male in agro Dominico pullulat, decreti vestri false recidatur. Si etiam quorumcunque negligentia, vel præsumptione a præstitutis regulis est discessum, vestræ auctoritatis industria sit reformatum.

IV. Sicut Dei virtus Christus et Dei sapientia, ordinem ac dignitatem apostolorum et septuaginta discipulorum in carnis præsentia distinxit, ut lectio sancti Evangelii patenter ostendit: ita idem ipse, per quem reges regnant, et conditores legum justa decernunt, sacris legibus et canonibus, spiritu suo conditis, et totius mundi reverentia consecratis, ordinem et dignitatem episcoporum, qui locum in Ecclesia tenent apostolorum, et presbyterorum, qui B subrogantur loco septuaginta discipulorum, et in administratione et in honore, sicut et in Veteri Testamento inter summos pontifices et inter minoris ordinis sacerdotes discrevit. Quapropter ab omnibus honorandi ac venerandi sunt pro patribus nati filii, id est pro apostolis ordinati episcopi, et ordinis dignitate, et illius honore, qui eis apostolis dixit: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos* (*Joan.* XV, 15); et: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* X, 16); et de eis: *Ite nuntiate fratribus meis* (*Matth.* XXVIII, 10). Et alia, quæ de illorum veneranda honoratione sacræ Scripturæ textus eloquitur.

V. Qui forte si aliqui temporalibus rebus sunt pauperes, et forte merito divites, pro certo autem C sunt ordine sacro sublimes, a nullo quolibet, sive ecclesiastica, sive sæculari potestate prædito, debent vilipendi, nec potentibus sæculi modo quocunque postponi, præcipiente omnibus apostolo Jacobo: *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesus Christi gloria* (*Jac.* II, 1), quia non qui ditiores ad sæculum, hi in divino examine sunt meliores. *Nonne*, inquit, *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod promisit diligentibus se?* (*ibid.*, 5), et Paulus: *Ignobilia et contemptibilia mundi elegit Deus*, et reliqua. (*I Cor.* I, 28.) Et sanctus Gregorius in epistola ad Mauricium imperatorem (*lib.* IV, *epist.* 31): « Sacerdotibus, inquit, non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione, propter cum ejus servi sunt, eis ita D dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. Nam in divinis eloquiis aliquando sacerdotes dii, aliquando angeli vocantur. Nam et per Moysem, de eo qui ad juramentum deducendus est, dicitur: Applica illum ad deos, id est ad sacerdotes. Et rursum scriptum est: *Diis non detrahes* (*Exod.* XXII, 8,) scilicet sacerdotibus; et propheta ait: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II, 7). » Quid ergo mirum si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut angelos, aut deos, ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur

historia quia cum piæ memoriæ Constantino principi in scripto oblatæ accusationes contra episcopos fuissent, libellos quos acceperat incendit, dicens : « Vos dii estis, a vero Deo constituti : ite, et inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est ut nos judicemus deos. In qua tamen sententia, pie domine, sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid præstitit ex reverentia impensa. Ante eum quippe pagani in republica principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos et lapides colebant, et tamen eorum sacerdotibus maximum honorem tribuebant. Quid ergo mirum, si Christianus imperator veri Dei sacerdotes dignetur honorare, dum pagani, ut prædiximus, principes honorem impendere sacerdotibus noverunt, qui diis ligneis et lapideis serviebant ? » Et idem sanctissimus atque facundissimus et discretissimus, veraciterque in oculis Dei humillimus, in epistola ad Joannem episcopum Syracusanum, scribens de episcopo Constantinopolitano, inter alia dicit *(lib.* VII, *epist.* 64, *ind.* 11) : « Quod sedi apostolicæ dicat se velle subjici, si qua culpa in episcopis invenitur, nescio quis ei episcopus subjectus non sit. Cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt. »

VI. Post Constantinum autem, quique Christiani imperatores, decessores ac prædecessores nostri, leges de episcoporum honore ac privilegio condiderunt. Proinde, Pater sanctissime, quia, ut sanctus Gelasius dicit (*epist.* 10, *ad Anastasium*), duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, et regalis potestas, ad quas appellari potest, et a quibus nemo permittitur appellare sub oculis districti et æquissimi judicis Dei, qui sine personarum acceptione judicat, nostra ponderemus judicia : quia etsi plerumque existunt inter negligentes vel desides fratres, quæ oporteat majore auctoritate curari, « sic tamen est, ut sanctus Leo dicit (*ep.* 88, *ad Anastasium*), adhibenda correctio, ut semper sit salva dilectio, et plus erga corrigendos agat benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam commotio, plus charitas quam potestas. » Episcopos sane in suo statu manentes debita veneratione colamus, et a nobis eis competenti honore impenso, cæteris exemplum reverentiæ erga sacerdotalem ordinem præbeamus : quia si nos sacrum ordinem in personis eorum vilipendimus, qui velut in speculo, ad sumendum exemplum, in omnium, qui subjecti nobis sunt, oculis positi sumus, pro tantorum culpis a districto judice, summo videlicet pontifice et rege regum dijudicabimur quot nostro facto delinquendi, quod absit, exempla præbuerimus. Sicut idem beatus Gregorius in Regula pastorali terribiliter intonat dicens (*part.* I, *cap.* 5) : « Scire etenim prælati debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est, ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava quæ faciunt, non soli mo-

A riuntur, sed aliorum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt. Et contra, quot suo vel verbo, vel exemplo, vel quibus potestas est data correptionis correptione, quia sæpe invitis bona præstantur, dicente summo patrefamilias ad servum, id est prælatorum chorum : *Exi* cito *in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea* (*Luc.* XIV, 23), Domino lucrati fuerint, pro tantis gloriæ coronam accipient, attestante Apostolo : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum* (*Jac.* V, 20). »

VII. Cæterum quia non est homo in terra qui faciat bonum et non peccet, et nec ipsi sine peccato fuerunt qui cœlesti magisterio adhærebant, dicente B Joanne : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8) ; et Jacobus apostolus dicit : *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III, 2) ; et, ut Scriptura ostendit, in angelis reperta est nequitia (*Job* IV, 18) ; si necessitas cum multa ponderatione atque examinatione coegerit episcopos ab episcopis judicari, vel presbyteros ab episcopis a gradu ecclesiastico dejici, sicut in honore atque administratione, sic et in dijudicatione atque appellatione, discretionem auctoritas sacra distinxit, decernens, ut si necessitas et pondus legalis ac regularis accusationis exigit, episcopum judicari debere a suis judicibus episcopis, a quibus regulariter una cum primate provinciæ potuit secundum Nicænos et Antiochenos canones et decreta sedis Romanæ pontificum ordinari, congregatis una C cum primate provinciæ ipsius regionis episcopis secundum Sardicenses canones, atque a constituto, juxta Carthaginenses canones, duodecim episcoporum numero, si plures nequiverint congregari, canonice judicetur.

VIII. « Et si isdem accusatus et judicatus episcopus, congregatis ejusdem regionis episcopis, de gradu suo dejectus apostolicam sedem appellaverit, et confugerit ad episcopum Romanæ Ecclesiæ et ab eo si audiri voluerit post judicium, juxta Sardicenses canones (*conc. Sard.*, *can.* 7), et decreta Innocentii ad Victricium, et Bonifacii ad Gallicanos episcopos, et Leonis ad Anastasium, scribendum est ab his qui causam examinarunt Romano pontifici. Et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, et D det judices ; si autem probaverit talem causam esse ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decreverit confirmata erunt. Et si justum putaverit ut renovetur examen, scribere his dignetur episcopis, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, et juxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam audiri iterum, deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut e latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi, et quid velit, et quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero cre-

diderit episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio judicaverit. Interim tamen alter episcopus in cathedra depositi episcopi post appellationem ejus non ordinetur, antequam causa ejus fuerit in judicio episcopi Romani determinata. »

IX. Quæ constitutio appellationis ad apostolicam sedem non discordat a sacra et mystica Nicæna synodo, de qua magnus Leo papa ad Anatolium scripsit (*epist.* 56). « Illa, inquiens, Nicænorum canonum per sanctum vere Spiritum ordinata conditio in nulla unquam parte est solubilis. Nulla siblimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum comparare se audeat vel præferre, cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit synodus consecrata ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. » De cujus privilegio et B. Ambrosius dicit (lib. I *de Fide*, *c.* 9) ; « Non humana industria, non compositione aliqua, trecenti decem et octo episcopi ad concilium convenerunt ; sed ut in numero eorum, per signum suæ passionis et nominis, Dominus Jesus suo se probaret adesse consilio, crux in trecentis, Jesus nomen in decem et octo est sacerdotibus. » « Et mihi, inquit Hilarius (*De synod.*, in fine), ille ipse numerus hic sanctus est, in quo Abraham victor regum impiorum, ab eo qui æterni sacerdotii est forma benedicitur. » Et hinc item beatus Leo papa ad Anatolium (*epist*, 56, post superiora) ; « Sancti illi et venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, et si quid usquam aliter quam illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur. »

X. Quod sanctum et mysticum concilium præcipit (*can.* v) : « De his qui communione privantur, ut sive ex clero, sive ex laico ordine, ab episcopis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur : requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet episcopi vitio, videatur a congregatione seclusus. Ut hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari ut communiter, omnibus simul episcopis congregatis provinciæ, discutiantur, hujusmodi quæstiones et sic, qui suo peccaverunt evidenter episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur usquequo vel in communi, vel episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. »

XI. Cujus sanctæ synodi constitutionem Sardicenses canones non convellunt (*cap.* 7), qui cum pontificis Romani vicario vel arbitrio causam episcopi in provinciali synodo judicati, etiam episcoporum A arbitrio vel judicio qui eum judicaverunt, cum episcopis qui in finitima et propinqua provincia sunt præcipiunt terminari, quatenus sive in manenda, sive in immutanda sententia, juxta Nicænos canones commune sit placitum. De quibus sacris canonibus Nicænis Africanum concilium ad sanctum Cœlestinum papam scribens (*cap.* 105), « Prudentissime, inquit, justissimeque providerunt, quæcunque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda, nec unicuique provinciæ gratiam Spiritus sancti defuturam, qua æquitas a Christi sacerdotibus et prudenter videatur, et constantissime teneatur. »

XII. Beatus quoque Innocentius ad Victricium Rothomagensem episcopum duo capitula magni concilii Nicæni : De his videlicet qui communione pri- B vantur ex clero ; et aliud : Ut per singulas provincias suis privilegia serventur Ecclesiis ; et capitulum Sardicensis concilii de episcoporum ad apostolicam sedem appellatione, uno capitulo sagaciter atque patenter explicat, dicens (*epist. I Innocent.*) : « Si quæ autem causæ vel contentiones inter clericos tam superioris gradus, quam etiam inferioris, fuerint exortæ, placuit ut secundum synodum Nicænam congregatis omnibus ejusdem provinciæ episcopis, judicium terminetur ; nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus caussi debet reverentia custodiri, relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis forte præsumpserit, et ab officio cleri submotus, et injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autem C majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam sicut synodus statuit, et beata consuetudo exigit post judicium episcopale referantur. » In eo enim quod dicit, ut secnndum synodum Nicænam, congregatis ejusdem provinciæ episcopis de exortis causis judicium terminetur, capitulum Nicæni concilii de excommuuicatis explanat : In eo quod ad alias quemcunque de ecclesiastico ordine prohibet convolare provincias, aliud capitulum Nicæni concilii explicat, quod jubet, ut per singulas provincias suis privilegia serventur Ecclesiis, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ : ut si majores causæ, quarum una est de episcopi judicati appellatione, in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicnt synodus, quin Sardicensis, statuit, et D vetus consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur. Scilicet, ut aut juxta præmissum septimum Sardicensis concilii capitulum, appellantis episcopi causa in provincia, in qua fuit exorta, diffiniatur, aut judicium episcoporum provinciæ, secundum decreta Bonifacii, apostolicæ sedis auctoritate confirmetur, et sicut Leo scripsit, ejusdem sedis sententia roboretur. Quia vero sanctus Innocentius non Nicænam, sed Sardicensem synodum de appellatione episcopi ad sedem apostolieam in auctoritatem traxit, qui utrasque synodos legit, aperte intelligit.

XII. Sacræ leges ac regulæ, presbyteros et cæ-

teros inferioris gradus clericos, non alibi quam apud suos episcopos præcepiunt accusari : a quibus, sicut Africæ provinciæ canones decernunt, eorum causa debet audiri, et sicut sanctus Gregorius constituit, cum presbyteris vel clericis suæ parochiæ judicari. Qui forte si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, ad quos eis sit provocandum, de appellatione presbyterorum ac diaconorum, ad vicinos et finitimos episcopos, papa Zosimus in commonitorio per Faustinum episcopum et Philippum ac Asellum presbyteros directo Carthaginensi concilio, in concilio Sardicensi capitulo decimo septimo continetur hoc modo, Osius episcopus dixit (*cap.* 17) : « Quod me adhuc movet, reticere non debeo. Si episcopus quis forte iracundus, quod esse non debet, cito et aspere commovetur adversus presbyterum sive diaconum suum, et exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem, et ideo habeat potestatem is qui abjectus est, ut episcopos finitimos interpellet, et causa ejus audiatur, et diligentius tractetur : quia non oportet negari ei audientiam roganti. Et ille episcopus, qui juste aut injuste eum abjecit, patienter accipiat ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia ejus a pluribus, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter et fideliter examinentur, eum qui fuerat a communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere ut eum communioni societ. Hi vero, qui conveniunt ad audiendum, si viderint clericorum esse factum et superbiam, quia non decet ut episcopus injuriam vel contumeliam patiatur, severioribus eos verbis castigent, ut obediant honesta præcipienti episcopo ; quia sicut ille clericis sincerum exhibere debet amorem charitatis, ita quoque vicissim ministri infucata debent episcopo suo exhibere obsequia. »

XIV. Nec hoc capitulum Sardicensis concilii dissentire videtur a capitulo Nicæni concilii, quo expressius et apertius, quam Sardicense concilium, decrevit de his qui communione privantur a proprio episcopo, sicut supra posuimus, et de privilegiis singulorum metropolitanorum dicens (*can.* 6) : « Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam et Pentapolim : ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et urbis Romæ episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam, cæterasque provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis, » Quod exponit Antiochena synodus dicens (*can.* 9) : « Per singulas regiones convenit episcopos nosse, metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere. Propter quod ad metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. » Et Constantinopolitanum concilium dicens (*can.* 1) : « Ut illa quæ sunt per unamquamque provinciam, ipsius provinciæ synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse concilio. »

XV. Et hinc Innocentius ad Alexandrum Antiochenum episcopum (*epist.* 30) : Revolventes, inquit, auctoritatem Nicænæ synodi, quæ una omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliam aliquam provinciam, recognoscimus constitutam. » Et Bonifacius papa ad Hilarium Narbonensem (*epist.* 111) : « Nulli, inquit, videtur incognita synodi Nicænæ constitutio, quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus, per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, servandum Spiritu sancto suggerente sibimet censuerunt. Quod idcirco dicimus, ut advertat charitas tua, adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. » Et his censonanter Cœlestinus (*ep.* 11, *per Viennen. et Narbon.*) : « Juxta decreta, inquit, canonum, unaquæque provincia suo metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem episcopum continent constituta. Nec usurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur injuriam. Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus, alter in alterius provincia nihil præsumat. » Et Leo ad Maximum episcopum (*epist.* 66) : « Etsi, inquit, diversa nonnunquam sunt merita præsulum, jura tamen permanent sedium. »

XVI. Et Antiochenum concilium, a magna synodo Chalcedonensi actione duodecima favorabiliter collaudatum, sequens decreta Nicæni concilii (*can.* 6): « Si quis, inquit, a proprio episcopo communione privatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quam suo reconcilietur episcopo aut certe ad synodum quæ congregatur occurrens pro se satisfaciat, et persuadens concilio sententiam suscipiat alteram. Hæc autem diffinitio maneat circa laicos, et presbyteros et diaconos, omnesque qui sub regula esse monstrantur. » Et loquens de conciliis capitulo vigesimo dicit : « In ipsis conciliis adsint presbyteri, et diaconi, et omnes, qui se læsos existimant, et synodi experiantur examen. Nullis vero liceat apud se celebrare concilia, præter eos quibus metropolitana jura videntur esse commissa. » Et capitulo decimo sexto : « Perfectum vero concilium illud est, ubi interfuerit metropolitanus antistes. »

XVII. Appellantes autem presbyteri, vel diaconi, a quibus et qualiter sint judicandi, sacri Carthaginenses canones capitulo vigesimo et capitulo vigesimo octavo evidenter ostendunt. Ubi autem inter accusatores et accusatos causa debeat agitari, Carthaginense concilium statuit, dicens (*can.* 30) : « Ut accusatus, vel accusator, in eo loco, unde est ille qui accusatur, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, ubi causa finiatur. » Et hinc leges dicunt : « Criminum discussio ibi agitanda est, ubi crimen admissum est. Nam alibi criminum

reus prohibetur audiri. » Et item : « Si quis adversarium, aut repetitione, aut criminis objectione pulsaverit, provincia, in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerat actiones, nec æstimet adversarium suum alibi aut longius pertrahendum. » Illi vero qui pulsatus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare, scilicet ecclesiasticis ad finitimos episcopos, ut Sardicenses et Carthaginenses canones, ut præmisimus, decreverunt, vel ad provincialia concilia, sicut sacri Nicæni et Antiocheni canones constituerunt, et sicut Africanum concilium in epistola ad Cœlestinum papam ostendit (*cap.* 105) : « Ubicuique, inquiens, concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad concilium suæ provinciæ, vel etiam universale provocare. Nisi forte quisquam est, qui credat unicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, et innumerabilibus congregatis in concilium sacerdotibus denegare, aut quomodo ipsum transmarinum judicium (quod tantumdem est, Transalpinum), ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis incurrentibus impedimentis, adduci non poterunt ? »

XVIII. A judicibus autem, sive quos juxta Africanos canones primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex concensu delegarint, causa finienda regulariter provocari non potest. Et sanctus Gregorius in epistola ad Gallicanos episcopos (*lib.* XI, *epist.* 110) : « Nec hoc, inquit, in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per parochias conciliis Patrum providentia utilitatis causa sancitum est. Unde ne qua inter fratres dissensio, ne qua inter præpositos et subjectos sint fomenta discordiæ, in unum sacerdotes convenire necesse est, ut de incidentibus causis disceptatio, et sit salubris de ecclesiastica observatione collatio ; quatenus dum per hoc et præterita corriguntur, et regulam futuram suscipiunt, omnipotens ubique Dominus fratrum concordia collaudetur : cujus vobis adesse præsentiam, si hæc observabitis, scitote, quia scriptum est : *Ubi fuerint congregati duo vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Si ergo adesse dignatur ubi duo vel tres fuerint, quanto minus non deerit, ubi plures convenerint sacerdotes? Et quidem, quia de adhibendo bis in anno concilio Patrum sit regulis statutum, non latet; sed ne forte aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel tamen sine excusatione aliqua decernimus congregari, ut exspectatione concilii nihil pravum, nihil præsumatur illicitum. Nam plerumque, etsi non amore justitiæ, metu tamen examinis, abstinebitur ab hoc quod omnium notum est posse displicere judicio. »

XIX. Hæc itaque Transalpinis Ecclesiis, earumque rectoribus, a sede apostolica, de appellatione episcoporum ad hanc sedem apostolicam, et de presbyterorum ac diaconorum appellatione, si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, ad comprovinciales synodos, et dijudicatione regulari eorum in iisdem synodis, ante longissimæ ætatis annos usque ad nostra tempora servata, et a decessoribus ac prædecessoribus eorum secuta et exsecuta fuerunt. Quæ si etiam illis servata, et ab eis secuta et exsecuta non fuerint, nihil prodest eos secundum sacros canones et decreta sedis Romanæ pontificum, pro accusatis presbyteris de manifestis criminibus comprovinciales episcoporum synodos frequentare, sed faciet licenter quisque presbyterorum quodlibet, unde si fuerit redargutus, veniat Romam.

XX. Et quia pro singulis presbyteris episcopi Transalpini regulariter judicatis missos dirigere, et actionum documenta scribere non valent, nec testium necessarias personas, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel pro multis àliis impedimentis, huc producere, fiducialiter poterit mentiens quique innocentiam suam asserere, cum non erit qui mendacia ejus possit refellere. Unde, sicut præmisimus, legum et canonum conditores, prudentissime justissimeque viderunt, quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda, et per expressa regularum judicia discretissime judicanda, et post judicium conservanda. Maxime de subintroductione contra regulas mulierum : pro qua ab episcopis Transalpinis presbyteri regulariter judicati ad hanc sanctam Romanam sedem insciis suis episcopis veniunt, et eis epistolas eorum refragantes judicia deferunt, eosque vel comministros illorum ad hanc sedem ad conquerendum contra eos venire præcipiunt, quod nullis antiquorum legibus vel patrum regulis decretum fuisse legimus.

XXI. Quas epistolas sacris regulis obvias, ut in præfatione hujus opusculi commemoravimus, nec auctoritate apostolica fuisse missas, sed compilatas quorumcunque vafricia credimus. Non enim sibi ipsi sedes apostolica potest esse contraria vel diversa. De qua Gelasius papa dicit (*epist.* 11 *ad Dardan.*) : « Confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exsequi sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ et unamquamque synodum, et sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper, et retinet. » Et item (*epist.* 1) : « Cumque nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nil licere, et cum sedes apostolica superior his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est, quemquam vel pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat, et docere, satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. » Potest enim fieri ut illi qui in vicinis parochiis sunt hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui-

que juxta sacras regulas, ad manus impositionem, et ad synodos huc convenire solent, ipsi pro reclamatione contra presbyterorum suorum ad præfatam examinationem conveniant, sicut sacri canones ac leges præcipiunt, ut ad primatem uniuscujusque provinciæ, qui negotia videntur habere concurrant, vel ad synodum, qui se læsos existimant, quo non sit difficile testes producere, invitentur. Transalpinis autem, et aliis, qui in similiter longinquis regionibus commorantur, apostolica sedes, et sacrorum canonum promulgatores, loquente in eis sancto Spiritu, quæ sunt unicuique provinciæ possibilia et auctoritati convenientia, atque paci Ecclesiæ congruentia, tenenda et exsequenda discretissime præfixerunt.

XXII. Legimus etiam, quamvis rarissime, præceptum a sede apostolica, quosdam de longinquioribus parochiis specialis diœceseos Romani pontificis, ad cujus sollicitudinem universalis Ecclesia pertinet, propter contumaces contentiones aliquos invitatos fuisse : sed de Transalpinis regionibus, quibus decreta privilegia servari debent, tale quid pro presbyterorum et diaconorum appellatione a sede apostolica præceptum fuisse non legimus. De ecclesiasticis nihilominus privilegiis in epistolis beati Gregorii legimus ad Dominicum Carthaginensem episcopum (*lib.* XI, *epist.* 39) : « Vestra fraternitas, inquit, hoc postposita dubitatione retineat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus. Nec cuilibet, favente Christi gratia, ultra quam meretur impertior, nec ulli hoc quod sui juris est ambitu stimulante derogabo ; sed fratres meos honorare per omnia cupio, sicque studeo eos in honorem subvehi, dummodo non sit, quod alteri jure ab altero possit opponi. » Et alibi idem hinc dicit (*lib.* XI, *epist.* 37) : « Quod vero dicitis, vestris temporibus debere servari quæ a meis quoque decessoribus tradita atque custodita sunt, absit hoc a me, ut statuta majorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo. »

XXIII. Tandem hinc, præter antiquas regularum ac legum constitutiones, in promptu habemus synodalia capitula apostolicorum, Eugenii, anno imperii decimo tertio domni et genitoris nostri Ludovici, et anno decimo imperii Lotharii fratris nostri, mense Novembrio, atque Leonis IV, anno Lotharii tricesimo septimo, et Ludovici nepotis nostri anno quinto, mense Decembrio decreta, quibus præcipiunt, « ut si quispiam sacerdotum, id est, episcopus, presbyter, diaconus, vel etiam subdiaconus, de quacunque femina crimine fornicationis suspectus, post primam, secundamque et tertiam commonitionem (metropolitani, vel alterius episcopi, aut ejus cui subjacere videtur) inveniatur, fabulari cum ea, vel aliquo modo conversari canonice judicetur. » Quapropter unusquisque episcopus in tali re studiose ac diligenter curam habere debet, ne Ecclesia Christi a propriis possit sordidari ministris : quia cum propriam uxo-
A rem habere non permittitur, maxime ab omni femina sit abstinendus. Et item : « Sacerdos etenim, aut quivis alius in ordinem ecclesiasticum provectus, si in eo scelere inveniatur, quo abjiciendus existat, depositus providentia episcopi bene proviso loco constituatur, ubi peccata lugeat, et ulterius non committat. » Sic et magnus Leo papa, longe ante hanc constitutionem, auctoritate sacræ Scripturæ ad Hilarium Narbonensem decrevit (*epist.* 95, *ad Rusticum Narbon.*), « ut presbyteri vel diaconi lapsi ad promerendam misericordiam Dei, privatam expetant secessionem, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. »

XXIV. Cum hæc ita se habeant, non est perfunctorie attendendum vestræ pontificali auctoritati, et B nostræ imperiali potestati, quid prædecessores nostri de servandis sacris legibus et sanctis regulis decernentes constituerunt, ex quorum pluralitate, pauca numero, non pauca pondere hic censuimus ponere. De legibus namque Valentinianus, Theodosius et Arcadius decreverunt dicentes (I. II *Cod. Theod.*, *De Constitut. principum*) : « Perpensas serenitatis nostræ longa deliberatione constitutiones, nec ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus. Interpretatio. Leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere. » Et sanctus Cœlestinus paria de sacris canonibus dicit (*epist.* 3) : « Nulli, inquiens, sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum li- C bitu licentia populis permissa frangatur ? » Quia, ut Hilarius papa dicit (*epist.* 11, *ad Leontium*), « Non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur, cum exspectatio fructus nostri ministerii, non in latitudine regionum, sed in acquisitione ponatur animarum. » Et item, de legibus præfati Augusti (I. III *Cod. Th.*, *eod.*) : « Omnia constituta non præteritis calumniam faciunt, sed futuris regulam imponunt. Interpretatio. Omnes leges non ea quæ anteriori tempore facta sunt damnant, sed in futurum observanda constituunt. »

XXV. Et hinc Symmachus papa (*epist.* 1, *ad Æonium*) : « Dum ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum sit per diversos D antistites sacerdotium, quemadmodum priorum statuta a sequentibus convenit violari ? Huc accedit, quod hæc si eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem credimus pertinere, cujus omnis potestas infringitur, nisi universa, quæ a Domini sacerdotibus semel regulariter statuuntur, perpetua sint. Quod alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, et reborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim vicariis beatissimi Petri apostoli judicabitur esse reverentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, ea hisdem transeuntibus dissolvantur ? » Hæc igitur servemus nostris temporibus,

tanto gratius, quanto et Ecclesiæ et imperio erit capacius, et servando quæ legaliter ac regulariter gesta sunt, rata esse faciamus quæ legaliter, ac regulariter gesserimus.

XXVI. Suggerendum etiam vestræ summæ auctoritati necessarium credimus, ut de quorumdam episcoporum coercenda inconsideratione, alios decreto, generali instruentes, cautos efficiatis : ut quorum debent esse matura et perpensa judicia, non sint præcipites in proferendis sententiis, nec facile ac indiscrete, neque aliter nisi juxta sanctarum Scripturarum tramitem, traditionemque majorum, et pro evidentibus culpis, quemcunque a communione corporis et sanguinis Domini Dei nostri Jesu Christi, in quibus post unicum baptismum præcipue humanæ salutis reconciliatio et summa consistit, pro suis injuriis, vel animi sui motibus ac iracundia separent. Quoniam « ira sacerdotis, ut sanctus dicit Gregorius (*hom.* 17, *in Evang.*), nequaquam debet esse præceps et perturbata, sed magis ex consilii gravitate metuenda ; nec debent temere indiscussa judicare, nec passim dicta sine probatione credere, sed auctoris nostri facta pensare, cui cum omnia nuda et aperta sint, mala tamen Sodomæ noluit ante judicare, sicut sacra docet historia, quam probare, nos instruens me mala hominum ante præsumamus credere quam probare. »

XXVII. Sequantur autem in proferenda judiciali sententia sanctorum Romanæ sedis pontificum documenta, Leonis, atque Gregorii : « Beatissimo Petro, inquit Leo (*serm.* 3, *in Anniv. assumpt.*), a Christo dicitur : Tibi dabo claves regni cœlorum, et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis ; et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis. Transivit quidem etiam in alios apostolos jus istius potestatis, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit : sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicunque fertur ex ipsius æquitate judicium. Nec nimia est, vel serveritas, vel remissio, ubi nihil ligatum, nihil est solutum, nisi quod beatus Petrus, aut ligarit, aut solverit. » Hinc certa consideratione datur intelligi quia in judicando non est Petri privilegium, ubi non ex ipsius fertur æquitate judicium. Est igitur præjudicium, non judicium, quia non jure dictum, id est non justitiæ lege prolatum. Et S. Gregorius (*hom.* 26 *in Ezech.*) : « Sæpe agitur, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex vitæ fiat alienæ, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat, cum suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Unde fit ut ipse hac ligandi ac solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, et non pro subjectorum moribus exercet. Judicare enim digne de subditis nequeunt, qui in subjectorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Unde recte per prophetam dicitur : Mortificabant

A animas, quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt (*Ezech.* XIII). Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat, et non victurum vivificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. »

XXVIII. Qui beatissimus doctor Spiritu sancto repletus passim in dictis suis ostendit, quoniam episcopus, qui in ligando et solvendo interim arbitrium non sequitur judicis, ipse ligandi et solvendi potestate, quin et regno Dei se privat, si alligationis maledictum non judicio justitiæ, sed livore vindictæ depromit, Paulo attestante, qui dicit : *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI). Quia vero sacra Scriptura duobus modis maledictum memorat,
B aliud videlicet quod approbat, et aliud quod damnat, aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ, sancti viri, cum in excommunicationis alligatione maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto lividæ ultionis, sed ex justitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile Dei judicium aspiciunt, et mala foras exsurgentia, quia maledicto alligandæ excommunicationis ferire debeant, cognoscunt, et eo in alligationis ac excommunicationis maledicto non peccant, quod ab interno judicio non discordant. Contra excommunicationis maledictum, livore vindictæ depromptum, voce Pauli prædicantis admonemur, qui ait : *Benedicite, et nolite maledicere* (*hom.* XII 14), *quia neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 10). Nam si a quolibet non fortasse ex malitia, sed ex
C linguæ incuria, maledictionis verbum jaculatur in proximum, apud districtum judicem, a quo de otioso verbo ratio in die judicii poscitur, damnabilis est ille sermo, qui malitia non caret, et pœnalis est ille, qui ab utilitatis bonitate vacat, pensandum est magnopere quanta animadversione plectenda est ab episcopo, cujus sermo semper sale, id est sapientia, conditus esse præcipitur (*Colos.* IV, 6), jaculata in proximum injustæ alligationis excommunicatio, quæ potius vocanda est maledictio.

XXIX. Sequamur itaque Ecclesiæ sanctæ rectores, quorum dorsa mentium incudes sunt hominum peccatorum, dicente Psalmista : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (*Psal.* CXXVIII, 3), in separatione a communione, et reconciliatione sacramento-
D rum Christi, sacrum Nicænum concilium, et Africæ provinciæ canones, Siricii quoque, et Innocentii, atque Leonis decreta, et epistolam ipsius Leonis ad Theodorum Forojuliensem episcopum (*epist.* 59). Sed et quem de ecclesiastico ordine, clarescentibus gravioribus culpis, gradu privaverint, communione corporis et sanguinis Christi, ut canones præfixerunt, non privent. Hæc est enim, Scriptura dicente, *directa via, ita ut recti ambulent in ea, et nec stulti errent per eam* (*Isa.* XXXV, 8). De injuste siquidem excommunicantibus, vel excommunicatis, quid etiam lex Justiniana decernat, vestram sapientiam latere non potest.

EPISTOLA XXXIII.

AD EPISCOPOS RHEMENSIS DIOECESIS ET OMNES ECCLESIÆ RECTORES ET FIDELES.

Adversus Odacrum, cujus excommunicationem notificat.

(Ex Act. prov. Eccl. Rhem.)

Hincmarus episcopus ac plebis Dei famulus, cum collegis nostris venerabilibus diœceseos Rhemorum episcopis, omnibus Ecclesiæ sanctæ rectoribus atque fidelibus, ad quorum notitiam hæc sequentia poterunt pervenire: ut scientes a quibus, et qualiter, ac quotiens, et pro quibus excessibus Odacrus invasor Ecclesiæ Belvacensis, suffraganeæ nostræ metropolis, sit excommunicatus, ab ejus perniciosa communione se caveant, ne, ut scriptum est, picem tangentes inquinentur ab ea, et ovis morbida, nisi quantocius a sano grege fuerit separata, multos suo morbo inficiat.

I. Sicut longe ante prædictum est a Deo per Psalmistam: *Convallem tabernaculorum dimetiar* (*Psal.* CVII,) hoc est, ut catholici doctores produnt, universum orbem terrarum, qui vallis tabernaculorum pro habitaculis corporum dictus est, etiam priusquam Christus mundo per incarnationem illuxerit, dimensum fuisse legimus, quam dimensionem habemus. Et post, ut item ipse præcepit, *Distribuite*, inquiens, *domos ejus* (*Psal.* XLVII), videlicet universalis Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ, per custodiarum parochias distinctam cognoscimus, quam etiam distinctionem habemus. Unde sacri canones, spiritu Dei conditi, et totius mundi reverentia consecrati, decernunt dicentes (*conc. Antioch.*, an 341, *can.* 9): « Per singulas regiones episcopos convenit nosse metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere, » et reliqua quæ ibidem sequuntur. Et sanctus Bonifacius papa, explanans sextum capitulum msyticæ Nicænæ synodi, per quam sanctus Spiritus est locutus ait: « Metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. »

II. Propter nos autem homines, et propter nostram salutem, mediator Dei et hominum homo Christus Jesus ad homines dixit: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.*, 15); et item dicit: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor* (*Joan.*, X). Sanctam designans Ecclesiam ex circumcisione ac præputio sub se pastore vero, qui posuit animam suam pro ovibus suis, ipso angulari lapide uniendam. De cujus sanctæ Ecclesiæ ovili idem dicit: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, hic fur est et latro* (*Joan.*, 10). Qualiter autem et quo ordine quisque ad hujus sancti ovilis custodiam, id est ad regimen sanctæ ecclesiæ accedere ac provehi debeat, sacri canones patenter ostendunt. Videlicet ut operam dante interventore constituto, episcopo pastore viduatæ ecclesiæ, et a clero et a plebe, secundum apostolicam et canonicam formam, eligatur A futurus episcopus, qui sacris canonibus non valeat obviare, et cum decreto singulorum manibus roborato ad metropolitanum et cæteros provinciales episcopos, ipso interventore mediante, perducatur ad ordinationem, et sic communi cunctorum decreto rationabili, et secundum regulam ecclesiasticam comprobato, secundum quartum et sextum capitulum mysticæ synodi Nicænæ, et juxta vicesimum quartum capitulum Antiocheni concilia ordinetur, sicut et sanctus Gregorius multoties in regesto suo decernit. Quos sacros canones Odacrus, invasor per exteras potestates viduatæ Belvacensis ecclesiæ, contemnens atque conculcans pro nihilo duxit, et jam plus quam annum usurpans, sua tyrannica devestatione captivatam, contra magnum Chalce- B donense concilium sexcentorum triginta et eo amplius episcoporum, quod præcipit intra tres menses ordinationes episcoporum celebrari (*conc. Chalced.*, can. 25). Non reverens divinum judicium, nec pensans quantum periculum sit, quia in proxime præcedenti cœnæ Dominicæ die, multi ab Odone episcopo pro publicis criminibus in publica pœnitentia constituti, quod nisi ab episcopo fieri licet, sine reconciliatione et communione sacra gementes remanserunt, quanti sine canonico baptismo et episcopali consignatione relicti fuerunt, quantis rusticanarum parochiarum in tanto tempore presbyteris defunctis, ipsarum parochiarum parvuli sine baptismo perire potuerunt, quanti viri, quantæ feminæ, sine reconciliatione et sacri olei unctione atque sancta communione, et sine eorum animarum C per orationes solemnes commendatione de isto sæculo exierunt. Contra cujus diutinam pervasionem, ultra terminum constitutum a præfato magno concilio, sancti Dei, per quos sanctus Spiritus ea quæ ibi sunt diffinita decrevit, et jam cum Christo in cœlo regnant, terribiliter clamant, eos qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ et universalis hujus synodi quidquam ex his quæ sunt prohibiti perpetrare, decrevit sancta synodus a proprio hujusmodi gradu recedere. Et sanctus Gregorius ad Gallicanos episcopos scribens de hujusmodi impostore (*lib.* VII, *epist.* 110): « Dum, inquit, non officium sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit. Quod si sic licet, quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla D sollicitudo de moribus, nulla sit devita discussio? Ex qua re, si recte libraminis examinatione pensetur, dum improbe ad inanem gloriam locum festinat utilitatis arripere, eo ipso magis quod honorem quærit indignus est. Sicut autem is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus, sic qui ultro ambit, vel importune se ingerit, est procul repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo exterius interius in profundum descendat? »

II. Idem sanctum magnumque concilium decrevit (*conc. Chalced.*, can. 25): « Ut reditus viduatæ

ecclesiæ penes œconomum ejusdem ecclesiæ integre conserventur, » quos prædictus invasor Odacrus sine ulla divinæ legis reverentia usurpare præsumpsit. Quapropter cum aliis hujusmodi præsumptoribus ab eodem sancto et magno concilio percellitur, ut qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ et universalis hujus synodi quidquam ex his quæ sunt prohibita perpetrare, decrevit sancta synodus a proprio hujusmodi gradu recedere.

IV. Odacrus, relicto ecclesiastico judicio et sacrorum canonum diffinitione, per sæcularem potestatem invasor rerum et facultatum ecclesiasticarum Belvacensis Ecclesiæ, quæ secundum sacras regulas oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, et vota sunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum, ipse in se damnationis sententiam jaculavit, quia sicut sanctus Leo papa cum Romana synodo diffinivit (*epist.* 96) : « Quicunque sub regula positi, relicto ecclesiastico judicio, ad patrocinia laicorum convolare, et judicia eorum expetere, et prætermisso sacerdote suæ ecclesiæ, ad disceptationem sæcularium venerint, sacris liminibus, id est ab ecclesiæ aditis expelli, et a cœlesti arceri altario, id est a corpore et sanguine Christi separari jubentur. » Et canones sacri diffiniunt (*conc. Antioch.*, can, 2) : « Ut quilibet regulæ subjectus Ecclesiæ, præter consilium et litteras episcoporum provinciæ, et præcipue metropolitani, adierit imperatorem, hunc reprobari et abjici oportere, non solum a communione, verum et ab honore cujus particeps videtur existere. » Et sanctus Hilarus papa in decretis suis : « Non minus, inquit in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur. » Schismaticus igitur, ab unitate Ecclesiæ per sacrorum canonum contemptum, qui a sancto sunt Spiritu conditi et totius mundi reverentia censecrati, seipsum scindens, licet forte eodem cultu, eodem ritu credat ut catholici, in malo tamen suo per cupiditatem manet damnationis dissidio. Quantum autem sit malum dissidium schismatis, sanctus Augustinus in libro de Baptismo ex sacris demonstrat Scripturis hoc modo : « Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, et quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes hoc grave, hoc leve est, sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis tanquam de thesauris Dominicis, et in illa quid sit gravius appendamus, imo non appendamus, sed a Domino appensa recognoscamus. Tempore illo, quo Dominus prioria delicta recentibus pœnarum exemplis cavenda monstravit, et idolum fabricatum atque adoratum est, et propheticus liber ira regis contemptoris incensus; et schisma tentatum, idololatria gladio punita est, exustio libri bellica cæde et peregrina captivitate, schisma hiatu terræ sepultis auctoribus vivis, et cæteris cœlesti igne consumptis, quis jam dubitaverit hoc esse sceleratius commissum, quod est gravius vindicatum? » Quæ tria gravia commissa, et non levi punitione vindicanda, si diligenter sanctarum Scripturarum auctoritate intendimus, in hac tyrannica Odacri pervasione vacantis ecclesiæ invenimus. Apostolus namque dicit : *Avaritia, quæ est idolorum servitus* (*Coloss.* III). Et beatus Gregorius loquens de tentatione Dominica in Evangelii homilia, et altera sententia præfati apostoli ostendit avaritiam esse non solum pecuniæ, sed etiam altitudinis. Et Odacrus invasor vacantis ecclesiæ, quia secundum sacrorum canonum tramitem, ad provectum episcopalis ordinis, ut res et facultates ipsius ecclesiæ possideret, Deo judice, pervenire non meruit, per sæcularem potestatem prius res et facultatem ipsius ecclesiæ vacantis obtinuit, ut saltu quoquo modo ad altitudinem episcopalis nominis perveniret, et sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupivit. Non attendens, quia sic ab ipso Christo, summo pontifice, ac rege regum, sunt distincta potestatum officia, ut spiritalis actio a carnalibus distaret incursibus, et militantes Deo minime se negotiis sæcularibus implicarent, ac vicissim non illi rebus divinis præsidere viderentur, qui essent negotiis sæcularibus implicati. Et sæculares viri sacerdotum penderent judicio, non sacerdotes ad suam deberent redigere voluntatem : et sacerdotes sæcularium judicia discuterent, non autem sæculares sacerdotum judicia molestarent, sicut litteræ divinitus inspiratæ manifeste demonstrant, et Constantinus magnus imperator in Nicæno concilio se illorum judiciis subdens ostendit. His igitur ita se habentibus, Odacrus per avaritiam et altitudinis, et possessionis, in pervasione vacantis ecclesiæ idololatra esse ostenditur. Per Moysen de Domino dicitur : *In dextera ejus ignea lex* (*Deut.* XXXIII). « In sinistra, inquit Gregorius, reprobi qui et ad sinistram ponendi sunt, dextera autem Dei appellantur electi. In dextera ergo Dei lex ignea est, quia electi mandata cœlestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt. » Et Apostolus dicit : *Deus noster ignis consumens est* (*Hebr.* XII); et Dominus: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat ?* (*Luc.* XII). Ignem Dominus in terram mittit, cum afflata Spiritus sancti corda carnalium incendit. Spiritus igitur sanctus ignis est. Et sacri canones, sicut legimus, sancto sunt Spiritu conditi, quos Odacrus facibus suæ cupiditatis succensus, cum non per spiritalem ecclesiasticam traditionem, sed per carnalem sæculi potestatem pastore vacantem ecclesiam usurpavit, Spiritum sanctum quo facti sunt conditi canones, reclamante Scriptura : *Spiritum nolite exstinguere* (*I Thess.* V), quantum ex ipso est exstinguere procuravit, et auctoritatem sacrorum canonum, ne vigeret in ecclesia sua molitione quasi incendere attentavit. Quia vero cum catholicæ unitate Ecclesiæ, a quo propter suos excessus sicut ostendimus et in reliquum ostendemus, est excommunicatus, sacros canones totius mundi reverentia consecratos non sequitur, sicut ex suprascriptis sacris sententiis manifestatur, schismaticus esse negari non potest, sicut sanctus Augusti-

nus in tractatu Evangelii secundum Joannem ostendit A « Habemus, inquiens, sanctum Spiritum si amamus Ecclesiam, amamus autem, si in ejus compage et charitate consistimus. » Et in epistola concilii ad Donatistas : « Quisquis a catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præjudicant aliena peccata. *Quia unusquisque* in ea *proprium onus portabit* (*Gal.* v), sicut dicit Apostolus. *Et quicunque in ea corpus Christi manducaverit indigne, judicium sibi manducat et bibit (I Cor.* XI). Cum enim dicit *judicium sibi manducat*, satis ostendit quia non alteri judicium manducat, sed sibi, quia communio malorum B non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensu factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam et personam suam, non præjudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis. » Qui vero ex quocunque statu, vel quocunque ordine schismati ejus favent, attendant et appendant diffinitionem apostolicæ sedis, quam decretis suis inseruit dicens, « Quisquis, inquit, assentit principi schismatis, schismaticus esse negari non poterit. Quod et si omnes sacerdotes et mundus assentiat, damnatio consentientes involvit, non prævaricationem consensus absolvit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cum generale fit ex privato. Hoc enim Deus omnium indicavit, qui mundum peccantem generali diluvio interemit. » Isdem vero, ut jactant C fautores sui, et applaudunt ei complices præsumptionis suæ, non proponens Deum ante conspectum suum, persuadet sibi tenere et usurpare res ac facultates a se invasæ ecclesiæ, etiamsi ad nomen episcopale pervenire nequiverit, assumentes in augmentum suæ damnationis exempla de quibusdam ecclesiis, quæ quorumdam principum temporibus diu sine pastore vacarunt, sua opera quasi ex mortuis pellibus, ut beatus demonstrat Gregorius, credentes muniri, dum pravitatem suam ex alienis pravitatibus tuentur. Quia enim talia contigisse considerant, se hæc facere licenter putant, quod schisma esse contra traditionem ecclesiasticam et sacrorum canonum constitutionem patenter ostenditur. Quod sanctus Gregorius in Evangelii homilia D redarguit dicens : « Sunt nonnulli, qui dum plus terrenam substantiam quam oves diligunt, merito nomen pastoris perdunt, quia non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascunt. Mercenarius quippe est, qui locum pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur, et pro eo ipso quod in regimine laborat, hic quod quærit inveniat, et ab hæreditate gregis in posterum alienus existat. »

V. Cæterum quia cognata sunt schisma et hæresis, sicut etiam solemnes orationes universalis Ecclesiæ in die sancti parasceves aperte demonstrant, annuente veritate ostendere procurabimus, quia nec a damnatione simoniacæ hæreseos est immunis. Dominus dicit in Evangelio de largiendis sacris ordinibus : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x). « Præsciebat, inquit beatus Gregorius, nonnullos hoc ipsum donum accepti Spiritus in usum negotiationis inflectere, et miraculorum signa ad avaritiæ obsequium declinare. Hinc est enim, quod Simon magus per impositionem manus edita miracula conspiciens, percipere donum Spiritus sancti pecunia voluit, scilicet ut deterius venderet quod male comparasset. Unde bene cum justum virum describeret propheta ait : *Qui excutit manus suas ab omni munere* (*Is.* XXXIII). Neque enim dicit, qui excutit manus suas a munere, sed adjunxit *ab omni*, quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est, subjectio indebite impensa, munus a manu pecunia, munus a lingua favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. » Unde Dominus vendentes et ementes ex templo eliminat, quia vel eos pro munere impositionem manuum tribuunt, vel eos qui donum Spiritus emere nituntur damnat. Vendentes quippe in templo sunt, qui hoc quod quibusdam jure competit ad pretium largiuntur. Ementes vero in templo sunt, qui dato patronis præmio emunt peccatum. Hinc est quod sacri canones simoniacam hæresim damnant, et eos sacerdotio privari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Et cum prima contra sanctam Ecclesiam simoniaca hæresis sit exorta, cur non videtur quia eum quem cum pretio ordinat provehendo agit ut hæreticus fiat? sacri namque canones et ordinantes et ordinatos pro munere, sed et interventores irrefragabiliter damnant, sicut lector in secundo capitulo magni Chalcedonensis concilii poterit invenire. Nos quidem non incerta relatione sæpe fatum Odacrum, non solum pecuniam, sed et res per non ignotas personas pro percipiendo episcopali ordine obtulisse comperimus. Et sanctus Augustinus in libro de utilitate credendi ait : « Hæreticus est qui alicujus temporalis commodi et maxime gloriæ principatusque gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur. Ille autem qui hujusmodi homini credit, homo est imaginatione quadam pietatis illusus. »

VI. In privilegio Belvacensis Ecclesiæ, consensu domni Karoli nos episcopi quatuor provinciarum, Rhemorum scilicet, Rhotomagensium, Turonorum ac Senonum, majorum exempla secuti, canonica et episcopali auctoritate decernentes subscripsimus, « Ut nulla sæcularis potestas de rebus episcopii Belvacensis Ecclesiæ præsumat. Si quis vero regum, sacerdotum, et judicum, atque sæcularium personarum, hanc constitutionis paginam cognoscens

contra eam venire tentaverit, reum se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicita acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Dei Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. » Et in hac constitutione nostra Domini nobis adfuisse præsentiam credimus, secundum promissionem suam qua dicit : *Ubi fuerunt congregati duo aut tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Si ergo adesse dignatur ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine suo, quanto magis non deerit, ubi plures auctoritatem illius sequentes conveniunt vel consentiunt sacerdotes ? Qui autem ex his qui jam ad Dominum perrexerunt in sedibus eorum successerunt, sicut sanctus Siricius in decretis suis demonstrat, in eorum labores curasque debent succedere, et quæ antecessores eorum statuerant regulariter, conamine summo defendere. Nam, inquit Symmachus papa, « Dum ad Trinitatis instar, cujus, una est atque individua potestas, unum sit per diversos antistites sacerdotium, quemadmodum priora statuta a sequentibus convenit violari ? Huc accedit quod hæc si eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem credimus pertinere, cujus omnis potestas infringitur, nisi universa quæ a Domini sacerdotibus semel statuuntur perpetua sint, quod alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, et roborando quæ gesta sunt faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim vicariis beatissimi Petri apostoli judicabitur esse reverentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, iisdem transeuntibus dissolvantur ? »

VII. In privilegio domni papæ Nicolai, quod tempore Odonis episcopi ecclesiæ Belvacensi contulit, ad locum ita scriptum est : « Nullus itaque regum, nullus judicum, nullus cujuscunque sæcularis potentiæ dignitate fultus, in rebus vel villis vel agris vel mancipiis, vel quidquid ad monasteria ibidem descripta collatum fuerit, potestatem habeat vel dominandi vel accipiendi, vel auferendi, præter episcopum Belvacensis, qui per tempus fuerit eidem prælatus ecclesiæ : sed quidquid in auro vel in argento, vel in quacunque supellectili, vel in omni facultatis substantia ipsis est monasteriis hodie delegatum, vel futuris temporibus fuerit collatum, episcopi Belvacensis distributioni et ordinationi fiat subjectum, nec alterius potestatis jus vel dominatio super eis potestatem aliquam, nisi quantum divina auctoritas et lex et justitia permittit, obtineat......... oculis ad ignem perpetuum vadat. Unde ipsi et suis complicibus inculcanda est sententia beati Gregorii, quam in epistola Græcorum partibus contra quatuor male sentientium capitula posuit, qui anathematizati cum aliis perniciosis persuadebant sibi anathematis vinculo non teneri. « Ipsi, inquit, sibi testes sunt quia Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ quam præstat fidelibus veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia per omnia despiciendi et anathematizandi sunt, et unde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur, eosque et ego, et omnes catholici episcopi, atque universa Ecclesia, anathematizamus, quia veritati contrariæ sentiunt et contraria loquuntur. »

VIII. Sacri denique Nicæni canones decernunt, de his qui communione privantur, seu ex clero seu ex laico ordine (*conc. Nic. an.* 325, *can.* 5) : « Ab episcopis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur. » De cujus magni concilii privilegio sanctus Hilarius et beatus Ambrosius mirabiliter scribunt ; sed et magnus Leo papa dicit (*epist.* 106, *ad Anatol.*, c. 2 et 4) : « Tanto, inquiens, divinitus privilegio Nicæna est synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. » Et item (*epist.* 53) : » Sancti illi et venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, et si quid usquam aliter quam illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur. » Et item idem in decretali sua epistola (*epist.* 12, *ad episc. Afric.*, *c.* 2) : « Beati Pauli apostoli per Spiritum Dei emissa præceptio est, qua in persona Timothei omnium Christi sacerdotum numerus eruditur, et proinde unicuique nostrum dicitur : *Manus nemini cito imposueris, neque communices peccatis alienis* (*I Tim.* V); » et paulo post : « Quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinationem, qualis ille est qui non meruit ordinari ? sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo sacerdote judicium, ita gravi semetipum afficit damno, qui in suum collegium assumit indignum. Non ergo in cujusquam persona prætermittendum est, quod institutis generalibus continetur, nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit contra divinæ legis præcepta collatus. » Et item idem : « Superflue extra Ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intus sunt in eis quos decipiunt vulneramur. Oportet etenim nos evangelici meminisse præcepti, quod ab ipsa veritate præcipitur, ut si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizaverit manus, a compage corporis auferatur, quia melius sit his in ecclesia carere membrorum, quam cum ipsis in æterna ire supplicia. »

Abjicienda prorsus pestifera hæc a sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit, sicut Heli quondam sacerdos, filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis divinæ justitiæ sententiam meruit experiri, quia segni indulgentia dissimulavit plectere peccatores. Igitur

juxta præceptum Levitici, in quo leprosi domorum lapides a sacerdote inspici, et qui ex eis purificari nequiverit, jam inter immundos computari, ac de ordine mundorum lapidum præcipitur erui, et de cœlesti ædificio, videlicet sancta Ecclesia, velut indignus abjici, ac divino examine alius qui dignus est in loco illius substitui, quia sæpe fatus Odacrus non est clericus Rhemensis nostræ provinciæ, et contra sacras leges et regulas vacantem pastore suffraganeam metropolis nostræ ecclesiæ invadere præsumpsit, et reditus ecclesiæ viduatæ, quas magnum Chalcedonense concilium penes œconomum ejusdem ecclesiæ integre conservari præcipit, sacrilege usurpavit, cum diffinito judicio ipsius concilii, et excommunicatione episcoporum quatuor provinciarum, insuper et domni papæ Nicolai apostolicæ sedis pontificis, a nobis evangelica et apostolica atque canonica auctoritate sit excommunicatus, ut nunquam vel nusquam in provincia metropolis Rhemorum Ecclesiæ in gradu ecclesiastico ministret, et si in pertinacia suæ pervasionis de cætero manere præsumpserit, nunquam vel nusquam in Rhemensi provincia cum aliquo Christiano communicet, neque corpus et sanguinem Christi, nisi forte, juxta mysticam Nicænam synodum (*can.* 13), in exitu positus viaticum munus sacræ communionis accipiat.

EPISTOLA XXXIV.

AD JOANNEM EPISCOPUM CAMERACENSEM.

De Hunoldo et malæ famæ presbyteri purgatione.

(Apud Sirmond., ex codice S. Laurentii Leodiensis.)

HINCMARUS Rhemorum episcopus ac plebis Dei famulus, dilecto fratri et venerabili coepiscopo JOANNI salutem.

Iste presbyter, nomine Hunoldus, dixit mihi quia presbyteros habens cum quibus famam suam sacramento purgare voluit de quadam femina, et quoniam examinationis judicium noluit facere, ut illi presbyteri cum eo securius jurare possent, sacerdotale ministerium interdictum est illi. Unde qualiter in nostra parochia ex auctoritate majorum tenemus, tuæ dilectioni mandamus. Sicut S. Gregorius decrevit, per idoneos testes sacramento inquiritur de malæ famæ presbytero, ut inde scientes nec mendacium dicant, nec veritatem reticeant; et exceptis accusatoribus, et sex testes jurent. Et post hoc juramentum, non interrogamus de concubitu presbyteri cum quacunque femina, quia nec hoc canones habent, sed de accessu et frequentatione, ac cohabitatione cum feminis contra interdictum sacrorum canonum, unde mala suspicio et inconveniens sacerdoti fama exivit. Et post illorum testimonium, septimus testis, si conditio vel qualitas personæ permittit, ad judicium exit, quod illi sex veritatem inde per sacramentum dixerunt: quia multi jam deprehensi apud nos habentur, quoniam pretio conducti se perjuraverunt. Et si hoc modo presbyter convictus fuerit de inconvenienti cohabitatione contra leges et canones cum femina, deponitur, sicut sacræ

A præcipiunt regulæ. Accusatores autem ac testes ad accusandum vel ad testificandum tales suscipiuntur secundum Africanum concilium, quales publicæ leges in mallo vel audientia ad accusandum et ad testificandum admittunt. Si autem mala fama ex similitudine per parochiam de presbytero exierit, et accusatores et testes legales defuerint, ne contra Apostolum infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, et ne vituperetur ministerium nostrum, neque securiores presbyteri existentes licentius in peccatum labantur, secundum decreta majorum, cum denominatis sibi vicinis presbyteris, quos scimus se nolle perjurare sacramento, famam suam purget. Si autem denominatos a nobis sibi presbyteros ad famam suam purgandam habere ne-
B quit, et alios ad secum jurandum conduxerit, quoniam experti sumus quosdam ad invicem conspirasse, ut reputati mutuo in sua purgatione jurent, sicut et presbyteri, pleni iniqua cogitatione adversus Susannam conspiraverunt, coram misso nobis credibili, presbyteri, qui in purgatione infamati sacerdotis se una cum eo ad jusjurandum offerunt, examinationem judicis per advocatum infamati presbyteri recipiunt, ut in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc jam revictos comperimus. Invocatio autem super eum qui ad judicium exit talis habetur, quod ipse presbyter talem accessum et frequentationem et cohabitationem contra sacros canones cum illa femina non habuerit, unde mala suspicio et inconveniens sacerdoti fama merito posset exire. Sicut enim vitiosi presbyteri, suadente diabolo, adinve-
C niunt, ut in mansis suis de alode, vel naturali, vel comparato, feminas habeant, quæ illorum pannos lavant, et vestimenta illis faciunt, et interdum etiam claves facultatum illorum prævideant, sicque cum eis inconvenienter cohabitent, ita, sicut sanctus Augustinus dicit, varia morborum genera nova quærere cogunt medicamentorum experimenta, ut quia interdicto canonum et legum obaudire non curant, censuræ severitate ab eis discedere timeant. Data XV Kalend. Apriles, indictione VII.

EPISTOLA XXXV.

AD OMNES FIDELES.

Godbaldi presbyteri de femina convicti depositio.

D (Apud eumdem, ex veteri codice sancti Laurentii Leodiensis.)

HINCMARUS episcopus ac plebis Dei famulus.

Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ rectoribus, ministris quoque ac filiis, ad quos hæc poterunt pervenire, quia Godbaldus quondam presbyter parochiæ nostræ, de quadam femina nomine Doda criminatus, et idoneis testibus comprobatus, et secundum sacros canones ad judicium provocatus, de ipso judicio conscientia sua redargutus fuga lapsus est. Propterea secundum sacros canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, omni sacerdotali officio est privatus, docente beato Bonifacio papa (*epist.* 11): « Quod si adesse ne-

glexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto et toties delegato judicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata toties constet absentia. » Data ex synodo in Rhemensi metropoli habita x Kalend. Maias, indict. xii

EPISTOLA XXXVI.

AD OMNES FIDELES.

Fulcheri et Hardoisæ ob incestas nuptias excommunicatio.

(Apud eumdem, ex veteri codice sancti Laurentii Leodiensis.)

Hincmarus episcopus ac plebis Dei famulus.

Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ rectoribus, ministris quoque ac filiis, ad quos hæc poterunt pervenire, quia Fulcherus et Hardoisa, carne propinqui, contra legis præcepta et prophetica dicta, contraque evangelicam et apostolicam atque canonicam regulam, sed et contra leges humanas, non conjugio sed incestu, carnali commistione conjuncti sunt, sicut idoneis et veracibus testibus, computata utriusque cognatione comprobatum est. Et quia obedire divinis et humanis legibus noluerunt, ut se ab ipso incestu disjungerent secundum sacros canones, a sacra communione corporis et sanguinis Christi, et ab omni Christianorum societate abjecti sunt, usque dum, Domino respiciente, a laqueis diaboli, a quo capti tenentur, per pœnitentiam separati, ab ipso incestu resipiscant, decernente B. Gregorio (Gr. junior., *can.* 8 *et* 9) : « Si quis, inquit, consobrinam suam duxerit in conjugio, anathema sit; et responderunt omnes tertio : Anathema sit. » Et item : « Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit; et responderunt omnes tertio : Anathema sit. » Vos, fratres ac filii, qui litteras non didicistis, scitote quid sonat in nostra lingua anathema, id est *alienatio*, ut a Christo, a quo nominantur Christiani, et a Christianorum societate atque communione sint tales alieni, donec ab illa illicita conjunctione se separent, et per pœnitentiam et sacerdotale ministerium Christo et sanctæ Ecclesiæ, id est, Christianis reconcilientur. Progeniem vero suam divinæ leges unumquemque Christianum usque ad septimam generationem, et quandiu se cognoscunt affinitate propinquos, observare decernunt, ut nemo ex propria consanguinitate conjugem habeat, vel quam ex propria consanguinitate aliquis conjugem habuit vel aliqua illicita pollutione maculavit, quia incestuosus est talis coitus et abominabilis Deo et cunctis hominibus. Et incestuosos a liminibus sanctæ Ecclesiæ præcipiunt separari, usquedum per satisfactionem precibus sacerdotum, eidem, ut præmisimus, sanctæ Ecclesiæ canonice reconcilientur. Si autem ab hoc incestu, in quo perditi jacent, separare se voluerint, quia sicut sacræ leges dicunt, incestus nullo conjugii nomine deputatur, si se continere non potuerint, post pœnitentiam et reconciliationem, quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. Quandiu autem in ipsa illicita conjunctione permanserint, nullus Christianus quocunque modo eis communicet, quia cum talibus cuicunque Christiano nec communem cibum sumere licet. Propterea, fratres ac filii, omnes scilicet Christiani, separate vos ab omnimoda eorum communione, ne, quod absit, communicantes illis pariter pereatis. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur, cum et inter jumenta hoc fieri sciatis, ut ea quæ scabiem habere videntur, separentur a sanis, ne illorum morbo cætera damnentur vel pereant. Et dicente Domino : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* xxxiii, 21), si antequam se ab hoc incestu separent, quisquam in infirmitatem deciderit, et vel sic jam in desperationem de vita temporali devenerit, si vel tunc ex corde pœnituerit, et coram Deo et sacerdote ac fidelibus hominibus confessus fuerit, et fidejussores dederit, ut si de ipsa infirmitate convaluerit ulterius ad illam incestam conjunctionem non rediet, cum aliis peccatis suis de hoc incestu puram confessionem faciat, et a sacerdote reconcilietur, et sancto oleo ungatur, et communio corporis et sanguinis Christi ei largiatur. Si vero in hac pertinacia usque ad mortem permanserit, et sine reconciliatione et communione corporis et sanguinis Christi quisquam eorum mortuus fuerit, sine psalmis et hymnis atque orationibus, et non cum aliis Christianis sepeliatur : quia sicut sancto Spiritu inspirante scriptum legimus, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus. Data ex synodo in Rhemensi metropoli habita, decimo Kalendas Maias, indictione duodecima.

EPISTOLA XXXVII.

AD ENGILGARIUM VIRUM ILLUSTREM.

Illum arguit quod hominem suum inconvenienter jurare coegerat.

(Apud eumdem, ex Flodoardi, lib. iii, cap. 26.)

Hincmarus episcopus Engilgario salutem.

Pervenit ad nos quia hominem tuum Ratramnum irrationabiliter et inconvenienter periculosum sacramentum jurare fecisses : qui licet tibi servitium debeat, tamen sub nostra cura et tu et ille de salute vestra esse debetis. Propterea mando tibi quia valde miror te non intellexisse gravius esse periculum cum hominem aut suadendo aut terrendo in perjurium mittas, quam si te solus perjurares, quoniam in te unum perjurium, imo pro perjurio homicidium perpetrares : cum autem alium perjurare facis, et te et illum perdis. Et ideo mandamus ut si ita causa habetur sicut ad nos pervenit, ab ecclesia et altario te abstineas donec ad nos venias, et de tali incautela aut dignam excusationem facias, aut dignam pœnitentiam accipias.

EPISTOLA XXXVIII.

AD ANASTASIUM ABBATEM.

Romam missa cum increpatorias papæ litteras accepisset.

(Apud eumdem, ex codice ecclesiæ Laudinensis.)

HINCMARUS Rhemorum episcopus sanctissimo et fidissimo fratri ANASTASIO religioso abbati plurimam in Salvatore salutem.

Multis infirmitatibus et anxietatibus pressus pauca scribo cui multa debeo, et quem multum diligo ac de quo multum confido. Cœterum epistolæ domni apostolici, per Egilonem venerabilem archiepiscopum nobis directæ, ad nostra scripta respondentes, in quibusdam aliter sonuerunt, quam nos suæ sanctitati et auctoritati scripserimus. Sed certus sum quia non aliter ipse nobis rescripsit, nisi ut in scriptis ex nostra parte sibi porrectis invenit. Nos tamen, vera exemplaria eorumdem scriptorum a nobis missorum habentes, de quibusdam causis non ita scripsimus, sicut habere scriptis ejus relegimus. Unde si et in his scriptis, de synodo apud Trecas sub sigillis quinque episcoporum, consensu omnium qui interfuerunt directis, aliter, quod futurum non credimus, a quocunque fuerit missum, vel contra ea transmissum, hic venerabilis frater et coepiscopus noster Actardus vera exemplaria scriptorum ejusdem synodi ex authenticis accepit, quæ domno apostolico monstrare si fuerit necesse valebit. Quæ forte collata his, quæ Leoni papæ ab episcopis provinciarum Cisalpinarum, et a Lothario imperatore, sed et a rege Carolo directa fuerunt, de quorum exemplariorum sensu hæc missa episcopi collegerunt, ut autumo, non discordare intellectu invenientur, quanquam mitius quædam scripserint qui gestis non interfuerunt, quam illi qui ea quæ gesserunt, Sergio papæ mittenda et Leoni missa scripserunt. Et de restitutione Ebonis per edictum Lotharii imperatoris in scriptis suis ideo non miserunt, quoniam ipsi episcopi, quorum ibidem nomina sine illorum subscriptionibus sunt adnotata, eidem qualicunque restitutioni se non interfuisse dixerunt, sicut et Rothadus modo in synodo apud Trecas dixit. Est etiam, quoniam et a Sergio post eamdem restitutionem damnationis sententiam in eum prolatam legerunt, sicut codex episcopalis, et litteræ domni apostolici per Egilonem nobis missæ demonstrant. Sed et de charta transmigrationis ad aliam parochiam, a Gregorio papa præfato Eboni facta, nihil in prædictis eorum scriptis habetur, quoniam in istis nostris regionibus antea visa non fuit, nisi modo, cum dilectus frater noster Vulfadus apud Trecas eam nobis ostendit : quæ utrum a Gregorio, cui successit Sergius, data fuerit an non, ex scrinio sanctæ sedis Romanæ ut credimus sciri valebit. Ordinatores quoque mei Rhemensis provinciæ suffraganei episcopi, sæpe passim, sed et in synodo professi fuerunt eidem Eboni, non communicasse in his unde fuerat excommunicatus, nisi modo frater Rothadus, ut quidam putant, causa erga me zeli, qui eumdem Ebonem damnavit, et me elegit, ac cum cæteris episcopis ordinavit, et qui dicitur dicere quod quidam episcopi a sæpedicto Ebone annulos et baculos acceperint, cum quædam synodus Gallicana quæ Toletana vocatur dicat : Episcopus, presbyter, aut diaconus, si a gradu suo injuste dejectus in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat, quoniam coram altario de manu episcoporum, si episcopus est, orarium, annulum et baculum, et sic demum de reliquis persequitur gradibus. Unde constat quia isdem Ebo dejectus, secundum hanc constitutionem, ab episcopis annulum et baculum accipere, et non episcopis dare debuerat. Et quia Scriptura dicit : *A filiis tuis cave, et a domesticis tuis attende* (*Eccli.* XXXII, 28), et unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam ; et *inimici hominis domestici ejus (Mich.* VII, 6), ego per missum meum exemplaria scriptorum nuper in synodo apud Trecas factorum mitterem, ne forte ab amicis meis, quorum infestationem patior, aliqua fortassis erga me in eis compilentur, si solide, propter quorumdam principum erga me commotionem, quibus ad sua vota placere non audeo, sicut hic præfatus venerabilis et consacerdos noster vobis viva voce dicere potest, valerem. De quo charissimo et fidissimo fratre, et venerabili ac prudenti episcopo, vestram peto indubiam charitatem, ut domno apostolico, et patri nostro Arsenio, et cæteris familiaribus vestris eum commendetis, et ejus necessitatibus atque rationabilibus petitionibus pro viribus concurratis. Et quoniam, quando ad synodum apud Trecas veni, non putavi eum cum legatione synodali ex ipsa synodo Romam iturum, talia vel ita condigna exenia mecum non attuli, ut domno apostolico, et carissimo Patri nostro Arsenio, ac vobis condigne mittere possem ; et post synodum ad civitatem nostram infirmus remanens in quadam Ecclesiæ nostræ villula, redire ante profectionem illius non potui, ne in totum vos quantulacunque benedictiuncula visitare dimitterem, pro nostræ exiguitatis memoria mitto vobis per eum crusnam de pellibus variis, cum panno coloribus vario, qua... *Cætera perpauca desunt.*

EPISTOLA XXXIX.

AD CLERUM ET PLEBEM BELLAVACENSEM.

Pro episcopi elatione.

(Ex Act., prop. eccl. Rhem.)

HINCMARUS sanctæ metropolis Ecclesiæ Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, clero et plebi in parochia Belvacensi consistenti.

Quia defuncto dilecto, vel venerabili, confratre ac sacerdote nostro, patre videlicet ac pastore vestro Odone, electione canonica a domino nostro rege vobis solita benignitate concessa, necesse erit ut de eligendo atque constituendo vobis pastore, vel doctore atque rectore, secundum ecclesiasticas regulas, votis nostris in unum Domino mediante convenientibus, præmissis jejuniis et litaniarum obsecrationi-

bus, tractare quantocius maturetis : et exorato eo a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, quique facit unanimes habitare in domo, ita vos cum studiis hujus venerandi fratris ac coepiscopi nostri [a], cui secundum institutionem canonicam visitatoris officium in Ecclesia, cujus amore vel vigore fovemini, delegavimus, in electione regulari concorditer ; ut pastore vos diutius destitutos non doleatis. De cujus videlicet a nobis consecrandi episcopi electione, pro imposito nobis ministerio, et cura totius provinciæ secundum mysticæ Nicænæ synodi canones delegata, fraternitati vestræ auctoritatem divinitus promulgatam intimare satagimus, Primo scilicet, ut decretum sine visitatoris præsentia nemo conficiat, cujus testimonio clericorum ac civium possit unanimitas declarari. Deinde, ut de ecclesia vestra, sive sit in civitate, sive in monasteriis, his disciplinis institutum, et ita apostolicæ formæ convenientem, de diaconibus vel presbyteris eligatis vobis, auctore et fautore Domino, consecrandum episcopum, sicut cum de eligendo atque constituendo episcopo ageret, Tito et Timotheo Paulus depingit apostolus. Et si, quod absit, de civitatis ac parœciæ vestræ clericis, ordinandus episcopus nullus dignus, vel idoneus summo sacerdotio, quod evenire non credimus, poterit inveniri : tunc alterum de altera diœceseos nostræ ecclesia, unde nobis secundum Africanum concilium *(can.* 22), sine cujusquam contradictione, ordinandi quemquam canonice electum et petitum est attributa licentia, eligere, procurate ; qui merito vitæ et scientiæ doctrina vobis præesse valeat, et prodesse : quique sacris canonibus præcipue capitulo Carthaginensis concilii (*conc. Carth. an* 398, *can.* 1) : Qualis debeat ordinari episcopus, non debeat obviare ; et a decretis Patrum, Siricii videlicet, Innocentii, Cœlestini, Leonis, Gelasii, atque Gregorii, quantum patitur humana fragilitas, et poteritis conspicere, non valeat quoquomodo discrepare. Si etiam de alterius diœcesi archiepiscopi, vel parœcia episcopi, quempiam vobis notum proficuum et utilem eligere malueritis : necesse vobis erit, cum beneplacito illius episcopi, cujus intererit, et litteris canonicis petitum obtinere, et ad nos illum mediante visitatore vestro examinandum adducere ; quatenus, si congruus sacris canonibus inventus fuerit, vobis ordinetur episcopus. Ante omnia autem cavete in electione pontificis malum simoniacæ hæreseos, ne pro dato aliquo, vel promissione illicita, neque pro gratia cujuscunque vel familiaritate aut propinquitate alicujus, quempiam attentetis eligere. Non eum, cui nulla natalium, nulla morum dignitas suffragetur : vel qui originali, aut alicui conditioni obligatus detineatur. Neminem ex laicis neophytum, id est noviter attonsum, et sine disciplina, vel non per tempora constituta ad ecclesiasticos gradus provectum. Quod ideo specialiter designamus, quia cum canones dicant : « Nullus ex laicis ordinetur ; » demonstrant quod non de omnibus sit laicis constitutum. Neque enim clerici nasci, et non fieri possunt ; sed designata sunt genera, de quibus ad clericatum pervenire non possunt : id est si quis fidelis militaverit ; si quis fidelis causas egerit, hoc est, postulaverit ; si quis fidelis administraverit ; si quis vir ante servivit ; si quis publicam pœnitentiam pro culpis criminalibus egit ; si quis bigamus, vel maritus viduæ fuit, vel si concubinam, vel pellicem novit. Cavete nihilominus ne illitteratum, vel alicujus hæreseos peste corruptum, ac aliquorum membrorum damna perpessum ; non negociatorem clericum, aut inhonestis et turpibus lucris incubantem, aut horrendis quibusdam criminibus implicatum vel diffamatum, vel dæmoniis similibusque passionibus irretitum, eligere attentetis : sed domui Dei dignum, fidelem atque prudentem ministrum dispensatorem eligite. Quatenus interius exteriusque decenter ornatus, formam vivendi vobis religiosa conversatione demonstret, et sana doctrina, inter hujus mundi ac tribulationum tenebras, recto calle gradiendi sine offensione ad portum salutis æternæ lumen manifestare prævaleat ; et contra barbaricam infestationem, si quod absit, acciderit, vobis ferre auxilium prudentia sciat, virilitate valeat, temperantia consulat : et sic exteriora administret, ut interiora non deserat ; sic interioribus serviat, ut exteriora penitus non relinquat ; et ambidexter, contemplationi mente inserviat vitæ activæ servitiis intentus, ut fidelis servus et prudens, conservis in tempore tritici mensuram, id est modum verbi fidei, probate dispenset. Non solum in prædicationis sermone, ac conversationis exemplo, verum in cunctis saluti ac vitæ necessariis necessaria et opportuna prævideat.

Hujusmodi autem, quantum Dominus dederit, ipso cooperante electum cum visitatore vestro, præsente scilicet confratre nostro, et cum decreto canonico, ad humilitatis nostræ sollicitudinem examinandum adducite : quia, ut longe ante nos dictum est, non est facile dimittendus, cui est proximus committendus. Prænoscere vos denique volo, quia si personam a sacris canonibus deviam scienter nobis adduxeritis, non solum ex ea pontificem non habebitis, verum etiam pro illicita electione, ut contemptores canonum, judicium incurretis. Sed et nostro ac coepiscoporum nostrorum judicio refutate rationabiliter electione vestra incongrua, talem secundum Laodicenses canones studebimus eligere, qui vestris vitiosis voluntatibus non valeat consentire. Quia sicut bene petentibus dicit Dominus : *Petite, et accipietis* (*Matth.* VII), ita et per apostolum male petentes redarguit, dicens : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis* (*Jac.* IV). Petite, fratres, a Deo, ut vobis pastorem secundum cor suum tribuat. In cujus electione si non plus temporalia quam spiritualia commoda studueritis attendere, gratiam suæ electionis electioni vestræ, bonorum operum et piorum studiorum auctor et cooperator studebit ac-

[a] Hadeberti Sylvanectensis episcopi.

commodare, qui non sicut homo tantum in facie, sed singulorum corda scrutatur, et renes. Cui est honor et gloria, potestas et imperium, in sæcula sæculorum, Amen,

EPISTOLA XL.

Fragmentum.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Quales judices constituere debeat ad causas inter ecclesiasticos et sæculares dirimendas.

(Apud Sirmond.)

Regia igitur sollicitudo, a Rege regum et æquissimo judice Deo ut in directione cordis judicium judicet constituta, provide sollicitequé studere debet, ut tales judices cum episcopis ad causam inter ecclesiasticos et sæculares dirimendam eligat et constituat, qui religiosi sint et Deum timeant, et non muneris præmio, non favoris vel propinquitatis aut amicitiæ gratia, non indebitæ subjectionis obsequio, non alterius partis odio, personam accipiant in judicio, sed absque contentione ac livore, sicut ipsa Veritas dicit, non secundum faciem, sed justum judicium judicent : et hoc non in publico judicii loco, sed in privato, quia episcopi, non in consistorio regum, non in prætorio judicum, nec nisi ab episcopis, aut in synodo, aut in privato loco, a primatibus deputatorum aut a se electorum judicum judicio debent aut possunt regulariter judicari. Et prætaxato modo supradictas leges, tam publicast quam ecclesiasticas, in suis temporibus servari decrevisse didicimus antiquos imperatores et prædecessores ac progenitores vestros episcopis et viris ecclesiasticis, et nobis vestra dilectissima et benignissima dominatio servaturam se et verbo et subscriptione promisit in Carisiaco, ubi hoc capitulum consultu ac consilio fidelium vestrorum, tam episcoporum quam et laicorum condidistis, et ei subscripsistis dicentes : Quantum sciero et rationabiliter potuero, Domino adjuvante, unumquemque vestrum, secundum suum ordinem et personam, honorabo et salvabo, et honoratum ac salvatum absque ullo dolo et damnatione vel deceptione conservabo. Et unicuique competentem legem et justitiam conservabo. Et qui illam necesse habuerit, et rationabiliter petierit, rationabilem misericordiam exhibebo, sicut fidelis rex suos fideles per rectum honorare et salvare, et unicuique competentem legem et justitiam in unoquoque ordine conservare, et indigentibus et rationabiliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere. Et pro nullo homine ad hoc, quantum dimittit humana fragilitas, per studium aut malivolentiam, vel alicujus indebitum hortamentum deviabo, quantum mihi Deus intellectum et possibilitatem donaverit. Et si per fragilitatem contra hoc mihi subreptum fuerit, cum hoc recognovero, voluntarie illud emendare curabo. Nos autem fideles vestri, episcopi et cæteri laicalis ordinis qui adfuerunt, hoc capitulum, et vobiscum condidimus, et ei subscripsimus unusquisque profitendo : Quantum sciero et potuero, Domino adjuvante, absque ulla dolositate, aut seductione, et consilio et auxilio, secundum meum ministerium, et secundum meam personam fidelis vobis adjutor ero, ut illam potestatem, quam in regio nomine et regno vobis Deus concessit ad ipsius voluntatem, et ad vestram ac fidelium vestrorum salvationem, cum debito honore et vigore tenere et gubernare possitis.

EPISTOLA XLI.

Fragmentum.

AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

Pro Bertulfo Trevirensi archiepiscopo.

(Apud eumdem, ex Flodoardi, lib. III, cap. 25.)

Proinde sicut non leve discrimen incumbit pontificibus siluisse pro Divinitatis cultu quod congruit, ita regiæ potestati, quod absit, non mediocre periculum est, si cum debeat parere refugi quod ei ex divina voce a sacerdotibus nuntiatur, Domino dicente in Evangelio : *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Si autem vobis aliquis minus devotus suggessit, quod in eadem metropoli, in contemptu vestro, vel contra fidelitatem vestram, metropolitanum pontificem ordinari fecimus : quin potius consensu unanimitatis nostræ ipsi secundum sacros canones ordinavimus, quia, ut scriptum est, sicut Deus loci angustia non continetur, ita verbum ejus non est alligatum, collaudante Redemptore ac Salvatore nostro, quod centurio in hoc sensu dixerat : *Dic verbo, et sanabitur puer meus*(*Matth.* VIII, 8), videlicet quod hic dixeris, illic fiet. Qui in discipulis suis hodieque nobis, licet indignis, loquitur : Spiritus Patris vestri loquitur in vobis, qui replet orbem terrarum. Nolite credere, quæsumus, prava suadenti, quia pro certo sciatis non in contemptu vestro, neque contra fidelitatem vestram, in eadem metropoli sede pontificem ordinavimus ; sed perpendentes, quod et vas melius sectis, quanta et per quanta tempora ipsa Ecclesia desolata et destituta sit, et quanta contra Dei voluntatem, non solum in eadem parochia, sed et in tota provincia ad eam pertinente, increverint, cum nihil canonice sine primate suffraganei episcopi agere valeant, nisi quod ad proprias parochias pertinet, ibidem commoditatem regularem invenientes canonice pontificem ordinavimus : quod et secundum divinas leges agere possent atque deberent ipsius metropolis suffraganei, si tanti numeri forent, ut per se regulariter possent ordinare pontificem, qui non minus quam a tribus prævalet regulariter ordinari. *Prosequitur etiam, depromens auctoritates sanctorum Patrum, quibus fulti hoc egerant; et subinde* : Et quia tot in eadem provincia suffraganei non erant episcopi, ut metropolitanum regulariter ordinare valerent, quoniam Ecclesiæ Rhemensis et Trevirensis comprovinciales atque sorores, et ex auctoritate et ex antiqua consuetudine habentur, ea conditione, ut qui prior eorum fuerit episcopus ordinatus, prior etiam habeatur in synodo, et sibi mutuo consilio et auxilio fovean-

tur, atque fulciantur, Trevirensis provinciæ episcopi a primate provinciæ Rhemorum solatium suæ ordinationis secundum sacras regulas quæsierunt, sicut sancti Sardicenses canones dicunt *(cap.* 5), scilicet « ut si contigerit in una provincia, in qua plurimi fuerunt episcopi, unum forte remanere episcopum, et populi convenerint, episcopos vicinæ provinciæ debere illum prius convenire episcopum, qui in ea provincia moratur, et ostendere quod populi petant sibi rectorem, et hoc justum esse, ut et ipsi veniant et cum ipso ordinent episcopum. Quod si conventus litteris tacuerit et dissimulaverit, nihilque rescripserit, satisfaciendum esse populis, ut veniant ex vicina provincia episcopi, et ordinent episcopum. » Ex quibus rite colligitur quia si provincia Trevirensis non nisi unum vel nullum haberet episcopum, episcopi Rhemensis provinciæ petenti clero et populo Trevirensis. Ecclesiæ deberent ordinare episcopum. Cui Ecclesiæ omnes nos, quorum nomina præscripta in capite hujus epistolæ legit gloria vestra, unanimi voto atque consensu, fratrem et consacerdotem nostrum Bertulfum, ut præmisimus, regulariter pontificem ordinavimus, sicut ex sacris regulis et ordinationis ejus gestis ostendere possumus, et si necesse fuerit, ostendemus. Quapropter ipsius ordinationem, et dispositionem rerum ac facultatum ecclesiasticarum, sicut sacri præfigunt canones, ita defendimus, et perpetuo defendemus, sicut et ordinem nostrum, quia si ipse non est episcopus, nec nos debemus nominari episcopi. Et si quis voluerit contra ordinationem ejus sinistri quippiam dicere, exeat et dicat, verumtamen memor communionis suæ; quia aut ipse non communicabit ecclesiastico et episcopali ordini, aut nos non communicabimus ministerio episcopali.

Unde verbis beati Leonis Theodosium Augustum quondam alloquentis : Vos, Christianissime et venerabilis nobisque charissime rex, cum consacerdotibus nostris alloquimur; implentes reverentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officio, cupientesque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis a nobis et ab Ecclesiis nobis commissis supplicatur, ne ante tribunal Domini rei de silentio judicemur, obsecramus coram unius deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cum ipsa vestri sit custos et auctor regni, et coram sanctis angelis Christi, ut in eo statu et immunitate seu privilegio cum suo pontifice Trevirensem Ecclesiam esse jubeatis, atque conservetis, quo vestri progenitores atque prædecessores, sed et in quo frater ac nepos vester Lotharius, pater scilicet ac filius, canonice conservaverunt : quatenus et vos meritum inde apud Deum, et beatum apostolorum principem Petrum, in cujus honore ecclesia ipsa est consecrata, habeatis, et nos amplius debitores in orationibus et cæteris debitis obsequiis acquiratis; quia nisi pro vestra reverentia hoc differremus, jam in pervasorem ipsius Ecclesiæ judicium in terris exertum haberemus, quod sexcenti et triginta episcopi in magna Chalcedonensi synodo de hujusmodi decreverunt, et de cœlo super eum intentant, et in judicio divino ad æternam damnationem exerent, nisi dignam pœnitentiam egerit. *Et cætera de auctoritatibus sacrorum canonum. Post quæ subjungitur* : Unde vestra religiosa et nobis charissima dominatio certissime sciat, qui quandiu iste frater noster Bertulfus a nobis in Trevirensi Ecclesia ordinatus episcopus in hoc mortali corpore vixerit, alter in eadem Ecclesia ordinatus episcopus non erit : nisi forte ipse, quod absit, sacris regulis obvians, per easdem sacras regulas deponatur : et isdem præsumptor et apostata monachus Walto de monasterio Trevirensis parochiæ, nunquam, jam judicio Spiritus sancti super eum prolato, in Trevirensi Ecclesia, quam exitiabiliter usurpavit et læsit, poterit esse episcopus. Et si, ut diximus, pro vestra reverentia hoc non differremus, non solum per sacros canones decerneremus, ut nunquam et nusquam ad gradus ecclesiasticos præsumeret accedere, verum sub anathemate eum ponentes, retrudi in ergastulo secundum sacras regulas decerneremus : et si in contummacia sua perstiterit, sine ulla retractatione modis omnibus decernemus. A præfactis autem intentationibus sacrorum canonum vos immunem atque exortem a Domino, per quem reges regnant, et ex quo et per quem exordium sacer cœpit episcopatus, fieri totis nisibus exoramus, illius clementiam deprecantes ut det vobis velle et perficere pro bona voluntate quæ præcepit, quatenus mereamini percipere æterna gaudia, quæ se diligentibus repromittit.

EPISTOLA XLII.

Fragmentum.

WILIGISO ET CÆTERIS MONACHIS S. DIONYSII.

Quod pretium pro decima quæri non debeat.

(Apud eumdem, ex Flodoardi, lib. III, cap. 25.)

Absit, fratres, ut alii ecclesiastici et religiosi viri hoc audiant, quia monachi de monasterio sancti Dionysii decimam vendere quærunt, ut de ipso pretio infernum comparent. Multo magis autem absit ut hoc laici audiant, quod nemo etiam peccatis publicis implicatus in mea parochia facere audet. Si enim aliquis de alio monasterio quam de nostro hoc tentare, quanto magis facere præsumeret, ab omni communione illum de parochia mea excommunicarem, *et cætera.*

EPISTOLA XLIII.

Fragmentum.

AD TEUDULFUM COMITEM.

Ecclesiam pretio vendere non præsumat.

(Apud eumdem, ex Flodoardi, lib. III, cap. 26.)

Propterea scias quia si vel unum denarium tibi aliquis clericus pro ipsa ecclesia, vel pro alia aliqua in mea parochia, per se aut per immissam personam dederit, per me ordinatus in ea non erit. Si autem vis ibi habere presbyterum, adhuc mihi talem clericum qui aptus sit sacro ministerio, et ego illum inquiram, et illi ecclesiam dabo, et tunc illum ordi-

nabo, si mihi satisfactionem fecerit quod nullum pretium inde donaverit. Et si tu ita facere non volueris, ergo ordinado qualiter populus ibi officium habeat, usque dum ibi ordinem presbyterum. Cui si aliquod impedimentum contra divinas et humanas leges feceris, et manifestum fuerit, presbyter ibi permanebit, et tu et omnes qui tibi consenserint, ab omni Christianitate usque ad satisfactionem eritis separati. Hæc, chare fili, ideo mando tibi, et aliter commoneo, quia salvum et honoratum te cupio, et inter filios Ecclesiæ te in loco filii habere volo, et si me coegeris, ut sicut Dominus dicit in Evangelio, sis velut ethnicus et publicanus, non mihi sed tibi reputare debebis. Postquam istas litteras dictavi, dictum est mihi quod matricularios a ministro meo constitutos de illa matricula ejecisti, et ibi Bonarium misisti, et pro illa matricula in pretio unum asinum accepisti. Quod si ita est, non solum criminaliter fecisti, quia contra omnes leges ecclesiasticum ministerium homo laicus usurpasti, et eleemosynam, id est misericordiam pauperum, ac per hoc Deum, qui misericordia miserorum est, sicut Judas proditor, vendidisti; sed etiam turpiter in hoc nimis fecisti, ut de mendicitate, de qua mendici vivere debent, comes et honoratus regi consiliarius in pretio asinum accepisti, et omnes qui hæc audiunt, pensare possunt qualiter de aliis causis pro amore et timore Dei, et reverentia tui ministerii, juste et recte facis, qui de tali miseria sine ulla verecundia turpe lucrum requiris.

EPISTOLA XLIV.

Fragmentum.

AD IRMINGARDEM AUGUSTAM CONJUGEM LOTHARII IMPERATORIS.

De eo quod apud Lotharium falso accusatus fuerat infidelitatis.

(Apud eumdem, ex Flodoardi lib. III, cap. 27.)

Ego scio quia ei multa de me dicta fuerunt contraria, sed si vult poterit cognoscere non esse vera; tamen non eum audeo reprehendere, quia dominus est, nec in ejus persona dico, sicut legitur in Scripturis: *Qui libenter audit verba mendacii, ministros quoque habebit impios* (*Prov.* XXIX, 12); videlicet qui de erga eum piis voluntarie loquentur impia. Qui illi ea dixit ex mea parte quæ mihi mandastis, aliter quam verum sit dixit, male autem interpretatus est bene dicta. Si voluisset cognoscere verum, et aliquis missus mihi de sua parte veniret, ut vera ex me cognosceret, sicut venit et me qualemcunque Christi Domini sacerdotem suggillavit, libentissime suo animo satisfacerem. De meo autem misso, sicut dominatio benignissima vestra mandavit, ut ad eum dirigam qui ei hoc affirmet, quod de ejus infidelitate nihil velim tractare, scitis quanta mendacia nunc per istud vadunt sæculum, et quanta sinceritas debeat esse in sacerdote, et quantam merito domno meo velim servare fidelitatem. Et idcirco ne mali interpretes male nonum interpretentur, hoc adhuc facere non possum. Tamen, si vult credere domnus meus Lotharius, potest veraciter cognoscere quia non tantum illi, sed nulli homini in mundo sum infidelis; et si vult credere, credat: sin autem, cum ille inter principes, et ego inter episcopos, ante Regem regum et Episcopum episcoporum venerimus, tunc quid inde verum sit, plenissime sine alicujus judicatione cognocet, *etc.*

EPISTOLA XLV.

Fragmentum.

ROTRUDI ET CÆTERIS SORORIBUS MONASTERII S. CRUCIS ET S. RADEGUNDIS.

Pro electione abbatissæ ipsius monasterii.

(Apud eumdem, ex Flodoardi lib. III, cap. 27).

Propterea diligite sorores ante omnia, et in privatis collocutionibus, et in publico vestro conventu, remititte et abjicite funditus a cordibus vestris omnes injurias, et scandalorum fomites, quæ hactenus inter vos ortæ fuerunt, ut nulla de sonore sua vindictam, aut pro sermone, aut pro facto, vel pro aliquo despectu quærat, aut a Deo, aut in sæculo. Quia sicut Dominus protestatur, sine concordia quidquid ei obtuleritis non illi placebit. Sive enim craveritis, sive sacrificium obtuleritis, sive vos afflixeritis, sine hac charitatis concordia nihil Deo placabile erit, quia sicut Apostolus dicit: Etiamsi tradidero corpus meum ut ardeat, charitatem non habeam, nihil sum (*I Cor.* XIII, 3). Et scitis quia regula quam professæ estis, propter scandalorum spinas quæ oriri in monasterio solent, orationem Dominicam in matutinis et vespertinis officiis, ita ut omnes illam audiant, a priore orari præcepit, ut timentes convenientiam qua dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, omnem rancorem de corde nostro pellamus. Quæ dum prius egeritis, ne per vestram discordiam, quod absit, regularis electio de vestro monasterio pereat, adunate vos ad Dei voluntatem, et regularis devotionis unanimitatem, vestramque ipsam salutem, præsentem scilicet atque æternam, cum charitatis concordia, quæ est omnium virtutum mater, et cum humilitate, quæ est custos ipsarum virtutum, atque cum vera obedientia, quæ scala est qua ad cœlum pertingitur, et in vobis salubri electione concordate, et vosmetipsas ad regularem normam reducite, et constringite ac conservate: quia aliter, sicut melius ipsæ scitis, salvæ esse nequaquam valetis. Et sicut animos ab inquietis motibus, ita et linguas a provocativis iracundiæ vobisque nocivis sermonibus custodite, contestante Apostolo: Omnis clamor et indignatio a vobis auferatur, cum omni malitia, et omnis sermo malus ex ore vestro non procedat (*Ephes*, IV, 30, 31); ne sicut solent homines, prius dolore commoti, et postea aliquo gaudio, quasi victoriosi obtinentes quæ desideraverant, exhilarati, de quocunque homine quæ non conveniunt aliqua vestrum dicat: ne et patientiæ meritum inutilibus sermonibus coram Deo perdatis; et si aliquis fuerit qui aliqua provocatione quamcunque vestrum ad

hoc instigare voluerit, ut quæcunque indebita de quocunque proferat, qualiter illam comprehendere possit, ut rationabiliter damnare prævaleat, locum nec diabolus nec astutus homo exinde aliquo modo habeat. Sed tales vos exhibete ut, interius exteriusque decenter ornatæ, dignas atque exaudibiles orationes et pro vobis et pro seniore ac domina vestra, proque non solum amicis vestris, verum etiam et pro inimicis ad aures Domini mittere valeatis.

EPISTOLA XLVI.

AD ÆNEAM PARISIENSEM EPISCOPUM.

De ordinatione Bernonis, Parisiensis acolythi.

(Ex Actis prov. eccl. Rhem.)

Nostri fratres de monasterio sancti Dionysii, per licentiam domini abbatis Ludovici, ad educandum atque erudiendum commiserunt mihi quemdam adolescentem nomine Bernonem quem vestra fraternitas acolythum ordinavit. Propterea, quoniam sine vestra licentia eum nolumus in nostra Ecclesia diutino tempore immorari, petimus dilectionem vestram ut de illo nobis litteras canonicas faciatis, quatenus eum in Ecclesia nostra possimus regulariter ordinare.

EPISTOLA XLVII.

AD CAROLUM REGEM.

Ut clero et plebi Silvanectensi novi episcopi electionem permittat, et visitatorem designet qui præsit electioni.

(Apud Labb. Conc., VIII, pag. 1866.)

Domini Carolo regi glorioso sit semper salus et vita.

Septimo Idus Junii, circa horam secundam, venerunt tres clerici et duo laici Silvanectensis Ecclesiæ ad exiguitatem meam, innotescentes eamdem Ecclesiam, fratre et consacerdote nostro Erpoino defuncto, viduatam esse pastore; ferentes etiam ipsius Ecclesiæ tam cleri quam plebis petitionem ut eis pastor secundum sacras regulas tribuatur. Quos interrogavi si verbum haberent de pace [*f.*, de parte] cleri ac plebis Ecclesiæ ipsius ex aliqua designata persona : qui responderunt se non aliam petitionem ex parte sociorum suorum afferre, nisi ut apud solitam misericordiam vestram, liberam illis ac regularem electionem obtinere satagerem, quatenus secundum sacras regulas ille, canonico visitatore directo, ab omnibus Ecclesiæ ipsius alumnis valeat eligi, cui debeat ab omnibus obediri. Ego autem, licet, ut præfatum est, sacerdotem vestrum Erpoinum per fratrem Hildeboldum compresbyterum nostrum octavo Idus Judii defunctum audierim, non tamen statui antea dominationi vestræ quidquam inde suggerere, aut pro eadem Ecclesia postulare priusquam secundum regularem morem ab ea legatos acciperem. Quia, ut Leo in decretis suis dicit (*cap.* 49) : « Si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providente scienterque curandum est ut in domo Domini nihil sit inordinatum nihilque præposterum, quanto magis elaborandum est ut in electione ejus, qui supra omnes constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non sit in capite. Ubi est illa beati Pauli apostoli per Spiritum Dei emissa præceptio, qua in persona Timothei omnium Christi sacerdotum numerus eruditur, et proinde unicuique nostrum dicitur : *Manus nemini cito imposueris, neque communices peccatis alienis* (*I Tim.* v). Unde religiosa sapientia vestra inter alia hæc duo decreta beati Leonis sagacissime ponderabit, quibus dicit ut in domo Domini nihil sit inordinatum nihilque præposterum. Quæ si idem sanctus et sapiens ita aperte non poneret, subtilitas intellectus vestri sufficienter enuclearet. Propterea, domine reverentissime ac clementissime, dignetur mihi dominatio vestra litteris suis significare quem vultis de coepiscopis nostris, ut ei ex more litteras canonicas dirigam, et visitatoris officio fungens in eadem Ecclesia electionem canonicam faciat; et aut per se, aut per litteras suas, vicario suo deferente, camdem electionem, cum decreto canonico singulorum manibus roborato, ad me referat, ut per me ipsa electio ad dominationis vestræ discretionem perveniat. Et quia in domo Dei, ut ex verbis Leonis præmisimus, nihil auctoritas patitur inordinatum esse nihilque præposterum, cum vota concordia cleri ac plebis in electione regulari, vel vestræ dominationis consensum cognoverimus, litteras metropolitanæ auctoritatis super electionem certæ personæ ad coepiscopos Rhemorum diœceseos dirigemus, certum diem et locum eis designantes, quando et quo ad ordinationem ipsius electi aut ipsi conveniant, aut litteras sui consensus per presbyterum aut diaconum vice sua transmittant.

EPISTOLA XLVIII.

AD HEDENULPHUM LAUDUNENSEM EPISCOPUM.

Ut visitatoris officio fungatur in electione episcopi Cameracensis.

(Apud Labb. ibid.)

Hincmarus sanctæ metropolis Ecclesiæ Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, dilecto fratri ac venerabili coepiscopo nostro Hedenulpho salutem.

Dilecto fratre ac venerabili consacerdote nostro Joanne Ecclesiæ Cameracensis defuncto, hortor ac moneo dilectionem tuam, frater charissime, ut ejusdem Ecclesiæ officio visitatoris nostræ humilitatis metropolitana delegatione suscepto, ad eamdem Ecclesiam quantocius studeas properare, ac assiduis hortationibus clerum plebemque Ecclesiæ publice admonere festines, ut remoto privato studio, uno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant ac eligant sacerdotem, qui et tanto ministerio dignus valeat reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Formam autem electionis, qualiter et qualem eligere debeant, tuæ dilectioni transmitto, quam publice coram omnibus tua solertia relegi faciat, ne de ignorantia se quilibet excusare prævaleat. Quæ electio non tantum a civitatis clericis erit agenda, verum et de omnibus monasteriis

ipsius parochiæ, et de rusticanarum parochiarum presbyteris, occurrant vicarii, commorantium secum concordia vota ferentes, sed et laici nobiles ac cives adesse debebunt, quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri. Et si post lectionem formæ electionis a nobis per tuam dilectionem eis transmissæ, concordes omnes in quamcunque regularem personam inveneris, moneas eos decretum canonicum ab eis fieri, ac sigillatim omnium manibus roborari; et cum decreto canonico, atque cum tantis qui sufficienter omnium vice testimonium electo ferre possint, cum eis mandavero, eumdem electum ad nos adducere curent.

EPISTOLA XLIX.

AD HADEBERTUM SILVANECTENSEM EPISCOPUM.

Ut visitatoris officio fungatur in electione episcopi Bellovacensis.

(Apud Labb. ibid.)

Eadem est ac præcedens, hoc tantum discrimine quod sub initium adjecta est mentio consensus regii hoc modo : Officio visitatoris, consensu domini nostri Ludovici regis, nostræ humilitatis, etc. *Sub finem vero, verbis illis omissis,* cum eis mandavero, *paulo longius excurrit in hunc modum :* Eumdem electum ad nos adducere tecum examinandum procura. Tua autem dilectio, frater charissime, solerti cura in hac electione invigilet : præsertim cum nobiscum tibi necesse erit ei qui ordinandus est manus imponere; qui bene nostri præceptionem beati Pauli apostoli per Spiritum Dei emissam, qua in persona Timothei omnium Christi sacerdotum numerus eruditur : proinde unicuique nostrum dicitur : *Manus nemini cito imposueris, neque communices peccatis alienis* (*I Tim.* v, 22), etc.

EPISTOLA L.

AD CLERUM ET PLEBEM CAMERACENSEM.

Ut canonicam electionem faciant cum visitatore sibi designato.

(Apud Labb. ibid,)

Hincmarus sanctæ metropolis Ecclesiæ Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, clero et plebi in parochia Cameracensi consistenti.

Quia defuncto dilecto et venerabili confratre ac consacerdote nostro, Patre videlicet ac pastore vestro Joanne, necesse est ut de eligendo atque constituendo vobis pastore et doctore secundum ecclesiasticas regulas votis nostris in unum Domino mediante convenientibus, præmissis jejuniis ac litaniarum obsecrationibus, tractare quantocius maturetis, et exorato eo a quo est *omne datum optimum, et omne donum perfectum*, quique facit unanimes habitare in domo; ita vos una cum studiis hujus venerandi fratris ac coepiscopi nostri, cui secundum institutionem canonicam visitatoris officium in Ecclesia cujus amore ac vigore fovemini, delegavimus, in electione regulari concorditer uniatis. Talem autem vobis futu- A rum pastorem eligite, qui merito vitæ et scientiæ doctrina vobis præesse valeat et prodesse, quique a canonibus sacris non discrepet. De cujus electione decretum canonicum unanimi voto agere, et sigillatim omnium vestrum manibus in præsentia hujus visitatoris vestri roborare satagite.

EPISTOLA LI.

CLERI ET PLEBIS LAUDUNENSIS AD HINCMARUM RHEMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Pro ordinatione Hedenulfi.

(Ex Actis prov. Eccl. Rhem.)

Domino reverendissimo et sanctissimo Hincmaro archiepiscopo, cæterisque nostræ diœceseos sanctis B Patribus et episcopis, clerus Laudunensis, cum totius parœciæ plebibus, et sibi conjunctis præsulibus, æternam in Domino Jesu Christo salutem et pacem.

Canonicis regulis et apostolicis institutionibus statutum esse recolimus, ut quoties quælibet civitas ministerio pontificalis dignitatis caruerit, proprioque pastore vacaverit, cum decreto electionis, singulorum petentium manibus roborato, metropolitanum adire pontificem debeant, et de substituendo, in loco ejus qui decessit, pastore, petitione supplici commonere, quatenus et civitas sollicitudine pastorali destituta proprio recuperetur pontifice; et qui ordinandus est, gratiosius possit accedere : quia cui debet ab omnibus obediri, utique debet et ab omnibus eligi; ne civitas non optatum episcopum aut C contemnat, aut oderit; et fiat minus religiosa, quam convenit, cui non licuit habere quem voluit : hi vero qui ordinaturi sunt, in quiem viderint omnium vota propensius concordare, promptius liberiusque illi manus imponere possent. Quapropter cum decreto nostræ electionis manibus singulorum nostrorum roborato ad paternitatem vestram accedentes, Hedenulfum Ecclesiæ nostræ filium, et in Ecclesia nostra, suffragantibus stipendiorum meritis, ad onus usque sacerdotale promotum, vita et moribus ac sancta conversatione idoneum approbatum, quem per licentiam vestram, favente Christianissimo imperatore Carolo, pari consensu ac concordi devotione, atque unanima voluntate elegimus, per manus vestras, ac cæterorum vestræ diœceseos sanctorum episcoporum, consecrari, nobisque et Ecclesiæ nostræ docto- D rem atque pontificem institui imploramus, precamur ac petimus. Elegimus autem eum nobis fore pastorem quem apostolicæ formæ, qua episcopum ornatum beatus Paulus esse oportere demonstrat, congruere, et sacris non obviare canonibus Christi gratia cooperante confidimus. Oramus sanctam paternitatem vestram nunc et semper in Christo bene valere.

Datum quinto Kalendas Apriles, in basilica sanctæ Mariæ genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, anno Incarnationis ejusdem Domini nostri Jesu Christi 876, regni domni Caroli imperatoris XXXVI, et imperii primo, indictione nona.

EPISTOLA LII.

AD CLERUM ET PLEBEM LAUDUNENSEM.

De ordinatione Henedulfi Laudunensis episcopi.

(Ex Actis prov. eccl. Rhem.)

HINCMARUS sanctæ metropolis Ecclesiæ Rhemorum episcopus, clero, ordini et plebi in sancta Laudunensi Ecclesia consistenti, in Domino pacem et salutem.

Sicut beatus papa Innocentius docet, oportet nos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, a qua principium sacræ institutionis nos accepisse dubium non est. Propterea documento ac verbis beati Gregorii vos alloqui procuramus, insinuantes quia probabilibus desideriis vestris nihil attulimus tarditatis, fratrem jam et coepiscopum nostrum Hedenulfum vobis ordinantes, præsentia vel consensu ac litteris coepiscoporum totius nobis commissæ provinciæ, secundum sacros canones, sacerdotem, pastorem quoque atque rectorem. Cui his litteris, quas sacri canones, ordinatos prius de conciliorum placitis, ne se aliquid contra eorum statuta egisse pœniteat, instructos, ab ordinatoribus suis, manibus eorum conscriptas jubent accipere, secundum traditionem ecclesiasticam dedimus in mandatis, ne unquam ordinationes præsumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem, si de conjugatis agendum est, non est sortitus uxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut ex publice pœnitente aut curiæ vel cuilibet conditioni obnoxium, notatumque, ad sacros ordines permittat accedere. Sed et si quos hujusmodi forte repererit, respectu divino non audeat promovere. Alienum etiam clericum sine voluntate et consensu episcopi sui contra sacras regulas non sollicitet, non suscipiat, non in sibi commissa Ecclesia ordinet: nec eos qui probatæ fidei non fuerint, sacris ordinibus præsumat quoquo modo applicare. In ordinatione autem presbyterorum ac diaconorum, cæterorumque ecclesiastici ordinis ministrorum, a totius muneris, id est a manu, a lingua, aut obsequio indebito, juxta quod Dominus per prophetam præcipit, quantum patitur humana fragilitas, mundas et cordis et corporis manus exhibeat: ne uno eodemque gladio et dantem et accipientem munus interimat, et illicito munere polluens manus, aliis se benedictionem credat tribuere, cum fuerit jam propriæ iniquitati substratus, et sua nihilominus ambitione captivus. Ab eis etiam quos ordinaverit indebitum et contra sacras regulas sibi sacramentum fieri non compellat. Sed sicut Dominus, præscius nonnullos accepti sancti Spiritus donum in usum negotiationis inflexuros, præcepit dicens: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* XX). Quod *gratis*, id est sine ulla venalitate dati vel accepti, aut etiam promissi vel sperati muneris, quantum ex nobis est, (cæterum ipse viderit habens conscientiæ suæ testem, quem habebit et judicem) per ministerium nostræ exiguitatis accepit, suis etiam comministris gratis conferat, sciens ex Evangelio quid Redemptor noster per seipsum fecerit: videlicet quia ingressus templum cathedras vendentium columbas evertit. Columbas enim vendere, est de Spiritu sancto, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Quod qui agere præsumit, suam Deo judice cathedram ipse evertit, et quos cum precio ordinat, provehendo agit ut secum et ipsi simoniaci hæretici fiant; et pro benedictione maledictionem a beato Petro apostolorum principe Simoni Mago, qui donum sancti Spiritus pretio emere voluit, juste illatam, una cum ipso, per ipsum, a quo non benedicuntur, sed maledicuntur, judicio ejusdem Spiritus sancti suscipiant. Et quoniam, sicuti comperimus, quidam diversis adinventionibus turpia lucra sectantes, quod ministris altaris minime convenit, defunctis presbyteris, juxta quod didicerant viduatas ecclesias facultates habere, exenia pro his obtinendis exegerunt; et gradus ecclesiasticos eis non tribuebant antequam illis eadem exenia persolverentur; et synodos temere frequentabant, ut factione ministrorum suorum diverso modo denarios quasi pro eulogiis acciperent; et, quod dictu nefas est, etiam pro sacri chrismatis dispensatione, vel de ecclesiarum consecratione, quæcunque emolumenta ingenio caperent; et necesse est ut contra pestifera morborum genera, salubria medicamentorum quæramus experimenta: sicuti et de manus impositione, ita et de hac simoniacæ hæreseos ingeniosa et male studiosa collatione, quiddam eum accipere interdicimus, monentes illum attendere comminationem Domini per prophetam dicentis: *Ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea et succendatur, et non sit qui exstinguat propter malitiam studiorum vestrorum* (*Jerem.* XXI, 12). Unde iterum iratus dicit: *Visitabo super vos juxta fructum studiorum vestrorum (ibid.,* 14).

Verbis quoque beati Gregorii eum monemus, illique interdicimus, ut sacerdotes per suam parochiam, quoties ad consignandos infantes egressus fuerit, ultra modum gravare minime debeat, nec summam collationis, qua sui prædecessores, qui hoc bene misericorditer ac rationabiliter, atque sacris constitutionibus exsecuti sunt convenienter, contenti fuerunt, excedat. Et de capellis antiquitus subjectis ecclesiis, non æqualem, sicut de principalibus ecclesiis, collationem exigat; sed principalis ecclesia, cum sibi subjectis capellis, debitam et antiquitus consuetam collationem conferat. Principales vero ecclesias aliis ecclesiis loco capellarum non subjiciat: quia secundum sacros canones non licet episcopis parochiam antiquitus constitutam inconsulte confundere atque dividere. Ne mansionaticos suis amicis aut suis hominibus a presbyteris parari faciat. Ne etiam quasi ad receptionem regis, vel legationem, aut ad ornatus suæ ecclesiæ faciendos, adjutoria quasi petendo, potius autem exigendo, denarios vel caballos, aut verres, aut friskingas, aut ad iter aliquod paraveredos, aut alia quælibet accipiat, id est

rapiat. A quo verbo, *accipere*, aves, quæ alias aves capiunt, accipitres nominantur : cum episcopi suos subditos non ut accipitres capere, sed sicut gallina pullos suos fovere, et quosque infirmos ut peritus medicus convenienti medicamento ac tempore debeant curare; et quos curare non potuerint, aut patienter tolerare, aut regulariter usque ad correctionem sustinentes a sano corpore submovere. Regulam siquidem, quæ de quarta parte reddituum ecclesiæ, juxta consuetudinem aliarum regionum, ita ut est scripta intelligat, et non prave illam interpretans, perinde in his regionibus quæ sunt presbyterorum contra regulas sacras diripiat. Unde si qua fuerunt gravamina illis imposita, temperet : quia et in præsenti et in futura vita sibi prospiciet, si eos, qui sibi commissi sunt, sine gravamine conservare studuerit. Ministros vero, id est archipresbyteros, et archidiaconos, secundum quod providere, Domino inspirante et cooperante, valuerit, tales constituat, qui oderint avaritiam, et non diligant munera, nec sequantur retributiones; neque pro ordinandis clericis, vel reconciliandis pœnitentibus, munus accipiant, et ipso munere eum corrumpere satagant. Et presbyteros in paratis et xeniis indebitis non affligant : et sicut supra de episcopo diximus, per diversas petitiones, ut illis adjutorium faciant, quæ sunt presbyterorum unde ipsi vivere, et hospites recipere, et suas ecclesias continere debent, colludio quocunque diripiant, et ut eisdem ab inquisitione sui ministerii parcant, et pro infamia eorum calcanda vel cooperienda quodcunque emolumentum non accipiant. Et si agentes talia ministros repererit, in ministerio manere non sinat, et canonica invectione corripiat. Ipse quoque pro constituendis ministerialibus ecclesiasticis, videlicet œconomo, id est ecclesiæ facultatum dispensatore, archipresbyteris et archidiaconis, in quibus fidei sinceritatem, et orobos mores ac religiosam vitam debet eligere, præmia non constituat : quia ecclesiasticum obsequium, quod male comparaverint, accipientes munus a subditis, pejus venundare curabunt. Nec pro quocunque judicio contra sacras leges, neque super innocentem contra veritatem, pretium ullum accipiat. Nec etiam odio vel gratia, livore aut iracundia, quantum scierit et potuerit, a judicio recto declinet, dicente Domino : *Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Juste judica proximo tuo, et juste quod justum est exsequaris* (*Levit.* XIX). Juste namque quod justum est exsequitur, qui in assertione justitiæ eamdem ipsam justitiam quærit.

Pro baptizandis denique infantibus, vel pro sepultura, obaudiens decreta beati Gregorii, pretium de terra concessa putredini quemquam non permittat in parochia sua quærere, et de alieno velle facere luctu compendium. Sed si quando aliquem quisque sepeliri in commisso sibi loco concesserit, siquidem parentes ipsius proximi, vel hæredes, pro luminaribus, vel in eleemosyna defuncti, sponte quid offer-A re voluerint, accipere non prohibeat : peti vero aut exigi aliquid omnimodo vetet : ne, quod valde irreligiosum est aut venalis, quod absit, dicatur ecclesia, aut de humanis sacerdotalis religio videatur mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studuerit quærere quolibet modo compendium.

Ab omni quoque avaritia, et usura, ac turpi lucro, secundum sacros canones, et ipse abstineat, et ministros ecclesiæ abstinere faciat, et etiam laicos abstinere suadeat, se autem, et sibi commissos ministros ecclesiasticos, solerter, sollicitequé custodiat, ne contra sacros canones conductores vel procuratores alienarum possessionum fiant. Nec turpi negotio, aut inhonesto lucro victum quærant. Neque secularia negotia sub cura sua suscipiant, B Deique ministerium parvipendentes, per secularium domos non discurrant, nec propter avaritiam, gratiæ, aut honoris, vel pecuniæ patrimoniorum sollicitudines, aut alienorum testamentorum defensiones assumant, nec fidejussionibus inserviant.

A familiaritate nihilominus ac conturbernio illicito et vetito feminarum se et comministros suos, sed et a tabernis, secundum sacras regulas, ecclesiasticos ministros faciat abstinere, attendat quoque quod beatus Job dicit : *Si adversum me terra mea clamat, et cum ea sulci ejus deflent, si fructus ejus comedi absque pecunia (Job.* XXX, 38). Unde beatus Gregorius (*Moral. in Job*, lib. XXII, cap. 15) : « Omnis, inquit, qui præest, si perversa in subditos exercet, contra hunc terra clamat, et sulci deflent quia contra ejus injustitiam rudes quidem populi in murC murationis vocibus erumpunt : sed perfecti quique pro pravo ejus opere sese in fletibus affligunt. Fructus enim terræ absque pecunia comedere est, ex ecclesia quidem sumptus accipere, sed eidem debitum prædicationis pretium non præbere. De qua scilicet prædicatione auctoritatis voce dicitur : *Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum erat cum usura* (*Matth.* XXV, 28). Terræ igitur fructus absque pecunia comedit, qui ecclesiastica commoda ad usum corporis percipit, sed exhortationis ministerium populo non impendit, Exigit quod suo debetur corpori, et non impendit quod subjectorum debetur cordi. » Non igitur redemptionem aut pretium de collatione presbyterorum episcopus debet exigere, D et alimenta ecclesiastica mutus manducare. Et cum Dominus prædicatoribus præcipiat ut intrantes in domos eorum quibus pacem prædicant, illa edant et bibant quæ apud illos sunt, per parochiam prædicando ac confirmando pergens episcopus, non debet superfluas pensiones in pigmentis et aliis quibusque a presbyteris quæ non habent requirere, et talia, quæ forte in domo sua non accipit, voluptati potius serviens quam necessitati, exigere, et suis parcens opibus, de superflue acceptis et venditis ditescere. Nec ideo dedet prædicare, ut sumptus accipiat; sed ideo sumptus accipere, ut sufficiat prædicare.

Ecclesias quoque in proprietatibus liberorum

hominum ac cohæredum consistentes, ut suæ tradantur ecclesiæ, non debet cogere : sed secundum synodalia et imperialia capitula, quæ regularia esse probat Ecclesia, satagat quatenus dotis immunitates, sicut cæteræ ecclesiæ, auctoritate regis habeant, et ipsæ ab eisdem liberis hominibus potiantur. Talemque se, cooperante Domino, in cunctis exhibeat, ut sacrum ministerium non vituperet : qui etiam ab his qui foris sunt testimonium bonum juxta apostolicam doctrinam habere debet. Nam cujus vita despicitur, restat ut et prædicatio contemnatur : et cum pastor per abrupta graditur, solet fieri ut ad præcipitium grex sequatur. Et ne quemquam ecclesiastici ordinis ministrum, occasione turpis lucri, ut aliquid ab eo absoluto capiat, contra sacras regulas excommunicet, inhibemus. Quia, ut sanctus Augustinus, exponens sententiam Pauli apostoli : *Auferte malum ex vobis* (*I Cor.* v), demonstrat, non temere et quomodolibet, sed per judicium auferendi sunt mali ab ecclesiæ communione. Multo magis autem cavendum est, ne sine regulari judicio ministri ecclesiæ officio suo priventur. Quapropter, sicut beatus docet Gregorius, si quid de quocunque clerico ad aures suas pervenerit quod eum juste posset offendere, facile non credat, nec ad vindictam illum res accendat incognita, attendens quod scriptum est : *Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam* (*Job* XXIX, 16). Et præsentibus senioribus Ecclesiæ suæ diligenter veritatem perscrutari modis omnibus studeat ; et tunc, si qualitas rei poposcerit, canonicæ districtio culpam feriat delinquentis, secundum ordinem a sacris regulis propositum. Et ut cuncta brevi cingulo perstringamus, nihil per contemptum contumaciter faciat, vel fieri in parochia sua permittat, quantum ex ipso fuerit, quod sit evangelicæ veritati, et apostolicæ traditioni, aut sacris regulis inimicum. Si autem factum contigerit, arguendo, obsecrando, increpando secundum quod cuique viderit expedire, juxta traditionem majorum, quantum potuerit, emendare procuret.

Pastoralem siquidem regulam beati Gregorii mente, ore, ac manu, quantum sibi Dominus scire ac posse contulerit, in cunctis sequi procuret. Ministerium itaque, ornatum, vel patrimonium, atque redditus vel facultates ecclesiæ, prout leges divinitus promulgatæ præfigunt, studeat conservare, ampliare, augere, vel dispensare, et monasteriis in parochia sua sitis canonicam providentiam gerat, et quantum ex ipso fuerit, debita privilegia, et antiquam ac regularem consuetudinem servet. Ordinationes vero presbyterorum, et sacrosancti baptismatis sacramentum secundum traditionem ecclesiasticam studeat agere.

Cui etiam licet, inspirante divina gratia, abundans absit doctrina, tamen pro nostri officii debito, ex scrinio sanctæ metropolis Rhemorum documentum dare studebimus qualiter se, cooperante Domino, morum probitate et doctrinæ studio debeat gerere. Ipsum vero non nescium quod totius provinciæ cura per sacros canones sit metropolitano commissa, ad eamdem metropolim suam, sicuti ad matrem, ut ex ejus catholicis uberibus salubrem sugat doctrinam, humiliter, ac sedulo, atque obedienter monemus recurrere. Et non amplius quam sibi per sacras regulas est consessum, indebite usurpare : cum tanto charitatis ac humilitatis glutino præceptis salutaribus ad invicem simus connexi, ut dicente sibi mandato divino : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi* (*Deut.* XII, 7) ; et nobis : *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex ipsis* (*Eccli.* XXXII, 1) ; et : *Qui major est vestrum, erit minister vester* (*Matth.* XXIII, 11) : obedientibus scilicet ministrando paternam doctrinam, et inobedientibus, quod majoris est, regularem charitatis correptionem : nos fratrum et consacerdotum vestrorum salubribus debeamus uti consiliis, et ipsi obedire paternis ac regularibus monitis. Hinc ergo, et hæc et alia præcepta salubria observanti, devotis animis vos obsequendo obedire oportet, ut irreprehensibile placidumque fiat corpus Ecclesiæ, per Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat cum Deo Patre omnipotente, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hincmarus sanctæ metropolis Ecclesiæ Rhemorum episcopus, et plebis Dei famulus, et venerabilis fratris Hedenulfi in sancta Laudunensi Ecclesia, favente Dei gratia, ordinator, his litteris canonicis, et ordinato et electoribus ipsius publice datis, anno Incarnationis Dominicæ 877, anno autem regni domni Caroli imperatoris XXXVII, et anno imperii ejus II, subscripsi.

Odo Belgivacorum episcopus, subscripsi.

Raginelmus Noviomagensis episcopus, subscripsi.

Joannes Cameracensis Ecclesiæ episcopus, subscripsi.

Willebertus Catalaunorum humilis episcopus, subscripsi.

Hildeboldus Suessionensis Ecclesiæ episcopus, subscripsi.

Geroldus Ambianensis Ecclesiæ episcopus, subscripsi.

Hadebertus Silvanectensis Ecclesiæ episcopus, subscripsi.

EPISTOLA LIII.

AD FRANCONEM TUNGRENSEM EPISCOPUM.

Fratrem quemdam commendat.

(Ibid.)

Reverentissimo et sanctissimo fratri FRANCONI Ecclesiæ Tungrensis episcopo, HINCMARUS, sanctæ metropolis Rhemorum Ecclesiæ episcopus, optat præsentem et perpetuam salutem.

Noverit dilecta charitas vestra quia hic frater nomine Flodulfus ideo nostram accessit ad humilitatem, quia in nostro fuit loco nutritus atque educatus. Quamobrem dirigimus ad vos has litteras, ut libentius cum charitas vestra recipiat. Et quia sub regimine

vestro abhinc in ante gradus accipere et Deo militare desiderat, ut sciatis eum bonis moribus præditum, litteris sciolum atque ingenio capacem, et vestro cupientem regimini esse subditum, in vestraque parochia degere et monitis atque ordinationibus vestris diebus vitæ suæ libenter obtemperare. Et ut hæc parva epistola a vestra dilectione libentius reciperetur atque firmum crederetur, sigilli nostri ex imagine B. Remigii pontificis impressione signavimus. Omnipotens Deus vos per multa curricula annorum conservare dignetur. Amen.

Data IV Kal. Maii, anno XIII nostri episcopatus.

EPISTOLA LIV.

AD EUMDEM.

Illi Gisebrindum presbyterum, data epistola formata commendat.

(Ibid.)

Notum sit vestræ almitati et omnibus hominibus, licentiam dedisse nobis parochia vestra, et ubicunque voluerit presbyterum, quem ordinavi in Rhemis civitate, nomine Gisebrindum, ministerium sacerdotale fungere, si vestra adfuerit sacra voluntas, et aliorum ubi illi congruum perspexerit bonorum hominum. Qua de remissi ad vos hos apice, secundum petitionem supradicti presbyteri, ut et vos consensum ei et licentiam detis ministerium presbyteratus fungi, et ut certius cognoscatis, secundum auctoritatem canonicam formatam fecimus epistolam, et ei dedimus, Græcaque elementa sibi annotavimus H. X. Y. Nomen meum H litteram primam, et nomen vestrum secundum annotamus litteram O, et civitatis meæ litteram tertiam M, et vestræ quartam F. Valeat vigeatque vestra proprietas in ævum optamus venerande.

H. T. P. X. H. O. M. F. Y. II. CCCC. XL. DC. XC. III. LX. DCC. VIII.

EPISTOLA LV.

AD EPISCOPOS PROVINCIÆ LUGDUNENSIS.

De Carlomanno ejusque complicibus excommunicandis.

(Apud Sirmond.)

HINCMARUS, Rhemorum episcopus ac plebis Dei famulus, cum Rhemorum diœceseos venerabilibus consacerdotibus nostris, REMIGIO, reverentissimo Lugdunensium archiepiscopo, et ipsius diœceseos venerandis episcopis salutem.

Carlomannus, domni nostri Caroli regis gloriosi carne filius, in diœcesi Rhemorum Spiritu sancto regeneratus, et a patre sacro altari oblatus, religiosis divini servitii obsequiis mancipandus ac in clericum tonsus, in diœcesi vero Senonensi, et in parochia Meldensi ab Hildegario ejusdem civitatis religioso episcopo per singulos gradus usque ad ordinem diaconatus provectus, nuper a patre, post plurima benignitatis ac beneficentiæ dona sibi collata, fuga lapsus congregavit secum plurimos filios Belial, qui inaudita nostris temporibus mala in parochiis diœceseos Rhemorum exercuerunt, in rapinis et deprædationibus, et homicidiis atque adulteriis, et ecclesiarum violationibus, aliisque quamplurimis flagetiis ac facinoribus, quæ diabolica instigatione et humana crudelitate possunt patrari. Quem pie domnus noster rex Carolus, sed et complices ejus benigne ac misericorditer, sicut in mandato quod eis direxerat potestis relegere, quater studuit revocare. Verum et ego Hincmarus Rhemorum episcopus, illum ac suos satellites per meipsum ore ad os ter alloquens, et postea quarta vice per comministrum nostrum, una cum quibusdam collegis et coepiscopis nostris, eum et suos complices publice commoneri faciens, quantum mihi Dominus dedit, et suavitatem regni cœlestis, et æternorum tormentorum terrorem illis proposui, et quam gravissime Deum ipse offenderit in patris sui ac sanctæ Ecclesiæ totiusque Christianitatis læsione, atque raptorum a se congregatorum consensione atque favore ostendi, et si mala cœpta desereret, et ad patrem suum rediret, quam benigne illum et ecclesiastica pietas et paternus affectus debuisset recipere demonstravi, et quæ clementia illis qui cum eo erant offerebatur innotui, et si hæc negligeret, vel despiceret, atque in apostasiæ suæ cœpta obstinatione perseverare ipse et complices sui deligerent, inculcavi eis qualiter post hanc quartam conventionem, secundum præceptum Domini sicut ethnicus et publicanus forent nobis habendi, et gladio spiritu quod est verbum Dei episcopali auctoritate secundum sacros canones, spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, juxtaque apostolicæ sedis decreta pontificum, ut revera apostatæ, a corpore et sanguine Domini, atque unanita corporis Ecclesiæ omnium videlicet fidelium Christi societate, essent modis omnibus ascidendi. Quem, sed et quosdam suos, nec intentatæ pœnæ terruerunt, nec promissæ dulcedines invitaverunt. Et ideo, quod flentes dicimus, gementes denuntiamus, complices illius, qui sunt de Rhemensi diœcesi, et nostræ sunt curæ commissi, ac in nostris parochiis tanta et talia, ut præmisimus, crimina commiserunt, et toties commoniti resipiscere a cœptis malis, et ad sinum piæ matris Ecclesiæ redire ut satisfacerent noluerunt, sed in pejus, quod dictu nefas est excreverunt, quia sicut dicit Apostolus, hujusmodi regnum Dei non possidebunt, et cum talibus vetat vel cibum sumere, judicio sancti Spiritus a corpore et sanguine Domini, et Christianorum societate atque consortio segregamus, et episcopali auctoritate, post V Idus Mart. præsentis quartæ indictionis, si se antea non correxerint, secernimus, donec si forte, juxta eumdem Apostolum, vos respiciens dei illis Deus pœnitentiam, ut ad ejus voluntatem resipiscant a laquies diaboli, aquibus capti tenentur, et per dignos pœnitentiæ fructus satisfaciant Ecclesiæ quam læserunt, ea videlicet conditione ut secundum formam mystici Nicæni concilii et Africæ provinciæ canonum, juxtaque apostolicæ sedis decreta pontificum, Siricii, Innocentii, Cœlestini, Leonis, ubicunque fuerint, ultima pœnitentia, et necessarii viatici

communio petentibus non negetur. Eos autem qui de Rhemorum diœcesi non sunt, nec spectaliter sunt nostræ curæ commissi, et memorata mala in nostris parochiis commiserunt, ab eisdem nostris parochiis, post v Idus Martias præsentis quartæ indictionis, si se antea non correxerint, excommunicatos esse decrevimus, eo tenore ut nullam participationem in eis, vel in communione ecclesiastica, vel in societate Christi fidelium nobis commissorum habeant, quia nulla participatio est Christi cum Belial, nec pars esse debet fideli cum infideli, donec consilio et judicio eorum quorum interest, Deo et sanctæ Ecclesiæ satisfaciant. Et quia essentialiter ac summe bonus pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis, neminem vult perire, et venit quærere et salvum facere quod perierat, ostendit nobis viam quam sequamur, et formam cui imprimamur, decernimus, ut si forte in præscriptis parochiis nostris cuiquam illorum imminens urgentis mortis....

HINCMARI

ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS

OPUSCULA ET EPISTOLÆ

QUÆ SPECTANT

AD CAUSAM HINCMARI LAUDUNENSIS.

EPISTOLA HINCMARI RHEMENSIS

AD HINCMARUM LAUDUNENSEM.

De Nivino ejusque fratre Bertrico, quos ut sceleribus infames e parochia Rhemensi ejecerat.

(Apud Sirmond., ex codice Laudunensi.)

Hincmarus Rhemorum episcopus Hincmaro coepiscopo nostro salutem.

Nivinus in parochia mea sacrilega infamia est diffamatus de quadam sanctimoniali, ab infantia in monasterio Deo dicata, et a sacerdote velata, quod clanculo eam prius corruperit, et postea ab ipsis monasterii claustris furtim educi fecerit, et in parochia mea aliquandiu multis scientibus habuerit, ac demum latenter in alteram provinciam abduxerit. Unde recogitandi, sive ad noxam confitendam, sive ad infamiam suam purgandam, ei legales ac regulares consilio et consensu clericorum ac nobilium laicorum nostrorum inducias dedi : sed ipse nec confiteri peccatum, nec ab infamia se purgare legaliter acquievit. Quapropter, quia non est de mea provincia, illum a mea parochia excommunicavi, donec aut confiteretur, aut se ab objectis purgaret. Nunc vero dici a multis audio quoniam in altera provincia res proprietatis suæ in pretium ab eo accipias, et illi res ac facultates ecclesiasticas, quas in ordinatione episcopali ad regendum et regulariter dispensandum sine pretio suscepisti, ad turpis lucri præmium in beneficium dones. Quod satis superque sanctarum Scripturarum auctoritati contrarium, et canonum est sacrorum decretis adversum : et si ita est, ut passim a multis et etiam publice in publicis placitis divulgatur, quantum periculum ac detrimentum inde incurras, quantamque vituperationem sacerdotali ministerio ingeras, si sanum sapis intelligis. Bertricum etiam, ipsius Nivini fratrem, frequentissime de adulteriis et aliis incestis pollutionibus regulariter correptum, et non correptum, et diutius toleratum, atque ut a pravitatibus suis se cohiberet expectatum, quoniam a suis iniquitatibus eum coercere non potui, quia non est de mea provincia, a mea parochia regulariter exire cum suis præcepi. Quæ tibi, sicut sacri præcipiunt canones, nota facere procuravi. Data Idibus Februariis præsentis tertiæ indictionis.

EPISTOLA HINCMARI LAUDUNENSIS

AD HINCMARUM RHEMENSEM.

Purgat Nivinum seque ipsum in ejus negotio, et Hincmarum Rhemensem perstringit.

(Vide Patrologiæ tom. CXXIV, col. 979.)

EPISTOLA HINCMARI RHEMENSIS

AD HINCMARUM LAUDUNENSEM.

Intercedit pro Hadulfo presbytero.

(Ex Actis prov. eccl. Rhem.)

Hincmarus, Rhemorum episcopus, Hincmaro dilecto fratri et venerabili coepiscopo nostro, salutem.

Frater Clarentius communis compresbyter noster ad me veniens ex tua parte mihi dixit, quia fratri Hadulfo compresbytero nostro missaticum tuum ad Witgarium episcopum de civitate Augustiburc (*Augsbourg*) pro libro Paterii et aliis quæ tibi placuerunt commiseris, de quo missatico non se excondixit. Postea vero audisti quod in alias partes ire vellet, et misisti pro eo mandans illi per clericum tuum ex divina et episcopali auctoritate, ut ad te rediret, et direxisti homines tuos qui eum, si redire nollet, ad te reducerent. Veniens vero ad tuam præsentiam, non sic humiliter tibi respondit sicut debue-

rat, et tibi placuit ; et rogasti eum, ut iret Laudunum, et exspectaret ibi usque dum tu illuc venires, et coram fratribus cum illo rationes haberes. Isdem autem Hadulfus perrexit in ecclesiam quæ est in Anisiaco (*Anisy*), ubi et tu morabaris, et projecit se ad orationem ante altare. Tu vero misisti post eum fratrem Clarentium, et diaconum tuum cum eo, et jussisti eis ut interdicerent Hadulfo ex divina et episcopali auctoritate ne in parochia tua communicaret ; et Hadulfus missis digitis suis in auriculas ab eis in viam suam perrexit. Postea autem venit ad me præscriptus Hadulfus, et similiter ut Clarentius de missatico sibi injuncto et reversione sua ad te mihi dixit : de contumaci autem responsione non similiter, sed et excommunicationem ex parte tua, antequam ego illi dixerim, se non audisse professus est ; et voluit ire Laudunum, quo una cum missis tuis præmisit hominem suum, et clausæ sunt obviam illi januæ ecclesiæ et porta claustri ; et postea nihil de his quæ in mansione sua habuit obtinere prævaluit. Nunc autem petit me intervenire apud te, quatenus ei liceat communicare in tua parochia, et locum ac mansionem suam, et ea quæ apud te proservierat pleniter habere, et cum pace canonice tibi servire. Et si hoc tibi grave fuerit, habeat tantum communionem in parochia tua, et liceat ei sub religione, ubicumque locum sibi aptum invenire potuerit, conversari, et sit tibi fidelis. Propterea, sicut tua prudentia novit quam sanctificati instent dies, in quibus præcipue pax peti, et pax petentibus dari, etiam non petentibus pax et indulgentia debet concedi, et omnes colligationes impietatis dissolvi, et fasciculi deprimentes absolvi, sed et imperia dura curvari, remanda mihi præsentialiter litteris tuis, et per aliquem communium ministrorum nostrorum, de Ecclesiæ Laudunensis canonica qualiter tibi de ipso fratre Hadulfo placet : utrum ei communionem tuæ parochiæ, et locum, et mansionem, ac ea quæ apud te proservierat eum pace tua pleniter habere, et tecum canonice conversari valeat, an ei concessa communione in parochia tua, ubicumque locum sibi aptum invenire potuerit, ut sub religione degat, hoc cum tua licentia facere valeat, et ei fidelitatem suam, quam erga te habet, ubicumque potuerit devote exhibeat. Data XIII Kalend. April., indictione III.

EPISTOLA HINCMARI LAUDUNENSIS

AD HINCMARUM RHEMENSEM.

Hadulfo in Hincmari gratiam pristinæ mansionis locum permittit; communionem suam nondum concedit.

(Vide Patrologiæ tom. CXXIV, col. 985.)

EPISTOLA EJUSDEM

AD EUMDEM.

De senati clerici ordinatione, deque carcerali sua detentione, et proclamatione ad sedem apostolicam.

(Vide ubi supra, col. ead.)

COLLECTIO EX EPISTOLIS ROMANORUM PONTIFICUM.

Ab Hincmaro Laudunensi Hincmaro Rhemensi apud Gundulfi villam missa per Wenilonem archiepiscopum.

(Vide Patrologiæ tom. CXXIV, col. 1001.)

OPUSCULUM LV CAPITULORUM

ADVERSUS

HINCMARUM LAUDUNENSEM.

(Apud Sirmondum.)

INDEX CAPITUM.

siastica. Et de epistolis pontificum apostolicæ sedis ante sacra concilia ad diversos pro diversorum consolatione datis; et quod sicut in publicis legibus quædam sint abrogata, et quædam immutata, quædam etiam superadjecta, ita et ex decretis catholicorum, pro tempore et ratione atque necessitate prolatis, postea quædam abrogata vel immutata fuerunt : et de quibusdam formis canonum; et de eo quod S. Augustinus ad Bonifacium de pœnitentia scripsit; et de diversitate constitutionum in prædictis epistolis, unde suam compilationem confecit. Et de sex generalibus synodis, et de nomine universalitatis. Et quid de canonibus Gallicanis apostolica sedes senserit; et de privilegio ac clavibus regni cœlorum beato Petro traditis, et in eo omni electorum Ecclesiæ. Et de epistolis Julii, et Felicis, et Sardicensi Concilio : et unde opinio sit exorta plura quam viginti fuisse capitula in Nicæno concilio facta.

CAP. XXI. Qua ratione quædam ex his quæ in epistolis antiquorum apostolicæ sedis pontificum scripta inveniuntur, a successoribus eorum usa non fuerint, et quædam in decretis eorum posita, et a conciliis inter canones sacros inveniuntur assumpta. Et quod non nisi viginti capitula, quæ habemus, in Nicæno concilio fuerint constituta.

CAP. XXII. De quatuor capitulis a beato Gregorio in epistola ad Theoctistam patriciam memoratis, de quibus quædam imposturans hic frater noster prave interpretatus est, sicut quondam et alii fecisse leguntur, unde in generali synodo revicti et degradati fuerunt.

CAP. XXIII. Quod apostolica sedes partem noni capituli, cum recapitulatione ipsius in cap. 17, non recipiat, sicut beatus Leo papa demonstrat.

CAP. XXIV. Quod ea quæ inde apostolica sedes refutavit, quidam relevare ac restituere conati sint, allegantes quoniam synodus Chalcedonensis, aut rata in totum tenebitur, aut in totum annulanda ducetur : et quod apostolica sedes fidem Constantinopolitani concilii temporibus Damasi papæ et Gratiam principis celebrati recipiat, canones autem ipsius concilii non recipiat. Et quod canones Chalcedonensis concilii, præter illud unum capitulum in 17 recapitulatum, recipiat. Et de canonibus qui dicuntur Apostolorum; et de sententiis, quæ dicuntur ex Græcis et Latinis canonibus, et synodis Romanis, atque decretis præsulum ac ducum Romanorum, collectæ ab Adriano papa, et Angelramno Metensium episcopo datæ; et de præfatione Isidori in libro epistolarum. Et de eo quod dicit hic frater noster quia non ego solus sapio canones, et quia me reprehendit, quoniam dico ante me cognovisse canones quam ipse natus fuisset : et quia necessariora posset quærere quam talia quæ sibi ad suam intentionem non sunt profutura. Et de schedula quam illi in Gundulfi villa per domnum Wenilonem direxi; et de eo quod dicit : Si quis contra Romanorum pontificum decreta obloqui præsumpserit, et quod, sicut ipse dixit, ordine præpostero suam compilationem exercuit, et ego coactus sum anfractus ejus vestigando mille viis, ut dicitur, explicare.

CAP. XXV. Danielis explicatur sententia dicentis : *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia* (*Dan.* XII). Et de eo quod beatus Gelasius dicit in Catalogo, in quo descripsit qui libri ab Ecclesia catholica recipiantur, et quam differentiam faciat inter sacra concilia, et memoratas epistolas pontificum apostolicæ sedis ad diversos pro diversorum consolatione datas; et quod Apostolus de lege veteri dicit, et de cæremoniis ipsius legis veteris. Et quid sanctus Augustinus ex verbis Cypriani de consuetudine dicat, et quam differentiam in libris de Baptismo demonstret inter epistolare colloquium, quo istæ epistolæ apostolicorum, de quibus agitur, conditæ sunt, et regionale ac plenarium concilium : et inter priora et posteriora concilia; et inter sacram Scripturam et episcoporum concilia; et de mystica Nicæna synodo, et quid de conciliis in aliis libris suis beatus Augustinus dicat.

CAP. XXVI. Adjectio ex supererogatione ponitur, quid de conciliis beatus Augustinus ad Januarium dicat, et quid inde in edicto Justiniani super quintam synodum dicatur. Et quid de Antiochena synodo beatus dicat Hilarius. Et quod de Nicæno concilio nihil a catholicis sit abrogatum vel immutatum. Et quid apostolicæ sedis pontifices de metropolitanis et suffraganeis episcopis decreverunt. Et quid beatus Ambrosius et Hilarius de privilegio Nicæni concilii dicant. Et quid inde passim Leo scripserit.

CAP. XXVII. De eo quod hic frater noster dicit in metrica titulatione compilationis suæ :

Responsum a vincto rite nec exigier.

Sed et de eo quod mihi per comministros meos ad se directos mandavit, quia respondere de sibi mandatis non debuerit. Et quid de obedientia suffraganei erga metropolitanum sacri canones et apostolica sedes decreverint.

CAP. XXVIII. De irregulari excommunicatione ab hoc fratre nostro intentata in ministros ecclesiasticos suæ parochiæ. Et qui æqualiter ab episcopo excommunicari debeant. Et quia sicut duo sunt peccata, et duo genera peccatorum, et duo sunt adventus Domini, unus occultus, alter manifestus, ita et duo sint judicia unum occultum, alterum manifestum, et duo judiciarii ordines, et qualiter ipsi duo ordines sint exsequendi.

CAP. XXIX. Quid sacri canones dicant de his qui a singulis episcopis provincialibus, pro incognitis causis primati provinciæ et cæteris episcopis, excommunicantur : quos ante cognitionem nullus debet præsumere, ut eos communioni societ. Et qualiter agendum sit erga eos, quorum causæ manifestæ sunt et plurimis cognitæ, et irregulariter excommunicantur.

CAP. XXX. Qua ratione et auctoritate per sacras regulas solvit quæ irregulariter in parochia sua hic frater noster ligavit : et quia suæ excommunicationes, non Ecclesiasticæ alligationes, sed commoti animi sui, contra Evangelicam veritatem, et apostolicam atque sacrarum regularum constitutionem, maledictiones fuerunt. Et quos sacri canones excommunicatos ab aliis recipi non prohibeant, vel quos recipi vetent. Et quid beatus Gregorius de episcopali alligatione decreverit, et quid inde sacri canones dicant, et quid leges, quas Ecclesia recipit, de eo, qui injuste excommunicavit decernant, et quid ex eisdem legibus sedes apostolica promulgaverit.

CAP. XXXI. De eo quod parvulos qui sæpe discrimine mortis periclitantur, baptizari prohibuit.

CAP. XXXII. De eo quod pœnitentiam denegari et viatico munere non subveniri morientibus contra Nicænos et Africanos canones, et decreta Siricii, et Innocentii, atque Cœlestini, nec non et Leonis, præcepit. Et de capitulo Cœlestini, in quo quiddam prætermisit. Et quid sanctus Gregorius de anathemate dixit in quemcunque, qui contra sacrum Nicænum concilium et cætera veneranda concilia, eas personas ligant quas ipsa solvunt, et eas solvunt quas ipsa ligant; et sacrum Nicænum concilium dicit (*can.* 13) : « Ut generaliter omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratia non denegetur. » Et beatus dicit Gregorius (*lib.* I, *epist.* 24) : « Quisquis aliud sapit anathema sit. »

CAP. XXXIII. De eo quod sepulturam mortuis, sicut in petitione a Laudunensi Ecclesia mihi porrecta continetur denegari præcepit.

CAP. XXXIV. Quia de certis et manifestis causis, quæ in nullo nobis sunt dubiæ vel obscuræ, de quibus diffinitivas sententias, quæ nulla possunt ratione convelli, a sanctis Patribus promulgatas habemus, synodalem consultum, vel coepiscoporum provinciæ nostræ consilium vel consensum non debeo exspectare, nec a regulis præstitutis ulla aut neglegentia aut præsumptione discedere, nec etiam sedem apostolicam inde requirendo inquietare, sed secundum ipsas diffinitivas sententias quæ sunt præstituta decernere, et ligare, vel solvere.

CAP. XXXV. Quod quicunque primates provinciarum a Domino constituti, et apostolica auctoritate confirmati sumus, sed et quippe catholici episcopi, de certis et manifestis rebus, de quibus expressa judicia, et irrefragabiliter atque inconvulse conservandas diffinitivas habemus sententias, secundum sacros canones, et decreta sedis Romanæ pontificum, quæque decernimus et judicamus, apostolica sedes, et catholica Ecclesia apostolorum fundamento fundata, ut in ordinandis coordinat, ita et in decernendis canonice condecernit, et in judicandis conjudicat. Et quod firmatis legibus, non de eis, sed secundum ipsas sit judicandum. Et quod sua irregulari subscriptione hic frater noster ligare non valeat quod secundum sacros canones, et decreta sedis Romanæ pontificum, regulariter solvi. Et de his quæ ex Lucio, et diversis decessoribus ac prædecessoribus ejus, qui ante sacrum Nicænum concilium exstiterunt, in suis compilationibus misit. Et quod non bene intelligit, ut nullus metropolitanus absque cæterorum omnium provincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas. Et de differentia inter auditionem, et auditionem vel audientiam, et de differentia inter nominationem, et nominationem atque cognitionem; et item de differentia inter cognitionem et agnitionem. Et quid sit columbas vendere, et quam grave periculum sit de impositione manus, qua Spiritus sanctus accipitur, munus quodcunque accipere.

CAP. XXXVI. De eo quod me replicare cogit necessitas, quia si quod male admisit corrigere detrectassem, a præstitutis regulis negligentia discederem, a quibus præsumptione ipse discessit. Et de capitulis papæ Leonis. Et qualiter se habeat ipsius irregularis subscriptio, de qua per singula quid sentiendum sit, ex sacris Scripturis et traditione majorum ponere me coegit necessitas. Et quia con-

tra institutionem beati Hilarii illic litteram postulavit, ubi sensus conscientiæ non periclitabatur, et fecit subscribi quod salutare non est confiteri, si tamen sacro Nicæno concilio, et Romanæ sedis pontificum decretis post Nicænum concilium habitis, et ex sacris canonibus promulgatis, in aliquo est contrarium quod ab eo et suis complicibus constat esse subscriptum.

CAP. XXXVII. Monetur ut contra Prophetam et Apostolum non sit prudens apud semetipsum ; et de discretione in pace tenenda.

CAP. XXXVIII. Monetur, ut sacræ Scripturæ verba, sed et sacras regulas, sicut a sancto Spiritu, quo et sacræ Scripturæ sunt conditæ, intelligat.

CAP. XXXIX. Admonetur et obsecratur ut removeat a me dolorem, a se periculum, et ab utrisque nostrum a plurimis illatum improperium.

CAP. XL. De eo quod dicit quoniam quidquid illi de suis hominibus et de hominibus a rege ad Laudunum directis, contrarii actum est, et quod eum rex commendavit, hoc meo instinctu et consilio atque consensu patratum exstiterit.

CAP. XLI. Quod si inde me recognoscerem, quia prima salutis spes est confessio, deinde dilectio, non dimitterem quin inde salubrem indulgentiæ medicinam expeterem, non pro humano, sed pro divino timore et fraterno amore.

CAP. XLII. De auferendo a nobis ambobus oppobrio a multis illato.

CAP. XLIII. De eo quod audio, illum me apud multos infamare, quoniam sacras Scripturas soleam detruncare, et ad meum sensum inflectere, quod illum egisse jam quater possum ostendere. Et de epistola a me illi directa, de duobus a mea parochia, quoniam de aliena erant provincia, excommunicatis, quia satisfactionem de quibus reputabantur in mea parochia agere contempserunt. Et de eo quod commemoratis dictis Anacleti, Victoris, Callisti, et Eleutheri, qui ante Nicænum concilium pro quorumdam consolationibus, sicut dicit Gelasius, ad diversos suas epistolas direxerunt, subjunxit : « Ecce, Pater, qui canones recipiendi, venerandi, ac observandi habeantur, et quid de canonibus apostolicæ sedis pontifices senserint. » Et de eo quod posuit de proscriptione secundum leges accusatoris adversus accusatum : et de differentia inter admonitionem et de accusatione judicationem, et inter hoc quod dixi, si ita est ut passim a multis et etiam publice in publicis placitis divulgatur : et quid de petitione porrecta senserit apostolica sedes : sed et de auditione sine petitione vel accusatione, verum et de accusatione episcopi aut cujuslibet ordinis clerici : et quod per mandatum nullus accuset, et apud quem episcopus accusandus debeat accusari. Et quod sæpe dictæ epistolæ venerabiliter suscipiendæ sunt, a sede apostolica pro diversorum consolatione datæ, quas ipse canones vocat, et concilia a sanctis Patribus instituta, ad auctoritatem sunt custodienda et recipienda. Et quod verba obstrusa, et undecunque per glossulas collecta, ad ostentationem dictis suis immiscet. Et de instructione quam ironice ex Bertrico mandavit. Et de hoc quod mihi objicit, se scisse atque sensisse, sæpius me audiisse, ac falsa audita pro veris recepisse atque tenuisse ; et quia voluntarie audio verba mendacii, et detractoribus suis aurem libenter accommodo. Et quia sæpe illum verbis et scriptis secreto admonui, sicut et in hoc capitulo documentis sanctorum facio.

CAP. XLIV. Qualiter redire valeat ad paternæ charitatis dulcedinem, a me quondam sibi impensam. Et qui ordines et distinctiones episcoporum, ac sacros canones, et decreta sedis Romanæ pontificum, nec non et leges, quas Ecclesia probat ut servat, præsumit convellere, seipsum ab universali Ecclesia studet præcidere.

CAP. XLV. Admonetur ut reducat ad memoriam cum quanta benignitate in primis diebus, quando ad episcopatum venit, a domino rege suscipiebatur, et quanta dulcedine mea fruebatur, quanta unanimitate cum fratribus et coepiscopis nostris utebatur, cum quanto amore a palatinis et ab aliis hujus terræ hominibus colebatur, cum quanta amoris reverentia a sibi commissis, sed et a nostris, a quibus, et cum quibus, et inter quos nutritus fuerat, venerabatur, qui nunc est omnibus in cantico tota die. Et quia dicit, se mihi nolle consentire, ut sedes apostolica suam potestatem non habeat.

CAP. XLVI. De eo quod dicitur per vanitatem jactitare, quoniam quæcunque incepit, aut contra regem, aut contra me, aut contra quoscunque suorum, sive clericos, sive laicos, qui contra suam voluntatem fecerunt, vel contra vicinos suos, qui se contra eum erexerunt, totum ex parte maxima semper vicit, et quod restat evincet.

CAP. XLVII. Et quia victum se dicere non dignabitur, et quæ ad instructionem suam et correptionem sibi scripta sunt, non ad ædificationem suscipiet, sed ad contentionem, ex verbis beati Gregorii tria illi proposui, peccatum scilicet, et causam peccati, ac pœnam peccati, qui etiamsi negare velit admisisse convincitur. Sed et alia tria ex verbis beati Augustini illi proponuntur, ut, sicut scriptum est, videat, et sciat, et recogitet, et intelligat pariter : et de differentia, quam beatus Augustinus in libris de Baptismo ostendit, inter idolum fabricatum atque adoratum, et incensionem prophetici libri ira regis contemptoris, et schisma attentatum : et de eo quod in sua perversa subscriptione misit : « Si aliqui secus nolentes fieri socii hujus disciplinæ, nec habeantur participes communionis nostræ. » Et quia in sola catholica unitate, per hæreses vel schismata non divisa, vera sunt ligamenta, ut vera sunt sacramenta. Et quia spiritales etiam ab aliis injuste non dividuntur ab Ecclesia, nisi se ipsi dividant : et quid sacri canones de seipsos dividentibus ab Ecclesia presbyteris, diaconibus, et episcopis dicant. Et quod, sicut in latrone in cruce converso monstratur, aliquando baptismi vicem passio implet : et de Cornelio cum suis ante baptisma Spiritum accipiente, et de baptismate Joannis, et quia in latrone perfecta salus est, quoniam per pietatem spiritaliter ei adfuit quod per necessitatem corporaliter defuit, sicut et parvulis, cum pro eis ab aliis respondetur, et non tantumdem valeat si quis pro se valeat respondere. Et quod parvuli participatione corporis et sanguinis Christi ac beneficio non privantur, etiamsi antequam panem illum comedant, et calicem bibant, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constituti abscedant. Et quid beatus Ambrosius de Valentiniano sine corporali baptismate obeunte dicat.

CAP. XLVIII. Monetur ut ex his diligenter attendat, quid illi sentiendum sit de parvulis sua jussione sine baptismate mortuis, et de his qui ejus præceptione sine viatico munere obierunt, et quid inde regulæ sacræ dicant : et quid sanctus Augustinus dicat de his qui nimis amant sententiam suam, vel invidendo melioribus, usque ad præcidendæ communionis, et condendi schismatis vel hæresis sacrilegium perveniunt : et beati Cypriani pulchra laudatio, qui licet aliter de baptismo senserit quam debuerit, tamen ab unitate Ecclesiæ se per contumaciam non divisit. Et quod primatus non sit, nisi in sancta conversatione et vita bona. Et quod in hæresi vel schismate, nec ligari aliquid possit, nec solvi. Et quod Spiritus sanctus, qui in sola catholica per manus impositionem dari dicitur, majores nostri charitatem intelligi voluerunt, quam charitatem non habet, qui ab Ecclesiæ catholicæ unitate se segregat. Et quod communio corporis et sanguinis Christi signum sit unitatis. Et quod quiis hismatico assenserit, schismaticus esse negari non poterit, et si de pane cœlesti gestat, judicium sibi manducat ; et quod post revelationem factam, qui in eo quod erraverat perseverat, prudens et sciens sine venia ignorantiæ peccat. Et sequitur consilium orthodoxorum, qualiter ipse quod perpere egit, sed et ab illo traducti vel illecti se corrigant.

CAP. XLIX. Admonetur ut talentum intellectus, quod Dominus sibi gratuito dedit, non negligat.

CAP. L. De eo quod dicitur a quibusdam, quia portare patienter non potest, ut ei a quoquam dicatur, quod quisquam sibi bonum aliquod sine suo merito exhibuerit.

CAP. LI. De eo quod a multis dicitur, quia clericos et laicos sibi commissos in multis exeniis per diversas occasiones gravet, unde ex sanctorum verbis monetur, ut si verum est a talibus resipiscat, et de cætero caveat.

CAP. LII. De eo quod a multis denotet requia superbia efferatur, et vana gloria jactitetur, atque arrogantia superetur. Unde admonetur, ut se corrigat, et qui ab humilitatis exemplum positus est, locum detractionis non præbeat. Admonetur etiam de eo quod dicitur apud plurimos gloriari de fortitudine et agilitate sui corporis : et quia de præliis, atque, ut nostratium lingua dicitur de *vassancis* frequenter ac libenter sermonem solet habere, et qualiter ageret, si laicus fuisset, irre erenter referre. Sed et alia quæ sibi non conveniunt dicere et agere, nec mihi enun iare.

CAP. LIII. Et quoniam a multis reprehenditur de moribus corporis inordinatis, ex verbis sanctorum monetur qualiter illa caveat.

CAP. LIV. Monetur ut non se permittat decipi a flore juventutis et sanitate corporis, et mundi illecebris, habens semper ante mentis oculos quod hinc sanctus Spiritus dicit.

CAP. LV. In conclusione horum omnium illi dicitur puod beatus Elias, Spiritu sancto repletus, ad Eliseum eodem Spiritu sancto replendum dixit : *Quod meum fuit feci tibi.* Quæ conclusio epistolæ in obatione terminatur, « Ut quod nostris meritis non valemus, divina gratia, » scilicet gratis data, « obtineamus. »

TITULATIO METRICA.

COMPILATIONIS

Hincmari Laudunensis episcopi ad domnum Carolum regem ficta.

Iste pitatiolus plane depromit et apte,
Sedem appellandam libere apostolicam,
Quin appellantem haud vinclis artarier ullis,
Responsum a vincto rite nec exigier.
Archique pontifici distinguit jusque modumque
Cum compræsulibus ceu teneat sobrius.
Sitque pio regi Carolo pax, vita, potestas,
Qui probus hæc cernens præ probitate probet
Cui si surripitur humanis nisibus ullis,
Cassando reicit, res ubi certa redit.
Sic sua mens adeo veri defervet amore
Recte frustrandum ne sinat esse ratum.
Namque animum servat mitis sapientia fortem,
Præ cunctis proprie quem redimit pietas.
O quam rex felix, virtutum fortis amator,
Tam bene quem superat sola boni pietas!
At te, Christe, Deum noscens dum diligit ultro,
Quæ spernis spernit, quæ statuis statuit,
Se tibi committens in te tua verba veretur,
Nunc et in æternum tuque tuere tuum

RESPONSIO.

Hoc tibi de titulo, juvenis Hincmare sacerdos,
Respondere mihi convenit arte pari.
Ne tibi sis sapiens multum, quod cæcat homonem,
Collige de veris hæc tua ficta fore,
Sicut et ipsa tui primordia carminis esse
Clare demonstrant degeneri genere.
Namque pitatiolum neutro dixere priores,
Et caput hoc languens cætera fluxa docet.
Quæ compilasti vario pro tempore et actu
Condita de verbis sedis apostolicæ,
Conciliis certis præponens talia sensu,
Cui bonus interpres Spiritus almus abest
Cor fugiens fictum, quod disciplina salubris
Non regit, atque simul quæ tua vota vomunt.
Congruit unde tibi sapiens quod dixerat olim,
Non tenuem sensum venter obesus habet.
Et mens inflato sensu distenta videre
Noxia gesta nequit, quæ tamen ipsa gerit.
Hinc alios gestit semper clamare nocentes,
Seque putat mundam, si nitidos maculat.
At cor contritum, Domino placabile munus,
Dat mala cuncta sibi, dat bona cuncta Deo.
Tu, fugiens culpam, culpam nihilominus addis,
Innocuos carpens conscius unde tibi.
Moribus et factis turgens, ut corpore, corde,
Motibus atque nimis diceris ore levis.
Viscera qui matris, dum te gestaret in alvo,
Rumpere non quisti, nunc laniare cupis.
Parte pie suboles, donorum oblita parentis,
Quæ te nutritam fecit honore sacram.
Non rex, ut dicis, surreptus nisibus ullis,
De te rejecit quæ bene nota tenet.

A Sæpius expertus quam sit laudatio fixa
Hæc tua, quæ variat tempore et ore simul.
Sed prudens animo pariter non omnia profert,
Qui discreta tenet tempora mente sua.
Et pardi pellem noscens te linquere nolle,
Sustinet ut propriis casibus ipse ruas.
Congeris et quædam tibimet quæ valde resistunt,
Teque magis pungunt, quæ tibi grata putas.
Multa quidem ex studiis a te dimissa videntur,
Quæ quia contemnis, fraude doloque taces.
Impurus quædam falsasti, imittere mendas
Non veritus, quoniam non tibi pura placent.
Nam sacra depromunt canonum decreta patenter,
Juraque confirmant sedis apostolicæ,
Metropolitanum curam regionis habere,
B Ut præsit sollers ore manuque sagax,
Ad quem concurrant quæcunque negotia juris
Cuncti poscentes, præminet ipse quidem.
Regmine sub cujus constat provincia tota,
Ut sanctis semper legibus aptet eam.
Rebus in obscuris, dubiis quoque, certa requirat,
Consilio fratrum sicque tenenda legat.
Quæ scriptura tamen, sanctorum et dicta, perennes
Leges duxerunt nulla molesta ferant.
Cui quia subjicitur regionis episcopus omnis,
Sit humilis humili, sit rigidus rigidis.
Corde manens mitis, zelo sit fervidus, atque
Sollicitus servet quæ canones statuunt;
Ætates, causas, personas, tempus, et actus,
Et loca dicernens, penset agenda simul:
Illius in cunctis semper moderamina fratres
C Exspectent, sicut regula sancta docet.
Ut pater et fratres charitatis nexibus unum
In Christo facti, schismata nulla fient,
Angelicæ sortes cœlo nam culmine præstant,
Suppositis aliis ordine composito,
Unde sacerdotum constat distinctio certa,
Et mundi populos ordo regit varius.
Plurima membra tuo gestas in corpore toto,
Quæ servire vides officiis propriis.
Quapropter sensus pompa fallente superbos
Deprime sub Domini jussibus almificis,
Cujus non metuis postponere dicta tremenda,
Insuper ipsa tumens evacuare cupis,
Idque procul dubio nequam tibi spiritus omne
Suggerit, et semper quæ sua sunt adhibet.
D Qui rex est horum, quos cæca superbia vincit,
Cujus sunt facti sponte sua geniti.
Denique quod dicis depromptum rite vel apte,
Sedem appellandam libere apostolicam:
Quis hæc ignorat quæ tu te nosse fateris?
Aut tibi sunt soli cognita quæque Dei?
Nempe sacri canones, nec non et Romula dicta,
Ac leges clamant, omnibus atque liquet,
Qualiter, et quando, atque ubi, quis quoque, de quibus ipsam
Appellet sedem non levitate vaga,
Et quis, proque quibus sedem appellaverit illam,
Vinciri nullo debeat ab homine.

Et quis, proque quibus, propriis nudatus ad ulla
Non det responsum, cum fuerit monitus,
Indicat ipsa tibi manifeste regula sancta,
Qualiter his fieri debitus ordo queat.
Si leges scires, canonum quas trames honorat,
Perspicue nosses quæ bene cuncta patent,
Et tu conspiceres, nisi magna albugine plenus
Mulceret visus, hæc tibi nota fore.
Quæ tibi dum tribuis, jactas et scire superbe,
Cordis inest oculo nox tenebrosa tuo.
Hinc etenim Domino panes offerre vetaris,
Tangere quin etiam jura ministerii.
Hanc auctore geris lapso de luce superbo,
Qui sublime quidem letifer omne videt.
Hic te mirari monitat quod perficis ipse,
Quod non est mirum, sed potius miserum,
Ac detestandum veri ratione tenoris,
Non attestandum prorsus ut illicitum.
Propter hoc autem tantum clamare videris
Securos aditus sedis apostolicæ,
Ut quod valde libet valeas patrare licenter :
Non tamen omne licet, quod tibi forte libet.
At magis id certas, quia non vis ipse subesse
Ulli, ceu poscit regula justitiæ.
Hinc imitans illum, qui nulli sponte subesse
Gestivit, labens per mala quæque miser,
Qui vitio proprio talis jam factus habetur,
Ut nullum timeat, nec mala post metuat.
Hunc et in hoc sequeris, dum non resipiscere quid- [quam
A prave cœptis vel tibi sero placet,
Sicut et ipse nequit, postquam super omnia sese
Extulit, et misere primus ad ima ruit.
Sed si forte animos vincas ad cuncta protervos,
A quibus ex studio valde tenere tuo,
Confestim poteris secure vera tenere,
A quibus et nolens vinceris ipse modo.
Utque duplex animo, inconstans per cuncta viando,
Lingua assentantis regia corda linis.
Quem contemnendo nosti te lædere crebro,
Non parens dicto legis apostolicæ,
Quod demum sancti canones, seu publica jura,
Et quod hinc sedes sancti apostolica.
Scilicet ut subsit quævis provincia sedi
Metropolitanæ semper ubique suæ.
Si vis, si non vis, firmum constabit in ævum,
Sic vere sanctus Spiritus instituit,
Ut tibi conscripta in parvo diplomate misi
Rhemorum præsul metropolita tuus :
Quæ mundus totus sequitur, veneratur, honorat
Et reprobare nequis, si male forte velis
Versibus inversis, juvenis Hincmare sacerdos,
Reddita sume tuis fontibus hausta sacris.
In sinibus propriis capiens hinc septupla, vates
Ut poscit justi de manibus Domini.

A

HINCMARUS

S. METROPOLIS ECCLESIÆ RHEMORUM EPISCOPUS

Hincmaro Laudunensi coepiscopo nostro

SALUTEM.

PRÆFATIO.

Nuper, quando transacto tempore, sicut tibi et aliis multis est cognitum, apud Gundulfi villam in obsequio domni nostri regis cum plurimis archiepiscopis et episcopis, ac cæteris fidelibus suis fuimus, quia me, sicut alii tui priores ordine , et potiores ordinis dignitate, ac seniores ætate, consacerdotes nostri et venerabiles archiepiscopi atque episcopi fecerunt, et te specialius oportuerat facere, exiguitatem meam adire mihique pacis osculum B dare noluisti, nec etiam ullum verbum mecum loqui dignatus fuisti, non dicam magnum, sed miserum multis spectaculum præbuisti. Quare de re, sicut mihi dixit, venerabilis archiepiscopus Wenilo tecum locutus, interrogavit te cur mecum debitam pacem non haberes, et debitam obsequii venerationem impendere detrectares. Unde a te responsum accepit, quoniam si scripta quæ tibi et Ecclesiæ tibi commissæ de a te intentata excommunicatione tuæ parochiæ transmiseram, quæ ibidem tecum habebas, coram aliis incenderem, et annulanda dicerem, meque contra rationem fecisse profiterer, tunc mecum pacem habere velles. Dixit etiam te mihi mandasse, quia quod de illa excommunicatione fecisti, ego tibi insinuavi. Habes enim quamdam villam in mea parochia, et quia homines ejusdem villæ rogasti ad C illam ecclesiam dare illorum decimam, ad quam eam dare debebant, excommunicaverim illos, et habebas imbreviatos quot infantes sine baptismate, et quot homines sine communione inde obierint, quæ mihi in publicum objicere nolles, ne postea tibi improperarem, quod si alia mala de me scires, illa etiam diceres. Unde tibi statim per eum remandavi, quia et inde, et de quibuscunque velles, quæ tibi viderentur objiceres, sed de hac causa verum non diceres. Habeo enim scriptum perverse a te collectum, et perversius quæ collegisti interpretata, quod per manus Hadulfi archipresbyteri tui accepi : sed et gesta, quæ de ipsa ecclesia tu egisti, et qualiter et quæ inde ego egi, vera narratione conscripta, et quandocunque velles, aut cum quibusdam fratribus D et consacerdotibus nostris, aut si velles in synodo tibi ostenderem. Tacite autem in hac confessione tua, qua dixisti, quia quod de illa excommunicatione fecisti ego tibi insinuavi, tria consideravi.

Primum quidem, quoniam si ratio inter te et clericos Laudunensis Ecclesiæ agitanda foret, de petitione ex causis in ea continentibus ab eisdem mihi porrecta, utrum esset an non veritate subnixa, nullam quæstionem deberet recipere, postquam tuæ confessionis attestatione firmatur. Aliud vero, quia silentio suppressis bonis, quæ tibi insinuavi atque insinuari feci, imputando mihi quod male tibi de hac excommunicatione quam perpetrasti insinuaverim,

reum te confessus es, quia scienter male fecisti, ac per hoc, secundum decreta Hilari papæ, tuum contra regulas factum deberes ipse dissolvere, quod si nolles, auctoritas metropolitana illud deberet annihilare. Tertium, quia ut tecum me posses illaqueare, si forte, ut assolet improvisæ menti accidere, tibi statim hæc falsa de me rejiciendo imparatus et ira commotus non responderem, et te jactitare valeres me in aliquo inde concredidisse, voluntarie tibi de tali confessione laqueum studuisti injicere, et pro bonis mala retribuens, non ut quondam proditorum primicerius, simulando pacem osculo quam non habebas in pectore, sed exerto linguæ gladio me aperte ac impudenter decrevisti impetere, et quasi me qualicunque patrono ac benefactore atque ordinatore tuo tradito, talis confessionis de tantis impietatibus laqueo te suspendere. Sed benedictus Dominus, qui secundum promissionem suam, qua dixit : *A flagello linguæ absconderis* (*Job* v, 21), liberando animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa, adjuvit me, et consolatus est me, mox telum falsitatis scuto veritatis respondendo rejeci. Quæ animi dolore compunctus, non amaritudinis livore stimulatus dico, sciens capiti ac salvatori nostro mendaciter multa fuisse objecta, sed et productos adversus eum falsos testes fuisse. Nam et Romanæ sedis pontificibus Damaso, Sixto, et Leoni tertio, verum et aliarum insignium ecclesiarum præsulibus, Athanasio scilicet Alexandrino, Joanni Constantinopolitano, Cæciliano Carthaginensi, sanctitate fidei et operationis atque scientiæ doctrina præclaris, necnon et quamplurimis aliis venerandis episcopis, ab hominibus invidis, et eorum locum ac bonæ opinionis famam obtinere volentibus, sed non habere meritum illorum studentibus, mortalia et nefaria crimina falso impacta, et usque ad ecclesiastica judicia et cognitionem publicam fuisse perducta legimus. Sunt enim hujusmodi vipereæ nequitiæ homines, qui licet prius eorum mentes propria rodat invidia, in hoc tamen suas tegere posse iniquitates putant, si alios infamia modo quolibet maculare curaverint; quorum criminationes iidem viri sancti patientissime toleraverunt, et constantissime adjuvante Domino revicerunt. Et horum, sicut scriptum est (*Hebr.* XIII, 7), intuens exitum conversationis fidem mihi necesse est imitari; et usu compertus, et de te in me prorsus expertus, quia phreneticus sæpe nulli majorem alapam dare solet, quam ipsi medico qui eum curare volet.

Sed et multum miratus sum, ubi sensum tuum habuisti, quando de tantæ auctoritatis et sapientiæ atque religionis viro, sicut domnus est Wenilo, dixisti, et ad plurimorum episcoporum notitiam pervenire fecisti, quod si in judicio regulari dixeris probare non poteris, præsertim te reum de hoc ipso confessus, et confitendo te talia egisse, quæ etsi non confitereris, perpetrasse negare non posses, teipsum illaqueasse videre non potuisti : cum leges quas probat Ecclesia dicant (*Cod. th.*, *de Accusat. lib.* XIX) : « Sane hi qui crimina sua in quæstione confessi sunt, de aliis si dicere voluerint, a judice non credantur : quia jure et legibus constitutum est, ut spontanea professione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui se criminosum esse confessus est. » Et item (*ibid.*, *lib.* XII) : « Non credendum est contra alios eorum confessioni, qui in criminibus accusantur, nisi se prius probaverint innocentes : quia periculosa est, et admitti non debet, rei adversum quemcunque professio. » Et canones dicunt (*conc. Afr. can.* 96, 97) : « Ut ad accusationem non admittantur, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Et quotiescunque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, et unum ex ipsis, de quo prius egerit, probare non valuerit, ad cætera jam non admittatur. » Et item canones dicunt (*conc. Carthag. can.* 18) : « Ut ordinandis episcopis, vel clericis, prius ob ordinatoribus suis placita conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilii fecisse pœniteant. » Quæ a me tibi ordinando inculcata sunt : inter quæ habentur et illa quibus et in hac illicita excommunicatione, et in contemptu obediendi, non solum semel secundo, sed et tertio, ex Scripturis et regulis sacris conscriptis admonitus ut eam corrigeres, obviasti, cum scriptum sit : *Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* XV, 22). Sed et tu, coram Rhemensi Ecclesia, in qua nutritus fuisti, et coram Ecclesia Laudunensi tibi committenda, sed et coram episcopis qui adfuerunt, et coram legatis eorum episcoporum qui corporali præsentia defuerunt, post fidei confessionem, ea quæ tibi inculcata erant, et specialiter de obedientia tuæ metropoli atque tuo metropolitano regulariter exhibenda, te observaturum manu propria confirmasti : et quando tibi librum sacrorum canonum, et regulam pastoralem beati Gregorii, coram altare sanctæ Mariæ, in præsentia omnium qui adfuerunt, in manum misi, obtestans ut ita, quantum tibi Deus scire et posse daret, servares in vivendo, docendo, et judicando, sicut ibidem descriptum erat, et ipsos libros, sub testimonio divino et prædictæ fidelium Ecclesiæ susceptos, te ita observatorum consensione tua confirmasti. Unde sacri canones dicunt (*conc. Carth.* II, *cap.* 13) : « Si quis contra suam professionem, vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit. » Et sanctus Leo papa ad Leonem Augustum scribit (*epist.* 84 *per Philoxenum*) de sua erga leges consensione si contra illam fecerit, « Eis, inquiens, me ultionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmavi. » Et canones Carthaginenses dicunt (*conc.* I *Carthag.*, *c.* 14) : « Quæ vel facta vel dicta superius comprehensa sunt, vel ab aliis conciliis conscripta, quæ secundum legem inveniuntur, custodire nos oportet. Si quia

vero statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est, communione; si clericus, honore privetur. Universi dixerunt, placet, placet. »

CAPUT PRIMUM.

De capella in Attolæ curte sita.

Cæterum causa de ipsa capella, de qua mihi mandasti, hoc modo se habet. Nam et cum a longo tempore ipsa capella in Attolæ curte sita, subjecta fuerit Ecclesiæ in Juviniaca villa, sicut infra ostendam, Bertharius præpositus tuus, ut dicebatur a plurimus, et etiam rei effectu claruit, tua jussione ad eamdem capellam venit, et decimam dari presbytero parochiæ nostræ, cui commissa erat, et qui in ea ordinatus jam ante trigintam annos fuerat, prohibuit, et sicut sibi visum fuit, eamdem decimam dispertiri præcepit. Insuper et scuriam ipsius presbyteri interclusit, et annonam de terris dominicatis collectam, sine licentia ipsius presbyteri in ea misit, omnemque potestatem inde Presbytero abstulit, antequam aliqua quæstio inde ad me, aut ad comministrum meum veniret, cum etiam si aliquid inde rationis haberes, Canones Africani dicant (*can.* 87) : « Ut episcopi quascunque ecclesias vel plebes, quas ad suam cathedram existimant pertinere, non ita repetierint, ut causas suas episcopis judicantibus agant, sed alio renitente irruerint, sive volentibus, sive nolentibus plebibus, causæ suæ detrimentum patiantur, et cætera quæ ibidem sequuntur. »

Audiens autem quæ hinc gesta fuerant frater et compresbyter noster Ausoldus, cui delegata est pars parochiæ nostræ in qua ipsa capella consistit, sæpe inde ad Bertharium misit, sed nullam rationem regulis congruentem obtinere prævaluit. Unde quia tunc in parochia Rhemensi non eram, præcepit ut in ipsa capella missa non celebraretur, antequam homines villæ ipsius suam decimam presbytero suo secundum antiquam consuetudinem darent : si autem missam vellent audire, ad ecclesiam quæ est in Juviniaca villa pergerent. Nulli autem baptismus vel communio est denegata, et quantum rescire veraciter potui,' quod mihi mandasti quosdam infantes sine baptismate, et quosdam sine viatico munere exisse de sæculo, non est verum. Nam et si inde aliquid verum esset, quia sæpe per inde transitum habui, et iidem homines frequenter ad confirmationem ac prædicationem ad me venerunt, sine dubio inde aliqua reclamatio ad me veniret. Postea etiam quam mihi ea quæ præmisi per præfatum venerabilem archiepiscopum mandasti, diligenter inquirere si inde aliquid verum esset curavi, et per omnia quod mihi mandasti mendacium esse inveni. Ipsa quidem capella in villa quæ nominatur Attolæ curtis, quam sicut fertur, Attola episcopus Laudunensis ecclesiæ partem inde, quæ suæ proprietatis fuit, ad ipsam ecclesiam in qua fuerat ordinatus donavit, excepto atriolo ad sepulturam, et excepta cellula manselli ipsius capellæ, cum hortulo, ex potestate sanctæ Mariæ Laudunensis ecclesiæ non habet, nisi

A de terra arabili bunnuaria duo semis, et de alia terra, quam Franci homines in eadem villa in suis proprietatibus commanentes dederunt pro loco sepulturæ ad ipsam capellam, bunnuaria quatuor semis quæ in summa sunt de terra arabili bunnuaria septem. Nihil autem de vinea, nihilque de prato, vel quiddam de pascuali, sed et mancipium nullum habet. Et sunt in eadem villula de potestate sanctæ Mariæ Laudunensis ecclesiæ mansi ingenuiles novem, serviles undecim. Et ipsa capella a longo tempore unita fuit ecclesiæ sitæ in Juviniaca villa, et parochiæ illi subjecta, quia sine silva, vel aqua, aut palude, aut spatii longinquitate, vel alicujus alterius interpositione impedimenti, sunt contiguæ, tempore seniorum istorum, quorum subscripta sunt nomina,

B præter illos quos commemorare non possumus, qui ambas illas villas per regium beneficium tenuerunt, videlicet tempore Remegaudi comitis, Bertmundi comitis, Bernardi, Odonis, Gibuini, Rothardi, Godefridi, Angelboldi, Frederici, in quorum temporibus, præter eos quos commemorare non possumus, isti presbyteri easdem ecclesias insimul habuerunt, Tetgrimmus presbyter, Ermenricus presbyter, item Ermenricus presbyter. In qua ecclesia, sita in villa Juviniaca, simul cum præfata capella, istum presbyterum, qui adhuc eas tenet, nomine Ermenricum, Ebo, quando Bertmundus comes easdem villas insimul per beneficium imperatoris Ludovici tenebat, quarto anno ante depositionem suam ordinavit, qui Ebo depositus fuit anno incarnationis Dominicæ 835 et tempore præfatorum seniorum, qui Bertmundo

C in eadem villa successerunt, eamdem capellam simul cum ecclesia tenuit, usque dum Pardulus episcopus apud istum domnum Carolum ipsa mansa impetravit ecclesiæ Laudunensi restitui, et iste ipse Ermenricus, quandiu Pardulus vixit, ipsam capellam Ecclesiæ suæ subjectam sine ulla inquietudine tenuit, et hoc regulariter per presbyteros, quorum habemus nomina, approbatum fuit, inter quos quidam Ratramnus presbyter jam nonagenarius testatus est, quia ex quo sensum habuit quod hoc cognoscere potuisset, semper vidit presbyterum de Juviniaca villa habere cum illa etiam ecclesia capellam de Attolæ curte, nec non et legaliter per Francos in eadem villa commanentes, sed et per vicinos circummanentes, etiam et per colonos, quorum habemus nomina,

D hoc in tuorum missorum præsentia comprobatum fuit. Quod autem a quibusdam tuorum dicitur, quod ipsa capella antiquior sit quam ecclesia in Juviniaca villa, etiamsi verum foret, tunc illi antiquitas sua suffragium afferret, si in antiquitate sua usque ad tempora moderna persisteret. Nam Atrebatis, Viromandis, et Bononia, ex cujus territorio es nativus, antiquiores sedes cum episcopis propriis in Rhemorum provincia exstiterunt, quam castrum Montis Lauduni inter sedes computaretur, in quo es ordinatus epiccopus. Sed quoniam a longo tempore, certis eventuum ac necessitatum causis accidentibus, sicut et de pluribus civitatibus in quibusdam provinciis

legimus, illæ aliis subjectæ civitatibus sum privilegium perdiderunt, quod non recuperant, et castrum montis Lauduni convaluit, quia secundum leges, ac sacros canones, atque decreta sedis Romanæ pontificum, pro id appellare, idque refragari non licet, quod legum tempus excludit.

CAPUT II.

De administratione palatii et abbatia contra canones adeptis, et quod vocatus ad synodum non venerit, et de irregulari excommunicatione Almalberti.

Sed et tempore tuo nullam inde inquietudinem habuit, quo usque te commovisti contra me, quia redarguere te præsumpsi, quoniam contra sacras Antiochenas regulas (*conc. Antioch. c*.9), præcipientes « ut præter me agere non debeas, secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum quæ ad tuam parochiam pertinent, possessionesque subjectas, sine mea vel coepiscoporum nostrorum conscientia, administrationem in palatio domni regis obstinuisti : sed et his quæ inde de sacris regulis tibi legeram contemptis, postea contra interdictum meum canonicum, eamdem administrationem palatii readeptus fuisti, contra Sardicenses canones (*conc. Sard. can*. 8), redarguentes passim episcopos, qui archiepiscopi sui salutaria consilia spernunt atque contemnunt, ut non solum ad comitatum multas et diversas Ecclesiæ non profuturas perferant causas, sed et dignitates sæculares et administrationes quærant, sed et scandala excitent.» (*Ibid., can*. 2.) « Quicunque ergo preces habuerint vel acceperint, per diaconum suum mittan, quia persona ministri invidiosa non est, et quæ impetraverit (scilicet de pauperum, et viduarum, ac pupillorum causis, et Ecclesiæ suæ necessariis vel profuturis), celerius poterit referre. Et hoc consequens esse videtur, ut de qualibet provincia episcopi ad eum fratrem et coepiscopum preces mittant, qui in metropoli consistit, et ille ei diaconum ejus, et supplicationes destinet, tribuens commendatitias epistolas pari ratione ad fratres et coepiscopos, qui illo tempore in his regionibus et urbibus morantur, in quibus felix et beatus Augustus rempublicam gubernat. Si vero episcopus habet amicos in palatio, qui cupit aliquid quod tamen honestum est impetrare, non prohibetur per diaconum suum rogare, ac significare his quos scit benigna intercessione sibi absenti posse præstare. » (*ibid., can*. 11.) « Scimus enim et ipsi, sæpissime propter paucorum impudentiam, religiosum sacerdotale nomen fuisse reprehensum. Si igitur aliquis contra omnium sententiam nisus voluerit ambitioni magis placere, quam Deo, is debet scire, causis redditis honorem dignitatemque se amissurum ; et paulo post ; Si vero, ut superius memoravit sanctitas vestra, propter desideria et ambitiones ad comitatum pergit, neque in litteris ejus subscribatur, neque in communione cecipiatur : si vobis placet, omnium sententia confirmari debet. Et universi dixerunt honestum esse, et placere sibi hanc constitutionem. » Sed et cum eadem administratione palatii, prælationem monasterii in tertia provincia sine meo consensu, vel ipsius episcopi, in cujus parochia idem monasterium erat, obstinuisti contra sacros Antiochenos canones, qui dicunt etiam metropolitano non licere, quod tu provincialis episcopus præsumpsisti. « Nullus, inquiunt (*conc. Antioch., c*. 13), episcopus ex alia provincia audeat ad aliam transgredi, ad promotionem ministerii aliquos in ecclesiis ordinare licet consensum videantur præbere nonnuli, nisi litteris tam metropolitani quam cæterorum qui cum eo sunt episcoporum, rogatus adveniat, et sic ad actionem ordinationis accedat. Si vero, nullo vocante, inordinato more deproperet super aliquibus ordinationibus, et ecclesiasticis negotiis ad eum non pertinentibus componendis, irrita quidem quæ ab eo geruntur existant, ipse vero incompositi motus sui et irrationabilis audaciæ subeat ultionem, ex hoc jam damnatus a sancto Concilio. » Attende intelligenter, quia sicut non tibi licuit in eodem monasterio quemquam irregulariter ordinare, ita et non licuit ecclesiastica quæcunque negotia ad te non pertinentia inconsulte componere. De quibus nogotiis a te ibidem irregulariter actis, per eos quorum intererat gesta mihi quæ habeo facere oblata, sicut tibi paterna dilectione innotescere studui. Sed quia principalis potestas, te exaggerante, contra te admodum erat commota, ne super vulnerum dolorem tuorum adderem, inde agere satis omisi, spe ac studio cautelæ ac correctionis tuæ in reliquum : excusationem rationabilem ne inde satagerem, proferens, quia gesta illa non constitutis pariter partibus, sed ex una parte confecta fuerunt, et ideo secundum leges ac regulas exinde quæstionem agere, et judicium synodale proferre non possem. Ad quod monasterium irregulariter adeptum in tertia provincia, sine mea licentia, quoties tibi placuit, etiam irregulariter perrexisti, contra Hilari papæ decreta dicentis : « Illud non potuimus præterire, quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter metropolitanorum suorum litteras, aliqui ad quamlibet provinciam audeant proficisci, quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet ecclesias custodiri. » Et sanctus Gregorius ad Vincentium et cæteros episcopos (*lib*. VII, *ind*. 11, *epist*. 8), « Hortamur, inquit, fraternitatem vestram, ut si quemquam vestrum pro causis propriis ubicunque longius compulerit ambulare necessitas, a metropolitano vestro secundum inditam a sanctis Patribus regulam petere licentiam debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis, excepto si, quod non optamus, contra eumdem metropolitanum vestrum vos habere aliquid causæ contingat, ut ob hoc sedis apostolicæ judicium requiratis. Nam iis qui petere festinant licentiam, quod scitis, per canones etiam antiquorum patrum institutione habere permissum est. »

In eodem denique monasterio in tertia provincia sito, ad quod irregulariter, ut dixi, sine mea licentia quoties tibi placuit perrexisti, diutius contra cano-

nes Sardicensa immorans (*can.* 14, 15). Et semel ac secundo litteris canonicis evocatus ad ordinationem episcopi in Ecclesia Cameracensi provinciæ nostræ pastore destituta, unde apostolica sedes me suggerente non modice laboravit, nec ipse venisti, nec pro te vicariam personnam, ut regulæ sacræ præcipiunt, ad me direxisti: unde Symmachus papa ad Æonium ex sacris canonibus promulgavit, ut si quilibet episcopus metropolitano pontifici justa canonum diffinitionem vocatus, obtemperare noluerit, noverit succidendum se, quod non obtamus, ecclesiastica disciplina. De persona autem pro te, cum tractoria et rationabili excusatione, si venire non potuisti dirigenda, sacri Nicæni canones dicunt (*conc. Nic.*, c. 4): « Quia episcopum convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantam necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, et absentibus quoque pari modo decernentibus, et per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur: firmitas autem eorum quæ geruntur per unamquamque provinciam metropolitano tribuatur episcopo. » Et Antiocheni canones (*conc. Antioch.*, c. 19), explanantes sententiam Nicæni concilii, dicunt: « Episcopus præter synodum et præsentiam metropolitani nullatenus ordinetur. Hoc autem modis omnibus coram posito, melius quidem est ut omnes simul adsint ejusdem provinciæ sacerdotes quos metropolitanus episcopus advocare debebit et, reliqua, quæ sicut et præcedentia Nicænis concordant, canonibus. » Et quoniam hunc conventum episcoporum Antiocheni canones, explanantes, ut diximus, sententiam Nicæni concilii, synodum vocant, et perfectum esse concilium dicunt, ubi interfuerit metropolitanus antistes, quo regulariter evocatus venire aut pro personam consensum tuum deferentem mittere neglexisti, non te pertransiere debet quia provinciæ Africæ canones decreverunt (*conc. Afr.*, cap. 43): « Ut episcopus a primate suo vocatus ad synodum competenter occurat: quod si non potuerit occurrere, nisi rationem impedimenti sui apud suum primatem reddiderit, ecclesiæ suæ communione debere esse contentum. » (*Ibid.*, can. 20.) « Et qui non fuerit concors circa metropolitanam ecclesiam, et circa sacerdotale concilium, sed inflatus et ab hoc consortio separatus putat propriæ plebi incubandum, et nonnunquam conventus ad concilium venire detrectat, circa hunc non tantum diœcesim non esse servandam, verum et de propria Ecclesia, quæ illi male faverit, omnimodo adnitendum ut etiam auctoritate publica rejiciatur, atque ab ipsa principali cathedra removeatur. » Quia vero semel ac secundo, cæteris coepiscopis nostris ad ordinationem secundum sacras regulas convenientibus, et absentibus per scripta consentientibus, tu semel ac secundo regulariter convocatus, venire, vel regularem consensum tuum mittere detrectasti, secundum præfactos sacros canones, prædictum Ecclesiæ Cameracensis regulariter electum, cum his qui convenerant, vel per scripta consenserant, ordinavimus. « Si inquiunt (*conc. Nic.*, c. 6), communi cunctorum decreto rationabili, et secundum regulam ecclesiasticam comprobato, duo aut, tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum; » præsertim cum nec tuam contentionem audierimus, sicut nec consensionem habere meruimus. Unde, quia fratres nostros non modice scandalizati, adhibito mecum fratre Hodone venerabili ecclesiæ Belvacensis episcopo, te corripiens dixi tibi quantum inde incurreris. Sed aliam recognitionem vel satisfactionem a te recipere non potui, ostendens qui hinc te regulæ non modice succenseant, nisi quod indignatione plenus respondisti: Non sumus adhuc inquiens ad hoc: et post hanc et alias correptiones, a me tibi litteris ac verbis adhibitas, in eadem contumacia permansisti, et hactenus permanens, qua et ante parochianum meum Amalbertum contra regulas pro causa tibi illicita excommunicasti: scilicet quia uxor illius, quam in tua parochia legaliter obtinuit, et in meam parochiam adduxit, post plures annos quam illam habuit, per mandatum eum apud te accusavit, quod cum illa non posset concumbere, cum leges diffiniant: « Ut neque accusator per alium accusare, neque reus per alium defendi potest, nisi ingratum libertum patronus accuset, aut rei absentia defendatur. » Et item: « Observare judices specialiter debent, ut in omnibus causis sententia quæ deliberata fuerit constitutis pariter partibus recitetur, ut ab his a quibus causa dicta est ad integrum quæ dicta fuerit sententia cognoscatur. » Et regulæ sicunt (*conc. Afr.*, can. 96): « Ut ad accusationem non admittantur quos leges publicæ non admittunt. » Et hanc quoque irrationabilem excommunicationem a te factam, etiam scriptum, contra rationem et auctoritatem, et non veritate subnixum, sed a te fabulose conscriptum, ostendit, quod mihi inde dedisti. Unde etiam tertio tibi suasi, ut sententiam tuam contra regulas prolatam immutares, decernente Antiocheno concilio (*conc. Antioch.*, can., 13): « Ut si episcopus, nullo vocante, inordinato more deproperet super aliquibus ordinationibus, et ecclesiasticis negotiis ad eum non pertinentibus componendis, irrita quidem quæ ab eo geruntur existant: ipse vero incompositi motus sui, et irrationabilis audaciæ subeat ultionem, ex hoc jam damnatus a sancto concilio. » Non enim metropolitanus eras, ut sollicitudo totius provinciæ ad te pertineret. Sed quod tibi honestum fuerat, et præcipiunt regulæ, obtinere non potui, donec placitum, te propter pacis charitatisque custodiam cohibente, in confinio parochiarum nostrarum condixi, quo quidam ex coepiscopis nostris, et multi ecclesiastici, et laicalis ordinis, ac nobiles, et mediocris conditionis viri convenerunt: ubi causa irrationabiliter et inhoneste a te acta, regulariter atque legaliter diffinita, non solum mihi, et aliis coepiscopis ac confratribus nostris, verum etiam permultis laicis morigeratis maximam verecundiam de tuis verbis vere-

cundosis, ac moribus incompositis, et clamoribus inconditis, contra bonum nomen quod Apostolus (*I Tim.* III) jubet habere episcopum incussisti. Quam turpis rei episcopo indecentem historiam, proh dolor! multis nimium cognitam, pude me scribere.

CAPUT III.

De excommunicatione in aliorum episcoporum parochianos intentata.

Verum nec isti excessus tibi suffecerunt admittere, nisi etiam his alios superadderes. Quæ non ad tuam, quod absit, damnationem, si non tu ipse in contumacia perseverando exegeris, sed ad correctionem sicut et sequentia dico, Cum enim princeps apostolorum beatus Petrus dicat : *Quæ est enim gratia, si peccantes et colaphizati suffertis? sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum* (*I Petr.* II, 20). Causam injuriarum tuarum, meos et aliorum primatum atque episcoporum diversarum provinciarum parachianos, non confessos, neque convictos de aliquo crimine in parochia tua vel alicubi admisso, sine meo vel eorum ad quorum curam pertinebant consensu, contra divinas et humanas leges anathematizare, et ab omni omnium Christianorum societate alienare præsumpsisti. Unde multos scandalizasti, et maximum scandalum non solum Ecclesiæ, sed et regi ac regno intulisti, cum lex prohibeat, Ut per alienam messem transiens falcem non mittas, sed manu spicas conteras et manduces (*Deut.* XXIII, 25). « Falcem, inquit beatus Gregorius (*lib.* XII, *epist.* 32, *ad interrog.* 9 *August.*), judicii mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa : sed per effectum boni operis frumenta Dominica vitiorum suorum paleis spolia, et in Ecclesiæ corpus monendo et persuadendo, quasi mandendo converte. » Leges etiam sæculi, quas probat Ecclesia, et sacri canones, atque decreta sanctæ sedis Romanæ pontificum, certa et fixa depromunt judicia de his qui adversus ea per contumacium pertinaciter agunt, sicut egisti.

CAPUT IV.

De eo quod scripta contra se prolata incendi postulabat.

De aliis etiam, quæ mihi per supradictum venerabilem archiepiscopum Wanilonem mandasti, scilicet quoniam si scripta, quæ tibi et ecclesiæ tibi commissæ, de a te intentata excommunicatione tuæ parochiæ transmisi, quæ ibidem tecum habebas, coram aliis incenderem, et annullanda dicerem, meque contra rationem et auctoritatem fecisse profiterer, mecum pacem habere velles, meditatus cum corde meo, satis apud me mirari non potui unde et quomodo hæc tibi in sensum venerint, ut talia mihi mandare posses. Non diabolus loquens ad primos parentes nostros, sed et ad Redemptorem ac Salvatorem nostrum, non ex dejectione, sed ex provectus et sublimitatis avaritia eos tentavit. Tu supergressus, si dici fas est, diaboli malignitatem, oblitus scriptum esse : *Qui malignantur exterminabuntur* (*Psal.* XXXVI, 9), me stultissime nimis ex dejectione tentasti, sciens quia quæ tibi et Ecclesiæ tibi com-

A missæ in eisdem scriptis direxi, de Evangelica veritate, et apostolica atque prophetica, necnon et canonica auctoritate, sed et de apostolicæ sedis constitutione, sicut acceperat eadem sancta sedes beatorum apostolorum traditione, constant esse conscripta. Et sanctus Hieronymus, ex sanctarum Scripturarum auctoritate, comprobat quia ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est. Et Apostolus, Si quis ignorat, ignorabitur. Profecto, inquit Gregorius, hi qui ea quæ sunt Domini nesciunt, a Domino nesciuntur, et sanctarum Scripturarum traditores et incensores inter sacrilegos cumputari debere legimus. Si ergo illa, quæ de Evangelio, et apostolis, atque prophetis, nec non et sacris regulis Spiritu Dei conditis, sine admistione alicujus hæreseos vel schismatis B conscripsi, videlicet mensuram tritici, a comburendis paleis et zizania puri, revera de horreo Dominico in tempore tibi, ac ecclesiæ tibi commissæ, et sollicitudini meæ subjectæ, prolata incenderem, et vera negarem, sine dubio Christum, qui in eis prænuntiatus et ostentus est, et per quæ Christum cognovimus, quique illa locutus est, me nosse et in eum credere, ac per hoc me Christianum negarem : et si sacros canones et decreta catholicæ Ecclesiæ incenderem et abdicarem, me procul dubio non solum ab episcopatu ipse dejicerem, verum et ab ecclesia catholica divisum et alienum, id est schismaticum et anathematizatum publicis et ecclesiasticis legibus efficerem, sicut sanctus Leo papa, scribens ad Leonem Augustum, etiam de se dicit (*epist.* 84) : « Si secundum Apostolum (*Gal.* II, 18), inquit, quæ C destruxi hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, et eis me conditionibus ultionum subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed etiam ergo mea consensione firmavi. » Quapropter, etsi me infirmum, ac fragilem atque imbecillem, ut revera sum, adeo æstimasti, ut minis vel promissionum blanditiis ad hæc agenda trahi vel invitari valerem, non tamen episcopus dubitare debueras, verum esse quod ab eo qui perficit in infirmitate virtutem, ore veridico promittitur : *Dominus* inquit, *dabit verbum evangelizantibus virtutem multam* (*Psal.* LXVII, 12). Verumtamen quia sicut legimus : In discendo mora nulla est, ubi Spiritus sanctus doctor adest, ipso inspirante qui dicit : *Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et* D *contradicere omnes adversarii vestri* (*Luc.* XXI, 15), non meo merito, sed gratia sua, dedit mihi Dominus subito recogitare, quia scriptum est : *Tempus tacendi, et tempus loquendi* (*Eccle.* III, 7). Et quod prænoscens æquanimiter te portare non posse ab aliquo reprehendi vel argui, et non audens authenticæ Scripturæ verba mutare, ne me ipsius notes falsarium, ratione coactus, cum venia sacerdotalis reverentiæ dicam : *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis : et responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur* (*Prov.* XXVI, 4, 5), distuli tibi quæ tunc poteram respondere. Et de his quæ mihi mandasti, tibi mox remandavi, ut

quoniam a confratribus nostris, quibus ea ostendisti, audieram te contra me, et contra eadem scripta quædam collegisse, et etiam cuidam scripto te subscripsisse, et a canonicis Ecclesiæ Laudunensis, et postea a presbyteris tuæ parochiæ, contra me et contra eadem scripta subscribi fecisse. Sed et te dicere, quia ipsa scripta, quæ ego tibi, et ecclesiæ Laudunensi, de præfata excommunicatione a te facta direxeram, membratim dissolvisse, et secundum sanctarum tramitem Scripturarum, traditionemque majorum, nullius esse auctoritatis vel rationis monstrasse : coram tantis et talibus de confratribus et coepiscopis nostris qui ibi aderant, quos et quantos tu eligeres, eadem scripta, quæ ego tibi et Laudunensi ecclesiæ pro ratione prædicta transmiseram, ostenderentur. Sed et tu ea quæ collegeras, verum et illa quibus subscripseras, et subscribi feceras, nec non et illa per quæ scripta a me directa te dissolvisse dicebas, in medium nostri deportares, et legerentur per ordinem, et quidquid tunc ibi a præfatis fratribus et coepiscopis nostris juste et rationabiliter secundum sacram auctoritatem, et catholicæ fidei convenientiam, inventum et decretum, et inter nos conventum foret, voluntarie sequerer, et pacem, quam tecum in corde habebam, et exterius si velles eam tibi non denegarem, et a te mihi oblatam susciperem, et tibi dilectionem sinceram ut fratri et filio exhiberem. Ad quam meam responsionem tibi referendam, isdem venerabilis archiepiscopus Wenilo domnum Adventium gloriosum pontificem, qui una cum eo meam responsionem audierat, ire poposcit. Quod et isdem venerabilis episcopus libentissime egit, et post communem collocutionem vestram, detulit mihi ex tua parte venerabilis archiepiscopus Wenilo quosdam quaterniunculos, sibi a te in præsentia mea datos, et versibus ad domnum nostrum regem Carolum titulatos, et dixit mihi, te sibi respondisse, quoniam illa alia scripta quæ requirebam, te ibi non habere, et propterea illa mihi non mitteres. Ego autem ipsos quaterniunculos, ad mansionem nostram jam vesperi veniens, lectione citissima perlustravi : de quibus tibi in crastina, in schedula brevi respondi, quam tibi per præfatum venerabilem archiepiscopum Wenilonem transmisi, per quem mihi eosdem quaterniunculos miseras. Quos secundum auctoritatem ac morem, ut provincialis episcopus suo archiepiscopo facere debet et solet, offerre non voluisti, et velut quibusdam visum fuit dedignatus fuisti. Ego autem præfatam schedulam ideo per meipsum tibi non dandam, sed per eum, per quem mihi sæpe fatos quaterniunculos miseras, dirigendam necessario duxi, ne si de mea manu ipsam schedulam recipere refutares, malivolis, si forte aliqui aderant, plausus excitaretur, et benivolis qui plurimi aderant, dolor incuteretur. Exspectavi autem postea usque modo, ut mihi illa scripta, quæ tunc apud te non habere mandaveras, mitteres. Sed quoniam illa hactenus non misisti, dignum censui, ut a te mihi ea mitti reposcerem : et idcirco has litteras

A exiguitatis meæ tuæ fraternitati dono, petens ut ipsa scripta mihi per teipsum tribuas, et ne diutius differas : quatenus illis inspectis, salva fide et auctoritate, inde simul sequamur quod catholicæ et fraternæ paci atque dilectioni convenire dignoscitur, sequentes Apostolum dicentem : *Pacem sequimini, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Joan.* III, 20). Ipse enim frater nosti dicere veritatem, quia *omnis qui male agit odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus : qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta* (*Hebr.* XII, 14). Propterea sicut, licet non regulariter, ostendisti mihi quæ collegisti ex apostolicæ sedis pontificum epistolis, unde tibi succincte respondi, si necesse foret latius responsurus,
B ostende etiam scriptum cui subscripsisti, et subscribi fecisti, sed et illa per quæ te dissolvisse dicis scripta a me tibi et ecclesiæ tuæ directa, ut manifestum sit, cum ad lucem venerint, si in Deo sint facta. Ego autem quæ tibi et ecclesiæ tibi commissæ scripsi de præfata excommunicatione a te facta, primum quidem ad te illa direxi, quæ non ex me illa scripsi, sciens dictum : *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit* (*Joan.* VII, 18); per me autem, ex evangelica veritate, et apostolica atque prophetica auctoritate, sed et apostolicæ sedis, et sanctorum conciliorum constitutionibus, illa scripta et a me tibi et ecclesiæ tibi commissæ directa non denego, sciens dictum a Domino : *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me* (*Ezech.* XXXIII, 7). Eapropter *justitiam* ejus *non abscondi in corde* meo, *veritatem*
C ejus *et salutare* suum *dixi* (*Psal.* XXXIX, 11). Non abscondi misericordiam ejus, et veritatem ejus a concilio multo, ut non elonget a me miserationes suas, sed misericordia et veritas ejus suscipiant me. Sed quia ut homo, et in multis divini sensus ignarus, errare possum, quod in hac causa me adhuc fecisse non concredo, si mihi rationem et auctoritatem ostenderis secundum sanctarum Scripturarum tramitem, traditionemque catholicorum Patrum, quam hinc debeam sequi, debitum assensum præbere non abnuo, qui etiam a minoribus meis corrigi, et eorum bene dicta sequi non renuo : quia sæpe juniori Dominus revelat quod melius est, et, Apostolus dicit : *Si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat* (*I Cor.* XIV, 30). Venerandum quippe, ac cum
D omni devotione imitandum teneo, quod beatum Gregorium dixisse lego (*lib.* VII, *ind.* 11, *epist.* 2) : « Ego, inquit, et minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim, qui in eo se primum existimat, ut bona quæ viderit discere contemnat. »

CAPUT V.

De duobus Hincmari judiciis, quæ a sede apostolica rescissa dicebat.

Denique dictum est mihi, quoniam apud plurimos glorieris, quia mihi potes resistere, et me audes contemnere, sicut de juvene jactantiæ vento repleto

legitur, qui Ephesi domum Dianæ incendit, et interrogatus cur hoc egerit, respondit, ut quia bonis non poterat, vel malis innotesceret. Et ad hanc gloriationem tuam respondeo tibi ex verbis Apostoli : *frater, non bona gloriatio tua* (*I Cor.* v, 6). Quid enim, quantum sibi a potentia superna permittitur, non potest homo temporali potestate suffultus, qui Deum non timet, et hominem non reveretur ? Nam et nos aliquid possumus, sed utinam semper in Deo possimus qui nos confortat. Et quoniam non est potestas nisi a Deo, discernendum est in potestate, quid nobis Deus concedat propitius, et quid permittat iratus, ut concessa cum timore et tremore humiliter exsequamur, et permissa in nostri perniciem non abutamur, et qui gloriatur in potestate, in Domino sicut et in aliis glorietur, atque juxta dictum sapientis (Boet., *de Cons. phil.*, lib. III, met. 5) :

Qui se volet esse potentem,
Animos domet ille feroces ;

quia beati mites quoniam ipsi possidebunt terram æternæ scilicet hæreditatis. Si enim gloriaris quia mihi potes resistere, time quia in quo mihi contra regulas sacras resistis, Dei ordinationi resistis, qui per sacros canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, me tibi præposuit, et te mihi supposuit. Et si gloriaris quia me audes contemnere, time, quoniam illum, qui suo vitio factus est ut nullum timeret, et specialiter in illo filio perditionis qui antichristus dicitur operabitur imitaris, *et nunc*, inquit Joannes apostolus, *antichristi multi sunt* (*I Joan.* II, 18) ; et ut item scriptum est : *Imitantur illum qui sunt ex parte ipsius*(*Sap.* II, 25), Unde si gloriaris quia contra me tumes, meque tumendo contemnis, ac per hoc Dei ordinationi resistis, quoniam humilibus, quibus Deus dat gratiam, et pro veritate loquentibus, et his qui contra veritatem se erigunt resistentibus, aperitur cœlum, vel occulta nobis vel manifesta divina operatione, sicut de beato Stephano legimus (*Act.* 7) : Superbis autem, quibus Deus resistit, et Dei ordinationi resistentibus, contraque majores suos tumentibus, vel occulta nobis vel manifesta divina operatione infernus aperitur, sicut de Chore, Dathan et Abiron legimus (*Num.* 16), quos dehiscente sub pedibus eorum terra infernus absorbuit. Dementia quoque tua, sic enim vocatur a plurimis, per ora multorum volitat, dicentium te quasi mente captum disseminare, quoniam si de aliqua causa te in synodo compellavero, si visum tibi non fuerit, mihi non respondebis, pro eo quod jam duo mea judicia a sede apostolica sint cassata. Unde tibi breviter, potius significando, quam plenam rationem reddendo, censui respondere, donec aut ipse mihi hoc dicas in synodo, aut quod nudo sermone diceris susurrare, alligatum scripto deliberes, quod non æstimo, intimare (nam, ut Scriptura dicit : *Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus* [*Prov.* XIX, 29], habeo hinc paratas judiciales sententias, malleorum vice cordiæ tuæ stultitiam percutientes, si ratio

A postulaverit in medium proferendas ; velut item scriptum est : *Sicut spina in manu temulenti, ita in re stulti parabola* (*Prov.* XXVI, 9) : quia temulentus spinam in manu gestans prius seipsum vulnerat, ita et tu, si hæc dicis, non me tantum, sed et plurimos plurimarum provinciarum episcopos, imo et teipsum, quod non denegas, quia et denegare non potes, comparticipem in omnibus judicio nostro mendaciter impetis, non videns quo te laqueo strangules, quoniam judicium nostrum a majoris auctoritatis judice immutari, non autem aliter cassari canonice poterat, si contra regulas inimico animo, vel aliqua cupiditate aut gratia, depravatum nobiscum te judicasse confiteris, decernente Africano concilio (*can.* 91) de episcopo, qui se dixerit mentiendo eos com-
B municasse, quos, eo sciente, non communicasse constiterit, etiam episcopatum amittat.

Quia vero apud se humilis et discretus, sciens scriptum : *Tempus tacendi, et tempus loquendi* (*Eccle.* III, 7), gloriatur in Domino, dicens : Dedit mihi Dominus linguam eruditam, ut sciam in tempore proferre sermonem, succincte tibi respondeo, quia nostrum judicium, per regulas exsecutum, sedes postolica non cassavit : sed Rothado, qui ad eam fecit confugium, humiliter poscenti (quoniam legati nostri, qui causam ejus examinavimus, cum litteris, sicut præcipiunt canones, prius non venerunt clusas transire prohibiti, quam ab eo, sed et ab aliis plurimis, suggestionem inde susciperet), sicut suo sapientissimo consilio judicavit, solatii benignitatem
C impendit. « *Quoniam universæ*, inquit Leo papa, *viæ Domini misericordia et veritas*, cogimur secundum sedis apostolicæ pietatem, ita nostram temperare sententiam, ut trutinato pondere delictorum, quæ constant non unius esse mensuræ, quædam diffiniamus utcunque toleranda, quædam vero penitus amputanda : et remissio peccati non dat licentiam delinquendi, nec quod potuit aliqua ratione concedi, amplius patiemur impune committi. Et nostra unanimitas, ut par est et regulæ præcipiunt, venerabiliter ac humiliter præcellentis auctoritatis decretum apostolicæ sedis (cui, ut Innocentius scribit, in omnibus causis debet reverentia custodiri, et ad quam de majoribus causis, si fuerint in medium devolutæ, sicut synodus statuit, et vetus consuetudo exigit, post judicium episcopale debet referri, sicut
D et scribentes, Bonifacius ad Gallicanos, et Leo ad Anastasium, et ad Mauros episcopos, decreverunt) sine ulla contentione vel resultatione suscepit, quoniam sic et synodus statuit, et vetus consuetudo exigit. Quoniam quidem sacra et mystica Nicæna synodus, cui cessit in decretis synodalibus omnis antiquitas, et quam in fidei diffinitione, vel legum latione, convellere non præsumpsit catholica ulla posteritas, suggerente sibi sancto Spiritu censuit (*can.* 6). Ut secundum antiquam consuetudinem, Alexandrinus episcopus suorum omnium habeat potestatem, quia et episcopo Romano parilis mos est. Similiter et apud Antiochiam cæterasque provincias suis privi-

legia serventur Ecclesiis. » Et inde sequentes sancti canones, et in decretis suis Romanæ sedis pontifices promulgaverunt (Cœlest., *ep.* 2, *c.* 4; Bonif., *ep.* 3; *conc. Carthag.*, c. 16; Bonif., *ep.* 2; Innoc., *ep. decret.*, c.10) : « Ut unaquæque provincia suo metropolitano contentia sit, nec usurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur injuria. Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus, alter in alterius provincia nihil præsumat, sed metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. Et quisquis episcoporum accusatur, ad primatem provinciæ ipsius accusationem deferat accusator, et accusatus die statuta litteris regulariter evocatus, præsens si confidit ad objecta respondeat. Sed et si quæ causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortæ, congregatis ejusdem provinciæ episcopis, jurgium terminetur : nec alicui liceat, relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. »

Eodem sancto Spiritu inspirante, quo et præmissa diversis oribus diversisque temporibus decreta sunt, venerandum Sardicense concilium statuit (*conc. Sardic.*, cap. 3) : « Ut si in aliqua provincia aliquis episcopus contra fratrem suum episcopum litem habuerit, ne unus e duobus ex alia provincia advocet episcopum cognitorem. Quod si aliquis episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere ut iterum concilium renovetur, sancti Petri apostoli (cui ob robur solidissimæ fidei Christus petra a se nomen Petri indidit, dicens : *Tu es Petrus, et super hanc petram*, scilicet rectæ fidei, quam Patre tibi revelante confessus es, *ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cælorum* [*Matth.* XVI, 18,19]; et : *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos* [*Luc.* XXII, 32], videlicet *Pasce oves meas* [*Joan.* XXI, 26], memoriam honorari constituit. Ut scribatur (*conc. Sardic.*, can. 3, 4) ab his qui causam examinarunt Romano episcopo, et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur et det judices ; si autem probaverit talem esse causam, ut non refricentur quæ acta sunt, quæ decreverit confirmata erunt. Et cum aliquis episcopus depositus fuerit eorum episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, alter episcopus in ejusdem cathedra, post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio episcopi Romani determinata. » Justum namque ac ratione plenissimum Sardicense vidit concilium, ut quia secundum sacros Nicænos canones, unaquæque provincia suo metropolitano debet esse contentia, nec usurpationi locus alicui sacerdoti in alterius conceditur injuria, neque ut alter in alterius provincia quiddam præsumat, sed unaquæque provincia metropolitani sui in omnibus rebus ordinationem semper exspectet, ne judicatus in provinciali judicio quilibet innocens damnetur episcopus, A si necesse illi fuerit, apostolicam beati Petri sedem appellet, et cum appellatione sua ad successorem illius confugiat, ut ipse, de provincialium metropolitanarum sedium atque episcoporum judiciis, misericors et justum decernat judicium, quia in illius primatu ipse beatus Petrus cunctorum onera portat, cujus principatus auctoritate mediator Dei et hominum homo Christus Jesus sedem Romanam super omnes sedes sublimavit, Alexandrinam decoravit, Antiochenam confirmavit, et per cæteras provincias privilegia suis Ecclesiis conservari ac corroborari decrevit. Ordinem autem exsequendi judicii de appellante episcopo idem concilium explanat dicens : « Placuit ut si episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati episcopi regionis ipsius, et de B gradu suo eum dejecerint, si appellaverit qui dejectus est, et confugerit ad episcorum Romanæ Ecclesiæ, et voluerit se audiri, si justum putaverit ut renovetur examen, scribere his episcopis dignetur qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, et juxta fidem veritatis diffiniant. Quod si is qui rogat causam suam audiri iterum, deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut e latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi quid velit, et quid æstimet ; et si decreverit mittendos esse qui præsentes cum episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio judicaverit. »

C Lege epistolam ipsius Sardicensis concilii ad omnes usquam episcopos, et invenies hoc modo Athanasium Alexandrinum, et Paulum Constantinopolitanum, sed et alios apostolicæ sedis auctoritate in eadem synodo absolutos ac restitutos. Lege decretalem epistolam Leonis ad episcopos per Cæsariensem Mauritaniam constitutos (*epist.* 91), et invenies Lupicinum, secundum hujus synodi tenorem, in provincia jussum audiri, cum ratione reddita quare communionem ante suditionem meruerat. Et non præjudicatis apostolicæ sedis statutis, nec prædecessorum suorum suisque decretis, Donatum Salicinensem conversum directo fidei libello gregi Dominico præsedisse. Maximum etiam, ex laico reprehensibiliter ordinatum, similiter dato libello, ab episcopali, D quam quoquomodo adeptus fuerat, dignitate non repelli. Aggari denique et Tiberiani causam, qui per tumultus et seditiones dicebantur ordinati, provincialium episcoporum judicio commissam fuisse et ad apostolicam sedem statuta referenda præceptum fuisse invenies, et si quæ causæ emerserint, quæ ad statum Ecclesiarum, et ad concordiam pertineant sacerdotum, in provincia sub timore Domini ventilari, et de compositis ac componendis omnibus ad sedem apostolicam plenissimam relationem mitti, ut ea quæ juxta ecclesiasticum morem juste et rationabiliter fuerint diffinita, ipsius sententia roborentur. Sed et de altero Maximo a sancto Bonifacio

decretum invenies (Bonifac. I, *epist.* 2), « intra provinciam esse debere judicium, et congregari synodum, ut si adesse voluerit præsens, si confidit, ad objecta respondeat : si adesse negligeret, dilationem sententiæ de absentia non lucraretur. Et quidquid de eo provinciales episcopi ducerent decernendum, ad apostolicam sedem referrent, ut ejus auctoritate firmaretur. »

In decretis quoque Innocentii (Innocent. I, *ep.* 27, in fine) Photinum, de quo sedi apostolicæ per falsum rumorem subreptum et elicitum per insidias dicebatur, quia causa ad salutem redierat, invenies restitutum. Sed et a Felice papa (Felix III, *epist.* 4), non per subreptionem, sed per rationem damnatum Misenum, suscepto ab eo libello pœnitentiæ, legimus a beato Gelasio absolutum (*in synodo Rom.*). In regesto nihilominus beati Gregorii, in epistola ad Maximum, manifesta lectione reperies dicere, nullomodo posse ordinationem, quæ ab excommunicatis in excommunicato est acta. Et in epistola ad Columbum (*lib.* I, *epist.* 33), oblata sibi petitione a diaconibus Ecclesiæ Pudentianæ, jussit in Numidia provincia cum misso suo universale concilium congregari, et Maximianum episcopum regulariter convictum deponi : et si accusatores pro sua culpa feriendi forent, pro eo quod se Romam fatigaverunt non eis esse parcendum. Et in epistola ad Joannem Syracusanum (*lib.* VII, *ind.* 11, *epist.* 62), Lucillum Melicitanæ civitatis episcopum, adhibitis secum tribus vel quatuor coepiscopis, ut ipsis præsentibus satisfacta veritate, debere deponi : et alter in ejus loco pæcipitur eligi, quia, ut ipse beatus Gregorius ad Neapolitanos scribit (*lib.* XI, *ep.* 3), « canonicis est regulis constitutum, ut defuncto vel sublato pastore, Ecclesia diu sacerdote privari non debeat. » Et in epistola ad Natalem Salonitanum archiepiscopum, sed et in epistola ad Antoninum subdiaconum (*lib.* XI, *ind.* 11, *ep.* 8, 9), habes, ut Florentium episcopum a quibusdam in criminalibus causis accusatum, et nullis canonicis probationibus exquisitis, nec sacerdotalis concilii proveniente judicio, a sui eum honoris officio, non jure sed potestate depositum, quia non potest quisquam episcopatus gradu, nisi justis ex causis concors sacerdotum submovere sententia, eumdem Florentium episcopum ab exsilio quo erat retrusus debere ejici, et causam ejus episcopali disceptatione perquiri ; et si in his, in quibus accusatus fuerat, canonica foret probatione convictus, canonica procul dubio ultione plectendum, et præfati archiepiscopi in eum proprium robur obtinere debere sententiam; sin autem generali judicio fuisset absolutus, nullius deinceps præjudicio subjaceret, et suæ res sibi restituerentur. Et in epistola ad Joannem primæ Justinianæ archiepiscopum (*lib.* X, *ep.* 33), de Paulo Diadinæ civitatis episcopo invenies, ut qui post depositionem suam, inverecunde ac mente perversa de episcopatu loqui est ausus, et rursus ad hoc aspirare præsumpsit, ut Dominici corporis et sanguinis communione privatus, in monasterio usque ad diem sui obitus deberet retrudi, viatico tantum munere redonatus.

Lege quoque decreta Gelasii, et invenies eum commemorare quæ longe ante sua tempora constiterunt, de Athanasio, de Joanne Constantinopolitano, atque Flaviano, eamdem primam sedem egisse, sicut et de multis aliis in documentis certissimis reperimus. Lege etiam qualiter Athanasius in synodo Hierosolymitana, sed et in Alexandrina, suæ absolutionis ac restitutionis auctoritatem a sede apostolica sumptam, et in Sardicensi synodo exsecutam relegit, et unanimitatem fraternitatis quæsivit, sicut et in nostra synodo de fratre et consacerdote nostro de quo agitur factum fuit. Quia sicut et de redemptore nostro in Ezechiele propheta legimus (*Ezech.* XLVII), apostolica sedes funiculum in manu tenens, divinæ dispositionis intuitu, alterum intra mensuram electorum misericordia asciscit, et alterum judicio foras relinquit : ut et Redemptor noster, dum alios a suis iniquitatibus abstrahit, et alios in sua iniquitate derelinquit, alibi funiculum trahit, et aliunde retrahit, et huc ducit quem aliunde subducit, quoniam in eadem sede Dominus, velut in throno suo præsidens, aliorum facta examinat, et cuncta mirabiliter, ut videlicet de sede sua, dispensat. Verum sicut nos ipsius apostolicæ sedis præstantiam fuimus amplexi, ita et ipsa sedes apostolica scripto sacrorum canonum auctoritatem nobis rependit, et benignitatem paternitatis exhibuit, velut concilium Carthaginense decrevit (*conc. Carthag.*, c. 15): Placuit, inquiens, ut a quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati. Sane si ex consensu partium electi fuerint judices, etiam a pauciore numero quam constitutum est, scilicet in superiori capitulo, non liceat provocari. Quapropter, quoniam benignitas apostolicæ sedis nos inimico animo, vel aliqua cupiditate aut gratia depravatos judicasse non invenit, neque succensere decrevit : et sicut sanctæ memoriæ domino papæ Nicolao litteris nostris communiter intimavimus, causa hujus sententiæ, in loco fratris nostri ordinatus decessit, ad se confugienti suæ auctoritatis manum porrexit, et quod sapientissimo suo consilio judicavit, exsequi procuravit, et nobis exsecuta servare mandavit : cujus præceptionem nostra humilitas, ut dignum fuit, obedienter suscepit. Quis enim cum Christo, qui est pax nostra, et soluto medio pariete fecit utraque unum (*Ephes.* II), pacem habere desiderans, non amplectatur quod dicit Apostolus : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis ?* (*Ephes.* IV, 3.) Quod ab Apostolo recte dictum, tu in quadam præsumptiosa subscriptione tua incongrue posuisti. Quis Ecclesiæ catholicæ filius non potissime desiderat fratris correctionem, atque erectionem, et non doleat dejectionem ? Quis non totis præcordiis congaudeat in omni Christiano,

maxime autem in ministerii collega, benignissimis evangelicis sententiis piissimi Domini ore prolatis : *Oportet et te*, inquit, *fili*, *gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat et revixit*, *perierat et inventus est* (*Luc.* xv, 32). Et quod sanato dicit : *Ecce sanus factus es, jam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (*Joan* v, 14) ; et : *Vade in domum tuam, et annuntia quanta tibi fecerit Dominus ?* (*Marc.* v. 19.)

De altero autem quasi meo judicio, quod dicere diceris ex Wulfado et ejus collegis, cassato a sede apostolica, sentiri potest quod Salomon dicit : *Qui*, inquiens, *quod novit loquitur, index justitiæ est ; qui autem mentitur, testis est fraudulentus* (*Prov.* xii, 17) Et item : *Jaculum, et gladius, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium* (*Prov.* xxv, 18). Et ut ostendit apostolus : *His qui charitatis veritatem non recipiunt, immittit illis Deus,* scilicet ex retributione justitiæ, *operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati sed consenserunt iniquitati* (*II Thess.* ii, 10). Non debueras namque fallere, aut falli posse, quod auribus audisti, manibus contrectasti, oculis legendo vidisti, sed non illis auribus, neque illis oculis, de quibus Dominus prophetæ dicit : *Auribus tuis audi, et oculis tuis vide* (*Ezech.* xliv, 5). Quia unde agitur judex non fui, inter judices connumeratus non exstiti, in loco judicis non sedi, judicium inde non terminavi, cum judicibus vel aliis consentientibus non subscripsi. Sed quoniam sedi apostolicæ non placuit inde cum his qui judicaverunt, et judicio illi subscripserunt, rationem habere, et quibusdam suadentibus, me voluit, quod sibi bonum videbatur, et episcopi regionum nostrarum, et princeps terræ volebat, unanimiter consentire, secundum auctoritatem sacri Nicæni concilii, et Africanæ provinciæ canonum, quæ de quibusdam juxta instantiam temporis decreverunt, consensi, obtestante Apostolo, *ut idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata* (*I Cor.* i, 10). Qui ostendit quod jussit, iterum dicens etiam suis minoribus : *Si cui aliquid donastis, et ego ; et ego quod donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana : non enim ignoramus astutias ejus* (*I Cor.* ii 20), qui sæpe suadet ut unde alter misereretur, alter irascatur. Contra quas diaboli astutias pacem sequi debemus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.

Quod pro modulo meo sequi etiam in hoc negotio studui, sicut advertere poteras, si de alia sagina, quam sanctus postulat dicens : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* lxii), cor impinguatum non haberes, quia synodalis epistola hinc a nobis communiter missa, ita per omnia sincera, ad sedis apostolicæ lectionem, meæ infirmationis et alterius confirmationis causa non venit, veluti ex epistolis nobis a sede apostolica de ea re scriptis evidenter ostenditur, sicut coram rege et nobis in synodo releca fuit. Et tamen inde nullam quæstionem movere, vel contentionem consersere volui, nec de his,

A quæ a nobis unanimiter in synodo consensa, et a sede apostolica diffinita sunt, in perpetuum volo, quia bonæ memoriæ Nicolai papæ litteræ, postquam inde veritatem rescivit, per meum missum directæ, mihi abundantissime suffecerunt. Sed et alias litteras synodicas, quas audisti, per eumdem missum mihi direxit, quibus de collectionibus ab eo præceptis, non mihi, ut jusserat, sed regi, ut tibi ad ostentationem tuam placuit, porrectis, quanquam eis non indiguerim, sicut solitus es obedisti. Quin et de his quæ in synodo Tricassina, in qua quæ non rapui, de his rationem reddendo, quæ ad me non pertinebant, relictis eis quorum inde intererat, exsolvi. Sed et de his quæ post eamnem synodum est adversum me actitatum, domni Adriani papæ per Actardum vene-
B rabilem episcopum epistolæ missæ, adeo omnem angoris nebulam a mente mea sudario suæ magnæ benignitatis absterserunt, ut placidissima voluntate. sequi me libeat quod monet Apostolus : *Nihil per contentionem neque per inanem gloriam.* (*Philip.* ii, 3,) ; *et* : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes* (*Gal.* v, 26) ; et quod item scriptum est : *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum* (*Levit.* xix, 18), atque totius medullis cordis Domino dicere : Exultaverunt filiæ Judæ in omnibus judiciis tuis, Domine, et fiat pax in virtute Hierusalem, quæ virtus, ut Augustinus exponit (*in psal.* cxxi), charitas est, cui sanctæ civitati, videlicet sanctæ Ecclesiæ, dictum est : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis* (*Psal.* cxxi, 7). Intento mentis oculo, sollicitu-
C dine pia suspiciens quod de actione hujusmodi Leo dicit (*epist.* 91, *episcopis per Cæsar. Mauritan.*) : « Superest ut concordi obedientia salubres suscipiatis hortatus, et nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes, divinis et apostolicis constitutionibus serviatis, et in nullo patiamini pia canonum decreta violari. Quæ enim nunc certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, justa posthac ultione plectamur, » et reliqua.

CAPUT VI.

De eo quod dicebat Hincmarum degradari debere.

Dictum est etiam mihi te plurimis solere dicere ut
D quoniam quæ in tua parochia ligasti, sine tuo consensu dissolvi, quin potius quæ contra regulas exordinasti, secundum regulas ordinavi, hoc agere et obtinere poteris, et ages et obtinebis, ut ego missam non cantem, et si ego illam cantavero, tu illam non cantabis. Ad quod tibi mitius responderem, nisi iratum fuisse Dominum contra Heli, qui filios suos lenius quam debuerit corripuerat (*I Reg.* 3), legissem : et proinde hinc tibi, si tamen hoc dicis, respondeo quod de Moab scriptum est : *Audivimus superbiam Moab : superbus est valde, superbia ejus et arrogantia ejus plus quam fortitudo ejus* (*Isa.* xvi, 6). Et si tu me degradare posse te minaris arrogas tibi plus

quam possis; ac per hoc in hac causa superbia tua et arrogantia tua plus est quam fortitudo tua. Citius enim facere potes ut tu missam non cantes, quam facere ut ego degradatus fiam; imo hoc facere potes ut tu missam non cantes, sed hoc facere non potes ut ego degrader: Non es enim mihi prælatus, sed velis nolis in ordinis dignitate subjectus, et de illorum societate in ordinis qualitate, quibus sacri canones non permittunt apud se celebrare concilia, et de quibus magna synodus Chalcedonensis dicit (*can.* 19): « Decrevit sancta synodus secundum canones Patrum, bis in anno episcopos in idipsum in unaquaque provincia convenire, quo metropolitanus antistes probaverit, et corrigere singula, si quæ fortassis emerserint, » et reliqua. Ego te ad synodum debeo convocare, tu me non potes ad synodum regulariter provocare, et si ad synodum a me vocatus non veneris, aut dignam excusationem cum tractoria per comministrum tuum mihi directa, in qua impossibilitatis vel necessitatis tuæ causas ostendas, cur ad synodum non venisti, non miseris, ego te valeo et debeo judicare: tu pro hujusmodi vel pro alia causa, tua auctoritate me non prævales judicare. Et si accusandus fueris, accusator tuus ad me primatem provinciæ de te accusationem debet deferre; nemo autem me apud te regulariter ad judicandum prævalet accusare. Non enim tuum est de me judicare, nec mihi judices dare, quia sicut scriptum est, *minor a majore benedicitur (Hebr.* VII, 7), ita et judicatur, Unde sacri canones et decreta apostolicæ sedis me ad sequentis civitatis episcopi judicium iræ invitum non patiuntur. Et si de meo quis judicio queritur, evidenter regulæ monstrant qualiter et a quibus debeat retractari. Ego vero tibi judices, aut consentire electos, aut a me etiam deputatos dare debeo, si causa poposcerit. Ego locum debeo et possum eligere, ubicunque mihi visum fuerit, in tota mea provincia ad synodum convocandam, vel ad ordinationem celebrandam, quo si te vocavero debes concurrere. Tuum non est locum ad synodum convocandam, vel ad ordinationem celebrandam, eligere, nec ne quo tu decreveris evocare. Si in Rhemensi provincia præter meam sententiam quis fuerit a quibuscunque et quantiscunque provinciæ hujus episcopis factus episcopus, sicut mystica Nicæna synodus diffinivit (*cap.* 6), *non oportet eum esse episcopum.* Si autem, communi cæterorum decreto episcoporum rationabili et secundum regulam ecclesiasticam comprobato, tu aut alii duo tui complices tecum propter constitutiones proprias contradixeritis, mea cum pluribus ad ordinandum episcopum obtinebit sententia, et mihi non tibi firmitas eorum quæ geruntur, de ordinationibus vel aliis rebus ecclesiasticis in Rhemensi provincia tribuetur. In qua si fuerit defunctus episcopus, ego et non ut visitatorem ipsi viduatæ designabo Ecclesiæ, electionem cum decreto canonico præcipiam fieri, et si in partes se eligentium vota diviserint, meum et non tuum erit eligere, qui majoribus ad ordinandum studiis juvetur et me-

A ritis, et meum est ordinandum examinare, non tuum. Tuum est autem cum aliis mecum ordinare episcopum, et litteris canonicis, quas ordinatus ab ordinatoribus suis jubetur accipere, post me in tuo loco subscribere: qui non debes ulli novæ rei, quæ ad generalem observantiam Domini sacerdotum pertinent, sine conscientia vel sententia mea subscribere. Tu juberis a sacris regulis, decreto vel relationi meæ, si præcepero tibi, salva fide subscribere, et non ego tuo decreto vel relationi subscribere debeo: quia tu decreto, vel relationi cuicunque, vel cujuscunque, de his quæ ad parochiam tuam non pertinent, præter me non debes subscribere. Sed et nec de tua parochia, nisi de rebus et possessionibus quas cum notitia presbyterorum et diaconorum Ecclesiæ B tuæ regere debes et dispensare, vel commutationibus earum cum cohibentia clericorum subscribere. De tuo judicio judicati vel judicandi ad me possunt, et si necessitas eis fuerit ad me provocare debent, non autem de meo judicio ad tuum judicium quis provocabit. Tu de rebus Ecclesiæ tuæ vendendis vel distrahendis me juberis consulere, ego de hujusmodi causa ad tuum consultum ire non jubeor. Si tu presbyterum, vel diaconem, vel alium quemcunque excommunicaveris, et patienter accipere nolueris ut per finitimos episcopos negotium discutiatur, et vel probetur sententia tua a plurimis vel emendetur, et tibi ante synodum non placuerit humaniorem pro eo ferre sententiam, congregatis provinciæ episcopis, una cum eis, si rationabile nobis visum fuerit, possumus et debemus, etiam si nolueris, tuam C immutare et alteram proferre sententiam.

Sed et illa non bene intelligis ut in tuis collectionibus potiusque compilationibus inveni, ut ego ad tuam parochiam nisi a te invitatus non veniam, et quæ corrigenda ibi sunt corrigam; et hunc pravæ intelligentiæ tuæ sensum, et plura sacrorum concilia canonum, et apostolicæ sedis decreta redarguunt, revincunt atque repellunt. Si causa in provincia mea orta fuerit, aut in concilio perfecto debet finiri (« perfectum, inquit canon [*conc. Antioch.* can. 16], concilium illud est ubi interfuerit metropolitanus antistes »), aut per episcopos judices, sive quos ego conquirentibus dedero, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint. Mihi sollicitudo totius provinciæ est commissa; propter quod ad me omnes undique D ex tota provincia, qui negotia ecclesiastica videntur habere, debent concurrere, et ego illorum causas sicut et de tua parochia, debeo regulariter diffinire. Tu autem contentus esse debes ut regas tuam parochiam juxta reverentiam singulis competentem, et providentiam geras omnis possessionis quæ sub tua est potestate, ita ut presbyteros et diaconos ordines, et non exordines, et singula, non autem provinciæ generalia, tuo judicio comprehendas. Nec tibi licet, si contra fratrem tuum aliquem episcopum litem habueris, ex alia provincia advocare episcopum cognitorem, nec etiam tibi licet pro terminando jurgio præter me ad alias convolare provincias. Sed si ne-

cesse fuerit, pro meæ provinciæ ambiguitatis absolutione, ego a vicina provincia judices, si decrevero, convocare prævaleo. Et si cum episcopo alterius provinciæ de causa contenderis, et in mea provincia causa conjacet finienda, ego debeo dare judices, qui eadem causam regulariter finiant, nihil autem horum tui est pontificii. Ego de dubiis et obscuris rebus, de quibus certam diffinitionem non habemus, si forte emerserint, et de his quæ sine plurimorum judicio episcoporum finiri non possunt, cum coepiscopis provinciæ, inter quos annumeraris, debeo consilium quærere, qualiter ita finiantur, ut nec præceptis evangelicis contrarium nec decretis sanctorum inveniatur adversum (Leo, *ep.* 92). Tibi autem in causis quæ ad generalem observantiam pertinent, Domini sacerdotum, nihil præter me agere licet, qui nec vales implere. Si in causis dubiis vel obscuris aliquid dubitas, me debes interrogare; et si ego nesciero, ego apud alios, vel si necesse fuerit apud sedem apostolicam debeo requirere et tibi absolvere. Tu autem sine me de causis generalibus, nec etiam ad sedem apostolicam debes requirere antequam studeas me inde consulere; et si pro causis propriis ubicunque longius cogente necessitate tibi fuerit ambulandum, a me secundum indictam a sanctis Patribus regulam petere licentiam debes, et ad quamlibet provinciam sine meis litteris regulariter proficisci vel mittere longius ad comitatum comministrum tuum non potes, nec me in aliquo postponere debes præsumere, excepto si contra me aliquid causæ non habueris, ut ob hoc apostolicæ sedis judicium regulariter expetas, sicut Sardicenses canones monstrant, et Innocentius ad Victricium, et Gregorius et cæteri Romani pontifices in decretis suis commemorant, atque leges imperatoriæ, quas ecclesiasticæ regulæ approbant, evidenter ostendunt. Ego pro hujusmodi negotio, nec tua licentia, nec litteris tuæ singularitatis indigeo. De his denique ex quibus certas et manifestas, atque inviolabiliter et irrefragabiliter sine ulla immutatione tenendas, secundum tramitem Scripturarum, sanctorum conciliorum et postolicæ sedis habemus sententias, si contra eas feceris, non debeo exspectare provinciale vel generale concilium, vel coepiscorororum nostrorum consultum sive consilium, sed statim secundum majorum et orthodoxorum Patrum sententia, ea corrigere debeo quæ contra eorum diffinitionem admiseris, quia, ut beatus monstrat Gelasius, in his non novæ constitutionis auctor, sed veteris constituti exsecutor existam.

CAPUT VII.

De eo quod sæculari consultus purgari quæsierit.

Tu autem contra veteres constitutiones, non solum toties, ut præmisi, a provincia Rhemorum, sine licentia regulari, inordinato more, pro quibusdam negotiis sicut tibi visum fuerat deproperasti, sed et postea inde sine meo ac coepiscoporum nostrorum consultu sive consensu, non ecclesiastico sed sæculari comitatu ascitus in aliam provinciam perrexisti; et si vim ab aliquo fuisti perpessus, ut ab ea irregulariter vel coactus exires, nihil apud me, sicut præcipiunt regulæ, inde questus fuisti, sed antequam scires quid ex eodem negotio acturus essem, vel quid obtinere valerem, sine mea conscientia, sicut et jam altera vice fecisti, reclamationem ad apostolicam sedem misisti, cum præcipiant regulæ (Greg., *lib.* VII, *ind.* 2, *ep.* 8): Ut nullus episcopus metropolitanum suum in aliquo præsumat postponere, excepto si contra eum aliquid causæ non habuerit, ut ob hoc sedis apostolicæ petat judicium, quod per canones antiquorum Patrum est institutione permissum. Verum et priusquam inde responsum acciperes, relicto ecclesiastico, publico judicio, videlicet principalis potestatis reipublicæ præsidentis, de his quæ tibi illata fuerant purgari, ut quorumdam etiam sæcularium interventu ac rei proventu claruit expetisti: quia cum bis ad te missos et litteras miserim, et quidam tuorum tecum loquendi habuerint facultatem, et tecum locuti fuerint, nec meum vel coepiscoporum nostrorum expetisti auxilium, nec nostro voluisti uti consilio, sicut jam aliis vicibus egisti, quando pro te et verbis et scriptis apud domnum regem sategimus, et commotionem illius a te sine causa et irrationabiliter excitatam placavimus, Hinc autem ecclesiasticum expetere contempsisti judicium, et episcopali, sicut præcipiunt regulæ, uti noluisti consilio, neque ullam inde postea satisfactionem Ecclesiæ vel ecclesiasticis regulis exhibuisti: sed ut scriptum est de ea quæ tergit os suum, et dicit: Non sum operata malum (*Prov.* XXX, 20), ita aut non intelligens, aut intelligere pervicacia tua dissimulans, hactenus in indomabili contumacia tua persistis; me quoque postposito, ac relictis provinciæ meæ communibus coepiscopis, scilicet meis ac tuis, in alia provincia, et aliarum provinciarum episcoporum inde uti consilio magis quam nostro contra regulas delegisti, cum ego in vicinitate loci ubi domnus rex immorabatur tunc fuerim, et quidam coepiscoporum nostrorum cum illo deguerint. Sicque sine mea ac coepiscoporum provinciæ meæ sententia ac conscientia, transiens secus locum in quo eram, adeo tibi proximum ut me videre posses si velles, quia te vidi, quando sine ulla necessitate, velocius quam episcopali gravitati conveniat, per inde transiens, irregulariter ad sedem tuam rediisti, antequam episcopali examini redderes rationem, qua de re a parochia tua, et Rhemensi provincia irregulariter aut voluntate abscesseris, aut de quacunque causa a quocunque reputatus vi abductus exstiteris. « Ideo, inquit sanctus Gelasius (*cap.* 20), vocatur ad judicium certe quæcunque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. » Et Antiocheni canones: « In conciliis, inquiunt, adsint omnes qui se læsos existimant, et synodi experiantur examen. » Debueras igitur de nova noviter causa, vel a te acta, vel tibi illata, expetere synodum, ut aut de

quacunque objectione aut de læsione synodi experireris examen; sed tu econtra, inconsulte rediens ad sedem tuam, decreto contra sacros canones et constituta sedis Romanæ pontificum subscripsisti, et ecclesiæ tuæ clericos subscribere fecisti.

CAPUT VIII.

De epistolis papæ pro ejus reclamatione scriptis.

Epistolas quoque, domno regi et mihi pro reclamatione tua a domno apostolico per missos tuos directas, non secundum domni papæ jussionem mihi, ut jussa illius exsequerer, dari fecisti, sed per aliarum et etiam longinquarum regionum archiepiscopos domno regi et mihi in parochia mea, in qua degebamus, dari obtinuisti, et cum domnus rex de his ex quibus eum ad sedem apostolicam accusasti, sicut in domni apostolici epistola sibi directa invenit, apud me primatem Rhemorum provinciæ querelam deposuerit, quia contra rationem et veritatem, inconsulte atque irregulariter illum accusaveris, etiam post sibi a te præstitum sacramentum, cui accusatio tua dicitur obviare, sine meo vel coepiscoporum nostrorum consilio ac judicio, et in alia provincia, eidem principali potestati satisfactionis modum, sicut tunc vobis visum fuit, exhibere maluisti, cum notum sit quid sacræ regulæ de cujuslibet ordinis clerico dicant, qui sive de criminali, sive de civili causa, relicto ecclesiastico, publico se judicio purgari voluerit, vel qui pro terminando jurgio, relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias præsumunt convolare provincias. Quæ ignorare non poteras, quoniam quando te ad me reclamasti, quædam a domno rege, sed et ab aliis quibusque, tibi illata, quid de eisdem tibi illatis, et ecclesiasticæ regulæ et jura publica dicant, sufficienter in scripto domno regi a me una cum venerabilibus coepiscopis nostris apud Pistas porrecto legisti, unde obtinuimus quod nobis visum fuit tibi tunc suffecisse. Nam et quando eadem principalis potestas, nec non et omnis præfectura totius regni sui, insolentia tua exigente, contra te fuere commotæ in Vermeria palatio, iterum inde scriptum quod legisti porrexi.

CAPUT IX.

De monacho a Laudunensi excommunicato.

Sed et cum domnus rex monachum ac presbyterum quemdam inter suos religiosum ex venerabili monasterio S. Dionysii, ad monasterium in Lauduno situm, ad doctrinæ atque religionis institutionem, non autem ad irregularem prælationem accersiit, et inconsulte illum, pro animositate, quam contra regem habebas, excommunicasti, jussus a domno rege, adhibito mecum fratre et coepiscopo nostro Odone, te monui quatenus irrationabilem tuam mutares sententiam : sed nihil apud te inde obtinere prævalui. Quapropter domnus rex misit alios episcopos, aliarum etiam regionum, ad te pro hac eadem causa, quorum monitis obedisti, ostendens quod metropoli tuæ obedire in me non digneris, qui secundum morem Ecclesiæ nostræ, cum fidei professione ac subscriptione professus fuisti, ac subscripsisti, te obediturum regulariter privilegio metropolis sedis Rhemorum. Et si jurgium aliquod inter te et alium aliquem tam superioris quam inferioris ordinis foret, meo ac coepiscoporum nostrorum consilio ac judicio terminari debuerat, et de a te excommunicato in tua vel a tua parochia, si antea tibi non placeret, tua sponte vel finitimorum episcoporum consilio tuam immutare sententiam, meo ac coepiscoporum nostrorum consilio vel judicio confirmari vel immutari secundum regulas sacras deburat. Quæ vero judicia de hujusmodi excessibus regulæ sacræ sententiis diffinitivis decernant, hic intentando ponere differo, quia sicut papa Simplicius dicit (*epist.* 16) : « Nolumus exaggerare quæ gesta sunt, ne cogamur judicare quæ justa sunt. »

CAPUT X.

De compilatione ex epistolis apostolicæ sedis in quaterniunculis missis, et de verbo promulgo, *et capitulo Leonis papæ.*

Hæc autem quæ nuper contra regulas sacras egisti, in subscriptione detestandi decreti, et in compilatione quarumdam sententiarum ex epistolis apostolicæ sedis pontificum, quam mihi, ut supra commemoravi, misisti, contra privilegium metropolis tuæ, volens illa adversum sancti Spiritus scita defendere, quæ tibi non licuit agere, silentio præterire non valeo. Attende igitur diligenter atque intelligenter, quid beatus Leo ad omnes episcopos per universas provincias constitutos dicat de omnium decessorum suorum epistolis (*epist.* 1, in fine) : « Omnia, inquiens, decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. » Adverte quoniam illa dicit observanda quæ a decessoribus suis de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis. Quapropter, quoniam de novo utre tuo adhuc grammaticæ artis mustum et ponderationes verborum ebulliunt, primo videamus de verbo *promulgo*, unde fit per conjugationis deductione *promulgatum*, ex cujus plurali numero hic Leo posuit *promulgata*, quia etiam panni veteres quæsiti sunt quibus Jeremias suffultus, sanius ac suavius educeretur de lacu in quo missus fuerat (*Jer.* XXXVIII), quia locutus fuit in nomine Domini, quærenda nobis est priscorum auctoritas et doctrina, quibus valeamus tutius expediri a circumposita nobis omnibus metropolitanis a te muscipula. Et ut certius credas quæ de hoc etiam verbo dicemus, revolve libros veterum, et illum nihilominus codicem quodam meum, a sobrino tuo Anselmo receptum, et tibi a me prestitum, sed postea sicut nec quosdam alios tibi a me commodatos obtentum, et invenies dixisse veteres *promulgo*, *promo vulgo*, sive *primum in vulgus edo*, et esse hoc verbum *promulgo*, secundum

regulam grammaticæ artis compositum, ut quibusdam placuit, ex duobus corruptis *promo* et *vulgo*, et ut quibusdam placuit, ex duobus integris, scilicet *pro* præpositione et *vulgo*, sicut et *produco* : a quo simplici verbo *vulgo* componitur et *divulgo*. Unde Cicero, explanans verborum sensum, dicit : Proditum, memoriæ traditum, provulgatum, provulgavit, exposuit, prodidit, elocutus est, effatus est, retulit, narravit, nuntiavit, indicavit, locutus est, verbum fecit, disseruit, disputavit, tractavit, sermonem habuit, orationem habuit, orsus est. Et hujus verbi simplicis præteritum Nonius Marcellus in libro quem inscripsit de Proprietate sermonum, ponens dixit : *vulgavit, honeste positum, vile habuit, et quasi in vulgus dedit.* De composito autem hoc verbo, quod est *promulgo*, Paulus in Glossis suis dicit hoc modo : *Promulgari leges dicuntur, cum in vulgus eduntur.* Habet igitur sensum compositio, *prómulgare, in vulgus promere, dare, manifestare et edere.* Glossa autem, *promulgavit, ac si primum in vulgus dedit, protulit, ac prorogavit.* Et hujus verbi simplicis sensum, id est *vulgo, vulgas*, sanctus Hieronymus pro *manifesto* posuit, et inde vulgatam editionem, id est omnibus notam et manifestam dici ostendit. Compositi autem verbi hujus sensum et Evangelium Lucæ demonstrat, dicens : *Et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc* (*Luc.* I, 65). Cujus verbi *divulgabantur* sensum Beda sequens beatum Ambrosium ita exposuit : *Quia nota facta fama innotuit.* Isidorus quoque, ut ipse dicit auctore Tullio, exposuit dicens : *Promulgatum est, foras prolatum, ut lex dicitur promulgata, et promulgatum proprie, ad omnium notitiam et totius vulgi intimatum.* Et Placiades unum superadjiciens verbum, cætera dicit similiter : *Promulgatum*, inquiens, *est foras prolatum, vel constitutum, ut lex dicitur promulgata, promulgatum autem, ad omnium notitiam et totius vulgi intimatum.* Præterea Glossæ antiquorum taliter hoc verbum explanaverunt, *promulgans, porrigens; promulgare, edere ; promulgat, profert; promulgat, crescit, incrementat, promit, prædicat, pronuntiat; promulgata, prolata, deprompta, propagata, patefacta.* Et hoc, ut Priscianus præpositis de verborum explanatione auctoribus dicit, ipse omnibus validior usus ostendit. Differentiam vero sensus inter *divulgata* et *provulgata* sive *promulgata*, enucleatores verborum hanc voluerunt esse, ut *divulgata* simpliciter tantum dicantur ad notitiam omnium propalata, *provulgata* vero vel *promulgata*, ad conservandum decreta, et in omnium notitiam, ut illa sine refragatione conservent, deprompta intelligantur. Unde beatus Gregorius, exponens sententiam Domini ad Job dicentis : *Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo?* (*Job* XXXIX, 10.) « Sæpe, inquit (*Moral.*, lib. XXXI, c. 3), vidisse me memini quod cum se ad feriendum graviter hic rhinoceros accenderet, et quasi elevato cornu bestiolis minimis mortis exsilia damnationemque subjectis immensis terroribus intentaret, repente fronti signo crucis impresso omne in se incendium furoris exstinxit, conversus minas deposuit, et quia ad deliberata progredi non posset, ligatus agnovit. Et non solum in se iras edomat, sed subjectorum etiam sensibus omne quod rectum est inserere festinat, utque omnes sanctam Ecclesiam ex intima cogitatione venerentur, exemplo ipse suæ humilitatis demonstrat. » Et post aliquanta : « Ad horum duritiam dissolvendam nonnunquam sancta Ecclesia, quia propria virtute non sufficit, rhinocerotis hujus, id est terreni principis, opitulationem quærit, ut ipse super jacentes glebas conterat, quas Ecclesiarum humilitas, quasi planities vallium portat. Has itaque glebas rhinoceros pede premit ac comminuit, quia pravorum potentumque duritiam, cui ecclesiastica humilitas resistere non valet, principalis religio ex potestate dissolvit : quod quia sola divina virtute agitur, ut terreni regni culmina ad provectum regni cœlestis inclinentur, recte nunc dicitur, *aut confringet glebas vallium post te.* » Et paulo post (*ibid.*, c. 4): « Quis ergo in initio nascentis Ecclesiæ crederet, dum contra eam ille indomitus principatus terræ tot minis et cruciatibus sæviret, quia rhinoceros iste Deo sementem redderet, id est acceptum prædicationis verbum operibus repensaret? quis posset tunc infirmorum credere quod ejus aream congregaret? Ecce enim modo pro Ecclesia leges promulgat qui dudum contra eam per varia tormenta sæviebat. Ecce quaslibet gentes capere potuerit, ad fidei illas gratiam suadendo perducit, eisque æternam vitam indicat, quibus captis præsentem servat. »

Ecce de origine sermonis et proprietate sensus ejus quid sensere majores. Nunc videamus de proprietate dictorum beati Leonis, qui mandavit omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii quam omnium decessorum suorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, custodiri. Unde primum nobis sciendum est aliud esse promulgare sacros ordines et canonum disciplinas, aliud promulgare de sacris ordinibus et canonum disciplinis, sicut aliud est promulgare leges, et aliud promulgare de legibus. Promulgare autem leges, est leges condere ; promulgare vero de legibus, est de illis judicia sumere, et secundum illas judicare, earumque observationem et judicia omnibus intimare, sicut sanctus Augustinus in libro de vera Religione (*cap.* 31) ostendit, dicens : « Æternam legem mundis animis fas est cognoscere, judicare non fas est. Lex ipsa etiam ipse fit, secundum quam judicat omnia, et de qua judicare nullus potest : sicut in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent cum eas instituunt, tamen cum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est et sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est, ut secundum ejus immutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum vetandumque discernat. » Et in libro Confessionum : « Spiritales ergo,

sive qui præsunt, sive qui obtemperant, spiritaliter judicant. » Sacros vero ordines promulgare est a Domino constituere. *Ipsi*, inquit, *invocabunt me, et ego benedicam* (*Num.* VI, 17), scilicet episcopos. Per episcopos, sicut per apostolos a Domino ordinatos, Matthias est ordinatus apostolus (*Act.* I, 26), et per prophetas ac doctores, qui et episcopi ac apostoli erant, apud Antiochiam, jubente Spiritu sancto atque dicente : *Separate mihi Barnabam et Saulum ad opus ministerii ad quod elegi eos* (*Act.* XIII, 2), ipsi Barnabas et Saulus sunt ordinati. Et per Moysen a Domino ordinatum Aaron et filius ejus Eleazar, et per eos reliqui minores sacerdotes ordinati sunt. *Et congregans*, inquit sacra historia, *Moyses septuaginta viros de senioribus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum, descenditque Dominus per nubem, et locutus est ad eum, auferens de spiritu qui erat in Moyse*, scilicet non tollendo, sed in alios propagando, vel promulgando, *et dans septuaginta viris* (*Num.* XI, 24). Qui spiritus et Moysi dicitur, sicut et spiritus Eliæ vocatur, eo locutionis genere, quo et Dominum in oratione petimus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Luc.* XI, 3). Dei enim idem panis est et spiritus, a quo illum ex munere dantis accipimus, et noster fit veraciter per acceptionem, qui illum ab eo accipimus. *Cumque*, inquit historia, *requievisset in eis spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt* (*Num.* XI, 25). Quod sicut Moyses Domino, in quem non cadit oblivio, qui tamen dicit : *Recordabor pacti fœderis mei (Gen.* IX, 15), ad obtinenda quæ petebat patres obtulit, dicens : *Memento Abraham, Isaac et Jacob servorum tuorum, quibus jurasti (Exod.* XXXII, 3), id est firma pollicitatione dixisti. Et episcopi commemorant in ordinatione presbyterorum, ut ipse quod suum est in eorum, videlicet episcoporum, ministerio exsequatur, dicentes : « Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus in populo, innumeras multitudines facile gubernavit. Sic et in Eleazaro et Ithamar filiis Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, ut ad hostias salutares et frequentioris officii sacramenta sufficeret ministerium sacerdotum. Hac providentia, Domine, apostolis filii tui doctoribus fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicatoribus impleverunt. » Qui scilicet episcopi et presbyteri, in primordio nascentis Ecclesiæ, et usque non ad parvum temporis progressum, uno nomine in singulis officiis vocabantur, sicut in epistola Petri, et in epistolis Joannis, et in epistolis Pauli manifestatur, et sicut Hieronymus ad Evagrium presbyterum (*epist.* 85) ex auctoritate Scripturarum ostendit. Sed et reliqui per eos qui a Domino ad hoc constituti sunt ecclesiastici ordines promulgantur, eorum scilicet ministerio, Domino quod suum est exsequente. De sacris autem ordinibus promulgare est qui et quot sint, et quales ac qualiter, et a quibus vel quando sunt ordinandi, et quomodo ac quantum in singulis gradibus debeant ministrare, qualiter etiam ab ostiario usque ad summum sacerdotium quique valeant provehi. Et quæ sint ex eis a sedis Romanæ pontificibus promulgata, omnibus in ecclesiasticis dogmatibus exercitatis constat esse notissimum ; et quia inde quæstionem non moves, superfluum duco ea disserere.

Quia vero, ut superius dixi de legibus et sacris ordinibus, quoniam aliud est leges et sacros ordines promulgare, et aliud, sicut ostendi, de legibus et sacris ordinibus promulgare, ostendendum est quia similiter aliud est sacros canones promulgare, et aliud est de sacrorum canonum disciplinis constituta decretalia promulgare. Qui namque sint canones, de quorum disciplinis promulgata adeo conservari a sancto Leone papa jubentur, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari, memoratus ab eo beatus Innocentius, in disciplina ex eisdem sacris canonibus decreta, ad Victricium Rothomagensem episcopum patenter ostendit (*epist.* 1). « Si quæ, inquiens, causæ vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundum synodum Nicænam, congregatis ejusdem provinciæ episcopis, jurgium terminetur, » et reliqua. Et ibi post aliquanta : « Si quæ autem majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, scilicet Sardicensis, et vetus consuetudo exigit, post judicium episcopale referatur. » Et ad Alexandrum Antiochenum episcopum (*epist.* 20) : « Revolventes, inquit, auctoritatem Nicænæ synodi, quæ una omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia, cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam aliam provinciam, recognoscimus constitutam. » Et inde promulgavit de ordinatione metropolitanorum, quorum plures ipsa Ecclesia subjectos sibi habet, sicut et Alexandrinus episcopus ex antiqua consuetudine, et Thessalonicensis episcopus ex delegatione sedis apostolicæ. Et ad Macedones episcopos (*epist.* 27, sub medium), ex eisdem sacris canonibus apud Nicæam constitutis, promulgavit Novatianos ad Ecclesiam venientes per manus impositionem in suis ordinibus recipi ; et opinionem eorum qui, ne in Ecclesia scandalum fieret, Anisium [aiebant] sequendum in recipiendis Bonosiacis ab eodem Bonoso post damnationem suam ordinatis, manifeste refellit. Sed et ex præfatis Nicænis canonibus promulgavit Paulianistas ad Ecclesiam venientes baptizari, alios autem ab hæreticis in nomine sanctæ Trinitatis baptizatos non baptizari debere. Et Zosimus ad universos episcopos per Gallias et septem provincias constitutos, decretas inde disciplinas promulgatas direxit. Bonifacius quoque ad Rusticum Narbonensem episcopum hinc ita dicit (*epist.* 3, *ad Hilarium)* : « Nulli, inquiens, videtur incognita synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus : Per unamquamque provinciam jus metropolitanos

singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, servandum sancto Spiritu suggerente sibimet censuerunt. » Et paulo post : « Quod idcirco dicimus ut advertat charitas tua adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem exspectet. » Et Cœlestinus ad universos episcopos per Viennensem et Narbonensem provinciam constitutos scribit (*epist.* 1), similiter et ad universos episcopos per Apuliam et Calabriam constitutos (*epist.* 2) : « Nulli, inquit, sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur? »

Et non solum isti sui decessores sacrorum canonum, de quorum disciplinis decretalia constituta promulgaverunt, hoc modo ut præmisi, eosdem sacros canones ad auctoritatem duxerunt; sed et Damasus ad Paulinum (*epist.* 4), ita in observatione sacrorum Nicænorum canonum, sicut et in fide, ad Ecclesiam redeuntes subscribere jussit, verum et successores ejusdem beati Leonis, ut de multis quosdam designem ex nomine, Hilarus scilicet, Simplicius, Felix, Gelasius, Symmachus, Hormisda, et beatus Gregorius, eosdem sacros canones, sed et alia concilia quæ catholica Ecclesia recipit, servat ac veneratur, et apostolica sedes docuit esse servanda, in suis decretis, quæ ex eorum disciplinis promulgaverunt, ad auctoritatem deducunt, præcipientes ut in singulis sacris ordinibus, atque in singulis sacrorum ordinum dignitatibus, canonicam normam tenere, servare atque sequi procurent, et nulli ab eorum constitutione deviare præsumant, nullique eisdem sacris canonibus impune obviare prævaleant, nulli etiam suum arbitrium ad quoslibet judicandos sequantur, sed per rectum eorum tramitem non declinantes ad dexteram neque ad sinistram incedant, et singuli, sicut iidem venerandi canones decreverunt, obedientiam, quam a suis minoribus exigunt, suis majoribus reverenter dependant, et sicut non volunt gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeant aliis importabile pondus imponere, nec de obscuris vel dubiis constituere, quod præceptis evangelicis contrarium et decretis sanctorum inveniatur adversum, et singuli mensuram et ordinem a Deo sibi decretum per eosdem sacros canones servent. Sed et isdem beatus Leo, scribens ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum (*epist.* 58), sacros canones, de quorum disciplinis sua decretalia constituta promulgavit, ita commemorat : « Sancti, inquiens, illi et venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, et si quid usquam aliter quam illi statuerunt præsumitur, sine cunctatione cassatur. » Et item idem ad eumdem (*ibid.*, paulo superius : « Illa Nicænorum canonum per sanctum vere Spiritum ordinata conditio nulla unquam est parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo episcopis, quantumlibet copiosior numerus sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre : cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. » Et item idem ad Maximum Antiochenum (*epist.* 66) : « Quidquid, inquit, præter speciales causas synodalium conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est a sanctis Patribus apud Nicænam diffinitum. Nam quod ab illorum regulis et constitutione discordat, apostolicæ sedis nunquam poterit obtinere consensum. » Et Chalcedonense concilium dicit (*can.* 1): « Regulas sanctorum Patrum, per singula nunc usque concilia constitutas, proprium robur obtinere decrevimus. » Et item Leo ad Anastasium dicit (*epist.* 88) : « Secundum sanctorum Patrum canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos, metropolitanos singularum provinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intermeratum habere decernimus, ita ut a regulis præstitutis nulla aut negligentia aut præsumptione discedant. »

Et quia non necesse est tibi exponi ab aliquo quid intelligere debeas in eo quod dicit *a regulis præstitutis*, inspice canonum libros, et videbis omnia illa concilia, quæ a majoribus servanda suscepimus, celebrata ante Chalcedonensem synodum, quæ decrevit regulas sanctorum Patrum per singula eatenus concilia constitutas proprium robur obtinere, a quibus omnibus Leo præcipit metropolitanos singularum provinciarum episcopos nulla aut negligentia aut præsumptione discedere. Et hinc Gelasius in generali decreto ad omnes episcopos de institutis ecclesiasticis dicit (*epist.* 6) : « Cum nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nil licere, et cum sedes apostolica super his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est quemdam vel pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere : satisque conveniens sit ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciet, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. » Et sanctus Gregorius ad Gallicanos scribens episcopos, inter alia et cum aliis dicit : « Omnia, inquiens, quæ sanctis canonibus sicut prædiximus sunt adversa, districte sub anathematis interpositione damnentur. » Qui beatus Gregorius

sæpenumero in suis decretalibus epistolis præstitutas conciliorum regulas observari, et ab eis in nullo declinari decernit. Et beatus Hormisda sancto Remigio, vices apostolicæ sedis ei committens, inter alia ita scripsit : « Paternas scilicet regulas, et decreta sanctissimis diffinita conciliis, ab omnibus servanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam et fraternæ monita exhortationis ostendimus. His ea quanta dignum est reverentia custoditis, nullum relinquit culpæ locum sanctæ observationis obstaculum. Ibi fas, nefasque perscriptum est; ibi prohibitum ad quod nullus audeat aspirare, ibi concessum quod debeat mens Deo placitura præsumere. »

His, frater, appone sensum tuum, his suppone mentem tuam, his accommoda animum tuum, his subde intelligentiam tuam, et non errabis, neque diffiues per vanas autumationes tuas, quibus es quasi vento pastus, potiusque inflatione distentus, dum tuis compilationibus, nihil tibi ad ea quæ intendis profuturis, quinimo plurimum obfuturis, incumbis. Quid, inquit beatus Leo, iniquius quam impia sapere, et sapientioribus doctioribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad apostolicas litteras, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt, et ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt. Audis quia venerabiles Patres leges usque in finem sæculi mansuras condiderunt? Audis quia quidquid ab eorum regulis fuerit diversum, erit penitus irritum? Audis sacros canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, a quibus nulla negligentia aut præsumptione a quolibet deviari conceditur? Audis quia contra eosdem canones nec etiam apostolica sedes sibi licere aliquid temere cupiat? Audis ut omnia quæ sanctis canonibus sunt adversa districte sub anathematis interpositione damnentur? Audis quoniam ibi fas nefasque perscriptum est, ibi prohibitum ad quod nullus audeat aspirare, ibi concessum quid debeat mens Deo placitura præsumere, et studes tergiversationes exquirere ut nulli possis subesse, qui non potes cunctis præesse? Audi etiam quid de his sacrorum conciliorum canonibus cum aliis orthodoxis etiam B. Augustinus, vir in omni catholica scientia et doctrina opinatissimus, ad Januarium scribens sentiat (*epist.* 118) : « Illa, inquiens, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem in toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri. Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec conciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint causæ, A quas in eis constituendis homines secuti sint, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. » Et Damasus papa, ex cujus epistola quædam tuis commentis inseruisti, non intelligens vel intelligere nolens quæ ipse dixit, et quæ tu loqueris, vel de quibus affirmas, scribens, ut præmisimus, per Vitalem ad Paulinum Antiochenum episcopum, ita de observatione canonum, sicut et de integritate fidei, jubet resipiscentes et ad Ecclesiam catholicam revertentes profiteri, atque propria subscriptione firmare, post alia (*epist.* 4) : « Quicunque, inquit, huic epistolæ subscribere voluerit, ita tamen ut in ecclesiasticis canonibus, quos optime nosti, et in Nicæna fide ante subscripserit, hunc debebis absque aliqua ambiguitate suscipere : non quo hæc B ipsa quæ nos scripsimus, non potueris convertentium susceptioni proponere, sed quo tibi consensus noster liberum in suscipiendo tribuat exemplum. » Et sanctus Leo ad Ravennium Arelatensem episcopum (*epist.* 94) : « Ecclesiasticarum, inquit, legum non ignara est dilectio tua, ut intra earum regulas atque mensuras omnia potestatis tuæ jura contineas. Justo quippe ideo dicitur lex non esse posita (*I Tim.* I, 9), quia normam præceptionis implet judicio voluntatis, cum verus recti amor in semetipso habet, et apostolicas auctoritates, et canonicas sanctiones : quarum devotus sectator et diligens executor in eorum procul dubio consortio gloriaberis qui creditorum sibi profectibus talentorum audire meruerunt : *Euge, serve bone et fidelis*, et reliqua. » Et S. Gregorius Quiriaco et cæteris episcopis ca- C tholicis in Hibernia ita scripsit dicens (*lib.* IX, *ind.* 4, *epist.* 61) : « Quicunque a perverso errore Nestorii revertuntur, coram sancta fraternitatis vestræ congregatione eumdem Nestorium cum omnibus suis sequacibus, ac reliquas hæreses anathematizantes, venerandas quoque synodos, quas universalis Ecclesia recipit, recipere et venerari promittant, et absque ulla dubitatione sanctitas eos vestra, servatis eis propriis ordinibus, in suo cœtu recipiat. » Et hinc sanctus Gelasius in epistola ad episcopos per Dardaniam constitutos (*epist.* 11, sub initium) : « Confidimus, inquit, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exsequi sedem præ cæteris oportere quam pri- D mam, quæ unamquamque synodum, et sua auctoritate confirmat, et continua moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper et retinet. »

CAPUT XI.

Quod latius de sacris ordinibus et canonum disciplinis ex orthodoxorum verbis et sensibus sit dicendum.

Hæc quidem sufficere posse credo non alta sapienti, sed humilibus consentienti. Verum quia ista tibi non credo debere sufficere, non dicam perfectius sive plenius, quia, ut jam longe ante nos dictum

est, perfectio incrementum, et adjectionem plenitudo non recipit, latius de præfatis sacris ordinibus et canonum disciplinis hic quædam ex orthodoxorum verbis ac sensibus ad reprimendum sensus tui tumorem, et ad repellendam compilationum tuarum caliginem, ponere dignum duxi. Sancta quippe Ecclesia, quam B. Paulus apostolus supernam Hierusalem, ac matrem nostram, et manentem civitatem, et ædificationem ex Deo, domum non manufactam appellat, ex angelis et hominibus constat. Quæ partim ex hominibus societate angelica in ordinibus distinctis perfruens, jam cum Deo in cœlo regnat, partim vero in ordinibus distinctis adhuc peregrinatur in terra, et ad supernam societatem suspirat, ubi est secundum Apostolum tabernaculum non manufactum, neque hujus creationis (*Hebr.* IX, 11). Ad cujus instar per Moysem factum est tabernaculum, de quo dixit ad eum Dominus : *Omnia fac juxta quod tibi in monte ostensum est.* In que superno et vero tabernaculo, quod fixit Deus, et non homo, in interiora velaminis, id est in ipsum cœlum,*confessionis nostræ antistes summus,et sempiternus pontifex,sempiternum habens sacerdotium, sacerdosque magnus secundum ordinem Melchisedech,per proprium sanguinem introivit semel in sancta,æterna redemptione inventa:sedensque ad dexteram Patris,* id est in gloria paternæ majestatis, *interpellat,* non voce sed miseratione, *pro nobis* (*Hebr.* III, VII, IX; *Rom.* VIII). Idemque *Rex regum, et Dominus dominantium* (*Apoc.* IX), per quem reges regnant et conditores legum justa decernunt (*Prov.* VIII), cœlestem ac terrenum principatum, cunctam videlicet rempublicam regens, et universam militiam, tam cœlestem et spiritalem quam terrenam et temporalem, distinctis in ordinibus disponens ac moderans, et supernæ atque mundanæ curiæ præsidens, miro ordine, angelorum hominumque ministerio, pro temporum varietate et opportunitate dispensat, et quæ singulis quibusque temporibus vel personis congruit, sua vel occulta inspiratione, vel evidentiori illustratione, vel patefacta præceptione decernit.

CAPUT XII.

Qui sint ordines in cœlo, et in Ecclesia, et in terrena republica.

Et quia legimus sacros ordines in cœlo et in terra, et in Testamento Veteri et in Novo, dispositos a Deo, ex quo juxta Apostolum omnis paternitas in cælo et in terra nominatur, qui sint ordines, id est paternitates in cœlo, et in Ecclesia, et in terrena republica, sancti doctores nostri, *haurientes aquas de fontibus Salvatoris* (*Ephes.* III, 15), id est bibentes scientiæ doctrinam de sanctis Scripturis, patenter ostendunt. Unde beatus Dionysius Areopagites, antiquus scilicet et venerabilis Pater, sicut didicit a Paulo apostolo, qui raptus usque ad tertium cœlum vidit secreta cœlestia, duos libros de angelico et ecclesiastico principatu scripsit. Et beatus Gregorius in libris Moralium, et latius in homilia Evangelii (*homo.* 34) : *Erant appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores* (*Luc.* XV, 11), quæ in suis locis lector inveniet, succinctius autem in epistola ad episcopos Galliarum scribens ostendit, in qua dicit : « Ad hoc divinæ dispositionis provisio gradus diversos et ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret ex diversitate contextio, et recte officium gereret administratio singulorum : neque universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. Quia vero creatura in una eademque æqualitate gubernari vel vivere non potest, cœlestium militiarum exemplar nos instruit ; quia dum sint angeli, sint archangeli, liquet quia natura æquales sunt, sed in potestate et ordine, sicut nostis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos qui sine peccato sunt ista constat esse distinctio, quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere ? Hinc etenim pax et charitas mutuo se invicem complectuntur, et manet firma concordiæ in alterna et Deo placita dilectione sinceritas, quia unumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit unus ad quem possit recurri præpositus. »

CAPUT XIII.

Quod si ordo generalis est omnibus episcopis, non tamen communis est dignitas omnibus.

Ordines quoque ministrantium in Ecclesia veteris populi, quæ usitatiore nomine Synagoga vocatur, fuisse legimus per Moysem a Deo dispositos : qui quales, et qualiter, ac quando ordinari deberent, et quando ac qualiter et quantum in singulis officiis ministrare deberent, historia sacra demonstrat. Sed et nunc in Ecclesia, quæ regnum cœlorum appellatur, ad instar cœlestium ordinum, ministros Domini institutione et apostolica traditione legimus et cognoscimus distincte esse dispositos : qui quales, et qualiter, et a quibus debeant ordinari, et qualiter quique in suis officiis debeant ministrare, ut superius memoravimus, apertissima nobis lectione monstratur, de quibus modo non est dicendum per singula. Tantum de eo unde agitur ordine, et unde ad rem de qua agitur pertinet, beatus Leo, sicut tibi nuper in suprafata schedula inter alia scriptum dedi, veluti traditione apostolica decretum didicit, ad Anastasium Thessalonicensem episcopum scripsit (*epist.* 84) : « Et si ordo, inquiens, generalis est omnibus sacerdotibus, non tamen communis est dignitas omnibus, quia et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præmineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus con-

stituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non moleste ferat sibi aliquem esse prælatum, sed obedientiam quam exigit etiam ipse dependat. » Nam si, ut legimus, angelus angelo dicit : *Curre et loquere* (*Zach.* II, 4), et angelus obedit angelo, non debet homo dedignari homini obedire, præsertim cum inobedientia parentis primi perditionis causa sit generis humani, et obedientia Salvatoris nostri, qui factus est obediens Patri usque ad mortem crucis, reparatio sit humanæ salutis. Diabolus quippe superbus hominem superbientem perduxit in mortem ; Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia sicut ille elatus cecidit et dejecit consentientem, sic iste humiliatus surrexit et erexit credentem.

CAPUT XIV.

Quod et in republica ad instar cœlestis militiæ diversi sint ordines.

Quia etiam sint angeli gentibus prælati, doctores catholici ex verbis angeli per Danielem prophetam ostendunt, dicentis : *Ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus, et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium mihi* (*Dan.* X) ; et paulo post : *Nunc revertar ut prælier adversus principem Persarum. Cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorum adveniens* (*ibid.*). « Quos, inquit beatus Gregorius (*lib.* XVII *Moral.*, c. 8), alios principes gentium nisi angelos appellat ? quia certa angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus sunt prælata, cum subjectorum mores adversus se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus contra se venire referuntur. Is namque angelus, qui Danieli loquebatur, captivis Israelitici populi in Perside constitutis prælatus agnoscitur : Michael autem eorum qui ex eadem plebe in judæa terra remanserant, præpositus invenitur. Unde et ab hoc eodem angelo paulo post Danieli dicitur : Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester, de quo dicit : *Et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium mihi.* Qui dum nequaquam simul esse, sed venire in adjutorium dicitur, aperte ei populo prælatus agnoscitur qui captivus in alia parte tenebatur. Quid est ergo angelum dicere : *Ego veni propter sermones tuos : princeps autem regni Persarum restitit mihi,* nisi sua subditis opera nuntiare ? Et his beatus Hieronymus consona dicit, quæ plenius qui voluerit in suis locis legere potest. Ad quod instar sunt ordines in sæculo Dei ordinatione distincti, sicut monstrat Apostolus, dicens : *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis (I Petr.* II, 13). « Liquet, inquit beatus Gregorius (*lib.* XXI *Mor.*, c. 10), quod omnes homines

A natura æquales genuit, sed variante meritorum ordine, alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diversitas, quæ accessit ex vitio, divino judicio dispensatur, ut quia omnis homo æque stare non valet, alter regatur ab altero. »

CAPUT XV.

De paternitatibus et incolatibus in cœlo, et in Ecclesia et republica.

Et quia per distinctos ordines sunt paternitates et incolatus a Deo constituti in cœlo, de quibus per Danielem dicitur : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei* (*Dan.* VII), quibus electorum quoque hominum numerus jungitur, et aliud est ministrare, aliud assistere, ad instar hujus cœlestis dispositionis, et in mundo, non solum
B dimensiones ecclesiasticorum incolatuum, sed et terrenorum, dispositæ a Deo existunt, sicut et in veteri populo exstiterunt, veluti libro Pentateucho demonstratur in dimensione terræ promissionis per duodecim tribus filiorum Israel. Unde et Paulus in Synagoga apud Antiochiam faciens sermonem, dixit : *Deus plebis Israel elegit patres nostros* (*Act.* XIII, 17); et paulo post : *Destruens gentes septem in terra Chanaam, sorte distribuit eis terram eorum* (*ibid.*, 19). *Ejecit,* inquit psalmus, *a facie eorum gentes, et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis (Psal.* LXXVII). Et beatus Joannes in Apocalypsi dicit, audisse se numerum de unaquaque tribu duodecim millia signatorum (*Apoc.* VII). Hoc enim numero diffinito, ut catholici doctores exponunt, innumera-
C bilis significatur totius Ecclesiæ multitudo, quæ de patriarchis, vel prosapia carnis, vel fidei est imitatione progenita. *Si enim,* inquit, *vos Christi, ergo Abrahæ semen estis* (*Gal.* III, 29.) Ad augmentum autem perfectionis pertinet et ipsa duodecim duodecies multiplicari, et ad summam millenarium perfici, qui est denarius numerus quadratus solidus, significans stabilem Ecclesiæ vitam. Propterea quippe duodenario numero sæpius Ecclesia figuratur, quia per orbem quadratum in fide consistit sanctæ Trinitatis. Ter enim quaterni decusdipondius faciunt. Denique et apostoli, eamdem mundo fidem prædicaturi, duodecim sunt electi, numero scilicet mysterium operis sui figurantes. Missi sunt enim per quadratum mundum prædicare fidem sanctæ Trinitatis, et incarnatum de Spiritu sancto ex Maria virgine Dominum
D Jesum Christum, et hunc crucifixum, sicut in Symbolo continetur : quo signo crucis, et per Ezechielem in figura (*Ezech.* IX), et per Joannem in speciei veritate (*Apoc.* VII), fideles signati monstrantur. Nam et ipsa crucis figura dilatatum ubique Domini significat regnum, et monarchiam fidei ipsius signi, sicut vetus distichon probat :

Respice distinctis quadratum partibus orbem,
Ut signum fidei cuncta tenere probos.

Neque enim frustra in fronte pontificis nomen Domini tetragrammaton scribebatur, nisi quia hoc est signum in fronte fidelium, de quo in psalmo pro tor-

cularibus canitur : *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* etc., usque dum ait, *ut destruas inimicum et defensorem* (*Psal.* VIII). Ipsosque incolatus parochiarum ac regionum, olim sancto spiritu ante incarnationem Christi per prophetam prædictos, et post ascensionem in cœlum eodem sancto spiritu per sanctos Dei homines dimetiendos fore demonstrat sanctus Basilius (*homil. in psal.* LIX) tranctans versum quo dicitur *Convallem tabernaculorum dimetiar.* « Hanc, inquiens, præcipuam et velut privatam quondam plebem, scilicet Israeliticam hæreditatem populi, in divisionem vocabo, et communem, cum cæteris omnibus faciam. Cum autem divisum fuerit testamentum in omnes, et cum ejus utilitas universis cœperit esse communis, Deo pro nobis aliquid melius providente, tunc etiam convallis tabernaculorum dimetietur, hoc est, universus orbis terrarum, qui vallis tabernaculorum pro habitaculis corporum dictus est, hic velut quadam sorte divisus atque dimensus, per singula loca Ecclesiarum Dei parochiis et incolatibus dividetur. Tunc etiam ea quæ divisa sunt, in unitatem fidei congregabit ille qui pacificat per sanguinem crucis suæ, sive quæ in terra sunt, sive quæ in cœlis, et qui medium parietem solvens, fecit utraque unum. » Hinc iterum scriptum est : *Distribuite domos ejus* videlicet universalis Ecclesiæ, per custodiarum parochias prædicando, *ut enarretis in progenie altera, quoniam hic est Deus noster, et ipse reget nos in sæcula* (*Psal.* XLVII). Ad quod instar, secundum constitutionem Anacleti, Dionysius papa rusticanis parochiis terminos certos posuit, ac ponendos disposuit, de quibus etiam Chalcedonense concilium quæ sunt nota decrevit.

De provinciarum autem dimensione, et civitatum privilegiis, quæ ad instar duodecim tribuum Israelitici populi ethnici statuerunt, et apostolica sunt postea constitutione firmata, sanctus Clemens in prima epistola ad Jacobum Hierosolymitanum episcopum, qui et frater Domini appellatur, scripsit, quod tu in compilatione tua sicut et nec præcedentia verba Leonis ponere voluisti, ne inveniretur in eis quod tu alicui, præter apostolicæ sedis pontifici, deberes aliquo modo subdi, inaniter putans quod si tu hæc in tuo pitaciolo non poneres, alii non haberent libros ubi ea legere potuissent. Sed quis ea quæ nosti ignorat? Prius enim quam formareris in utero illa novimus, et antequam exires de vulva sæpissime legimus, et discretius, quam tu Scripturas sacras et canones sacros intelligas intelleximus. Ait enim beatus Clemens inter alia in præfata epistola (*epist.* 2, sub medium), « jussisse beatum Petrum, in illis, inquiens, civitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum, atque primi legis doctores erant, episcoporum primates poni vel patriarchas, qui reliquorum episcoporum judicia et majora quoties necesse foret negotia in fide agitarent, et secundum Domini voluntatem, sicut constituerunt sancti apostoli, ita ut ne quis injuste periclitaretur, definirent. In illis autem civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant ethnicos eorum archiflamines, quos tamen minores tenebant quam memoratos primates, archiepiscopos institui præcepit, qui non tamen primatum, sed archiepiscoporum fruerentur nomine. Episcoporum quoque judicia, ut superius memoratum est, et majora ecclesiarum negotia, si ipsi reclamaverint, aut aliquem timorem, aut istos vel alios suspectos habuerint, ad jam dictos primates vel patriarchas, ne aliquis innocenter periret, transferri perdocuit. In singulis vero reliquis civitatibus, singulos, et non binos vel ternos aut plures, episcopos constitui præcepit, qui non primatum, aut archiepiscoporum, aut metropolitanorum, nomine, quia matres civitatum non tenent, sed episcoporum tantum vocabulo potirentur, quoniam nec inter ipsos apostolos par institutio fuit, sed unus omnibus præfuit. Hoc tamen prævidendum instituit, ne in villis aut castellis, vel modicis civitatibus instituerentur episcopi, ne vile eorum nomen fieret. Episcopos ergo vicem apostolorum gerere Dominum docuisse dicebat, et reliquorum discipulorum vicem tenere presbyteros insinuabat debere. »

Et sanctus Anacletus, successor Clementis, a beato Petro apostolo presbyter ordinatus, in prima epistola ad omnes episcopos et cæteros fideles (*epist.* 1, sub finem) : « Privilegia, inquit, Ecclesiarum et sacerdotum sancti apostoli, jussu Salvatoris, intemerata et inviolata ævis decreverunt manere temporibus. Leges Ecclesiæ apostolica firmamus auctoritate, et peregrina judicia submovemus. Unde et Dominus mentionem faciens Lot, per Moysen loquitur dicens : Ingressus es quidem, inquiunt, ut advena, nunquid ut judices? (*Gen.* XIX.) Unaquæque enim provincia tam juxta ecclesiasticas quam juxta sæculi leges, suos debet justos et non iniquos habere judices, et non externos, nisi apostolicæ hujus sedis decreverit auctoritas : quatenus quicunque causam habuerit, apud suos judices judicetur, et non ad alienos causa vagandi, stimulante protervia, suam despiciens patriam transeat, sed ad duodecim ejusdem provinciæ judices, ad quorum judicium omnes causæ civitatum referuntur, deferatur negotium. Si autem fuerit ecclesiasticum, apud episcopos, interveniente primate, si major causa fuerit ; si vero minor, metropolitano. Si vero fuerit sæculare, apud ejusdem ordinis viros, judicio tamen episcoporum, cum Apostolus privatorum Christianorum causas magis ad Ecclesias deferri, et ibidem sacerdotali judicio terminarit voluit. » Et in secunda epistola ad episcopos in Italia constitutos dicit : Provinciæ autem multo ante Christi adventum tempore divisæ sunt maxima ex parte, et postea ab apostolis, et beato Clemente prædecessore nostro, ipsa divisio est renovata. Et in capite provinciarum, ubi dudum primates legis erant sæculi, ac prima judiciaria potestas, ad quos qui per reliquas civitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam imperatorum vel regum confugere non poterant, vel

quibus permissum non erat confungere, pro oppressionibus vel injustitiis suis [confugiebant], ipsosque appellabant quoties opus erat, sicut in lege eorum præceptum erat, ipsis quoque in civitatibus vel locis nostri patriarchas vel primates, qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges divinæ et ecclesiasticæ poni et esse jusserunt, ad quos episcopi, si necesse fuerit, confrugerent eosque appellarent, et ipsi nomine primatum fruerentur, et non alii : reliquæ vero metropolitanæ civitates, quæ minores judices habebant, lices majores comitibus essent, haberent metropolitanos suos, qui prædictis juste obedirent primatibus, sicut et in legibus sæculi olim ordinatum erat, qui non primatum, sed aut metropolitanorum, aut archiepiscoporum nomine fruerentur. Et licet singulæ metropoles civitates suas provincias habeant, et suos metropolitanos habere debeant episcopos, sicut prius meteopolitanos judices habebant sæculares, primates tamen, ut præfixum est, et tunc et nunc habere jussæ sunt, ad quos post sedem apostolicam summa negotia conveniant, ut ibidem quibus necesse fuerit releventur et juste restituantur, et hi qui injuste opprimuntur juste reformentur atque fulciantur, episcoporumque causæ et surmorum negotiorum judicia, salva apostolicæ sedis auctoritate, justissime terminentur. » Et in tertia epistola : « De primatibus, inquit, charissimi, super quibus me quidam vestrum consuluerunt, aut si esse deberent, an non, quantum hactenus de his a beato Petro apostolo, et a reliquis apostolis, et a beato Clemente nostro sancto prædecessore et martyre novimus statutum, denegare vobis minime possumus. Et quis est, qui quærentibus fratribus denegare possit dubitationem vel necessitates eorum ? Sacerdotum, fratres, ordo bipartitus est, et sicut Dominus illum constituit, a nullo debet perturbari. Scitis autem a Domino apostolos esse electos et constitutos, et postea per diversas provincias ad prædicandum dispersos. Cum vero messis cœperat crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adjumentum septuaginta eligi præcepit discipulos. Episcopi vero Domini apostolorum, presbyteri quoque septuaginta discipulorum locum tenent. Episcopi autem non in castellis aut modicis civitatibus debent constitui, sed presbyteri per castella et modicas civitates atque villas debent ab episcopis ordinari et poni, singuli tamen per singulos titulos suos : et episcopus non ab uno, sed a pluribus debet episcopis ordinari, et ut dictum est, non ad modicam civitatem, ne vilescat nomen episcopi, aut alicubi, sed ad honorabilem urbem titulandus, et denominandus est : presbyter vero ad qualemcunque locum vel ecclesiam in eo constitutam est præficiendus, atque in ea diebus vitæ suæ durandus. Amplius quam isti duo ordines sacerdotum, nec nobis a Deo collati sunt, nec apostoli docuerunt. Episcoporum vero ordo unus est, licet sint primates illi qui primas civitates tenent, qui et in quibusdam locis patriarchæ a nonullis vocantur. Illi autem, qui in metropoli a beato Petro, ordinante Domino et prædecessore nostro prædicto sancto Clemente, seu a nobis constituti sunt, non omnes primates vel patriarchæ esse possunt. Sed illæ urbes quæ præfatis et priscis temporibus primatum tenuere, archiepiscoporum, Patriarcharum, aut primatum nomine fruantur : reliquæ vero metropoles archiepiscoporum, aut metropolitanorum, et non patriarcharum aut primatum utantur nominibus, quia hæc eadem et leges sæculi in suis continent principibus. Aliæ autem primæ civitates, quas vobis conscriptas in quodam tomo mittimus, a sanctis apostolis et a beato Clemente, sive a nobis primates prædicatores acceperunt. Hæc vero sacrosancta Romana et apostolica Ecclesia, non ab aliis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, sicut ipse beato Petro apostolo dixit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* » Et paulo post : « Prima ergo sedes est cœlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ, quam, ut memoratum est, beatissimi Petrus et Paulus suo martyrio consecrarunt. Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco ejus discipulo atque evangelista consecrata est, quia ipse et in Ægypto primum verbum veritatis directus a Petro prædicavit, et gloriosum suscepit martyrium, cui venerabilis successit Habilius. Tertia vero sedes apud Antiochiam, id est, beati Petri apostolis habetur honorabilis, quia illic priusquam Romam veniret habitavit, et Ignatium episcopum constituit, et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. Reliquas vero, ut prædiximus, in quodam tomo, prolixitatem vitantes epistolæ, vobis conscriptas direximus. Inde namque et beati Apostoli inter se statuerunt ut episcopi singularum scirent gentium quis inter eos primus esset, quatenus ad eum potior eorum sollicitudo pertineret. Nam et inter beatos apostolos quædam fuit discretio, et licet omnes essent apostoli, Petro tamen a Domino est concessum, et ipsi inter se idipsum voluerunt, ut reliquis omnibus præesset apostolis, et Cephas, id est caput et principium teneret apostolatus quia et eamdem formam suis successoribus, et reliquis apostolis tenendam tradiderunt. Et non solum hoc in Novo Testamento est constitutum, sed etiam in Veteri fuit. Unde scriptum est : Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus (*Psal.* XCVIII) id est, primi inter eos fuerunt. » Inde sacrum Nicænum concilium paucioribus quidem verbis, sed non minori auctoritate decrevit (*can.* 6), quatenus « antiqua consuetudo, scilicet quæ apud ethnicos statuta fuerat, et apostolica est postea constitutione firmata, servetur, ut Alexandrinus episcopus suorum omnium habeat potestatem, quia et urbis Romæ episcopo parilis mos est. Similiter et apud Antiochiam cæterasque provincias suis privilegia serventur Ecclesiis.

His autem prætermissis, sed et quæ Zephyrimus decrevit (*epist.* 1), ut quilibet episcopus accusatus a

uodecim judicetur episcopis, ad Callistum, et ad A ucium te contulisti, et quæ Stephanus statuit, qui ost eos fuit, contingere noluisti, qui dicit (*epist.* 2): Nullus præfati ordinis, videlicet episcopalis, vir ccusari potest, aut respondere suis accusatoribus ebet, priusquam regulariter a suo primate vocatus it, locumque defendendi et inquirendi accipiat ad bluenda crimina. Nulli enim metropolitani, aut alii piscopi appellentur primates, nisi hi qui primas edes tenent, et quorum civitates antiqui primates sse censuerunt. Reliqui vero, qui civitates metro-olitanas adepti sunt, non primates aut archiepiscopi, ed metropolitani vocentur. Urbes enim et loca, uibus primates præsidere debent, non modernis, ed etiam multis ante adventum Christi sunt statutæ emporibus, quarum primates etiam gentiles pro B najoribus negotiis appellabant. In ipsis vero urbibus ost Christi adventum apostoli et successores eorum atriarchas vel primates posuerunt, ad quos episco-orum negotia, salva in omnibus apostolica aucto-itate, et majores causæ post apostolicam sunt sedem eferendæ. Et licet, Apostolo prohibente, inter Chri-tianos non debeant accusationes exerceri, si prohiberi ion poterunt accusationes, episcoporum ad memoratos rimates debent ad accusatoribus deferri. Studendum st tamen episcopis ut dissidentes fratres magis ad pa-em quam ad judicium cohortentur. Episcopus autem lliter non debet audiri vel judicari, nisi in præsentia mnium comprovincialium, et ab omnibus compro-incialibus episcopis, qui ipsis absentibus judicarii iec debet, nec potest. »

Deinde plurima ex plurimis exponens, quæ tibi C isa fuerunt tecum facere, sed revera probantur re-larguere, Pelagium decessorem S. Gregorii transi-isti, et verba successoris ejus B. Gregorii ad Theo-tistam patriciam a suo sensu, quantum ex te fuit, alienans, alienis a beato Gregorio verbis impostu-asti. Ait enim idem Pelagius ad episcopos, qui injusta vocatione Joannis ad synodum Constantino-polim ut decernerent eum universalem vocari consti-uerunt (Pelag. II, *epist.* 1, sub finem): « De cætero, nquiens, fratres, super provinciæ causa, unde se-lem apostolicam dudum consulere voluistis, videtur obis sufficienter tractatum a sanctis prædecessori-us nostris. Sed quia denuo nostram mediocritatem e eadem re interrogare dignum duxistis, scitote ertam provinciam esse quæ habet decem vel unde- D im civitates, et unum regem, et totidem minores otestates sub se, et unum episcopum, aliosque suf-ragatores decem vel undecim episcopos judices, ad uorum judicium omnes causæ episcoporum, et re-iquorum sacerdotum, ac civitatum causæ referantur, t ab his omnibus juste consona voce decernantur, isi ad majorem auctoritatem fuerit ab his qui judi-andi sunt appellatum. Unde non oportet ut degra-etur vel dehonoretur unaquæque provincia, sed pud semetipsam habeat judices sacerdotes, et epi-copos singulos, videlicet juxta ordines suos, et qui-umque causam habuerit, a suis judicibus judicetur, et non ab alienis, id est a suæ justis judicibus provinciæ, et non ab externis, nisi, ut jam prælibatum est, a judicandis fuerit appellatus. Si vero in qualibet provincia ortæ fuerint quæstiones, et inter ipsius provinciæ episcopos discrepare cœperit ratio, atque inter ipsos dissidentes non conveniat, ad majorem tunc sedem referantur, et si illic facile et juste non discernuntur, ubi fuerit synodus regulariter congregata canonice et juste discernantur. Majores vero et difficiles quæstiones, ut sancta synodus statuit, et beata consuetudo exigit, ad sedem apostolicam semper referantur. »

CAPUT XVI.

De metropoli Rhemorum, et castro Lauduno; et quod tres primariæ sedes una fuit sedes Petri. Hormisdæ ad sanctum Remigium epistola.

Vide, frater, utrum certa sit provincia metropoli Rhemorum ex antiquo subjecta : quæ metropolis undecim civitates sub se habuit etiam antequam beatus Remigius auctoritate Africani concilii ordinaret episcopum in castello in quo et tu metropolis tuæ suffragator es ordinatus episcopus, et refragator ipsius dignitatis atque auctoritatis, asse, ut dicitur, excrevisti de pusillo magnus apud te oppidanus episcopus. Quod, sicut Eutropius antiquus historiographus dicit, auctore Marcobrio prætore conditum, ab exordio sui in paganismo inter civitates vel provinciales sedes nomen et locum non habuit. Et postquam B. Sixtus a Sixto sedis Romanæ pontifice primus ad Rhemensem metropolim fuit directus episcopus, in Christianismo per quindecim archiepiscoporum tempora, plurimis annorum evolutis curriculis, in Rhemensi parochia, sicut et alia municipia quæ hodieque ibidem consistunt, municipalem locum tenuit, sicut et tomus quem Anacletus episcopis de sedium privilegiis se interrogantibus se misisse dicit patenter ostendit, veluti ipse legere potes in eodem breviaro, in quo descriptis civitatibus metropoli Rhemorum subjectis, nomen castelli in quo es ordinatus episcopus, nequaquam invenies. Sed et per plures annos tempore ejusdem B. Remigii, qui, ut veraces nostratium historiæ monstrant, septuaginta quatuor et eo amplius annos in episcopatu degens, et multis insignibus virtutibus clarus, jam in senecta sua ibidem ordinavit episcopum, et rebus ecclesiasticis (quoniam secundum sacras regulas quidquid rerum et mancipiorum in ordine episcopatus acquirit episcopus, sicut et illæ quæ ante fuerunt Ecclesiæ, habentur Ecclesiasticæ), idem episcopium sufficienter ditavit. Quamobrem sicut sedes Ecclesiarum, scilicet Romanæ, Alexandrinæ, atque Antiochenæ, idcirco specialiter legimus sedes dici, cum plurimæ sedes et apostolorum, sicut Jacobi Hierosolymæ, et Joannis apud Ephesum, in qua sedit et Thimotheus beati Pauli discipulus, et multæ aliæ principalium civitatum quoniam sedes sunt, quin potius, licet disparentur longinquitate terrarum, una sedes sunt magni Petri apostolorum principis : ita pro modo suo Rhemorum metropolis, et Laudunensis parochia, spe-

cialiter inter cæteras sedes provinciales Rhemorum A provinciæ una est sedes, quia beatus Remigius eamdem sedem Laudunensem in subsellio Rhemensis metropolis consedere fecit, quam a sua parochia, non autem a diœcesis provincia, scidit. Quia vero Alexandrina et Antiochena sedes, sicut et Romana, beati Petri sint sedes, Leo ad Dioscorum Alexandrinum episcopum monstrat, dicens (*epist.* 7) : « Cum enim beatissimus Petrus apostolicum a Domino acceperit principatum, et Romana Ecclesia in ejus permaneat institutis, nefas est credere quod sanctus discipulus ejus Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta formaverit, cum sine dubio de eodem fonte gratiæ unus spiritus et discipuli fuerit et magistri, nec aliud ordinatus tradere potuerit quam B quod ab ordinatore suscepit. Non ergo patimur ut cum unius nos corporis et fidei fateamur, in aliquo discrepemus, et alia doctoris, alia discipuli instituta videantur. » Et sanctus Gregorius ad Eulogium Alexandrinum episcopum (*lib.* VIII, *epist.* 42) : « Veritatis, inquit, minister, Petri sequax et sanctæ Ecclesiæ prædicator, scit quia illa loqui potuisti, quæ de sede Petri apostoli per os doctoris sonare debuerunt. » Et item idem ad eumdem : Sit ergo illi laus, sit in excelsis gloria, cujus dono adhuc in sede Petri clamat vox Marci. » De Antiochena autem Ecclesia sanctus Innocentius ad Alexandrum Antiochenum episcopum dicit (*epist.* 20) : « Revolventes itaque auctoritatem Nicænæ synodi, quæ una omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quæ C censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super alium aliquam provinciam recognoscimus constitutam. Unde advertimus non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi apostoli sedes esse monstretur, ubi et nomen accepit religio Christiana, et quæ conventum apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæque urbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gaudet. » Et Leo ad Maximum Antiochenum episcopum (*epist.* 66) : « Oportet, inquit, dilectionem tuam toto corde conspicere cujus Ecclesiæ gubernaculis te Dominus voluit præsidere, et D ejus meminisse doctrinæ quam præcipuus apostolorum omnium beatissimus Petrus, per totum quidem mundum uniformi prædicatione, sed speciali magisterio in Antiochena et Romana urbe fundavit, ut illum in suæ glorificationis domicilio præeminentem ea intelligas reposcere instituta quæ tradidit, sicut ab ipsa quam confessus est veritate suscepit. Neque ullo modo sinas in Orientalibus Ecclesiis, maximeque his quas Antiochenæ sedi sacratissimorum patrum Nicæni canones deputarunt, ab improbis hæreticis Evangelio resultari. » Et post aliquanta : « Dignum est enim te apostolicæ sedi in hac sollicitudine esse consortem, et ad agendi fiduciam privilegia tertiæ sedis agnoscere, quæ in nullo cujusquam ambitione minuitur : quia tanta apud me est Nicænorum canonum reverentia, ut ea quæ sunt a sanctis Patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliqua novitate violari. Et si enim diversa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen jura permanent sedium, quibus possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. »

Et sanctus Gregorius ad Anastasium Antiochenum episcopum (*lib.* VII, *epist.* 3) : « Ecce in sancta senectute beatitudo vestra multis tribulationibus laborat, sed perpendat, cujus sedem teneat, nunquid non illius, cui voce veritatis dictum est : *Cum senueris, alius te cinget, et ducet quo non vis?* (*Joan.* XXI.) » Et idem ad eumdem (*lib.* IV, *epist.* 37) : « Amen, gratia. Quæ videlicet verba, de scriptis vestris accepta, idcirco in meis epistolis pono, ut de sancto Ignatio vestra beatitudo cognoscat quia non solum vester est, sed etiam noster. Sicut enim magistrum ejus apostolorum principem habemus communem, ita quoque ejusdem principis discipulum nullus nostrum habet privatum. » Hunc enim Ignatium beatus Petrus, quando Romam petiit, Antiochiæ pro se ordinavit episcopum. Et licet beatus Petrus antea in Antiochia sederit, quam Romam venerit, unde Marcum Alexandriam misit : non tamen ideo Antiochia secunda, sed tertia sedes, et Alexandrina Ecclesia secunda sedes dicitur, propter privilegium Evangelii, quod sanctus Marcus evangelista ore Petri excepit atque conscripsit, quod et in Alexandria prædicavit, et Alexandrinum populum, cum subjectis eidem magnæ civitati urbibus, veræ fidei fundamento fundavit, sicut et sanctus Gregorius ad Eulogium Alexandrinum episcopum inter cætera scribit dicens (*lib.* V, *epist.* 60) : « Est aliquid quod nos erga Alexandrinam Ecclesiam quadam peculiaritate constringit, et in ejus amore proniores existere speciali quodammodo lege compellit. Nam sicut omnibus liquet quod beatus evangelista Marcus a S. Petro apostolo magistro suo Alexandriam sit transmissus, sic hujus nos magistri et discipuli unitate constringimur, ut et ego sedi discipuli præsidere videar propter magistrum, et vos sedi magistri propter discipulum. Ad hanc autem unitatem cordium etiam vestræ sanctitatis meritis ligamur, quos auctoris suisalubriter sequi instituta cognoscimus, et semper ad magistri sui gremium, unde illic prædicatio salutis exorta est, tota se conferre devotione sentimus. » Et item, quod tres illæ sedes, scilicet Romana, Alexandrina, et Antiochena, una si Petri sedes, ad eumdem Eulogium Alexandrinum episcopum scribit (*lib.* VI, *epist.* 37) : « Suavissima, inquiens, mihi sanctitas vestra multa in epistolis suis de sancti apostolorum principis Petri cathedra locuta est, dicens quod ipse in ea nunc usque in suis successoribus sedeat. Et quidem ego indignum me esse non solum in honore præsidentium, sed etiam in numero stantium agnosco; sed cuncta quæ dicta

sunt in eo libenter accepi, quod ille mihi de Petri cathedra locutus est, qui Petri cathedram tenet, et cum me specialis honor nullo modo delectet, valde tamen lætatus sum, quia vos sanctissimi quod mihi impendistis, vobismetipsis dedistis. Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in apostolorum principis soliditate confirmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur, cui Veritatis voce dicitur : *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI) ; *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII) ; et iterum : *Simon Joannis, amas me ? Pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Ita et cum multi sint apostoli, pro ipso tamen principatu, sola apostolorum principis sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere et præsidendo vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem, in qua evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit sedem, in qua septem annis quamvis discessurus sedit. Cum ergo unius atque una sit sedes, cui ex auctoritate divina tres nunc episcopi præsident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo ; si quid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate, quia in illo unum sumus qui ait : *Ut omnes unum sint, sicut et tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint (Joan.* XVII*).*

Si ergo, frater, immemor beneficiorum a me tibi impensorum oblitus, adversum me rebellare non times, time tamen rebellare adversus beatum Remigium, qui sicut modo audisti, nunc usque in suis successoribus qualibuscunque sedet ; et quia sedes illius est, in qua resides ex auctoritate divina, et ipsius beati Remigii benignitate, inter sedes, quod antea non fuerat, computata : quidquid de me, qui sedeo in sede illius, boni audis, tibi imputare debes, quia quidquid de te boni audio, mihi imputo, et quidquid de te sinistrum audio, non tantum tuis, sed et meis peccatis imputo per cujus manus impositionem Dei judicio te in illa sede residere cognosco. Desine ergo ab ea quam cepisti mentis improbitate, et assume mentis humilitatem cum virtute sanctæ obedientiæ, ut in illo unum simus, qui ait : *Ut omnes unum sint, sicut et tu, Pater, in me et ego in te : ut et ipsi in nobis unum sint.* Quoniam sicut et ex verbis apostolicæ sedis audisti, licet harum Ecclesiarum, Alexandrinæ scilicet et Antiochenæ, præsules beati Petri sedes tenere se cognoscant, quod et Romani pontifices attestantur, non tamen subditas easdem sedes Romanæ sedi denegant, nec ipsi Romano pontifici subdi modo quolibet dedignantur ; nec tui decessores ac prædecessores subdi dedignati sunt Rhemorum episcopis, et de rebus Ecclesiæ Rhemorum metropolis de quibus ditatum est episcopium Laudunense, quando in ipsam venerunt parochiam, humiliter ac benigne Rhemensi Ecclesiæ famulari, ex quo beatus Remigius sanctum Genebaudum in Laudunensi castello episcopum non solum constituit, sed etiam, ut ostendit antiqua traditio, et monimentum reclusionis, qua eum propter

A excessum notissimum secundum regulas reclusit, post dignam satisfactionem restituit : sicut et mihi decessores tui Simeon et Pardulus, cui successisti, exhibuerunt usque ad tuam prælationem, quem Rhemensis Ecclesia ab ipsis, ut ita dicam, cunabulis dulci benignitate nutrivit, et pannis infantiæ eluit atque exuit, et ad virum perduxit, atque ad episcopatum provexit. De quo nunc per ora sibi servientium cum suspiriis ac gemitibus dicit : Ex nobis exiit, sed non erat ex nobis ; si enim fuisset ex nobis, permansisset utique nobiscum. Et attendens qualiter episcopi civitatum suæ provinciæ, quos non nutrivit, sed regulariter ordinavit, ei benignitatis et humilitatis atque obedientiæ impendant obsequia, dicit : Populus quem non cognovi servit mihi, in B auditu auris obedit mihi : filius autem alienus mentitus est mihi, filius alienus inveteravit (*Psal.* XVII), videlicet quia quod agit ad hominem vetustum pertinet, et claudicat a semitis suis, quas in mandatis Domini per humilitatem et obedientiam debuerat currere, et sumens lamentum Domini de Isaia : *Filium,* inquit, *nutrivi et exaltavi, ipse autem sprevit me* (*Isa.* I). Et licet tu hoc forte non recogites neque timeas, certus tamen esse potes quia sanctus Remigius a te reposcet in conspectu Domini obedientiam dependendam suis successoribus, et tuis præpositis, quam instituit quando in eodem castello, in quo ordinatus es, consecravit episcopum, sicut de verbis beati Leonis ad Maximum Antiochenum episcopum : Prœposui beatum Petrum, in suæ glorificationis domicilio præeminentem, ea reposcere instituta, C quæ in Antiochia tradidit. Attamen, velis, nolis, sanctus Hormisda papa tibi ostendet primatem esse hujus provinciæ illum qui in sede beati Remigii apud Rhemorum metropolim est ordinatus episcopus. Ait enim in epistola ad eum directa : « Dilectissimo fratri Remigio Hormisda. Suscipiens plena fraternitatis tuæ congratulatione colloquia, quibus nos germanæ salutis tuæ lætificavit indicio, corporali cum spiritalibus officiis incolumitate subnixo, congruum esse perspeximus, hanc ipsam, quam mente gerimus, verbis aperire lætitiam. Agis enim summi documenta pontificis, dum et prædicanda facis, et ea insinuare non differs. Prærogativam igitur de nostri sumpsimus electione judicii, quando id operatum te esse didicimus, quod cæteris agendum obnixius imperaD mus, ut in provinciis tanta longinquitate disjunctis, et apostolicæ sedis vigorem, et patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne regnum dilecti et spiritalis filii nostri Clodovei, quem nuper, adminiculante superna gratia, plurimis et apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis prædicationem salutiferam concomitantibus, ad fidem cum gente integra convertisti, et sacri dono baptismatis consecrasti, salvis privilegiis quæ metropolitanis decrevit antiquitas, præsenti auctoritate committimus, augentes studii hujus participatione ministerii, dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excu-

bias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, a quo jam probavimus acutius universa servari, gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, et laboraturis injuncti operis forma monstratur. Paternas igitur regulas, et decreta sanctissimis diffinita conciliis ab omnibus servanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam et fraternæ monita exhortationis ostendimus. His ea quanta dignum est reverentia custoditis, nullum relinquit culpæ locum sanctæ observationis obstaculum. Ibi fas nefasque perscriptum est, ibi prohibitum, ad quod nullus audeat aspirare, ibi concessum quod debeat mens Deo placitura præsumere. Quoties universale poscit religionis causa concilium, te cuncti fratres evocante conveniant, et si quos eorum specialis negotii pulsat intentio, jurgia inter eos oborta compesce, discussa sacra lege determinando certamina. Quidquid autem illic pro fide et veritate constitutum, vel provida dispensatione præceptum, vel personæ notræ auctoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perveniat. Eo fiet ut et noster animus officii charitate dati, et tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. »

Sed et Adrianus papa Tilpino prædecessori nostro talia suæ auctoritatis privilegia, et sibi commissæ Ecclesiæ dedit, sicut scripta quæ habemus demonstrant. Quæ exiguitas mea nec meruit, nec ambit, nec appetit, nec requirit, quanquam et quarti Leonis, ei nomine ac gratia Benedicti auctoritas mihi privilegia non a me quæsita contulerint, quia sufficiunt mihi quæ per sacros canones unicuique sunt metropolitano collata. Unde sicut omnibus generaliter episcopis convenit pro Romano pontifice, et speciali Petri vicario Dominum exorare, veluti et traditio demonstrat ecclesiastica (de qua Cœlestinus dicit [*post epist.* 8] : « Obsecrationum sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab apostolis tradita in toto mundo atque in omni catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi »), eidemque ab omnibus obediri oportet, sicut ex evangelica et apostolica auctoritate, majorum traditione, atque antiqua consuetudine noscitur esse decretum : sic ab omnibus provinciæ coepiscopis, qui a primate suæ metropolis ordinantur, convenit secundum sacras regulas obediri, et pro eo Dominum supplicari, quoniam incolumitas præsidentis salus est subditorum. Sed et te in his vigilantiorem curam exhibere convenerat, quem taliter, ut præmisi, a se nutritum Rhemorum metropolis in subsellio sedis suæ ordinavit episcopum. Quæ non meo, sed ex Scripturarum sensu beati Leonis institutione profero (*serm.* 3, *in anniversario die ejusdem assumptionis*) : « Instante, inquit, passione sua Dominus, quæ discipulorum erat turbatura constantiam, ait : *Simon, ecce Satanas expostulavit, ut vos cerneret veluti triticum ; ego autem rogavi pro te ne deficiat fides tua ; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII. 31, 32). Et omnibus apostolis : *Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem* (*Matth.* XXVI, 41). Commune erat omnibus apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere ; et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, ut pro fide Petri proprie supplicetur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divina gratia ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur. » Cum itaque et vobis provinciæ coepiscopis, per primatem ejus, orationibus et manus impositione in ordinatione gratia sancti Spiritus et episcopalis ordo tribuitur, justum esse perpenditur ut, papa Romano prælato, ei a vobis orationis devotio et obeditionis dilectio rependatur ; quod et in illis temporibus actum legimus, in quibus non adeo abundavit iniquitas, et refriguit charitas sicut modo in nostris agitur. Lege nimirum epistolam Leonis ad Anastasium, et invenies cum Attico metropolitano episcopos provinciæ suæ Romam venisse sine datis induciis, non retardatos metu sublimissimæ inter mundanos apices potestatis, per sævitiam hiemis, per iter asperum et periculis plenum, per invias nives, cum tanto labore atque discrimine, ut ex his qui episcopum comitati sunt, quidam defecerint, ut cum eo de indignissima afflictione quam pertulit, lacrymabili actione conquererentur. Quod tu quomodo ageres, si metropolitanum tuum hoc indigere videres, qui quantiscunque potes molitionibus certas, ut tuæ metropoli auctoritatem ex antiquo per sacras regulas attributam deroges, ac per hoc omnibus metropolitanis debita jura tollas ? Sicut enim Apostolus Corinthiis dicit : *Et si aliis non sum apostolus, sed tamen vobis sum ; nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino* (*I Cor.* IX) ; et si aliis primas forte non essem, tibi tamen apud te primas esse debueram ; nam signaculum primatus mei tu es, quem signe interrogatione primatis alterius, cum consensu coepiscoporum Rhemensis provinciæ, potui ordinare episcopum : qui me tunc vehementer ac inhianter cupiebas esse primatem totius provinciæ, tantum ut vel in uno opidulo posses esse episcopus, et etiam, si vellem et auctoritas ac ratio foret, honoris ac potestatis cupidus, vicanus fieri consentires episcopus, qui Græce vocatur chorepiscopus, sicut nunc paret, qui humilitatis ministerio ac potestate abuteris in cupiditatis ac superbiæ vanitate.

CAPUT XVII.

De rebellione minorum sacerdotum erga potiores, et de Constantinopolitana sede reluctante adversus apostolicam.

Et cum hæc ita se habeant, non miror si te ad hoc potui provocare, ut adversum me tumeres, et nolles secundum divinam dispositionem esse subjectus, qui Conditori suo nolens subjici, de cœlo cum

suis complicibus in hunc caliginosum aerem miserabiliter est dejectus, æternis suppliciis cruciandus. Nam et in Veteri Testamento minoris dignitatis sacerdotes contra potiores suos se elevaverunt, Core scilicet cum suis complicibus ; unde vindictam debitam a Domino susceperunt, sicut veneranda narrat historia (*Num.* XVI). In Novo nihilominus Testamento inter sacros ordines legimus seditiones exortas : et primum quidem diaconibus se adversus presbyteros, itemque presbyteris et chorepiscopis adversus episcopos efferentibus, unde nunc necesse non habemus sermonem in longum protrahere, quæ novimus a sacris canonibus esse composita. Tantum de episcopali ordine dicamus, quem etiam ignis cupiditatis, et rapina altitudinis adeo potuit inflammare, sicut scriptum est : *Aperi, Libane, portas tuas, et consumat ignis cedros tuas* (*Zach.* XI), ut quique Dei ordinationi resistere non metuerunt, et cum obtinere non potuerunt ut sibi præpositis non subessent, etiam hæreses et schismata condiderunt, seque ipsos ab unitate Ecclesiæ projecerunt, sicut multis documentis ostendere possumus. Rebellantes quoque episcopi adversus metropolitanos sive archiepiscopos suos (his enim duobus nominibus hujus excellentiæ dignitas designatur), itemque metropolitani vel archiepiscopi adversus primates vel patriarchas, qui in his duobus nominibus uno prioratu funguntur, sed et quidem archiepiscopi vel metropolitani primates provinciarum, multoties in sacris canonibus inveniuntur : illi videlicet, qui in loco defunctorum archiepiscoporum vel metropolitanorum, ab episcopis uniuscujusque provinciæ, sine interrogatione alterius primatis prævalent ordinari, et ex antiquæ consuetudinis lege, a sede apostolica pallii solent genio insigniri, et in loco decedentium episcoporum, sine consultu vel licentia primatis alterius, in sua provincia quique possunt episcopos ordinare, sicut sanctus Gregorius scribens ad Augustinum Anglorum episcopum, evidenter ostendit (*lib.* XII, *epist.* 31, *interrog.* 9) : « In Galliarum, inquiens, episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis episcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus. » Et post aliquanta : « Ipse auctoritate propria episcopos Galliarum judicare non poteris, sed suadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eis imitanda monstrando, pravorum mentes ad sanctitatis studium reforma, quia scriptum est in lege : *Per alienam messem transiens, falcem mittere non debes, sed manu spicas conterere et manducare.* Falcem enim judicii mittere non potes in ea segete quæ alteri videtur esse commissa, sed per effectum boni operis frumenta Dominica vitiorum suorum paleis exspolia, et in Ecclesiæ corpus monendo et persuadendo quasi mandendo converte. Quando vero ex auctoritate agendum est, cum prædicto Arelatensi episcopo agatur, ne prætermitti possit hoc quod antiqua Patrum institutio invenit. »

Et quod de hoc uno primate Gallicano, qui a sede apostolica pallium acceperat, dixit, hoc et de reliquis Galliarum, et Belgicorum, atque Germanicorum primatibus est utique intelligendum. Inter quos, sicut et inter reliquos episcopos, hæc conditio regularis servatur, ut qui prius fuerit ordinatus, prior habeatur, velut idem sanctus Gregorius in epistola ad præfatum Augustinum patenter ostendit. De quibus primatibus et Africæ provinciæ concilia dicunt (*conc. Carthag.*, *c.* 19) : « Quisquis, inquiens, episcoporum accusatur, ad primatem provinciæ ipsius causam deferat accusator. » Et item : « Qui provocandum putaverint, ad primates suarum provinciarum, sicut et de episcopis sæpe constitutum est, provocent. » Et item (*African.*, can. 92) : « Quod si et ab eis, scilicet vicinis episcopis, provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana concilia, vel ad primates provinciarum suarum. » Et item (*conc. Carth.*, can. 17) : « Ut unaquæque provincia propter longinquitatem primatem habeat proprium. Placuit ut Mauritania Sitifensis, ut postulavit primatem provinciæ Numidiæ, ex cujus cœtu separatur, suum habeat primatem, quem consentientibus omnibus primatibus provinciarum Africanarum, vel omnibus episcopis, propter longinquitatem habere permissa est. » Et episcopus qui ad synodum non occurrerit, ad primatem suum jubetur rationem impedimenti sui reddere ; et ille primas debet dare judices, in cujus provincia locus est constitutus, et causæ finiendæ sunt per judices episcopos, sive quos primates dederint, sive quos inter se conquirentes vicinos ex consensu delegerint. » Et episcopi (*conc. Carth.*, can. 23) trans mare proficisci non debent, nisi consulto primæ sedis episcopo suæ cujusque provinciæ. » Sanctus quoque Zosimus universis episcopis per Gallias et septem provincias constitutis scripsit (*epist.* 5) : « Quia quisquis, prætermissa metropolitani sui formata, sive episcopus, seu presbyter, sive diaconus, aut deinceps inferioris gradus sit, ad eum pervenerit, sciat se suscipi omnino non posse. » Et Hilarus papa in decretis ad quinque provincias (*epist.* 8) : « Illud etiam non potuimus præterire, quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter metropolitanorum suorum litteras aliqui episcopi ad quamlibet provinciam audeant proficisci, quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet Ecclesias custodiri. » Et sanctus Gregorius ad Vincentium et cæteros episcopos scribit (*lib.* VII, *epist.* 8, *indict.* 11) : « Hortamus, inquiens, fraternitatem vestram ut si quemquam vestrum pro causis propriis ubicunque longius compulerit ambulare necessitas, a metropolitano vestro secundum inditam a sanctis Patribus regulam, petere licentiam debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis, excepto si, quod non optamus, contra eumdem metropolitanum vestrum vos habere aliquid causæ contigerit, ut ob hoc sedis apostolicæ judicium hi qui petere festinant licentiam habeant, quod scitis per canones, etiam antiquorum Patrum instititutione permissum. »

In promptu est enim illum de Sardicensibus canonibus dicere, de quibus et Innocentius ad Victricium memorat, et hinc multoties idem beatus Gregorius in epistolis suis ad Gallicanos et ad alios episcopos scripsit. Sed et leges Romanæ a Justiniano imperatore promulgatæ, quas probat Ecclesia, decernunt de episcoporum sine metropolitani sui auctoritate profectione. Cujus partem constitutionis hic, quantum convenire putavi, subjunxi hoc modo : « Non liceat episcopis suas quidem Ecclesias relinquere, in alienas autem provincias pervenire ; sin autem ex causa fecerint necessaria, ostendant vel litteras patriarchæ aut metropolitani sui, » et reliqua. Et secundum canones Sardicenses (*cap.* 9) : « De qualibet provincia episcopi ac eum fratrem coepiscopum preces mittere debent, qui in metropoli consistit, si longius ire voluerint. » De quibus primatibus ac metropolitis Nicænum dicit concilium (*cap.* 4) : « Episcopum, inquiens, convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter intineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, et omnibus quoque pari modo decernentibus, et per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur ; firmitas autem eorum quæ geruntur, per unamquamque provinciam, metropolitano tribuatur episcopo (*cap.* 6). Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam metropolitani fuerit factus episcopus, hunc magna synodus diffinivit episcopum esse non oportere. » Et hinc Innocentius ad Victricium scribit (*epist.* 1) : « Primum, inquiens, ut extra conscientiam metropolitani, episcopum nullus audeat ordinare. » Et Leo ad Theodorum episcopum (*epist.* 59) : « Sollicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo de eo quod eo quærendum esse videbatur conferres. Quia in causis quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine optimatibus oportet impleri. » In quo metropolitanorum et archiepiscoporum atque primatum ordine, invenitur in sacris canonibus quædam honoris consequentia, de qua mystica Nicæna synodus statuit (*can.* 5), ut Æliæ, id est Hierosolymorum, honoretur episcopus. Videlicet, ut quæ gratia mysteriorum Domini Dei regis et sacerdotis nostri Jesu Christi, civitas sancta meruit appellari, etiam ejus episcopus consequentiam honoris haberet. Quia, inquit Nicænum concilium, consuetudo obtinuit et antiqua traditio, ut Æliæ episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salva metropolis propria dignitate. Et hac constitutione ipsius civitatis episcopus inter patriarchas et primates meruit computari, salva metropolis propria dignitate : sicut et Constantinopolis civitas, quæ ante Lychos vel Byzantium dicebatur, Heracleotis suffraganea, sanctione imperiali, et consensu apostolicæ sedis ac generalis synodi, salva metropoli propria dignitate æque inter patriarchas vel primates decreta est computari. Quam honoris consequentiam, salva metropolis dignitate, et beatus Gregorius servari ostendit, quando Syagrio Augustodunensi episcopo petenti pallium, pro genio et honore Ecclesiæ suæ tribuit dicens (*lib.* VII, *epist.* 112, *indict.* 11) : « Ne indumenti hujus munificentiam tibi nudam videamur quoquo modo contulisse, hoc etiam pariter perspeximus concedendum, ut metropoli suo per omnia loco et honore servato Ecclesiæ, civitas Augustodunum, cui omnipotens Deus præesse te voluit, post Lugdunensem Ecclesiam esse debeat, et hunc sibi locum ac ordinem ex nostræ auctoritatis indulgentia vindicare. Cæteros vero episcopos secundum ordinationis suæ tempus sibi ad consedendum in concilio, seu ad subscribendum, vel in qualibet alia re, sua tenere loca decernimus, et suorum sibi prærogativam ordinum vindicare, quia omnimo rationis ordo nos admonet ut cum usu pallii aliqua simul largiri privilegia debeamus. »

Hos namque qui hujusmodi privilegia sive per imperialem pragmaticam formam, sive per pallii ab apostolica sede largitionem, adepti sunt, Græci secundos metropolitanos appellant, de quibus et in gestis Chalcedonensis concilii, et in ejusdem synodi canonibus, et decretis Innocentii invenimus. Quibus et aliis sacrorum canonum, et decretis sedis Romanæ claret sententiis, eosdem metropolitanos primates esse singulos singularum provinciarum, qui ex antiqua ut præmisimus consuetudine, et apostolica traditione, secundum sacros Nicænos canones, et convocare synodos, et ordinare episcopos, et ordinari a provincialibus coepiscopis sine cujusquam alterius primatis interrogatione possunt, et disponere regulariter quæque per suas provincias queunt. Quorum etiam privilegium Antiocheni canones manifestant (*cap.* 9), dicentes ad metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ pertinere, qui ad tollendam controversiam inter episcopos suæ provinciæ exortam, a vicina provincia debet judices alios convocare. Illi autem archiepiscopi, vel metropolitani, qui hæc sine consultu primatis non possunt exsequi, archiepiscopi tantum vel metropolitani habentur, sicut et in Gestis Chalcedonensis concilii, et in ejusdem synodi canonibus, et decretis Innocentii, et in epistola Leonis ad Anastasium Thessalonicensem episcopum invenimus. Ait enim Innocentius ad Alexandrum Antiochenum episcopum (*epist.* 20) : « Revolventes, inquiens, auctoritatem Nicænæ synodi, quæ una omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, quia super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam aliam provinciam recognoscimus constitutam. » Et post aliquanta : « Itaque arbitramur, frater charissime, ut sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et cæteros non sine permissu conscientiaque tua sinas episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos litteris datis ordinari censeas ab his qui nunc eos suo tantum

ordinant arbitratu; vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire, quorum enim te maxime, spectat cura, præcipue tuum debent mereri judicium. » Et Leo scribens ad Anastasium Thessalonicensem episcopum (*epist.* 88), evidenter ostendit quam prælationem primas metropolitanorum ex delegatione apostolicæ sedis habere debeat, dicens : « De persona consecrandi episcopi, et de cleri plebisque consensu, metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in provincia bene placuit scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Metropolitano vero defuncto, cum in loco ejus alius fuerit subrogandus, provinciales episcopi ad civitatem metropolim convenire debebunt, ut omnium clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex diaconibus, optimus eligatur, de cujus nomine ad tuam notitiam provinciales referant sacerdotes, impleturi vota poscentium, cum quod ipsis placuit tibi quoque placuisse cognoverint. » Et item : « In evocandis a te episcopis moderatissimum esse te volumus, ne per majoris diligentiæ speciem fraternis gloriari videaris injuriis. Unde si causa aliqua major erit, ob quam rationabile ac necessarium sit fraternum advocare conventum, binos de singulis provinciis episcopos, quos metropolitani crediderint esse mittendos, ad fraternitatem tuam venire sufficiat, ut non amplius ab statuto concilii tempore quam dies quindecim remorentur episcopi. » Quos metropolitanos contra suos primates se elevasse in Gestis Chalcedonensis synodi reperimus, quosque eadem synodus juste redarguit et auctoritate repressit.

Patriarchas quoque vel primates, qui duobus his nominibus in unius prioratus funguntur officio, non solum adversus tertiam et secundam sedem, verum et contra primam et apostolicam sedem legimus extulisse, adeo ut episcopus Constantinopolitanæ civitatis, olim Heracleotis suffraganæ, contra regulas tertiæ sedis episcopum ordinare præsumpserit et secundæ sedi se a synodo et ab imperiali potestate præferri contra regulas obtinuerit. Et quia mens potentiæ avida non potest concessis sibi limitibus esse contenta, ad hoc usque prorupit ut contra primam et apostolicam sedem universalem vocari se fecerit, sicut in epistolis magni Leonis papæ ac beati Gregorii, et nuper Nicolai relegimus. Cujus profani vocabuli præsumptio, rapina scilicet altitudinis, qualiter repulsa sit a beato Leone, una cum arrogantia appellationis indebitæ a Constantinopolitano episcopo usurpatæ, quia tuæ compilationis perplexitas ejus dicta alibi exigit ponere, suo loco invenies. Et quid de eodem vocabulo beatus Gregorius senserit et decreverit, hic pro loci opportunitate duxi ponendum, cujus verba latius ac plenius in eisdem epistolis, de quibus hic quædam defloravi, lector poterit invenire. Ait enim in epistola ad ipsum Joannem Constantinopolitanum episcopum, qui se universalem episcopum satagebat vocari (*lib.* IV, *ind.* 13,

A *epist.* 38) : « Rogo, inquiens, deprecor, et quanta possum dulcedine exposco, ut fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus atque erroris nomen deferentibus contradicat, nec stulto ac superbo vocabulo appellari consentiat. » Et item : « Perpende, rogo, quia in hac præsumptione temeraria pax totius turbatur Ecclesiæ, et gratiæ contradicitur communiter omnibus effusæ. » Et item : « Quis rogo in hoc tam perverso vocabulo nisi ille ad imitandum proponitur qui, despectis angelorum legionibus, secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut et nulli subesse, et solus omnibus præesse videretur ? » Et item : « Certe Petrus apostolorum princeps membrum sanctæ et universalis Ecclesiæ, Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quam singula-

B rum sunt plebium capita, et tamen sub uno capite omnes membra, atque ut cuncta brevi cingulo locutionis astringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, et nemo se unquam universalem vocari voluit. Vestra ergo sanctitas agnoscat quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit. Nunquid non, sicut vestra fraternitas novit, per sanctum et venerandum Chalcedonense concilium hujus apostolicæ sedis antistites, cui, Deo disponente, deservio, universales oblato honore vocati sunt ? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit, ne si sibi in pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus

C fratribus denegasse videretur. » Et item : « Quid ergo, frater charissime, in illo terribili examine venienti judici es dicturus, qui non solum Pater, sed etiam generalis Pater in mundo vocari appetis ? Ecce ex hoc nefando elationis vocabulo Ecclesia scinditur, fratrum omnium corda ad scandalum provocantur. » Et in epistola ab Sabinianum diaconum in Constantinopoli responsalis fungentem officio (*lib.* IV, *ind.* 13, *epist.* 39) : « Ad noc, inquit, usque pervenit (quin Joannes Constantinopolitanus episcopus) ut sub occasione presbyteri Joannis gesta huc transmitteret, in quibus se pene per omnem versum œcumenicum patriarcham nominaret. » Et post aliquanta : « In isto enim scelesto vocabulo consentire nihil est aliud quam fidem perdere ; unde sicut tibi jam trans-

D actis epistolis scripsi, nunquam cum eo procedere præsumas. » Et ad Constantinam Augustam (*lib.* IV, *ind.* 13, *epist.* 34) : « Cum se nova præsumptione atque superbia idem frater meus universalem episcopum appellet, ita ut sanctæ memoriæ decessoris mei tempore ascribi se in synodo tali hoc superbo vocabulo faceret, quamvis cuncta acta illius synodi sede apostolica contradicente soluta sint : triste mihi aliquid serenissimus Dominus innuit, quod non eum corripuit qui superbit, sed me magis ab intentione mea declinare studuit, qui in hac causa Evangeliorum et canonum statuta humilitatis atque rectitudinis virtute defendo. Qua in re a prædicto fratre

et consacerdote meo, contra evangelicam sententiam, contra beatum quoque Petrum apostolum, et contra omnes Ecclesias, contraque canonum statuta agitur. » Et paulo post : « Triste tamen valde est, ut patienter feratur, quatenus despectis omnibus prædictus frater et coepiscopus meus solus conetur apellari episcopus. Sed in hac ejus superbia quid aliud nisi propinqua jam Antichristi esse tempora designantur ? » Et in epistola ad Eulogium Alexandrinum et ad Anastasium Antiochenum episcopos, a pari (*lib* IV, *ind.* 13, *epist.* 36) : « Sicut, inquit, veneranda mihi vestra sanctitas novit, per sanctam Chalcedonensem synodum pontifici sedis apostolicæ, cui Deo disponente deservio, hoc universitatis nomen oblatum est. Sed nullus unquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit : quia videlicet, si unus patriarcha universalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit a Christiani mente id sibi velle quempiam arripere, unde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Cum ergo nos hunc honorem nolumus oblatum suscipere, pensate quam ignominiosum sit hunc sibi quempiam violenter usurpare voluisse. Propterea sanctitas vestram in suis epistolis neminem unquam universalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cum alteri honorem offert indebitum. » Et item : « Si enim hoc dici licenter permittitur, honor patriarcharum omnium negatur : et cum fortasse is in errore perit qui universalis dicitur, nullus jam episcopus remansisse in statu varitatis invenitur. Obtestor ergo ut constanter ac sine præjudicio servetis sicut accepistis Ecclesias, et nihil sibi in vobis hæc tentatio diabolicæ usurpationis ascribat. State fortes, state securi, scriptaque cum universalis nominis falsitate, nec dare unquam, nec suscipere præsumatis. Omnes episcopos curæ vestræ subjectos ab hujus adulationis inquinatione prohibete. Universa vos Ecclesia patriarchas, non solum in bonis operibus, sed etiam in veritatis auctoritate cognoscat. Si qua autem forsan adversa subsequantur, unanimiter persistentes, etiam moriendo debemus ostendere, quia in generalitatis damno nostrum specialiter aliquid non amamus. Dicamus cum Paulo : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philip.* I). Audiamus quod primus omnium pastorum dicit : *Si quid patimini propter justitiam, beati eritis* (*Petr.* III). Mihi enim credite quia honorem quem pro prædicanda veritate suscepimus, si necessitatis causa exigat, securius pro eadem veritate relinquimus quam tenemus. Pro me autem sicut vestram charissimam beatitudinem decet, orate ut hoc quod vobis loqui audeo, operibus ostendam. »

Et item in epistola ad Eulogium Alexandrinum episcopum (*lib.* VII, *ind.* 1, *epist.* 4) : « Indicare quoque vestra beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, et mihi loquitur dicens : *Sicut jussistis.* Quod verbum jussionis peto a meo auditu removete,

A quia scio qui sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo jussi, sed quæ utilia visa sunt, indicare curavi. Non tamen invenio vestram beatitudinem hoc ipsum, quod memoriæ vestræ intuli, perfecte tenere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec quiquam alteri tale aliquid scribere debere, et ecce in præfatione epistolæ, quam ad meipsum qui prohibui direxistis, superbæ appellationis verbum, universalem me papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur quod alteri plusquam ratio exigit præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus : nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est, honor
B universalis Ecclesiæ, meus honor est, fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur universum. Sed absit hoc. Recedant verba quæ vanitatem inflant et charitatem vulnerant. Et quidem in sancta Chalcedonensi synodo, atque post a subsequentibus Patribus, hoc est decessoribus meis, oblatum vestra sanctitas novit. Sed tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit : ut dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum. » Et in epistola ad diversos archiepiscopos a pari (*lib.* VII, *indict.* 2, *epist.* 69) : « Cognoscat fraternitas vestra, Joannem quondam
C Constantinopolitanæ civitatis antistitem, contra Deum, contra pacem Ecclesiæ in omnium despectu et injuria sacerdotum modestiæ ac mensuræ suæ terminos excessisse, et illicite in synodo superbum ac pestiferum œcumenicum, hoc est universalis, sibi vocabulum usurpasse. Quod beatæ recordationis Pelagius decessor noster agnoscens, omnia gesta ejusdem synodi, præter illa quæ illic de causa venerandæ memoriæ Gregorii episcopi Antiocheni sunt habita, valida omnino destructione cassavit, districtissima illum increpatione corripiens, ut se a novo et temerario superstitionis nomine cohiberet, adeo ut suum cum eo diaconum nisi tantum nefas emendaret, procedere prohiberet. Cujus nos rectitudinis zelo per omnia inhærentes, statuta ipsius sine refragatione, Deo protegente, servamus : quia dignum est ut rectam decessoris
D viam gressibus inoffensis incedat, qui de eodem loco ad reddendam rationem æterni judicis tribunal exspectat. » Et paulo post : « Hortor atque suadeo ut nullus vestrum hoc nomen aliquando recipiat, nullus consentiat, nullus subscribat, nullus ubi fuerit scriptum admittat, vel subscriptionem suam adjiciat, sed sicut omnipotentis Dei ministros decet, integrum se ab hujusmodi venenata infectione custodiat, et callido insidiatori in se locum non præbeat, quoniam hoc et in totius Ecclesiæ injuria ac discissione, et sicut diximus, in omnium vestrum despectu fit. Nam si, unus, ut putat, universalis est, restat ut vos episcopi non sitis. » Et post aliquanta : « Nam si quis,

quod non credimus, scripta præsentia aliqua in parte neglexerit, a beati Petri apostolorum principis pace se noverit segregatum. Ita ergo vestra fraternitas agat, ut cum pastor pastorum in judicio venerit, de loco regiminis quem accepit, reatum habere non possit. »

Et in epistola ad Cyriacum Constantinopolitanum episcopum, Joannis episcopi successorem (*lib.* VI, *ind.* 15, *epist.* 4) : « In hoc, inquit, vos medullitus amplectimur, in hoc sacerdotes esse recognoscimus, si repulsa vanitate verborum, sanctitatis locum cum sancta humilitate teneatis. Ecce enim in nefandi appellatione nominis scandalizati sumus, et non minimas querelas servamus in mente, promimus in voce. Vestra autem fraternitas novit quia Veritas dicit : *Si offers munus tuum ad altare*, et reliqua (*Matth.* V). Qua in re pensandum quia cum omnis culpa oblato sacrificio deletur, tantum est malum scandali alieno corde generati, ut ab eo qui peccaverit, nec ipsum sacrificium Dominus accipiat, quod delere peccatum solet. Curate ergo cordis nostri scandalum festine detergere, ut possit omnipotens Deus oblationis vestræ sacrificium acceptabile habere. » Et item in alia epistola ad eumdem (*lib.* VI, *ind.* 15, *epist.* 28) : « Oportet, inquit, ut mihi atque omnibus fratribus in vestris, ejus charitatis pulchritudinem in hoc primum opere monstretis, ut verbum superbiæ, per quod grave scandalum in Ecclesiis generatur, auferre festinetis, hoc modis omnibus implentes quod scriptum est : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV). Et rursum : *Nullam occasionem dare adversario maledicti gratia* (*I Tim.* V). Tunc enim ostensa charitas vera est, si per typhum superbiæ inter nos scissura non fuerit. Ego enim Jesum testem invoco in anima mea, quia a summo usque ad ultimum nulli hominum dare scandali occasionem volo : omnes esse magnos et honorabiles cupio, quorum tamen honor honori non detrahit omnipotentis Dei. Nam quisquis se contra Deum honorari appetit, mihi honorabilis non est. » Et paulo post : « Quia hostis omnipotentis Domini Antichristus juxta est, studiose cupio ne proprium quid inveniat, non solum in moribus, sed neque in vocabulo sacerdotum. Ea ergo quæ novo modo introducta sunt, ipso ordine quo illata sunt auferantur, et pax nobis in Domino illibata permanebit. Nam quæ erit inter nos dulcedo, quæ charitas, si nosmetipsos voce refovemus, et rebus pungimus ? » Et in epistola ad Mauritium Augustum (*lib.* VI, *ind.* 15, *epist.* 30) : « Eumdem, inquit, fratrem et consacerdotem meum (quin Cyriacum Constantinopolitanum episcopum) studiose admonere curavi, ut si habere pacem omnium concordiamque desiderat, ab stulti vocabuli se appellatione compescat. De qua re mihi in suis jussionibus dominorum pietas præcepit dicens, ut pro appellatione frivoli nominis inter nos scandalum generari non debeat. Sed rogo ut imperialis pietas penset, quia alia sunt frivola valde innoxia, atque alia vehementer nociva. Nunquid non, cum se Antichristus veniens Deum dixerit, frivolum valde erit ? sed tamen minis perniciosum. Si quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ ; si vero pondus iniquitatis, universa pernicies. Ego autem fidenter dice quia quisquis se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit, nec dispari superbia ad errorem ducitur ; quia sicut perversus ille Deus videri vult super homines, ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit super reliquos sacerdotes. Sed quoniam Veritas dicit : *Omnis qui se exaltat humiliabitur* (*Luc.* XIV), scio quia quælibet elatio tanto citius rumpitur, quanto amplius inflatur. Illis ergo pietas vestra præcipiat, ne quod per appellationem frivoli nominis scandalum gignant, qui in superbia et typho ceciderunt. Nam peccator ego, qui auctore Deo humilitatem teneo, admonendus ad humilitatem non sum. » Et in epistola ad Anastasium Antiochenum episcopum (*lib.* VI, *epist.* 24) : « In suscipienda fratris et consacerdotis nostri Cyriaci synodica epistola dignum non fuit ut pro causa profani vocabuli moras facerem, ne unitatem sanctæ Ecclesiæ perturbarem. Sed tamen de eodem superstitioso et superbo vocabulo eum admonere studui, dicens quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus apostata invenit. Vos tamen eamdem causam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc æquanimiter portamus, universæ Ecclesiæ fidem corrumpimus. Scitis enim quanti, non solum hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constantinopolitana Ecclesia sunt egressi ; et ut de honoris vestri injuria taceam, si unus episcopus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit, si unus universus, cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc levitas ab auribus meis. In omnipotente autem Domino confido, quia quod promisit citius impleturus est : *Omnis qui se exaltat, hnmiliabitur.* »

CAPUT XVIII.

Quod insanæ mentis homines per indiscretionem in Scripturis sanctis erraverunt.

Hanc evangelicam sententiam, frater, intelligenter attende et tenaciter mente reconde ; sed et illam beati Gregorii, quam ut paulo ante legisti, huic evangelicæ sententiæ subjunxit dicens : « Scio quia quælibet elatio tanto citius rumpitur, quanto amplius inflatur. » Recognosce igitur modum et mensuram tuam, tibi a Deo per canones sacros decretam, et esto humilis in oculis tuis, attendens quod Dominus dixit Sauli : *Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput in Israel feci te?* (*I Reg.* XIII.) Nunc quia magnus es apud te, *abjeci te ne sis rex*. Et istos veteres et emortuos cineres, a sacris canonibus dudum sepultos, eorum qui contra prælatos suos rebellaverunt, moliri desiste resuscitare. Sed timeo quoniam ea quæ vera et humilia sunt videre non poteris, albuginem habens in oculo, id est arrogantiam in mente. Unde Dominus ad Moysem dicit : *Qui habue-*

rit albuginem in oculo, non offerat panes Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus (*Levit.* XXI). Qua de re inculco tibi sententiam beati Augustini ad Julianum episcopum juvenem, et per superbiam male sentientem, ab Ecclesia catholica segregatum, in alio scripto jam a te lectam, sed utinam non neglectam. « Quando, inquit, animositatem qua teneris viceris, tunc veritatem poteris tenere qua vinceris. Quam scilicet veritatem si relicta animositate non tenueris, discretionem in sanctis Scripturis et in sacris regulis habere non poteris, sicut nec illi qui eas discrete intelligere noluerunt, et ideo erraverunt quidam eorum, voces earumdem Scripturarum non discernendo. Sicut hoc quod Dominus dicit : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X), Arius dictum de unitate substantiæ *unum* intelligere noluit, Sabellius ad personarum proprietatem *sumus* non retulit, et uterque idcirco erravit. In unitate quoque unius ejusdemque personæ ex duabus et in duabus substantiis, id est naturis, divinitatis scilicet et humanitatis, subsistens Dominus noster Jesus Christus, hoc quod item dixit : *Pater major me est* (*Joan.* XIV). Arius non humanitati, sed divinitati ascripsit, et ideo indignam vitam digna morte finivit. Quidam vero eorum easdem Scripturas male interpretando, sicut beatus Petrus de sancti Pauli Epistolis dixit : *In quibus*, inquiens, *sunt quædam difficilia ad intelligendum, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem* (*II Petr.* III). Difficilia autem intellectu in Epistolis Pauli, quæ ab indoctis et instabilibus dicit depravata, illa sunt maxime in quibus de gratia Dei loquitur quæ justificat impios, hoc est ex impiis facit justos. Dicit enim ipse Paulus : *Ubi autem abundavit peccatum, superabundavit gratia* (*Rom.* V) ; quod indocti et instabiles non intelligentes, putabant eum dicere, Faciamus mala ut veniant bona. Absit autem ut Paulus suos auditores promerenda bona doceat facere mala, cujus omnis intentio est a malis coercere, et ad bona agenda quoscunque potest advocare. Sed cum dicit : *Ubi autem abundavit peccatum, superabundavit gratia*, donum gratiæ per hoc vehementius commendat, quæ et magna solet conversis et minora dimittere peccata ; et quanto quis majora ante conversionem peccata commisit, tanto majorem gratiæ donantis indulgentiam conversus accipit. » Quidam autem ex eisdem scripturis quædam eraserunt, de quibus revinci timebant, sicut constat Arianos de Evangelio erasisse quod Salvator ait : *Quia Deus spiritus est* (*Joan.* IV), quoniam credere nolebant quod Spiritus sanctus Deus esset omnipotens. Quidam etiam de Epistola Joannis eraserunt : *Et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est* (*I Joan.* IV) ; ne scilicet per auctoritatem beati Joannis revincerentur. Unde Nestorius nescire se prodidit hanc authenticis exemplaribus inditam fuisse sententiam, atque ideo solvere non timuit Jesum, dicens beatam virginem Mariam non Dei, sed hominis tantum genitricem, ut aliam personam hominis, aliam faceret deitatis : A neque unum Christum in Verbo Dei et carne atque anima credens, sed separatim alterum Filium Dei, alterum hominis prædicans. Quidam nimirum ipsas Scripturas verbis illicitis imposturaverunt, sicut Macedonius Constantinopolitanus episcopus, qui ab Anastasio imperatore ideo a civitate expulsus legitur, quoniam falsavit Evangelia, et illum Apostoli locum ubi dicit : *Quod apparuit in carne, justificatum est in spiritu* (*I Tim.* III), per cognationem Græcarum litterarum ο et θ hoc modo mutando falsavit. Ubi enim habuit qui, hoc est, ο ς, monosyllabum Græcum, littera mutata ο in θ vertit et fecit θ ς, id est, ut esset Deus apparuit per carnem : quapropter tanquam Nestorianus fuit expulsus.

Et multa alia sunt in Scripturis, de quibus male B intelligentes scandalum sibi sumpserunt, et quia noluerunt fieri discipuli veritatis, magistri sunt facti erroris. Sicut de hoc quod dicit Apostolus : *Mediator Dei atque hominum homo Christus Jesus* (*I Tim.* II), quo testimonio ad auctoritatem hæresis suæ Photinus est usus ; et de Epistola ad Philippenses, *habitu repertus ut homo* (*cap.* II), Marcion phantasiam corporis confessus est esse in Christo, non corpus. Sed et Agnoitæ hæretici hoc ad suum confirmandum errorem protulerunt quod dictum est : *De die autem et hora nemo scit, neque angeli in cœlis, nec Filius, nisi Pater solus* (*Matth.* XXIV) ; et de hoc quod in Genesi scriptum est, *post noctem diem cœptum* (*Gen.* I), tenebras coævas Deo, qui inaccessibilem lucem habitat, dixerunt hæretici. Et ex eo quod ibi dictum est : *Faciamus hominem ad imaginem et si-* C *militudinem nostram* (*ibid.*), diabolus primum hominem idololatriam docuit dicens : *Eritis sicut dii* (*Gen.* III). Et quia Mathusalæ anni ætatem diluvii excedunt, non tantum octo animæ reservatæ sunt dictæ. Et clamores Sodomorum repletis jam peccatis Deus audiens, tanquam ignorans clamorem, descendit ut videret an plena essent. Et quod Moysi sepulcrum nemo scierit, nec etiam sepelientes sepultum ; et lex diversa sibi ipsi sit hostis, et Dominus non mittere potuerit Spiritum sanctum, de quo ipse natus legatur, nec mortem gladio usuris denuntiaverit, qui gladium passurus emi præcepit ; nec ad inferos descendit, qui in paradiso cum latrone intravit ; et apostoli reperiuntur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti jussi, tantum D in Jesu nomine baptizaverunt : et de hoc quod dictum est : *Ego Deus creans mala* (*Isa.* XLV) ; et : *Fecit omnia, et ecce bona valde* (*Gen.* I). Et multa sunt alia quæ longum et non necessarium est nobis modo adnumerare, de quibus sapientissime atque sanctissime dictis insulsi et scelerati tenebrosissime perditionem suam adinvenerunt.

CAPUT XIX.

Quod in sanctarum traditionum sanctiones male intelligentes erraverint.

Et quia, ut Hilarus papa dicit. Non minus in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, quam

in ipsius Domini injuriam prosilitur, de ecclesiasticis regulis quidam sumpserunt scandala, et hæreses ac schismata condiderunt; sicut Meletius a synodo Ægypti episcoporum depositus, a quo Meletiani sunt dicti, qui ab eo post depositionem suam fuerunt ordinati, quos Nicæna synodus sub conditione in gradibus suis recepit, ea necessitate, ne cum Arianis cum quibus juncti fuerant remanentes, acrius Ecclesiam catholicam impugnarent. Sed et Novatianos æque sub conditione synodus prædicta recepit. Hæc enim hæresis a Novato presbytero Romanæ tunc Ecclesiæ, postea autem contra regulas a consortibus suis facto episcopo, sumpsit exordium. Qui Novatus se ab Ecclesiæ Romanæ communione suspendit, quoniam Cornelius episcopus fideles, qui sacrificaverant tempore factæ persecutionis a Decio, immutata concilii episcopalis acerbissima sententia, quam Innocentius in decretis suis commemorat, in communione receperat. Quorum scilicet Novatianorum episcopo nomine Acesio, Constantinus imperator vocato ad Nicænum concilium, et in dogmate fidei et Paschalis festivitatis consentienti, sed pœnitentes ad pœnitentiam recipere renuenti, imperator mirabilis dixit: « O Acesi, pone scalam, et si potes ascende solus in cœlum (lib. II, *Hist. trip.*, c. 13). » Ex qua condescensione circa Novatianos et Meletianos causa necessitatis proveniente, cum illi, quos ante damnationem suam Bonosus ordinaverat, in gradibus recepti fuerint, etiam eos qui a catholica ad hæresim transierunt, et a Bonoso damnato ordinati fuerunt, Anisius quidam cum suis collegis recipi in ordinibus suis debere decrevit, ne cum eodem Bonoso remanerent, ac non mediocre scandalum Ecclesiæ catholicæ fieret, quod sanctus Innocentius dissolvit et repulit. Et quia idem concilium Paulianistas hæreticos ad Ecclesiam venientes baptizari præcepit, quidam etiam alios hæreticos baptizandos esse dixerunt, quod apostolica sedes, et plenaria concilia (sicut decreta Romanorum pontificum monstrant, et sanctus Augustinus verbis et sensibus copiosis libris ostendit), penitus abdicarunt. Sed et alia hinc devocare in medium poteram, nisi prolixitatem vitarem.

CAPUT XX.

Quod in antiquis epistolis sedis apostolicæ, sicut in legibus, quædam post abrogata vel immutata fuerint. De sex synodis generalibus, et de septima apud Græcos, deque synodo Francica, et epistolis Julii papæ ac Felicis.

Ne igitur causa indiscretæ intelligentiæ, de his quæ collegisti ad tuam intentionem firmandam, scandalum sumas, animadvertere debes, quia sicut de sacramentis humanæ salutis, quæ ab exordio mundi usque ad adventum Domini Salvatoris pro temporum varietate diversa, ad unitatem tamen unius fidei recurrentia exstiterunt, quædam spiritaliter intelligenda sunt tradita, quædam vero immutata, et quædam penitus abolita, quædam etiam permanent ut fuere decreta: ita nullum fuit tempus sæculi a sanctis alienum doctoribus, qui sive verbis, sive exemplis, sive etiam scriptis, viam vitæ mortalibus pro temporum varietate demonstraverunt. Unde sunt plura non solum in canonibus atque in Romanorum pontificum decretis, sed et in Veteris ac Novi Testamenti sanctis Scripturis, eodem Spiritu inspiratis quo et sacri promulgati sunt canones, quæ quidem inter se contraria esse videntur, et non sibimet sunt contraria, sed pro temporum et rerum ac qualitate causarum disposita vel disponenda; ut Salomon conjunctim dicit: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam* (*Prov.* XXVI); et: *Responde stulto juxta stultitiam suam* (*ibid.*); et Dominus per prophetam: *Nolo mortem peccatoris* (*Ezech.* XXXIII); et de Heli filiis legitur, *quia non poterant patrem audire, quoniam voluit eos Deus occidere* (*I Reg.* II). Et in Evangelio: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona* (*Matth.* XII); et: *Nemo bonus, nisi solus Deus* (*Luc.* XVIII). Et *Venit filius hominis quærere et salvare quod perierat* (*Luc.* XIX), qui dicit: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV). Et item discipulis dicit: *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* X); itemque: *Ite, docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII.) Et: *Deus neminem tentat* (*Jacob.* I); et: *Tentat vos Dominus Deus vester* (*Deut.* I). Et Paulus: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Gal.* I); itemque: *Sicut ego per omnia omnibus placeo* (*I Cor.* X). Et item: *Optabam anathema esse a Christo pro fratribus meis secundum carnem* (*Rom.* IX); et item: *Quis nos separabit a charitate Christi,* et reliqua: (*Rom.* VIII). Quia *spiritus unicus et multiplex, stabilis et mobilis,* ut in libro Sapientiæ scriptum est (*cap.* VII), per organum hominis sibi arctissimum non simul et insemel omnia profert: et etiam ipsis sanctis discipulis, quia nemo hominum purus repente fit summus, qui incessanter divino adhærebant magisterio, per incrementa temporum fides et scientia est adaucia; qui et dixerunt: *Domine, adauge nobis fidem* (*Luc.* XVII); et Dominus ipsis: *Adhuc,* inquit, *multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (*Joan.* XVI).

Sed et post legem naturæ data est lex litteræ populi congruens duritiæ, quæ propter transgressiones posita est; quam lex Evangelii, tempore posterior sed gratia prior, est subsecuta, quæ per incrementa temporum ab apostolis eorumque successoribus est propagata. Nam sicut in Actibus apostolorum legimus (*cap.* XV), primum credentes de circumcisione, sic Evangelii sacramenta suscipiebant, ut a legalibus cæremoniis non discederant; et quæstione facta de gestilibus, si credentes legis cæremonias observare deberent, tria tantum capitula ab apostolis suscepere servanda. Deinde apostolicæ sedis pontifices, ante constitutionem sacrorum conciliorum, etsi non fide sibi adversa, tamen stylo diverso, in suis epistolis ad diversos pro diversis causis emergentibus datis, de episcopis statuere judicia, considerantes

qualitatem personarum, necessitatem rerum, et opportunitatem temporum. Unde et Anacletus in epistola ad universos episcopos in Italia constitutos dicit (*epist.* 2): Ejectionem, inquiens, summorum sacerdotum sibi Dominus reservavit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus et spiritualibus populis concessisset; » ex quo aliter in præcedenti epistola scripserat. Et Constantinum imperatorem in Nicæna synodo tale quid dixisse Tripertita narrat Historia: Non ob id tamen dimisit decernere Nicæna synodus (*can.* 2): « Si quis, inquit, præter hæc fecerit, quasi contra magnum concilium se efferens, ipse de clericatus honore periclitabitur. » In quo decretum cum dicit, *Si quis,* neminem tam de superiori quam inferiori ordine excipit, quod et in aliis evidenter ostendit. Sed et idem Constantinus, et post eum alii orthodoxi imperatores, leges de episcopis promulgare non fuere cunctati. Sed et post Anacletum, quidam ante Nicænum concilium, Julius autem et alii quidam post Nicænum concilium, judicia episcoporum ante diffinitionem ad sedem apostolicam referri jusserunt. Innocentius vero, et successores ipsius, postquam a sacris conciliis, et Romanæ sedis pontificibus, de certis capitulis expressius fuerunt decreta judicia, de dubiis vel obscuris ante judicium, de certis autem atque decretis (quoniam et ecclesiasticæ et publicæ leges confessum vel convictum sine dilatione vel retractatione judicari præcipiunt), post episcopale judicium, secundum Sardicenses canones, sub gestorum testificatione ad sedem apostolicam referri jusserunt: quorum decreta in usu ecclesiastico etiam a tempore majorum nostrorum prævaluisse comperimus. Verum et ut de legibus publicis quædam sunt abrogata, quædam vero immutata, quædam etiam superadjecta, ita nihilominus quædam decreta catholicorum pro tempore et ratione atque necessitate prolata, sed postea abrogata vel immutata fuerunt: quod et Innocentius demonstrat dicens: « De his, inquiens, observatio prior durior, posterior, interveniente misericordia, inclinatior est, » et reliqua. Et Africæ provinciæ canones de velatione virginum, et baptizatis parvulis a Donatistis, et de diœcesibus, aliter quam primum decretum fuerit diffinierunt. Et sanctus Gelasius: « Priscis, inquit, pro sui reverentia manentibus constitutis, quæ ubi nulla vel rerum vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri, » et reliqua. Et Innocentius longe ante ad episcopos Macedones excusantes de temporibus necessitate quod egerant, dixit (*epist.* 27): « Ergo quod necessitas pro remedio reperit, necessitate cessante debet utique cessare pariter quod urgebat: quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio quam ad præsens fieri tempus impellit; et advertite quod utique, ut dicitis, necessitas imperavit, in pace jam Ecclesias constitutas non posse præsumere. » Et Leo ad Rusticum Narbonensem episcopum (*epist.* 95, in præfat.): « Sicut quædam, inquit, sunt quæ nulla possunt ratione convelli, ita nonnulla sunt quæ aut pro considerationem ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his quæ vel dubia fuerint vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum. » Quas singillatim singulas formas et sanctus Paulus demonstrat ad Corinthios dicens: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium* (*I Cor.* VII), et reliqua. *His autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere,* et sequentia (*ibid.*). Et concilium Africanum in uno capitulo de Donatistis ad locum (*can.* 35): « Propter Ecclesiæ pacem et utilitatem, ut ex ipsis Donatistis, quicumque clerici correcto consilio ad catholicam unitatem transire voluerint, secundum uniuscujusque episcopi catholici voluntatem atque consilium qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur, sicut et prioribus ejusdem divisionis temporibus factum esse manifestum est: non ut concilium, quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur, sed ut illud maneat circa eos, qui sic transire ad catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis compensatio procuretur, » et reliqua quæ ibi prosequitur. Sed et Leo utrasque has formas de una eademque re in uno capitulo ostendit ad Rusticum Narbonensem episcopum dicens (*epis.* 95, cap. 1): « Nulla, inquit, ratio sinit ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a comprovincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati. Unde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum? Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum consensu et judicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita ut in ipsis Ecclesiis perseverent; aliter autem vana habenda est consecratio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita. » Et item ad eumdem in eadem epistola (*cap.* 10): « In adolescentia constitutus, si urgente aut metu mortis, aut captivitatis periculo, pœnitentiam egit, et postea timens lapsum incontinentiæ juvenilis copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fecisse venialem, si præter conjugem nullam omnino cognoverit; in quo tamen non regulam constituimus, se quid sit tolerabilius æstimamus. Nam secundum veram cognitionem, nihil magis ei congruit qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans et mentis et corporis. » Et in epistola ad Theodorum Forojuliensem episcopum (*epis.* 59): « Ut in tempore necessitatis et in periculi urgentis instantia, nullis præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorantibus denegetur, etiam si amisso vocis officio ea per indicia integri sensus expostulent; vel si sub præsentia sacerdotis significare non valent, testimonia fidelium

circumstantium eis prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficia consequantur, servata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum a fide discedendo peccaverunt. »

Sed et quidam de his ex quorum epistolis quædam sunt a te collecta, lapsos et pœnitentes in gradibus suis manere debere dixerunt. Postea autem aliter ex sacris canonibus a sequentibus est constitutum. Unde beatus Augustinus ad Bonifacium scripsit dicens (*epist.* 50) : « Ut enim constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioquin contra claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est : Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlis. Sed ne forsitan etiam detectis criminibus spe honoris ecclesiastici animus intumescens superbe ageret pœnitentiam, severissime placuit, ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis, medicina major et verior esset humilitatis. Nam et sanctus David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, et tamen in honore suo perstitit (*II Reg.* XII). Et beatum Petrum, quando amarissime lacrymas fudit, utique Dominum negasse pœnituit, et tamen apostolus mansit (*Matth.* XXVI). Sed non ideo supervacua putanda est posteriorum diligentia, quia ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum. Verum in hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras, non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat. » Sic multitudinibus per schismata et hæreses pereuntibus Ecclesia catholica subvenire consuevit. Et de hac discretione Gelasius in quadam sua epistola, et beatus Gregorius in suis epistolis, et in aliis suis dictis mirabiliter disseruerunt.

Verum et de translationibus episcoporum aliter antiqui censuerunt pontifices, aliter autem concilia episcopalia, et ex his sequentes Romanæ sedis pontifices quæ tenenda sunt decreverunt. Scriptum est etiam in præfatis epistolis, ut accusationes episcoporum non recipiantur, et in eisdem habetur qualiter recipiantur, et ut a suis ovibus episcopi accusari non valeant. Et in constitutionibus sancti Silvestri : « Ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre, et ut presbyter non adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum ; » et iterum, a quantis accusari valeant ab eo constitutum. Et Africæ provinciæ canones cum legatis apostolicæ sedis, eos tantum accusotores vel vestes a clericorum accusatione, vel contra clericos testificatione, removeri præcipiunt, quos ad accusanda vel attestanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Et Nicænum concilium neophytum episcopum a duobus vel tribus testibus redargutum abstinere a clero præcepit, si aliquod delictum animæ circa personam reperiatur hujusmodi. Et Apostolus adversus presbyterum accusationem non recipi, nisi sub duobus aut tribus testibus præcipit. Sed et per prædictos Africæ provinciæ canones, omnibus quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non negatur (*can.* 96). Et de purgatione accusatorum, sed non convictorum, vel confitentium, decreta sedis apostolicæ quæ tenemus constituerunt. Quidam etiam, quod de accusatis et de testibus Silvester constituit, velut in libro Episcopali legitur, ex hoc tenendum in auctoritate dicunt, quia Gelasius in Catalogo de libris recipiendis, Actus illius legendos dicit. Sed alia est scriptura Actuum illius, in quibus, et Scripturarum auctoritate, et miraculorum virtute, Judæos Christum Jesum Deum verum negantes revicit, qui legendi scribuntur : alia de constitutionibus illius in libro Episcopali, quas sicut et alias quasdam constitutiones aliorum pontificum quæ in eodem libro leguntur, a præcedentibus temporibus universalis non servat Ecclesia : quædam vero ex eisdem constitutionibus, sicut et ex dictis epistolarum de quibus agitur, recipit et custodit. Sed et in eisdem epistolis scriptum est, non debere vel posse convocari, synodum sine jussione vel consensu Romani pontificis ; et sacri Nicæni canones dicunt (*can.* 5) : « Bene placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus simul episcopis congregatis provinciæ, discutiantur hujusmodi quæstiones. » Et Chalcedonense concilium (*can.* 19) : « Decrevit, inquiens, sancta synodus secundum canones Patrum, bis in anno episcopos in idipsum in unaquaque provincia convenire, quo metropolitanus antistes probaverit, et corrigere singula, si quæ fortassis emerserint. » Sed et Antiocheni et Africæ provinciæ canones his concinunt constitutis (*conc. Antioch.*, can. 20 ; *conc. Afric.*, can. 62). Et Innocentius ad Victricium : « Si quæ causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundum synodum Nicænam, congregatis ejusdem provinciæ episcopis, jurgium terminetur, patenter ostendit. » Et Leo ad Anastasium scripsit : « De conciliis, inquiens, episcopalibus non aliud indicimus, quam sancti Patres salubriter ordinarunt, ut scilicet bini conventus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis quæ inter diversos Ecclesiæ ordines nasci assolent judicetur. » Et sanctus Gregorius ad Gallicanos episcopos scribit (*lib.* VII, *ind.* 2, *ep.* 112, in fine) : « Nec nos, inquiens, in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per parochias conciliis Patrum providentia utilitatis causa sancitum est. Unde ne qua inter fratres dissensio, ne qua inter præpositos et subjectos sint fomenta discordiæ, in unum sacerdotes convenire necesse est, ut de inciden-

tibus causis disceptatio, et sit salubris de ecclesiastica observatione collatio. »

Non igitur absque sedis apostolicæ auctoritate metropolitani episcopi et primates provinciarum synodos convocamus, « quatenus, ut beatus dicit Gregorius, dum per hoc, et præterita corriguntur, et regulam futura suscipiunt, omnipotens ubique Dominus fratrum concordia collaudetur, cujus nobis adesse præsentiam si hæc observamus scimus, quia scriptum est : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Si ergo adesse dignabitur ubi duo vel tres fuerint, quanto magis non deerit ubi plurimi convenerint sacerdotes ? » Constat ergo de generali fidei causa hoc dixisse apostolicam sedem. Unde cum plura catholica habeantur concilia, sex synodi tantum generales specialiter appellantur, quia pro generali ad omnes Christianos causa pertinente sunt convocatæ, quæ sine speciali jussione sedis apostolicæ regulariter congregari non poterant, neque possunt. Quarum synodorum universalium, a catholica Ecclesia receptissimarum, prima est quæ in Nicæna congregata exstitit contra Arium trecentorum decem et octo Patrum, temporibus Silvestri papæ, sub Constantino principe ; secunda in Constantinopoli centum unius Patrum, contra Macedonium et Eudoxium, temporibus Damasi papæ, et Gratiani principis, quando Nectarius eidem urbi est ordinatus episcopus ; tertia in Epheso ducentorum Patrum, contra Nestorium Augustæ urbis episcopum, sub Theodosio magno principe, et papa Cœlestino ; quarta Chalcedone, Patrum sexcentorum triginta, sub Leone papa, temporibus Marciani principis, contra Eutychem nefandissimum præsulem monachorum ; quinta item in Constantinopoli temporibus Vigilii papæ, sub Justiniano principe, contra Theodorum et omnes hæreticos ; sexta item in Constantinopoli sub Agathone papa, qui ex rogatu Constantini, Heraclii et Tiberii principum piissimorum, misit in regiam urbem legatos suos, in quibus erat Joannes Romanæ Ecclesiæ tunc diaconus, non longe post episcopus, pro adunatione facienda sanctarum Dei Ecclesiarum : qui benignissime suscepti a reverentissimo fidei catholicæ defensore Constantino, jussi sunt, remissis disputationibus, pacifico colloquio de vide vera perquirere, datis eis de bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum Patrum quos petabant libellis. Adfuerunt autem et episcopi centum quinquaginta, præsidente Georgio patriarcha regiæ urbis, et Antiochiæ Macario, et convicti sunt qui unam voluntatem et operationem astruebant in Christo, falsasse Patrum catholicorum dicta perplurima. Finito autem conflictu, Georgius correctus, Macarius vero cum suis sequacibus, simul et præcessoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, et Petro anathematizati, et in locum ejus Theophanius abba de Cilicia Antiochæ episcopus factus. Tantaque gratia legatos catholicæ pacis comitata est, ut Joanes Portuensis episcopus, qui erat unus ex ipsis, Dominica octavarum Paschæ missas publicas in ecclesia sanctæ Sophiæ coram principe et patriarcha Latine celebraret. Septima autem apud Græcos vocata universalis pseudosynodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra vero pars intellectu sano diffiniens, sine auctoritate apostolicæ sedis, non longe ante nostra tempora, Constantinopoli est a quampluribus episcopis habita, et Romam missa, quam etiam papa Romanus in Franciam direxit. Unde tempore Caroli magni imperatoris, jussione apostolicæ sedis, generalis est synodus in Francia, convocante præfato imperatore, celebrata, et secundum Scripturarum tramitem traditionemque majorum, ipsa Græcorum pseudosynodus destructa et penitus abdicata. De cujus destructione non modicum volumen, quod in palatio adolescentulus legi, ab eodem imperatore Romam est per quosdam episcopos missum. In cujus voluminis quarto libro (*cap.* 28) hæc de universali nomine scripta sunt : « Universitas ab uno cognominatur, quod uno multoties verso propagatur. Nam multitudo unitatum vertente in unum collecta, universitas efficitur. Sicut enim Ecclesia universalis est, quæ Græco eloquio catholica dicitur, ita nimirum omne quidquid ab ejus unitate non discessit, catholicum nuncupari potest. Omnis enim doctrina Christiana, vel quælibet constitutio sive traditio talis esse debet, ut universali conveniat Ecclesiæ : quod nequaquam hæretici observaverunt, qui per diversas mundi partes, aliquibus regionum partibus coarctati, conventicula quædam statuerunt, quibus et se et quamplures ab ecclesiasticæ unitatis consortio segregaverunt. Cum ergo duarum et trium provinciarum præsules in unum conveniunt, si antiquorum canonum institutione muniti aliquid prædicationis aut dogmatis instituunt, quod tamen ab antiquorum Patrum dogmatibus non discrepat, catholicum est quod faciunt, et fortasse dici potest universale : quoniam quamvis non sit ab universi orbis præsulibus actum, tamen ab universorum fide et traditione non discrepat, quod crebro factum in plerisque mundi partibus quibusdam necessitatibus incumbentibus scimus. Multa enim concilia gesta sunt, quorum institutionibus sancta munitur et corroboratur Ecclesia. Si vero duarum aut trium provinciarum præsules in unum convenientes, nova quædam statuere cupientes, conventicula quædam faciunt, quæ non cum universi orbis Ecclesia sentiunt, sed ab ea quadam ex parte dissentiunt, non est catholicum quod faciunt, et ideo universale nuncupari non potest. Omne quod ecclesiasticum est, catholicum est, et omne quod catholicum est, universale est : omne autem quod universale est, profanis vocum novitatibus caret, omne igitur quod ecclesiasticum est, profanis vocum novitatibus caret. Et si hæc synodus vocum novitatibus careret, antiquorum Patrum dogmatibus contenta, universalis dici poterat : non autem antiquorum Patrum dogmatibus contenta est, non igitur universalis dici potest. Universalem plane eamdem synodum non cunctaremur profiteri,

nisi eam universalis Ecclesiæ dogmatibus sentiremus refragari. »

Claret etiam hac de causa, ut prædixit, universales ac generales synodos nominari, cum plures episcopi, quam in quibusdam præfatis synodis fuerint congregati, apostolicæ sedis jussione, et imperiali convocatione : sicut Sardicensis synodus, in qua ab Hesperiis partibus plusquam trecenti convenerunt episcopi. Et in Africanis synodis, cum legatis apostolicæ sedis celebratis, interdum amplius quam ducenti fuerunt congregati episcopi ; non tamen inter illa universalia concilia computantur, cum constet esse catholica et a sede apostolica atque universali Ecclesia receptissima. Unde sanctus Gregorius in synodica epistola ad Cyriacum Constantinopolitanum episcopum de Eudoxio (*lib.* VI, *ind.* 15, *ep.* 4, *in fine*) : « Si quis eum veraciter de catholicis Patribus damnat, ejus procul dubio sententiam sequimur ; vos tamen si in synodica vestra epistola eos quoque nominatim damnare voluistis, qui extra sanctas synodos per Patrum scripta damnantur, multos scriptis vestris vestra fraternitas minus posuit ; si autem eos quos generales synodi respuunt, hunc unum amplius. » Et in Africano concilio legimus (*can.* 62) : « Concilium universale non nisi necessitate faciendum. Placuit ut non sit ultra fatigandis fratribus anniversaria necessitas ; et quoties exegerit causa communis, id est totius Africæ, undecunque ad hanc sedem de hac re datæ litteræ fuerint, congregandam esse synodum in eas provincias ubi opportunitas persuaserit. Causæ autem quæ communes non sunt in suis provinciis judicentur. » Et Leo papa ad Maximum Antiochenum scripsit : « Quidquid, inquiens, propter speciales causas synodalium conciliorum ad examen episcopales defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nil de eo est a sanctis Patribus apud Nicæam diffinitum. Nam quod ab illorum regulis et constitutione discordat, apostolicæ sedis nunquam poterit obtinere consensum. » Et Antiochena synodus dicit (*can.* 16) « perfectum illud esse concilium, ubi interfuerit metropolitanus antistes. » Et Zosimus papa Aurelio et universis episcopis per Africam constitutis, sed et universis episcopis per Gallias et septem provincias constitutis, et universis episcopis per Hispaniam constitutis, a pari inter cætera scribens, provincialem Gallicanorum episcoporum synodum approbat ita dicens : « Lazarus, inquit, dudum in Taurinensi concilio gravissimorum episcoporum sententiis pro calumniatore damnatus, cum Briccii innocentis episcopi vitam falsis objectionibus appetisset, post vero indebite a Proculo, qui inter cæteros in synodo damnationi ejus assenserat, sacerdotium consecutus est, a quo et ipse, vitæ suæ conscius, datis litteris in abdicationem sui sponte submovit. » Sed et Sardicenses canones in capitulo decimo quarto, quanquam non designato nomine, sed posita constitutione Eliberitani concilii (*can.* 21), quod eodem tempore, sub Constantino imperatore, Paulino et Juliano consulibus, quo et Nicænum concilium factum est, memorante Osio, ad auctoritatem devocaverunt. Et Carthaginensis synodi decretam constitutionem quasi propriam, apostolica sedes per Innocentium et Cœlestinum amplectitur.

Sic igitur universales synodi specialiter apostolicæ sedis auctoritate convocantur, et æque provinciales canonicæ synodi, decreto sedis apostolicæ, a metropolitanis et provinciarum primatibus convocantur. Sicut de collatis clavibus regni cœlorum, id est ligandi et solvendi, pontificio, specialiter sancto Petro dato et simul omnibus apostolis, et in eis catholicis episcopis collato, sancta et universalis tenet Ecclesia. Unde beatus Leo in sermone sui natalis inter cætera dicit : « Quod dicitur beatissimo Petro : *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis ; et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVI), transivit quidem etiam in alios apostolos ejus istius potestatis, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit, sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur æquitate judicium ; nec nimia est vel severitas vel remissio, ubi nihil est ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut ligarit, aut solveri. » Qui regem cœlorum, ut Augustinus et cæteri doctores exponunt, majori præ cæteris devotione confessus est, merito præ cæteris ipse collatis clavibus regni cœlestis munere donatus est, ut constaret omnibus quia absque ea confessione ac fide regnum cœlorum nullus possit intrare. Claves autem regni cœlorum ipsam discernendi scientiam potentiamque nominat, qua dignos recipere in regnum, indignos secludere deberet a regno ; unde manifeste subjungit : *Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ; et quodcunque solveris super terram erit solutum et in cœlis.* Quæ solvendi ac ligandi potestas, quamvis soli Petro data videatur a Domino, absque ulla tamen dubietate noscendum est quia et cæteris apostolis datur, ipso teste qui post passionis resurrectionisque suæ triumphum apparens eis insufflavit, et dixit omnibus : *Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX). Nec non etiam nunc in episcopis ac presbyteris omni Ecclesiæ officium idem committitur ; ut videlicet agnitis peccantium causis, quoscunque humiles ac vere pœnitentes aspexerit, hos jam a timore perpetuæ mortis miserans absolvat ; quos vero in peccatis quæ egerunt persistere cognoverit, illos perennibus suppliciis obligandos insinuet. Unde alias Dominus de correpto semel et iterum ac tertio, sed non pœnitente fratre præcipit dicens : *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII). Et ne leve quisque putaret Ecclesiæ se judicio condemnari, mox terribiliter adjunxit :

Amen dico vobis : quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. Omni igitur electorum Ecclesiæ, juxta modum culparum vel pœnitentiæ, ligandi ac solvendi datur auctoritas. Sed ideo beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus vero est amore secutus, specialiter claves regni cœlorum et principatum judiciariæ potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant quia quicunque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possint regni cœlestis ingredi.

Et quia devitans prolixitatem epistolæ, per singula sicut poteram, si tempus fuisset et otium, et non vererer legentium tædium, tibi ostendere de his quæ collegisti, illa ipsa te redarguere, quæ putas plurimum tecum facere, de quibusdam tibi tantum ex his quæ collegisti, specialiter respondebo, scilicet de epistolis Julii et Felicis, quasi de capitulis synodi Nicænæ confectis, ante Sardicense quidem concilium, cui Athanasius anno decimo octavo, ordinationis suæ cum litteris Constantis ab Occidentalibus partibus, in quibus exsulaverat, Alexandriam rediens legitur interfuisse, quodque juxta chronicorum et litterarum ecclesiasticarum fidem, undecimo mortis Constantini, patris Augustorum Constantii et Constantis, Rufo et Eusebio consulibus, anno decimo sexto Julii papæ, qui successit Marco successori Silvestri, cujus tempore celebrata est sacra Nicæna synodus, cuique ad vicem Silvestri præsederunt Osius Cordubensis episcopus, Victor et Vincentius presbyteri urbis Romæ. Anno vero circiter vicesimo tertio post Nicænam synodum Antiochena synodus habita est, et eadem epistola Julii per idem tempus facta esse dignoscitur, in qua plura capitula modo diverso collecta tenentur, quæ si de una synodo fuissent assumpta, non taliter dissonarent. Et si de appellatione, sicut in Sardicensi concilio constitutum est, in Nicæno concilio fuisset antea statutum, nulla foret necessitas ut iterum in hoc concilio inde constitueretur, sed sicut in aliis conciliis legitur scriberetur videlicet, ut ea quæ sunt in Nicæno concilio constituta, ab omnibus conserventur. Epistola vero Felicis ex epistola Julii pendet. Hic enim est mos apostolicæ sedis pontificibus ut verba decessorum suorum quasi propria in suis ponant epistolis, sicut qui legit intelligit. Cæterum quod in epistola ex nomine Athanasii et episcoporum Ægyptiorum, ad Marcum successorem Silvestri habetur octoginta fuisse capitula : quadraginta scilicet a Græcis Græca edita lingua, et similiter quadraginta a Latinis Latina edita lingua; et ab episcopis trecentis octodecim in septuaginta redacta fuisse capitula, si numerantur illa quæ in epistola Julii designata prætermittuntur; sed et quæ in epistola Felicis leguntur, plura quam septuaginta et inter se diversa inveniuntur; et in eisdem epistolis non inveniuntur memorari, minime autem connumerari, illa capitula quæ ex Nicæno concilio sumpta servavit antiquitas et hactenus tenet ac veneratur Ecclesia. De hoc autem quod reverentissimus Julius in epistola sua dicit : « Plura de his, scilicet capitulis Nicænæ synodi, ideo hic non inservimus, ne vacuare vilemve facere prædictam synodum videremur, aut fastidium legentibus audientibusque prolixa facere epistola : si quis autem de his ampliora atque abundantiora scire voluerit, in sacro nostræ sedis Ecclesiæ scrinio et ea quæ prædiximus invenire poterit, verum me dicere testis est ipsa Divinitas, a nullo est contradicendum : quia nisi ipsa quæ misit haberet, mittere nullo modo poterat, et quia plura habebat, esse utique verum constat : quia et illa quæ sacrum concilium Nicænum constituit, certum est in Romano scrinio conservari, de quibus et ipsius sanctæ sedis pontifices sua decreta promulgaverunt, et suis posteris tenenda et servanda reliquerunt. Fuit autem opinio apud majores nostros etiam non incerta, quia Osius quædam de capitulis a se synodi Nicænæ delatis, aliter prius renuntiaverit, quam postea inventum exstiterit; qui et apud Sirmium, contra fidem Nicæni concilii cui subscripserat, sacrilegam professionem atque subscriptionem proferre et exhibere præsumpsit, sicut de eo historiæ ecclesiasticæ perhibent, et sanctus Hilarius in libro de Synodis dicit : Apud Sirmium, inquiens, per immemorem gestorum suorum dictorumque Osium, novæ et tamen suppuratæ jamdiu impietatis doctrina proruperat : sed de eo nil loquor, qui idcirco est reservatus, ne judicio humano ignoraretur qualis ante vixisset. » Cujus scilicet beati Hilarii testimonio de Synodis, sed et de Osio, fidem accomodare debemus, qui in præfato libro de Synodis dicit : « Regeneratus pridem, et in episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicænam nunquam nisi exsulaturus audivi. Sed mihi *homousii* et *homœousii* intelligentiam Evangelia et apostoli intimaverunt. Et per illa tempora, quando concilia, scilicet Nicænum, Antiochenum, Sardicense, et alia quædam posteriora celebrata fuerunt, isdem sanctus et doctor catholicus in carne deguit, et verus de eis relator exstitit, et credenda nobis in suis scriptis reliquit. Refutanda est igitur falsa opinio de quorumdam scriptis exorta, quod Nicænum concilium tempore Julii fuerit celebratum, cum constet eamdem sacram synodum fuisset habitam anno post Alexandrum sexcentesimo tricesimo sexto, sub Constantino imperatore, die mensis secundum Græcos Desii XVIII, quod est X Kalendarum Juliarum, consulatu Paulini et Juliani, tempore Silvestri papæ, sicut veridicæ chronicæ et ecclesiasticæ historiæ produnt. Verum Julius successor Marci, qui Silvestro successit, Romæ synodum celebravit sub Constantio et Constante Augustis, anno quarto sub die octava Kalendarum Octobris, indict. sexta, consulatu Feliciani et Maximiani, et eamdem Nicænam synodum apostolicæ sedis auctoritate per se, sicut prædecessor illius, Silvester per legatos suos firmavit. Capitula quoque in eodem concilio consti-

tuta ipse omnibus validior antiquitatis usus, et antiqua majorum traditio, reverentissimo vigore tenenda corroboravit.

CAPUT XXI.

Quod non nisi vigenti capitula in concilio Nicæno fuerint constituta.

Et qua ratione quædam ex his quæ in epistolis antiquorum sedis Romanæ pontificum scripta inveniuntur, a successoribus eorum usa non fuerint, licet ad instructionem valeant plurimum, quædam vero in decretis eorum posita, et a conciliis inter canones sacros inveniantur assumpta, et unde opinio exorta exstiterit, plura quam in canone inveniantur in Nicæna synodo decreta fuisse capitula, quod ex litteris antiquitatum seriem deferentibus accepimus, tibi ex parte scribo, non veritus ne mihi calumnias struas, sicut jam fecisti de his quæ scripsi de Stephano, sensum dictorum meorum pervertens, et scripta mea decurtans in scripto quod mihi de Amalberto dedisti, volens me ex verbis meis revincere, et me ad tortitudinem tui judicii contorquere, et si easdem calumnias sciero, necesse mihi sit inde rescribere, et tempus inutilitati expendere; si autem eas nesciero, ad derogationem mei tibi credentes aliquo modo possis adducere. Dicam autem ex verbis veterum quæ didicimus de capitulis Nicænæ synodi, ut si te delectat bellare, cum eis possis bellum conserere, et ego valeam repausare. Historia quidem tripertita (*lib.* II, *c.* 7) Athanasium dixisse scribit ita : « In Nicænum concilium venientes episcopi viginti conscripserunt de conversatione ecclesiastica sanctiones. » Et item : « Meminit vestra patientia factum in Nicæa civitate concilium, cui et ego ipse conscientiæ meæ cultum decenter exhibui. » Et item in eadem Historia scriptum est : « Synodus corrigere volens hominum vitam et in Ecclesia commorantium, posuit leges quas canones appellamus. » Et decimus historiæ ecclesiasticæ liber Rufini, qui in catalogo apostolicæ sedis inter recipiendos libros describitur, aperte ostendit, post confessionem fidei, viginti duo tantum capitula canonum in eodem concilio, et de Paschali solemnitate fuisse decreta. Duo autem, quæ super vigenti sunt illic constituta, in viginti aliis capitulis apud nos habentur conclusa. Unde et in eodem libro ita scriptum habetur : « De singulis quibusque ecclesiasticis observationibus certa statuta figentibus, concilium diremptum est; » et post capitula ex ordine et numero constituta : Igitur cum de his, inquit, prout divinarum legum reverentia poposcerat decrevissent, sed et de observatione Paschæ antiquum canonem, per quem nulla de reliquo varietas oriretur, ecclesiis tradidissent, omnibus rite dispositis, ecclesiarum pax et fides in Orientis atque Occidentis partibus una atque eadem servabatur. Cujus historiographi dictis (salva auctoritate apostolicæ sedis, quæ suo principatu Domini ore percepto, et Ecclesiæ profutura constituit, et constituta conservando confirmat) et Carthaginense stipulatur concilium, quod dicit : « Exemplaria

A fidei et statuta Nicænæ synodi, quæ ad nostrum concilium per beatæ recordationis Cæcilianum Carthaginensem episcopum, qui interfuit, allata sunt, sed et quæ patres exemplaria sequentes hic constituerunt, vel nunc communi tractu statuimus, his gestis ecclesiasticis inserta manebunt. » Nam quia Cæcilianus Nicænæ synodo interfuerit, et subscriptio illius testatur, et historiæ ac chronicæ ecclesiasticæ astruunt, in quibus scriptum est : « Quia tertio anno post Nicænam synodum, Junuario et Justo consulibus, Donatus agnoscitur, a quo per Africam Donatistæ, qui primum propter ordinatum contra voluntatem suam Cæcilianum ecclesiæ Carthaginensis episcopum, schisma fecerunt, objicientes ei crimina non probata, et maxime quod a traditoribus divina-
B rum Scripturarum fuerit ordinatus : sed post causam confictam atque finitam, pertinaci discordia in hæresim transierunt. » Sed et epistola Cyrilli Alexandrini episcopi, cujus prædecessor Alexander, cum legatis apostolicæ sedis, Osio videlicet Cordubense episcopo, et Vincentio ac Victore Romanis presbyteris, mediante Constantino imperatore præsedit, cum integritate ipsius concilii, per Innocentium presbyterum missa. Itemque epistola Attici Constantinopolitani episcopi, cum integritate nihilominus ipsius concilii per Marcellum subdiaconum Carthaginensi synodo directa, et verba Faustini episcopi ac legati sedis apostolicæ prolata in synodo Carthaginensi Epistola quoque ipsius concilii ad Cœlestinum papam honorabiliter, ut par est, destinata. Sed et
C actio duodecima Chalcedonensis concilii, in qua scriptum habetur regula nonagesima quinta, de vacante episcopo; et paulo post Leontius ex eodem codice legit regulam nonagesimam sextam. De his qui ad episcopatum vocati evitant. Quas regulas, connumeratis a capite viginti capitulis Nicæni concilii, si quis per singula consequentia concilia ex ordine numeraverit, in Antiocheno concilio loca præfatorum numerorum tenere inveniet. Unde manifestum est, non nisi tantum vigenti quæ habemus capitula fuisse in Nicæno concilio constituta. Verum et longissimarum ætatum ex antiqua consuetudine prolixa tempora, per quæ ipsius concilii hæc tantum viginti capitula fuere suscepta, verbis præfati historiographi indubitabilem faciunt fidem.

D

CAPUT XXII.

De quatuor capitulis a beato Gregorio in epistola ad Theoctistam Patriciam memoratis.

Sed et quod de anathemate, ex verbis sancti Gregorii ad Theoctistam Patriciam, in supradicta compilatione tua improprie posuisti, bene et rationabiliter dicta male intelligi tradidisti, et non secundum illum sensum, quem beatus Gregorius illud in eadem epistola posuit, interpretari studuisti. Apud Græcos siquidem novitate vocum delectantes, quator hæretica capitula invenerunt, de quibus sanctus Gregorius ad Theoctistam Patriciam scripsit. Quorum primum est, quia sub obtentu religionis etiam non

ex amborum consensu conjugia dissocianda dicebant, contradicente Domino : *Quod Deus conjunxit homo non separet* (*Matth.* XIX). Aliud vero, quod baptisma peccata penitus non auferret, cum Dominus dicat : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus* (*Joan.* XIII). Tertium vero, quia si de iniquitatibus suis quis pœnitentiam in triennium ageret, postmodum perverse vivere ei liceret, cum scriptum sit : *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus ? (Eccli.* XXXIV). Baptizatur ergo a mortuo, et iterum tangit eum qui prava opera quæ se egisse meminit deplorat, sed eisdem se iterum post lacrymas implicat. Quartum vero est, quod non suo sensu posuisti, quia si compulsi aliqui, de quibus reprehendebantur contra catholicam sensisse Ecclesiam, anathematizare se dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri. De quibus sanctus dicit Gregorius : « Quia ipsi sibi testes sunt quia Christiani non sunt : quoniam ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ quam præstat fidelibus veram putant, si ligaturam ejus valere non æstimant. » Unde in orthodoxorum scriptis legimus, ex ipsis qui in Nicæna sancta synodo convenerunt, et expositæ ab ea fidei diffinitioni vel symbolo subscripserunt, et ab eadem subscriptione apostataverunt, et iterum per catholicam subscriptionem ad universalem Ecclesiam redierunt, quosdam fuisse susceptos, sicut et in aliis synodis, et, in epistolis Leonis, atque Gregorii legimus. Constat igitur, quia non sunt ligamenta vel solutiones sanctæ Ecclesiæ, quæ contra sanctam Ecclesiam fiunt, vel quæ ab his fiunt, qui contra dogmata catholicæ Ecclesiæ sentientes, contraria ipsi sanctæ Ecclesiæ ligant vel solvunt. Sancta quippe Ecclesia dicit : « Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo. *Lavabo inter innocentes manus meas (Psal.* XXV, 6). » Denique eisdem verbis beati Gregorii : quibus dicit : « Si qui vero sunt qui dicunt, quia compulsus quispiam necessitate se anathematizaverit, anathematis vinculo non tenetur, » verbis tuis imposuiti, immitens et superadjiciens, aut contra ea quæ sub anathemate prohibita sunt præsumpserit. In eo autem loco ubi dixit : « Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano, hæc quæ prædiximus errorum capitula, aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere, » detruncasti et pervertisti dicens : « Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano hæc aut prædicare audent, non timens sententiam sanctæ sextæ synodi in duodecima actione prolatam hoc modo : Inveteratum Macarium in impietatis dogmatibus, et non solum universam Christo amabilem plebem, quæ hanc a Deo conservandam regiam urbem inhabitat, eversione turbulenta potantem, testimoniaque sanctorum et probabilium patrum falsantem, et quædam quidem abscidentem, quædam vero addentem, et secundum quod ei videbatur in devia mittentem piissimum et a Deo coronatum principem per oblata ab eo codicia : sed et a solis ortu usque ad occasum, per litteras suas, et per homines quos mittebat, universos perturbantem, et a fide vera segregantem, et juste atque rationabiliter a pontificali habitu denudatum, nullatenus divina regula de cætero suscipit in doctoris sede residere, ne ex hoc propriæ suæ hæreseos multo jam recrudescere faciat intelligentiam, et fiant, juxta quod scriptum est, novissima illius hominis deteriora prioribus. » Et Macedonius Constantinopolitanus episcopus, ut supra dixi, ab imperatore Anastasio legitur expulsus, quoniam Evangelia falsasset, et maxime illud Apostoli dictum : *Quod apparuit in carne, justificatum est in spiritu* (*I Tim.* III) ; et pervertisse, ut legeretur, *ut esset Deus, apparuit per carnem*. Quales redarguit Paulus apostolus, de se et suis sociis dicens : *Non enim sumus*, inquit, *sicut plurimi adulterantes verbum Dei* (*II Cor.* II). « Adulterare est, inquit beatus Gregorius, verbum Dei, aut aliter sentire quam de illo est, aut ex eo non spiritales fructus, sed adulterinos fetus quærere laudis humanæ. » Unde Gelasius ad episcopos per Dardaniam constitutos, in decretis suis scripsit (*epist.* 11, in principio) : « Quia majores nostri necessario præcaverunt, ut contra unamquamque hæresim, quod acta semel synodus pro fide, communione, et veritate catholica atque apostolica promulgasset, non sinerent novis post hæc retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur quæ medicinaliter fuerant statuta pulsandi : sed auctore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus, quoniam manifeste quilibet vel professione sua vel communione posset agnosci. » Et post aliquanta : « Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto exsecrationem sui gestat et pœnam. » Hæc igitur, qui beati Gregorii verba imposturasti, attendens quæ beatus dicit Gelasius, et ante oculos mentis ponens, quia Macarius et Macedonius idcirco a sacerdotio, etiam ante humanos oculos, judicio synodali et potestate principali fuerunt dejecti accelera satisfacere terribili in consiliis super filios hominum.

CAPUT XXIII.

Quod apostolica sedes partem noni capituli Chalcedonensis non recipiat, sicut beatus Leo papa demonstrat.

Sententiam denique Chalcedonensis concilii, quam tuæ compilationi apposuisti, a quocunque expositam qui adinvenit de ea quid diceret : Ut si clericus habet causam adversus episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum provinciæ judicetur : quod si adversus ejusdem provinciæ metropolitanum epicopus vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantino-

politanæ, et apud ipsum judicetur, quod et in capitulo decimo septimo recapitulavit. Lege gesta synodi Chalcedonensis, et Breviarium de duabus hæresibus Nestorianorum et Eutychianorum, collectum a sancto Liberato archidiacono Ecclesiæ Carthaginis regionis sextæ, sed et epistolas sancti Leonis papæ, et invenies hoc ipsius concilii nonum capitulum, in cujus fine dicitur: Petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, et apud ipsum judicetur, et quod de divisione diœcesis inter Antiochenum et Hierosolymitanum episcopos convenit, ab apostolica sede non fuisse recepta. Sed nec illud capitulum Constantinopolitani concilii, in quo synodus ipsa constituit præferendam Constantinopolim secundæ et tertiæ sedi, et post Romanum pontificem habere primatum, quod et per pragmaticam formam imperialis potestatis obtinuit, et Chalcedonensis synodus, in absentia legatorum sedis apostolicæ, confirmando quibusdam non consentientibus renovavit, et post, reclamantibus de sacrorum canonum et privilegii apostolicæ ac primæ sedis injuria et præjudicio eisdem legatis ipsius apostolicæ sedis, synodus in sententia sua patrocinante imperatore permansit. Egit enim Anatolius tunc Constantinopolitanus episcopus apud synodum (Leo, *ep.* 53 *ad Anatol.*), et apud imperatorem, nacta occasione de damnatione Dioscori secundæ sedis Alexandrinæ episcopi, hac calliditate, quoniam mens potentiæ avida nec abstinet vetitis, nec gaudet concessis, ut quia in Constantinopolitana CL episcoporum synodo Nectarius obtinuerat quatenus Constantinopolis prælata secundæ et tertiæ sedis, post Romanum pontificem primatum haberet, istud capitulum aliis necessariis interpositum de appellatione episcoporum et clericorum ad sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ foret: quatenus constitutionem Sardicensis concilii de appellatione clericorum apud finitimos episcopos, et appellationem episcoporum de regionali concilio ad sedem apostolicam, eidem apostolicæ sedi abriperet, et sibi scribi faceret: quo, sicut mox claruit, primatum sedis apostolicæ liberius contra sacros canones et antiquam consuetudinem usurparet, et universalis appellaretur et esset. Unde sanctus Leo, de his apud synodalem conventum obtentis ad Maximum Antiochenum episcopum scribens dicit (*epist.* 65): « Nunc autem ad omnia generaliter pronuntiare sufficiat, quod si quid a quoquam contra statuta Nicænorum canonum in quacunque synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præjudicii potest inviolabilibus inferre decretis, et facilius erit quarumlibet consensionum pacta dissolvi, quam prædictorum canonum regulas ex ulla parte corrumpi. Subripiendi enim occasiones non prætermittit ambitio, et quoties ob intercurrentes causas generalis congregatio facta fuerit sacerdotum, difficile est ut cupiditas improborum non aliquid supra mensuram moliatur appetere. Sicut etiam de Ephesina synodo, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Juvenalis episcopus ad obtinendum Palæstinæ provinciæ principatum credidit se posse sufficere, et insolentes ausus per commentitia scripta firmare, Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus episcopus merito perhorrescens, scriptis suis mihi quid prædicti cupiditas ausa esset indicavit, et sollicita prece multum poposcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur assensio. Nam cujus epistolæ ad nos exemplaria direxisti sanctæ memoriæ Cyrilli, eam in nostro scrinio requisitam nos authenticam noveris reperisse. Hoc tamen proprium diffinitionis meæ est. ut quantumlibet amplior numerus sacerdotum aliquid per quorumdam subreptionem decernat, quod illis trecentorum decem et octo constitutionibus inveniatur adversum, id justitiæ consideratione cassetur: quoniam universæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reverentia intemerata servetur. Si quid sane ab his fratribus, quos ad sanctam synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab apostolica sunt sede directi, ut excisis hæresibus catholicæ essent fidei defensores. Quidquid enim præter speciales causas synodalium conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est a sanctis Patribus apud Nicæam diffinitum. Nam quod ab illorum regulis et constitutione discordat, apostolicæ sedis nunquam poterit obtinere consensum. » Et ad Pulcheriam Augustam: « Frater, inquit (*epist.* 58), et coepiscopus meus Anatolius, parum considerans quantum, pietatis vestræ beneficio, et mei favoris assensu, Constantinopolitanæ Ecclesiæ sacerdotium fuerit consecutus, non tam de adeptis gravisus, quam de immodicis appetendis supra mensuram sui honoris accensus est, credens huic tam intemperanti cupiditati posse prodesse, quod ei quorumdam consensum suum præbuisse dicitur extorta subscriptio; cum tamen destruendis mox conatibus contradictio fratrum coepiscoporumque meorum, vicem meam agentium, fideliter et laudabiliter obviaret; quoniam contra statuta canonum paternorum, quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicæna spiritalibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur: ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat. Quæ si ut oportet a cunctis pontificibus intemerata serventur, per universas Ecclesias tranquilla erit pax et firma concordia, nullæ de mensura honorum dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de privilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieni usurpatione certamina: sed æquo jure charitatis rationabilis et morum officiorumque ordo servabitur, et ille vere erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino: Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. Et quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* XX). Et tamen hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo

volebant crescere, et de intimis ad summa transire. Constantinopolitanæ vero præsul Ecclesiæ, quid amplius quam assecutus est concupiscit? aut quid illi satisfaciet, si tantæ urbis magnificentia et claritudo non sufficit? Superbum nimis est et immoderatum, ultra proprios terminos tendere, et antiquitate calcata, alienum jus velle præripere, atque ut unius crescat dignitas, tot metropolitanorum impugnare primatus, quietisque provinciis, et olim sanctæ synodi Nicænæ moderatione dispositis, bellum novæ perturbationis inferre, atque ut venerabilium Patrum decreta solvantur, quorumdam episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negavit effectum. Nam sexagesimus fere annus hujus conhibentiæ esse jactatur, qua se prædictus episcopus æstimat adjuvari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiam si quisquam ausus est velle, nullus tamen potuit obtinere. » De hoc siquidem, quia appellationem clericorum ex Sardicensi concilio ad finitimos episcopos, et appellationem episcoporum ad sedem apostololicam sibi voluit arrogare, et universalis et appellari et esse, et legati sedis apostolicæ in synodo reclamaverunt, isdem beatus Leo ad Martianum Augustum scribit dicens (*epist.* 57): « Apud Christianum, et vere religiosum, vereque orthodoxum principem loquor, multum Anatolius episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. Habeat sicut optamus Constantinopolitana civitas gloriam suam, et protegente Dei dextera, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio: alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia divinarum: nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento mire posuit, stabilis erit ulla constructio; propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit prædicto, quod vestræ pietatis auxilio, et mei favoris assensu, episcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem, quam apostolicam facere non potest sedem, nec ullo modo speret, quod per aliorum offensiones possit augeri. Privilegia enim ecclesiarum, sanctorum Patrum canonibus instituta, et venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate violari. In quo opere auxiliante Christo fideliter exsequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum: quoniam dispensatio mihi credita est, et ad meum tendet reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen Spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me, quod absit, conhibente violentur; et major sit apud me unius fratris voluntas, quam universæ domus Domini communis utilitas. Et ideo sciens gloriosam clementiam vestram ecclesiasticæ studere concordiæ, et his quæ pacificæ congruunt unitati piissimum præstare consensum, precor et sedula suggestione vos obsecro, ut ausus improbos, unitati Christianæ pacique contrarios, ab omni pietatis vestræ abdicetis assensu, et fratris mei Anatolii nocituram ipsi, si perstiterit, cupiditatem salubriter comprimatis: ne ea quæ vestræ gloriæ atque temporibus inimica sunt cupiens, major suis velit esse prioribus, liberumque illi sit, quantis potuerit splendere virtutibus, quarum non aliter particeps erit, nisi charitate magis voluerit ornari, quam ambitione distendi. Hanc autem improbi desiderii conceptionem nunquam quidem debuit intra cordis sui recipere secretum: sed cum illi fratres et coepiscopi mei qui vice mea aderant obviarent, ab illicito appetitu ex eorum saltem contradictione cessasset. Nam et vestræ pietatis apices, et ipsius scripta declarant, legatos sedis apostolicæ, sicut oportuit, contradictione justissima restitisse, ut inexcusabilior esset præsumptio, quæ se nec increpata cohibuit. Unde quia convenit fidei vestræ vel gloriæ, ut sicut hæresis Deo per vos agente destructa est, ita etiam omnis ambitus retundatur, agite quod et Christianæ est probitatis et regiæ, ut prædictus episcopus parcat patribus, consulat paci neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochenæ Ecclesiæ, sine ullo exemplo, contra statuta canonum, episcopum ordinare præsumpsit: quod nos amore reparandæ fidei, et pacis studio, retractare cessavimus. Abstineat ergo ab ecclesiasticarum injuria regularum, et illicitos declinet excessus, ne se ab universali Ecclesia, dum inimica paci tentat abscidat: quem opto magis irreprehensibiliter agentem diligere, quam in hac præsumptione, quæ illum ab omnibus separare poterit, perdurare. » Et quia videns Anatolius nullo modo se posse vel per se, vel per imperatorem, obtinere quod voluit, se inde recrediderit, idem sanctus Leo demonstrat, scribens ad eumdem Anatolium (*epist.* LXXVII): « Si firmo, inquit, incommutabilique proposito dilectio tua curam gratiæ communis habuisset, nihil profecto quod ullam anxietatem tibi ingereret exstitisset. Non enim sinebat ratio, ut ejus charitatem spernerem, quem amore pacis, et studio reparandæ catholicæ fidei, inter ipsa episcopatus rudimenta juvissem, optans in ecclesiasticis curis talem habere consortem, ut mihi de sanctis præcursoribus tuis, nec Joannis spiritalem copiosamque doctrinam, nec auctoritatem Attici, nec industriam Procli, nec fidem beati Flaviani deesse sentirem, et ita studiis tuis uterer, ut nullus auderet vel fidei catholicæ resultare, vel Nicænis venerabilium Patrum regulis contraire. Sed cum in injuriam canonum, ut agnoscis, illa tentata sint, quæ omibus Ecclesiis scandalum maximum generarent, quid aptius ac modestius facerem, quam ut te primum, ut ab hac intentione discederes, fraterno animo missis litteris admonerem? ad quas cum non rescriberes, ipse te a colloquii mei consortio separasti. Denique inde jam tacui, sed clementissimo principi custodi fidei frequenti litterarum petitione suggessi, ut pro pace ecclesiarum, quam tibi maxime prodesse cognoscis, hæc quæ nunc a tua dilectione facta sunt implerentur. Cui ineffabiles gratias ago, quod secundum eruditionem Spiritus sancti, cujus est virtute plenissimus, sacerdotali dignatur studere concordiæ, sciens sibi orationes supplicantium copiosius profuturas, si famuli unius Domini in nullo sint a veræ

pacis unitate divisi. » Et post aliquanta : Illam, inquit, culpam, quam de augenda potestate aliena ut asseris adhortatione contraxeras, efficacius atque sincerius tua charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola clericorum consilia transtulisses : quia sicut in mala suasione delinquitur, ita et in mala consensione peccatur. Sed gratum mihi, frater charissime, est, quod dilectio tua profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regressum professio dilectionis tuæ, et attestatio principis Christiani : nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis assertor accessit. Abjiciatur penitus inconcessi juris qui dissensionem fecerat appetitus. Sufficiant limites, quos sanctorum Patrum providentissima decreta posuerunt, ut quieta sit suis meritis et antiquis privilegiis dignitas omnium sacerdotum. Renovetur et maneat in te Dominicæ charitatis affectio, ad quam dilectionem tuam sæpius cohortatus sum, cum fratre et cœpiscopo nostro Juliano, qui communem gratiam semper optavit, cujus industria et sollicitudines tuæ relevabuntur, et fides catholica munietur. Super omnia autem fraterna charitate hortor et moneo, ut ea quæ ad gloriam vel ad munimen pertinent sacerdotalis officii, Nicænorum canonum universalis Ecclesiæ pacem servantia decreta custodias, Sic enim inter Domini sacerdotes inviolata charitas permanebit, si paribus studiis quæ sunt a sanctis Patribus constituta serventur. »

CAPUT XXIV.

De eodem canone Chalcedonensi, et de canonibus apostolorum, deque sententiis Angilramno datis, et de epistolis pontificum collectis ab Isidoro.

Quia vero iterum quidam hæc relevare ac restituere conati sint, allegantes quoniam synodus Chalcedonensis aut rata in totum tenebitur, aut in totum annullanda ducetur, beatus Gelasius explanat, et vanas opiniones atque objectiones destruit, et quæ sunt tenenda in decretis suis ostendit, dicens (*lib. de Anath. vinc.*) : « Ne forte, quod solent, dicant quin Græci, quod si synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant quæ illic videntur esse deprompta. Aut enim ex toto eam admitti oportere, aut si ex parte repudianda est, firmam ex toto constare non posse. Cognoscant igitur, quoniam illud secundum Scripturas sanctas traditionemque majorum, secundum canones regulasque Ecclesiæ, pro fide communi et veritate catholica et apostolica, pro qua hanc fieri sedes apostolica delegavit factamque firmavit, a tota Ecclesia indubitanter admitti. Alia autem, quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potius ventilata, quæ sedes apostolica gerenda nullatenus delegavit, quæ mox a vicariis sedis apostolicæ contradicta manifestum est, quæ sedes apostolica, etiam petente Martiano principe, nullatenus approbavit, quæ præsul Ecclesiæ Constantinopolitanæ tunc Anatalius, nec se præsumpsisse professus, in apostolicæ sedis antistitis non negavit posita potestate, quæ ideo, sicut dictum est, sedes apostolica non recepit, quia quæ privilegiis universalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione subsistunt. Quid enim quia in libris sanctis, quos utique veneramur et sequimur, quoniam quorumdam illic et profanitates esse feruntur et scelera gesta narrantur, ideo nobis pariter aut veneranda sunt aut sequenda, quia in illis sanctis libris et venerabilibus continentur? Sanctus Petrus primus apostolorum, sic æstimans Novi Testamenti gratiam prædicandam, ut a legis veteris non recederet institutis, quædam per simulationem legitur inter Judæos gentilesque gessisse; nunquid ideo aut illa ejus sequenda sunt, quæ merito et coapostolus ejus facta redarguit, et postea consequenter ipse vitavit, pariter assumenda sunt cum his quæ utpote primus apostolus salubria prædicavit? Nunquidnam aut ejus recta doctrina cum his quæ humanitus accesserant repudianda est, aut illa adhuc imbecillis inscitia cum perfecta ejus doctrina suscipienda est? Nunquidnam in ipsorum hæreticorum libris non multa quæ ad veritatem pertineant posita releguntur? Nunquidnam ideo veritas refutanda est, quia illorum libri, ubi pravitas inest, refutantur : aut ideo pravi libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas quæ illic inserta est non negatur? Ait apostolus (*I Thess.* v) : Omnia probate, quæ bona sunt tenete. Scimus Apostolum etiam de paganorum libris aliqua posuisse : nunquid ideo etiam cuncta recipienda sunt, quæ cum his pariter sunt prolata? Ipse apostolus ait multos prædicatores aliter atque aliter Christum prædicare, ubi licet, quocunque modo, Christum prædicatum oportet admitti. Tamen non ideo illum morem, quo non recte prædicatum est, non admonet evitare. Malos operarios ipse conqueritur, quorum alia refutanda, alia docet esse sectanda. Hæc et hujusmodi exempla nos edocent, et testimonia divina confirmant, non omnia passim a quocunque dicta, vel ubicunque scripta, indifferenter accipere, sed retentis bonis quæ noceant refutare. » Et item : « Quod firmavit in synodo sedes apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem, et sola rescidit quod præter ordinem congregatio synodi putaverat usurpandum. » Et item : « Nobis, inquit, opponunt canones, quin Orientales episcopi, dum nesciunt quid loquantur, contra quos ipsi se venire produnt, quod primæ sedi sana rectaque suadenti parere refugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationem totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri. » Et item idem : « Viderint ergo si alios habent canones, quibus suas ineptias exsequantur. Cæterum isti, qui sacri, qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, non solum sedem apostolicam ad judicium vocare non possunt, » et reliqua. Itemque idem : « Sed velint nolint, ipsius judicio, scilicet apostolicæ sedis, antiquæ canonum constitutiones

firmantur. Sed religiosi viri atque perfecti secundum canones concessam sedi apostolicæ potestatem nimirum conantur eripere, et siblimet eam contra canones usurpare contendunt. O canonum magistros atque custodes! » Et post aliquanta : « Quantum ad religionem pertinet, non nisi apostolicæ sedi juxta canones debetur totius summa judicii. » Et item : « Apostolicæ sedis auctoritas quod cunctis sæculis Christianis Ecclesiæ prælata sit universæ, et canonum serie paternorum, et multiplici traditione firmatur. » Et item : « Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. » Beatus quoque Gregorius eadem passus a Joanne, et post eum a Cyriaco, Constantinopolitanis episcopis, quæ et Leo ab Anatolio de præfatis Constantinopolitanis canonibus, pari modo scribens ad Eulogium Alexandrinum episcopum, et ad Anastasium Antiochenum episcopum, in suis epistolis inter cætera dicit hoc modo (*lib.* VI, *epist.* 31) : « Canones quidem Constantinopolitani concilii Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, nequaquam dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem canones, vel gesta synodi illius, hactenus non habet, nec accipit : in hoc autem eamdem synodum suscepit, quod est per eam contra Macedonium diffinitum. Reliquas vero hæreses, quæ illic memoratæ sunt, ab aliis jam patribus damnatas reprobat. De Eudoxianis vero nihil hactenus agnovit. » Et cum idem beatus Gregorius sæpe in suis epistolis dicat ita se quatuor synodos recipere sicut quatuor Evangelia, aperte demonstrat eodem modo, sicut præmisit, synodum Constantinopolitanam recipere, scilicet, ut quod de fide contra hæreticos in ea est diffinitum apostolica sedes recipiat, canones autem vel gesta synodi illius contra Nicænos canones, ut supra ostensum est, nequaquam recipiat. Quia vero sedes apostolica canones Chalcedonensis concilii, præter illud unum capitulum in XVII recapitulatum, quod contra Nicænos canones est constitutum, recipiat, idem beatus Gregorius in epistola ad Secundinum, et in homilia Evangelii decima septima evidenter ostendit : « Quinam sunt, inquiens, in templo Dei hodie qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt, per quam videlicet impositionem Spiritus sanctus cœlitus datur? Columba igitur venditur, quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium præbetur. Sed Redemptor noster cathedras vendentium columbas evertit, quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. Hinc est quod sacri canones Simoniacam hæresim damnant, et eos sacerdotio privari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas evertitur, quando hi qui spiritalem gratiam venundant, vel ante humanos vel ante Dei oculos sacerdotio privantur. » Nulla quippe synodus ex hac re decrevit judicium nisi Chalcedonense, concilium, licet inde habeatur decretum et in canonibus qui vocantur apostolorum, quia non episcopalium conciliorum auctoritate sunt constituti, sed a primis temporibus traditione viritim apostolicorum virorum fuerunt mentibus commendati, et partim verbis, partim sensu, ac sparsim diversis quorumdam epistolis pro qualitate causarum et personarum ac temporum inditi, atque exinde, antequam episcopi concilia libere inciperent celebrare, a devotis quibusque collecti. In quibus quædam receptibilia, quædam vero sunt non servanda. De quibus interdum quædam assumpta sunt in conciliis, quædam etiam a maximis et præcipuæ auctoritatis viris in suis opusculis, sicut et de apocryphis, assumpta fuisse legimus, quoniam in quibusdam ad instructionem valent. Et ideo, sicut majorum traditione didicimus, seorsum ante concilia in canonum libris ad instructionem et propter vulgatam eorum famam ponuntur : in quibusque codicibus sacrum Nicænum et universale concilium regionalibus conciliis, quæ ante illud acta fuerunt, propter auctoritatem suæ magnitudinis præponitur. Cæterum iidem canones qui vocantur apostolorum, non ab apostolis conscripti esse creduntur. Quoniam, sicut in sacra historia legimus, et inde scriptum ab Ecclesiæ magistris accepimus, prima synodus apostolorum habita est Hierosolymis, de electione duodecimi apostoli pro Juda; secunda, de electione septem diaconorum; tertia, de circumcisione, ne credentibus ex gentibus imponeretur; quarta facta est de credentibus ex Judæis illo tempore, ne prohiberentur, ubi necessitas exigeret, etiam legalibus cæremoniis initiari, ob devitandum videlicet eorum scandalum, qui putabant eos ita Mosaica decreta tanquam idololatriæ dogmata damnasse, quod etiam ante facere consuesse Timothei maxime circumcisione probatum est. Quintam vero synodum apostolorum Patres nostri fuisse tradunt, quando secundum quod prædictum est tempus adimpletionis advenit, ut in omnem terram exiret sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, et secundum Domini dictum, Evangelium prædicaretur in toto mundo per apostolos, quibus dixit : *Ite, docete omnes gentes* (*Matth.* XXII). Et tunc Symbolum, sicut universalis tenet Ecclesia, condiderunt, singuli singulas sententias proferentes, sicut et Leo ad Pulcheriam Augustam demonstrat (*epist.* 15, in fine) : « Siquidem ipsa, inquit, catholici Symboli brevis et perfecta confessio, quæ duodecim apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari. Cujus Symboli plenitudinem si Eutyches puro et simplici voluisset corde concipere, in nullo a decretis sacratissimi Nicæni concilii deviaret, et hoc a sanctis Patribus intelligeret constitutum, ut contra apostolicam fidem, quæ non nisi una est, nullum se ingenium, nullum elevaret eloquium. » Denique post hæc nulla synodus ab apostolis legitur celebrata, qui fuerunt per omnem terram ad verbum fidei seminandum progrediendo dispersi. Sed et beatus Gelasius in catalogo qui libri ab Ecclesia catholica recipiantur descripto, authenticis scripturis, et

Nicænæ, Constantinopolitanæ, ac Ephesinæ, Chalcedonensis quoque synodi, et aliis conciliis a sanctis Patribus institutis, et orthodoxorum opusculis, atque decretalibus epistolis apostolicæ sedis pontificum, aliisque scripturis discrete commemoratis, de his apostolorum canonibus penitus tacuit, sed nec inter apocrypha eos misit. Quapropter in lectione illorum sequenda est cautela ab eodem sancto Gelasio præmonita : « Cum hæc, inquit, ad catholicorum manus advenerint, beati Pauli apostoli præcedat sententia, qua dicit : *Omnia probate, quod bonum est tenete* (*I Thess.* v). » Sicut et in illis capitulis, quæ dicuntur ex legibus Romanis Latina et Græca lingua conscriptis, et ex præfatis epistolis diverse collecta, et satagente Osio ad synodum Nicænam delata, sed nonnisi ea quæ ibidem constituta tenemus, ad servandum fuisse decreta. Unde identidem isdem Osius quædam in synodo Sardicensi recitavit, quæ cum legatis apostolicæ sedis ab eadem synodo corroborata Ecclesia catholica recipit. In qua synodo, cui præsederunt legati apostolicæ sedis, idem Osius Cordubensis episcopus, et Vincentius Capuanus, atque Calepodius Neapolitanus, fuerunt de hesperiis partibus episcopi quasi trecenti, ex orientalibus sex et sexaginta, sub Constantio imperatore, Rufo et Eusebio consulibus : et orientalibus Arianis a synodo fuga recedentibus, hesperii catholici remanentes quæ tunc agenda fuerant exsequi studuerunt. Recordare quando hæc et plura hinc tibi dixi ex traditione historiæ veteris, cum mihi eras dulcissimus filius, et ubi etiam ista de apostolorum canonibus, et de in præfatis synodis, Osio satagente, recitatis capitulis legere potuisti, si non neglexisti, et contra auctoritatem veterum, qui veraci attestatione confirmant non plura fuisse caditula sacri Nicæni concilii, quam illa quæ ex antiqua consuetudine catholica tenet et veneratur Ecclesia, his acquiescere nolens contende, si dicentem Apostolum nolueris obaudire : *Si quis,* inquit, *vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei* (*I Cor.* x). Ego autem ex hac causa cestus jam depositos non resumam, cum sufficiant mihi quæ sedes apostolica et catholica docet Ecclesia. Et quod addidisti tuis commentis, non esse primatem diœceseos præter apostoli primi vicarium, sufficienter supra legisti quæ sacri canones et decreta sedis Romanæ pontificum de provinciarum primatibus intellexerunt ac decreverunt.

De sententiis vero, quæ dicuntur ex Græcis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis præsulum ac ducum Romanorum collectæ ab Adriano papa, et Engelramno Metensium episcopo datæ, quando pro sui negotii causa agebatur, ex quibus quædam tuis commentis, interposuisti, quam dissonæ inter se habeantur, qui legit satis intelligit, et quam diversæ a sacris canonibus, et quam discrepantes in quibusdam ab ecclesiasticis judiciis habeantur, ut hic quædam de plurimis ponam, evidenter manifestatur. « Delatori, inquiunt (*cap.* 37, 73), aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Judex criminosum discutiens, non ante sententiam proferat capitalem, quam aut reus ipse confiteatur, aut per innocentes testes convincatur. Testes autem sine aliqua sint infamia, uxores et filios habentes, et omnino Christum prædicantes. Testimonium clerici adversus laicum nemo suscipiat. » Quæ quantum aliena sint a sacris canonibus, et quantum inimica sint ecclesiasticis judiciis, nemo est qui ignoret, et quam tibi tuisque nuperrimis factis, de quibus reprehenderis, sint in quibusdam adversæ, ex quibusdam de plurimis hic ostensis patenter quilibet potest agnoscere. « Placuit, inquiunt (*cap.* 22), ut nullus episcoporum quemquam clericorum judicare aut damnare præsumat, nisi accusatus legitimos accusatores præsentes habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. » Et post aliquanta : « Nec prius litigantibus sua velit, quin judex, sententia obviare, nisi quando ipsi, peractis omnibus, jam nihil amplius habuerint in quæstione quod proponant, et tandiu actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perveniatur, » et reliqua. « Caveant judices Ecclesiæ (*cap.* 53), ne absente eo cujus causa ventilatur sententiam proferant, quia irrita erit, imo et causam in synodo pro facto dabunt. » Contra quas sententias fecisti, quando excommunicationes Deo et præceptis ejus contrarias, de quibus te scriptis redargui, exerere præsumpsisti. Et item in eisdem sententiis scriptum est (*cap.* 27) : « Sunt nonnulli, qui indiscussos potestate tyrannica non canonica auctoritate damnant, et sicut nonnullos gratia favoris sublimant, ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant, et levi opinionis aura condemnant, quorum crimina non approbant. Ideoque communi decreto censemus, ut quandocunque aliquis episcoporum criminatur, congregatis omnibus ejusdem provinciæ episcopis causa ejus audiatur, ut non occulte judicetur vel damnetur ; quia ab aliis prius judicari non potest, nisi ab his a quibus ordinari potuit : quod si aliter factum fuerit, nullas vires habebit. Bona hora, tantum laborasti ut nulli subditus esses nisi apostolicæ sedis pontifici, et nullus te judicare posset nisi apostolica sedes ; cum ex ipsis sententiis, quas ad defensionem tui muniminis protulisti, hoc contra te proferatur, quia ipsis es subditus, et ab his potes judicari, a quibus potuisti ordinari. Miranda, vel potius miseranda tua mirabilis imo miserabilis sapientia, quia hæc in ipsis sententiis videre non potuisti, vel videre non voluisti, cum legas episcopus sancta animalia Ezechieli ostensa plena esse oculis ante et retro, et arrogantem Pharisæum ibi oculum non habuisse, ubi jactando enumerans bona sua publicano se prætulit. Hinc etiam de te intelligi potest quod Salomon dicit : *Doctrina sua noscitur vir: qui autem vanus et excors est, patebit contemptui* (*Prov.* XII). Et Seneca pene Christianus, et apostolo Paulo familiaris : *Videndum,* inquit, *ne per quæ admiratio paratur, ridicula et odiosa sint.* » Et item Salomon : *Quomodo si argento sordido ornare velis*

vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata (*Prov.* XXVI). Et Cato :

Audit quod non vult, qui pergit dicere quod vult.
Ulcus proserpit, quod stulta silentia celant.
Tolle mali testes, levius mala nostra feremus.

Unde item Salomon : *Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ* (*Prov.* XXII). Si vero ideo talia quæ tibi visa sunt, de præfatis sententiis, ac sæpe memoratis epistolis, detruncando, et præposterando, atque disordinando collegisti, quia forte putasti neminem alium easdem sententias, vel ipsas epistolas, præter te habere, idcirco talia libere te existimasti posse colligere, res mira est, cum de ipsis sententiis plena sit ista terra, sicut et de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus episcopus in hujusmodi, sicut et in capitulis regiis, studiosus obtinuit, et istas regiones ex illo repleri fecit. In cujus præfatione idem Isidorus dicit de apostolorum canonibus, quod a quibusdam dicantur apocryphi, et plures eos recipiant, et sancti Patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverunt, et inter canonicas constitutiones posuerunt : quod de quibusdam sententiis verum est, sicut alibi in hoc opusculo potes legere. Differentiam quoque inter epistolas quas collegit et sacros canones, ex verbis beati Gelasii, quibus et sua verba interposuit, fecit. De Nicæno autem concilio non est ita ut scripsit, sicuti multis auctoritatum testimoniis approbatur : et quod de pascha ex epistola Theophili protulit, qui ecclesiasticas historias legit, in eodem concilio de pascha cum capitulis ibidem constitutis epistolam conditam reperit. De cujus scilicet Isidori dictis, sed et de epistola Damasi, quam suæ præfationi supposuit, et collectioni præposuit, quædam possem prolixius ostendere. Sed cum ad ea quæ hinc sunt opus, apostolicæ sedis Leonis, et Gelasii, ac cæterorum pontificum Romanorum post Damasum, sufficientissime auctoritas et explanatio suppetat, superfluum duxi non necessaria in medium devocare, ne illud poeticum mihi objiceres,

Tu ne forte foras in sylvam ligna, viator.

Tu dicis, ut audivi, quia non ego solus sapio canones et verum dicis. Accepto prorsus hoc dictum, non quia tuum est, sed quia verum est. Et ego dico, quia non tu solus bene intelligis canones, et verum dico. Recipe igitur hoc dictum, non quia meum est, sed quia verum est. Et si tu te putas scire quæ non didicisti, ego illum hominem solum dico esse, qui scivit quæ non ab homine didicit, de quo admirantes dicebant Judæi : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* (*Joan.* VII.) Et ideo potuit per idiotas et piscatores docere oratores, et subjugare sibi imperatores. Et quia ego dico illum solum hominem esse, qui scivit quæ ab homine non didicit, tu videbis de Paulo, qui dicit se non didicisse ab homine, sed per revelationem Jesu Christi, quem idem Paulus hominem esse non denegavit, quando dixit *se nihil scire, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II) : quia Jesus Deus et homo, quoniam divinitas crucifigi non potuit, homo est qui crucifixus fuit. Tu me reprehendis quia dico, quoniam antequam tu fuisses natus, ego canones scivi, jactans te cur non tibi liceat scire, qui post me didicisti, quod ego scio qui ante te didici. Sed Paulus non est de tuo corde locutus, qui legens dictum a Moyse : *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, majores tuos et dicent tibi* (*Deut.* XXXII), gloriatur se didicisse legem ad pedes Gamalielis (*Act.* XXII) : et sciens quia quando superbus erat, de cœlo est prostratus a Domino, et qui prædicator futurus erat, non tamen mox ut prædicaret quod viderat audivit, sed ei jacenti dicitur : *Ingredere in civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere* (*Act.* IX). Et hoc Dominus eum ab Anania discere voluit, unde ipse eum statim et in momento per revelationem potuit docere. Deinde venit Hierosolymam videre Petrum (*Galat.* I). Deinde post annos quatuordecim ascendit Hierosolymam (*Galat.* II) secundum revelationem, et contulit cum antecessoribus suis apostolis Evangelium quod prædicabat in gentibus (*ibid.*) : seorsum autem cum his qui videbantur præstantiores, ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset. Et hæc dico non ignorans de quibusdam dictum fuisse : *In antiquis est sapientia* (*Job.* XII), et de quibusdam, *Cani hominis, sapientia ejus*. Similiter de quibusdam : *Quanto juniores, tanto perspicaciores*, et de quibusdam intelligendum, *Quanto juniores, tanto pervicaciores*, de qualibus Paulus dicit : *Erit tempus cum sanam doctrinam non substinebunt, sed ad sua desideria conservabunt sibi magistros* (*II Tim.* IV), et reliqua. Et quoniam scimus ubi, et quanto tempore, et a quibus, et quæ ac quanta didicisti, qui non es doctus in schola Danielis, de quo dicitur, *Nunquid tu Daniele sapientior?* (*Ezech.* XXVIII.) quandiu talia tibi ad intentionem tuam non profutura, quæ in commentis tuis continentur, vadis fodiendo, utilius, imo quia hæc inutilia sunt utile tibi foret illa quærere, quæ ad tuam et commissorum tibi salvationem debueras bajulare. Scilicet quomodo in regulis sacris debeas intelligere, quia quidam jubentur usque ad missam catechumenorum manere in ecclesia, quidam autem sola intra ecclesiam fidelium oratione jungi sacræ mysteriorum celebritati, a Dominicæ autem mensæ convivio segregari. Et Leo dicit (*epist.* 91, c. 4) : « His qui in tempore necessitatis, et periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda. » Et Innocentius dicit (*epist.* 1, c. 19) : Ut quæ Christo spiritualiter nubunt et a sacerdote velantur, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se junxerant de mundo recesserit. » Et Cœlestinus dicit (*epist.* 1, c. 2) : Ut nulli sit ultima pœnitentia deneganda. » Cum enim nullus dicitur, nemo excipitur. Et Leo sicut præmisimus (*epist.* 91, c. 4) : « Implorantibus nec satisfactio, inquit, interdicenda est, nec reconciliatio deneganda. » Et hæ-

reticos ac schismaticos legimus ad ecclesiasticæ fidei et pacis unitatem redeuntes per manus episcopalis impositionem in ordinibus suis debere recipere, et presbyteros vel diaconos in aliqua graviori culpa convictos, qua eos a ministerio necesse sit removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus debere imponi. Sciendum ergo nobis est, cur hæreticis et schismaticis redeuntibus manus imponitur, et lapsis diaconibus vel presbyteris ad reconciliationem nequaquam manus imponitur, de quibus Leo dicit : « Hujumodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privatam esse expetendam secessionem, ubi illis satisfactio, sit fuerit digna, sit etiam fructuosa. » Et idem Leo dicit : « Ut si quis in regulas sacras commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. » Et S. Gregorius, ac cæteri Romani pontifices, sed et sacri canones dicunt lapsos in ordine non debere restitui, sicut nec publice pœnitentes ad ecclesiasticum ordinem promoveri. Quomodo ergo pœnitentia, si fuerit digna, esse poterit fructuosa, si in gradibus suis hujusmodi pœnitentes non valebunt restitui ? Quid enim prodest triticum seminare, et fructum illius non colligere ? aut domum construere, et non illic habitare ? *Nunquid qui cadit non adjiciet ut resurgat?* (*Amos* v.) Et quorumdam hæreticorum, quorum baptisma probatur, clericos in ordinibus suis recipi, quosdam autem legimus recipi non debere, et a quibusdam quosdam hæreticos vel schismaticos cum chrismatis unctione, a quibusdam quosdam per manus impositionem sine chrismatis unctione, a quibusdam quosdam sine manus impositione, cum professione simul et subscriptione, a quibusdam quosdam tantum professione recipi debere legimus. Et item in sacris canonibus legimus (*conc. Arelat.* II, can. 25) : « Ut hi qui post sanctam religionis professionem apostatant, et ad sæculum redeunt, et postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, sine pœnitentia communionem penitus non accipiant. » Et : « Pœnitentes qui in infirmitate viaticum eucharisticæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint. » Et legimus, quia sicut unum est baptisma, ita et una debet esse pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Et sunt in nostris parochiis plurimi, qui post pœnitentiam et reconciliationem per manus impositionem, et post communionem, iterum labuntur, non solum semel, sed et secundo ac tertio : quomodo nobis de his faciendum sit, cum, sicut præmisimus, sine pœnitentia communionem non accipient, vel quomodo qui accipiunt eucharistiam, et sic moriuntur, absoluti erunt, qui non essent absoluti sine manus impositione, si superviverent. Et in sacris canonibus legimus (*conc. Vasen.*, can. 2) : « Eorum, qui pœnitentia accepta in bono vitæ cursu satisfactoria compunctione viventes, sine communione inopinato nonnunquam transitu in agris aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, et eorum funera ac deinceps memoriam ecclesiastico affectu prosequendam. » Et Leo dicit (*epist.* 92, *ad Rust. Narb.*, cap. 8) : « Horum causa Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus. » Sed et quomodo distinctos gradus pœnitentium, de quibus in canonibus legimus, pœniteant pœnitentes secundum præfixos gradus, intelligere quot sint, et qui sint, et observare erga pœnitentes in ecclesia debeamus, ne contra sacras regulas faciamus, nosse ex canonibus sacris debemus : de quibus quædam, si in opusculo isto diligenter attenderis, et ea reducere ad memoriam volueris, quæ jam tibi dixisse me recolo, quando videbaris dignationem discendi habere, et velle docenda discere, poteris intelligere. Sunt et alia plurima, quæ hinc tibi poteram computare, sed mihi, præsertim inter spinas seminanti, esse longum et tibi infructuosum fore existimo, qui voluntatem tuam ac desiderium ad ea tendere inhianter audio et video, *quæ tanquam fenum velociter arescent, et sicut olera herbarum cito decident* (*Psal.* XXXIX.) De quibus iterum scriptum est : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt qui ascenderunt equos* (*Psal.* LXXV). « In morte animæ, inquit Gregorius, mentis oculos a veritatis lucet clauserunt, qui in præsentis vitæ honore confisi sunt : qui temporalis amor et honor, tum sicut fumus deficient, nisi ad tempus fueris inde conversus, quando transibit actus, manebit tibi reatus. » Ideo oportuerat te illa, quæ hic tibi prodesse inciperent, et in semper existenti sæculo amplius prodessent, *quando*, sicut dicit Apostolus, *veniet quod perfectum est, et evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* XIII), tota mentis devotione amplecti, de quibus si hodie aut cras interrogatus fueris, vera et salubria respondere valeres. Sed quia usus pessimo preceptore teipso, dedignaris scire quod nescis, cum inde interrogatus fueris, aut hæsitando dissimulabis respondere, aut incerta studebis perverse docere. Tandem ab eo quod in fine pitacioli tui misisti : « Decretalia, inquiens, quæ a sanctis pontificibus primæ sedis Romanæ Ecclesiæ sunt instituta, cujus auctoritate atque sanctione omnes synodi et sancta concilia roborantur et stabilitatem sumunt, cur vos non habere vel observari dicitis, nisi quia vestræ ordinationi contradicunt ? » Miror quare non vidisti te manifeste redargui et increpari, cum illa, quæ tibi in parva schedula apud Gundulfi villam dedi, et in hoc opusculo supra posui, quæ certum est te habere, penitus prætermiseris, nisi, ut tu ipse ex alterius verbis in tuo pitaciolo scripsisti, qui tuæ ordinationi, id est tuæ voluntati, et tuæ intentioni contradicunt. Unde inferri tibi recte potest quod scriptum est : *Ex verbis tuis te judico* (*Luc.* XIX), sicut ipse scripsisti dicens : « Ecce hic evidentissime ostenditur, si quis contra Romanorum pontificum decreta obloqui præsumpserit, jure temeritatis arguetur. » Igitur lege illam præfatam schedulam, et supra scripta pontificum Romano-

rum decreta ex sacris canonibus promulgata, et invenies te obloqui pontificum Romanorum decretis : et quando altera vice sic accurate dictabis, studiosus poli e linguam tuam curabis, ne vitiose contra tuam grammaticam dictes, sicut hic fecisti dicens : Si quis contra Romanorum pontificum decreta obloqui præsumpserit. Nos enim simplices ac idiotæ, si hinc loqui contingeret, diceremus, aut contra Romanorum pontificum decreta loqui, aut Romanorum pontificum decretis obloqui. Idem enim est, aut contra Romanorum pontificum decreta loqui, aut Romanorum pontificum decretis obloqui, ut non contemnendæ auctoritatis falsator dicit :

Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Unde tuus Servius, *obloquitur numeris*, dicendo *obloquitur*, chordarum expressit laudem, quas dicit verbis locutas : obloqui enim non est nisi contra loquentem loqui. Qua de re, si talionem mihi reddere volueris, et in dictis meis reprehensiones quærens inveneris, ego jam spretis jactantibus puerorum plausibus, qui manente integro sensu, in verbis me magis intelligi quæro, quam admirari, cum Paulo dicans : *Et si imperitus sermone, non tamen scientia* (*II Cor.* XI, 6). Tibi autem novo grammatico, qui, ut frondosa et condensa arbor, foliis ornatus verborum phaleris debes incedere, et tua figmenta grandisonis pompare modis, et in omnem ventum inflatis buccis grammaticas spumas exspuere, hoc dicere non licebit. In clausula vero tui pitacioli posuisti : « Hæc, inquiens, succincte quidem excerpsi, ac passim pro qualitate negotii contexendo promiscueque conserendo, ordine cum præpostero, tum composito, sed et sensim connexo, ascivi. » Unde parcat mihi tua prudentia, et cujuscunque alterius lectoris patientia, si tumultuario et sæpius repetito, non autem recti tramitis vel ordinato sermone, necessitate compulsus hoc opusculum designare potius quam perficere studui : quoniam tuis compilationibus confuso, et sicut ipse dixisti, præpostero ordine positis, et nunquam in eodem statu manentibus, aliter respondere non potui, nisi, ut venatores feræ lustra sequentes agere auditu et lectione puer scholarius in libro qui inscribitur Cynegeticon Carthaginensis Aurelii didici, hac illacque discurrendo, retrograda etiam vestigia repetendo, anfractus tuos vestigando, explicare studerem : quod adhuc mihi erit necessarium facere, et in explicanda de inceptis ratione, et in ostendenda causali actione de his quæ admisisti, et pro quibus tibi et Ecclesiæ tibi commissæ scripsi, contra quæ irregulariter subscripsisti, ac subscribi fecisti, et etiam cum tuam novam subscripsionem, quin potius tuam novam præsumptionem adiens,

.... mille vias, tristesque labores
Discursusque citos, securi prælia ruris,

et sincero corde lites domesticas subire compellar.

A

CAPUT XXV.

De auctoritate et differentia conciliorum et epistolarum sedis apostolicæ pontificum.

De cætero quod Daniel dicit : *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia* (*Dan.* XII), Dominus demonstrat ad Moysem dicens : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, et nomen meum Adonai non indicavi eis* (*Exod.* VI); et longe post Moysem David dicit : *Super seniores meos intellexi et, super omnes docentes me intellexi* (*Psal.* CXVIII); et apostoli viderunt et audierunt quod multi antiqui justi desiderantes non viderunt vel audierunt. Quod beatus Gelasius, sapientiæ et scientiæ spiritu repletus, in catalogo, qui libri ab Ecclesia catholica recipiantur, post descriptionem authenticarum Scripturarum, et B Nicæna, Constantinopolitana, ac Ephesina, Chalcedonensi quoque synodis commemoratis, subjunxit : « Et si qua sunt concilia a sanctis Patribus instituta, post horum quatuor auctoritatem et custodienda et recipienda decrevimus. » Commemoratis etiam opusculis orthodoxorum ex nomine designatorum, adjunxit dicens : « Item opuscula atque tractatus omnium Patrum orthodoxorum, qui in nullo a sanctæ Ecclesiæ Romanæ consortio deviarunt, nec ab ejus fide vel prædicatione sejuncti sunt, sed ipsius communioni per gratiam Dei usque ad ultimum diem vitæ suæ fuere participes, legenda decernimus. » Deinde dicit : « Item decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum Patrum consolatione C dederunt, venerabiliter suscipiendas. » Et sic de martyrum passionibus conjunctim loquens, et de vitis sanctorum, et de actibus beati Silvestri, et ex Scriptura de inventione Dominicæ Crucis, et de inventione capitis beati Joannis Baptistæ, solertissime ac discretissime addidit dicens : « Sed cum hæc ad catholicorum manus advenerint, beati Pauli apostoli præcedat sententia : *Omnia probate, quod bonum est tenete* (*I Thess.* V). » Sed et in ipsis apocryphis discretionem teneri debere subinnuit : « De quibus quædam in totum sunt rejicienda, quædam autem propter hæreticorum calumnias inter apocrypha sunt computenda, sed non penitus abominanda, de quibus viros catholicos in suis opusculis testimonia legimus assumpsisse, sicut et beatus Judas apostolus in epistola sua egit. » Animadvertenda igitur est discre- D tio ex verbis beati Gelasii inter synodalia concilia, et apostolicorum virorum epistolas, quas ante concilia celebrata diversis temporibus, pro diversorum Patrum consolatione dederunt, quasque venerabiliter suscipiendas dicit : si qua sunt autem concilia a sanctis Patribus instituta post quatuor conciliorum auctoritatem, custodiendia et observanda decrevit. Unde item idem in decretis suis dicit (Gelas. *epist.* 3, *ad Dardanos)* : « Patres, inquit, nostri catholici doctique pontifices, in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica, secundum Scripturarum tramitem, prædicationem-

que majorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare, nec in eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt. » Quantum enim distet inter illa scilicet concilia, quæ custodienda et recipienda decrevit, et inconvulsa firmaque deinceps Patres catholici manere voluerunt, et ilas epistolas, quæ diversis temporibus pro diversorum consolatione datæ fuerunt quas venerabiliter suscipiendas dicit, nemo in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus ignorat. Si enim quædam ex his, quæ in quibusdam illis epistolis continentur, tenere et custodire velle inceperimus, contra alia plurima illarum epistolarum facere incipiemus. Et rursus, si alia contra quæ feceramus, tenere et custodire inceperimus, adversus ea quæ antea servare voluimus faciemus, et a conciliis sacris, quæ perpetuo nobis recipienda, tenenda, ac custodienda, atque sequenda sunt deviabimus : sed et a consuetudine quam catholica Ecclesia habuit, ex quo in sacrum Nicænum concilium Patres nostri convenerunt, qui adhuc, sicut Leo dicit (*epist.* 51, vel 53, *ad Anatol.*), nobiscum in suis constitutionibus vivunt, perniciosissime discedemus, et nihil certi tenentes in sectam Genethliacianornm, id est Mathematicorum offendemus, qui diffinierunt omnia in incertum. Nam et beatus Gelasius easdem epistolas, non solum sacris canonibus in quibusdam adversas, sed etiam sibi ipsis diversas ostendit, cum dicit, illas diversis temporibus pro diversorum consolatione datas. Et hinc forte adversum me dices: Ergo calumniaris apostolicam sedem in sanctis ejus pontificibus, eo quod male senserint, et non tenenda decreverint. Unde tibi respondeo, quod de lege non Judaice servanda, contradicentibus sibi et dicentibus : *Lex ergo adversus promissa Dei?* (*Gal.* III, 21). Respondit apostolus : *Absit. Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum Rom.* (VII, 12), sed personis et temporibus suis congrua : *Quæ propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui repromiserat Deus, ordinata per angelos in manu mediatoris* (*Galat.* III, 19). Et illas epistolas sanctorum et apostolicorum virorum, diversis temporibus pro diversorum consolatione, sicut et beatus Gelasius dicit, a sede apostolica datas, et per eosdem Domini sacerdotes qui et angeli secundum Scripturam appellantur ordinatas, cum beato Gelasio apostolico viro venerabiliter suscipiendas dico. Quæ suis temporibus congruentes fuerunt, donec per sacra concilia Patres nostri in unum convenientes, sicut ejusdem apostolicæ sedis pontifices protestantur, suggerente siblimet sancto Spiritu, quoniam aliter credendum non est, mansuras usque in finem sæculi leges condiderunt. Et sicut de lege dicit : Apostolus : *Si enim esset lex quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia* (*Galat.* III, 21), ita salva reverentia sedis apostolicæ dico, quia si illa, quæ in eisdem epistolis continentur, et sui temporibus congrua fuerunt, subsequentibus temporibus, ita ut in eis continentur, omnia et insimul custodiri valerent, et servari ac teneri congruerent, Patres nostri, catholici videlicet doctique pontifices, in conciliis sacris leges mansurasusque in sæculi finem non conderent. Suscipiendas ergo illas epistolas venerabiliter cum beato Gelasio dico, et cum leguntur, sicut ipse præcipit Gelasius, apostolica illa præcedat sententia, qua dicit : *Omnia probate, quod bonum est tenete* (*I Thess.* V). Et hæc dico, non quo quædam in eis dicam esse non bona, sed non per omnia sacris canonibus, Patrumque concilis consona, sicut et Apostolus dicit : *Lex quidem bona et sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum* (*Rom.* VII, 12), sed in temporibus suis. Et Dominus de Judæis, quibus ipsa ex data fuerat, dicit : *Dedis eis præcepta non bona* (*Ezech.* XX), id est, quædam tempore revelatæ gratiæ immutanda, quia lex dicitur in allegoria, ut Apostolus de duobus Abrahæ filiis interpretatur. *Et patres*, inquit, *nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eamdem spiritalem escam manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt : bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus* (*Gal.* IV, 24 ; *I Cor.* X, 4). Et lex in Decalogo quod non est immutatum accipitur, et lex in cæremoniis et legalibus sacrificiis dicitur, quæ *futurorum umbras* appellat Apostolus (*Col.* II), et ut longe superius prælibavi, immutata nunc spiritaliter in Ecclesia conservantur. Quid enim agebatur in illo populo Judæi nescierunt, sed nec modo sciunt. De illis quippe dictum est : *Quandiu legitur Moyses, velamen super cor eorum positum est* (*II Cor.* III); ibi velamen figura est, sed ablata est figura, et apparet veritas. Audi Apostolum quando ablatum est velamen. *Cum transieris*, inquit, *ad Dominum, auferetur velamen* (*ibid*). Propitiatus ergo peccatis nostris et impietatibus per illud sacrificium vespertinum, quando Christus extendit manus in cruce, ut diceretur : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL), sicut novimus quia Dominus circa vesperam pependit in cruce, ipse sacerdos, ipse victima, ipse oblator, ipse oblatio. Ipse sacerdos, est, qui nunc ingressus est in interiora veli, solus ibi ex his qui carnem gestaverunt interpellat pro nobis. In cujus rei figura, in illo primo populo, et in illo primo templo, unus sacerdos intrabat in Sancta sanctorum. Populus omnis foris stabat, et ille, qui solus ingrediebatur in interiora veli, offerebat sacrificium pro populo foris stante. Propitiatis ergo peccatis nostris et impietatibus per illud sacrificium vespertinum, transimus ad Dominum et aufertur velamen. Propterea et Domino cruxifixo velum templi scissum est. Itaque nec carnem præputii circumcidimus juxta ritum Mosaicæ legis, nec abstinemus carnibus quas eadem lex dicit immundas, nec sabbata, et neomenias, et dies festos eorum carnaliter observamus, nec victimas peco-

rum sacrificamus Deo, nec Pascha in ove et azymis similiter celebramus, et si qua alia fuerunt vetera sacramenta, quæ omnia, ut dixi, *umbras futurorum* (*Col.* II), appellat Apostolus, quia ea significabant suo tempore revelanda, quæ nos revelata percipimus, ut remota umbra, nuda eorum luce fruamur. Nam et exuendo veterem hominem circumcidimur in exspoliatione corporis carnis, et quos cibos illi vitam in pecoribus, nos vitamus in moribus, et *exhibemus corpora nostra hostiam vivam sanctam Deo placentem* (*Rom.* XII), cui et animas nostras in desideriis sanctis pro sanguine intelligenter effundimus, et Christi velut agni immaculati sanguine ab omni iniquitate mundamur : qui propter similitudinem carnis peccati, etiam caprino pecore in veteribus sacrificiis figuratur, nec eum negat in crucis cornibus taurum, qui in illo cognoscit maximam victimam. In illo requiem cum invenimus, vere sabbatizamus, et lunæ novæ observatio, vitæ novæ est sanctificatio, et Pascha nostrum est Christus, et azymum nostrum sinceritas veritatis fermentum non habens vetustatis. Et propter hanc vitæ novitatem, primus mensis in anni mensibus celebrationi huic attributus est nam ipse dicitur et mensis novorum. Quia vero in toto tempore sæculi nunc tertium tempus apparuit, ideo resurrectio Domini triduana est. Primum enim tempus est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia, ubi jam manifestatio est sacramenti prius occulti in prophetico ænigmate : hoc ergo et in lunari numero significatur. Quia enim septenarius numerus solet in Scripturis ad quamdam perfectionem mysticus apparere, tertia hebdomada lunæ Pascha celebratur, id est qui dies occurrit a quarta decima in vicesimam primam. Et quæcunque alia illis veteribus adumbrata sunt signis, in isto habent finem, *cujus regni non erit finis* (*Matth.* V). In illo quippe omnia oportebat impleri, qui venit legem et prophetas non solvere, sed implere. Proinde illa vetera signa rerum non evacuavit arguendo, sed mutavit implendo, ut alia essent quæ nuntiarent venisse jam Christum, quam fuerant illa quæ prænuntiabant esse venturum. Similiter et in illis apostolicorum virorum epistolis, quædam demonstrantur etiam apud gentiles fuisse ante adventum Domini significativa, siculi de provinciis et privilegiis civitatum, et primatibus flaminum et archiflaminum, quæ ad instar legis Mosaicæ, longe ante gentilium dispositionem, et in legislatione, et in eis quibusque distinctionibus existentis, ut supra ostendi, et in divisione tribuum ac incolatuum, et privilegiorum, ac primatuum ordinum singulorum gentiles disposuerunt, et, ut Clemens atque Anacletus ostendunt, apostolica traditione in Ecclesia hodieque servantur in divisione regionum, et parochiarum, et privilegiis sedium, et episcoporum, ac metropolitanorum, atque primatum. Quæ apostolica vera traditio etiam ratione et prisca consuetudine sufficientissime est confirmata. Plane, inquit Augustinus (lib. IV *de bapt. contra Donatist*, cap. 5,) verum est, quia ratio et veritas consuetudini præponenda est : sed cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri. Quædam denique, sicut in eisdem epistolis ab apostolis tradita leguntur, vel ex legibus Romanis assumpta inveniuntur, ita plenariorum conciliorum auctoritate firmata servantur : et quædam ex his in conciliis immutata fuerunt. Sed et quædam de his, quæ in regionalibus fuere statuta conciliis, plenariorum conciliorum auctoritate immutata, vel in postmodum irrefragabiliter conservanda tenentur, sicut catholici doctores et Ecclesiæ magistri demonstrant, et partim ex erorun dictis supra ostendi : et præter ea quæ de verbis beati Augustini in hoc opusculo posui, in libris de Baptismo dicit : primum quidem ostendens differentiam esse inter epistolare colloquium, quo istæ epistolæ apostolicorum, de quibus agitur, conditæ sunt, et regionale ac plenarium concilium. « Video, inquit (lib. III *de Bapt.*, cap. 2), quid adhuc a me possit inquit, videlicet, ut respondeam verisimilibus illis rationibus, quibus vel ante Agrippinus, vel ipse Cyprianus, vel illi qui eis in Africa consenserunt, vel si forte aliqui ex transmarinis terris longe discretis, nullo quidem sive plenario sive saltem regio mali concilio, sed epistolari colloquio, commoti sunt, ut hoc esse faciendum putarent, quod et consuetudo Ecclesiæ pristina non habebat, et postea catholicus orbis terrarum robustissima firmitate consensionis exclusit, ut quod per disputationes ejusmodi in aliquorum mentes irrepere cœperat, de salute veniens unitatis potentior veritas et universalis medicina sanaret. » Item differentiam inter regionalia et plenaria concilia ostendit hoc modo : « Nobis, inquiens, tutum est in ea non protrahi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt. Id autem securum est sententia vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. » Item differentiam ostendit inter authenticas scripturas, et regionalia et plenaria concilia. « Quis, inquit (lib. II *de Bapt.*, cap. 3), nesciat sanctam Scripturam catholicam, tam Veteris quam Novi Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus episcoporum litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari non possit utrum verum vel utrum rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit? Episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, et per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, et per aliorum episcopoporum graviorem auctoritatem, doctorumque prudentiam, et per concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est : et ipsa concilia, quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere : ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur

quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate Christiana. » Et item (*ibid.*, cap. 9) : « Quapropter illud unum isti considerent, quod omnibus patet. Si auctoritas Cypriani sequenda est, magis eam sequendam esse in unitate servanda, quam in Ecclesiæ consuetudine commutanda. Si autem concilium ejus attendimus, huic esse universæ Ecclesiæ posterius concilium præponendum, cujus se membrum esse gaudebat, et ut se in totius corporis compage retinenda cæteri imitarentur, sæpius admonebat. Nam et concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur, et universum partibus semper optimo jure præponitur. Cyprianus enim sanctæ Ecclesiæ catholicæ universitas non fuit, sed in ejus universitate permansit : cujus radicem nunquam deseruit, sed in cujus radice fecundus, ut esset fecundior, ab agricola cœlesti purgatus est. » Hæc de aliis conciliis a beato Augustino sunt dicta. Cæterum de sacra et mystica Nicæna synodo, sicut supra ex verbis Leonis et aliorum ostendi, nihil unquam a quoquam, vel apostolicæ sedis pontifice, vel a plenario concilio, minime autem a regionali, est immutatum, quod non sit penitus irritum. Sicut et sanctus Gelasius in decretis suis dicit : « Non, inquiens (*epist.* 11 *ad Dardanos*), nos latet, in tempestate persecutionis Arianæ, plurimos pontifices de exsiliis pace reddita respirantes, per certas provincias, congregatis secum fratribus, ecclesias composuisse turbatas : non tamen ut illius synodi Nicæna quidquid de fide et communione catholica diffiniverat immutarent, nec nova quemquam pro lapsu damnatione percellerent : sed illius tenore decreti, nisi resipuisset, judicare damnatum, essetque consequens, ut nisi corrigeret, damnationi procul dubio subjaceret. » Suscipe igitur illas epistolas, de quibus tua commenta compilasti, venerabiliter, ut dicit Gelasius, et serva inviolabiliter sacra concilia, ut decrevit Gelasius, et cæteri catholici videlicet doctique decreverunt pontifices. Sicut et de sanctorum imaginibus decreverunt, reprehendentes eos, veluti et beatus Gregorius in epistolis ad Secundinum et ad Serenum Massiliensem demonstrat episcopum, qui sub hac quasi occasione ne adorari debuissent, confringenda easdem imagines dixerunt, et laudantes eos, qui illas non adorandas, sicut neque confringendas, sed ad instruendas solummodo mentes fuisse nescientium collocandas constituerunt : quoniam in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosterni debet, et si quis imagines Dei et sanctorum ad instructionem facere voluerit et habere non debet ullo modo prohiberi. Et quia, ut scriptum est : *Quomodo in aquis resplendent vultus perspicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus* (*Prov.* XXVII); et : *Aqua profunda verba ex ore viri* (*Prov.* XVIII); et : *Diriventur fontes tui foras* (*Prov.* V); ex verbis sanctorum, quasi ex eorum imaginibus, ipsos, videlicet corda et promulgationes eorum, cognoscere possumus, quæ sint quæ singuli quique pro consolatione vel instructione quorumdam, juxta temporum et actuum qualitatem, et quæ communiter atque unanimiter in conciliis sacris ad auctoritatem generaliter custodienda et recipienda perpetuo decreverunt : tu hac discretione, ut præmisi ex verbis beati Gelasii, suscipe ad instructionem illas epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum Patrum consolatione dederunt, legendas venerabiliter, et serva sacra concilia, quæ sedes apostolica et omnis sequitur Ecclesia, inviolabiliter. Et ut Dominus ex lege confirmat in Evangelio : *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Matth.* XVIII), quia mihi non pigrum, tibi autem est necessarium, repetam tibi quod de sacris conciliis ad Januarium dicit beatus Augustinus : « Omnia itaque talia, quæ neque sacrarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universalis Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis motibus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri causæ possint, quas in eis constituendis homines secuti sint, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. » Quæ verba beati Augustini quomodo placeant tibi, tu videris, exiguitati autem meæ tutius et salubrius videtur cum illo sacra sequi concilia, et omnibus qui me audire voluerint inculcare, non sequi relictis sacris conciliis illa quæ ipse existimat resecanda, quam illa quæ tu resecata et dissecata proponis sectanda, quoniam sibi ipsis diversa, ostendunt se esse non posse omnibus et in omnibus servanda atque sequenda. « Oportet igitur, inquit Innocentius ad Decentium Eugubinum episcopum, eos, quin Domini sacerdotes, hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. » Quid sit autem quod Ecclesia Romana custodit, et Domini sacerdotes oporteat sequi, demonstrat Gelasius (*epist.* 11 *ad Dardanos*) : « Confidimus, inquiens, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exsequi sedem per cæteris oportere quam primam, quæ unamquamque synodum et sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper et retinet. » Ecce habes secundum legem et Evangelium, plenitudinem testium testificantium de sequendis inconvulse conciliis, et de non studendis peregrinis assertionibus, Apostolo etiam præcipiente, *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci* (*Hebr.* XIII). Peregrinas autem eas assertiones ideo cum Innocentio dico, quia ex quo sacra concilia in Ecclesia catholica cele-

brari cœperunt, illa quæ suo tempore partim viguerunt, nisi quantum ex eis sacra concilia assumenda viderunt, ab usu ecclesiastico effluxerunt, usquequo nuper a te, quantum ex te est, recrudescere inceperunt, ut ab ea, quæ aspiras libenter, transire possis in affectum cordis licenter, et a nullo coerceri vel judicari valeas regulariter : sed non centiunt tecum, neque tibi consentiunt doctòres et magistri Ecclesiæ.

CAPUT XXVI.

De eadem differentia iterum, et de conciliis plenariis, synodique Nicœna prærogativa.

Unde quasi ex supererogatione superadjicio tibi quod item beatus Augustinus ad Januarium dicit (*epist.* 118) : « Primo, inquiens, tenere te volo quod est hujus disputationis caput, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo suo nos subdidisse et sarcinæ levi. Unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicut est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis et sanguinis ipsius, et si quid aliud in scripturis canonicis commendatur, exceptis his quæ servitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum et prophetici temporis onerabant, quæ et in quinque libris Moysis leguntur. Illa autem quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio, et resurrectio, et ascensio in cœlum, et adventus de cœlo Spiritus sancti, anniversaria solemnitate celebratur, et si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universis quacunque se diffundit Ecclesia. » Et in edicto Justiniani imperatoris, de rectæ fidei confessione, et refutatione hæresium quæ adversantur catholicæ Dei Ecclesiæ, a synodo quinta dictato, et ab eodem imperatore confirmato, scriptum est : « Oportet, inquit, etiam illud attendere eos qui veritatem perscrutantur, quod forsitan in conciliis quædam a certis ibi convenientibus dicuntur, aut per favorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam : nemo autem attendit ea quæ per partem a quibusdam dicuntur, sed sola illa quæ ab omnibus communi sensu diffiniuntur. Si enim aliquis secundum illos voluerit attendere hujusmodi contrarietates, unaquæque synodus invenietur semetipsam destruens. » Qua discretione prudentius te intelligens Antiochena synodus, quam sanctus Hilarius, illo in carne vivens tempore quando celebrata fuit, in epistola ad imperatorem Constantium, et in libro de Synodis monstrat fuisse catholicam, quamque Chalcedonensis comprobat : et sciens, post tempora quorumdam eorum, de quorum epistolis quædam collegisti et quædam dolo omisisti, habitum Nicænum concilium (*can.* 6), cui a sequentibus sanctis conciliis, sicut nihil contrarium est additum, ita ab eo nihil est abrogatum, nihil mutilatum vel immutatum,

A licet a quibusdam non prævalentibus fuerit attentatum, constituisse ut per singulas provincias suis privilegia serventur metropolitanis ecclesiis, ita ut horum omnium, videlicet sibi commissorum, metropolitanus habeat potestatem, decrevit dicens (*conc. Antioch.*, can. 6) : « Per singulas regiones episcopos convenit nosse, metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere concurrant. » Et item (*can.* 13) : « Nullus episcopus ex alia provincia audeat ad aliam transgredi, et ad promotionem ministerii aliquos in ecclesiis ordinare, licet consensum videantur præbere nonnulli, nis litteris tam metropolitani, quam cæterorum qui cum eo sunt episcoporum, rogatus adveniat, et ad actio-B nem ordinationis accedat. » Quod manifestum est de quolibet metropolitano, ne in provincia metropolitani alterius quod non est suum non petitus vel vocatus præsumat, et non de tuo metropolitano in tua parochia illi subjecta dicere. Unde et Innocentius ad Alexandrum Antiochenum episcopum (*epist.* 20): « Revolventes, inquit, auctoritatem Nicænæ synodi, quæ una omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quæ censuit de Antiochena ecclesia, cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, quia super diœcesim suam prædictam ecclesiam, non super aliquam provinciam, recognoscimus constitutam. » Et Bonifacius papa ad Hilarium Narbonensem episcopum (*epist.* 3) : « Nulli, inquit, videtur incognita synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus : C Per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subjectas : quod illi, quia aliter credendum non est, servandum sancto Spiritu suggerente sibimet censuerunt. » Et paulo post : « Quod idcirco dicimus, ut advertat charitas tua, adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. » Et his consona Cœlestinus : « Juxta decreta, inquit (*epist.* 1), canonum unaquæque provincia suo metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem episcopum continent constituta : nec usurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur injuriam. Sit concessis sibi contentus D unusquisque limitibus, alter in alterius provincia nihil præsumat. » Unde et Africanum concilium ad Cœlestinum papam scribit dicens (*post. conc. African*) : « Decreta Nicæna, sive inferioris gradus clericos, sive ipsos episcopos, suis metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim justissimeque viderunt, quæcunque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda : nec unicuique provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas a Christi sacerdotibus et prudenter videatur, et constantissime teneatur. » Et Leo ad Anatolium (*epist.* 56) : « Illa Nicænorum canonum per sanctum vere Spiritum ordinata conditio nulla unquam est parte solubilis.

Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo episcopis quantumlibet copiosor numerus sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre : cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. » De cujus privilegio et beatus Ambrosius dicit (lib. I *de Fide*, cap. 9) : «Non humana industria, non compositione aliqua, trecenti decem et octo episcopi ad concilium convenerunt, sed et in numero eorum, per signum suæ passionis et nominis, Dominus Jesus suo probaret se adesse concilio, crux in trecentis, Jesu nomen in decem et octo est sacerdotibus. »—« Et mihi, inquit Hilarius, B ipse ille numerus hic sanctus est, in quo Abraham victor regnum impiorum ab eo qui æterni sacerdotii est forma benedicitur. » Et item beatus Leo papa (*epist.* 36 *Anatolio*) : « Sancti illi et venerabiles patres, qui in urbe Nicæna sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, et si quid usquam aliter quam illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur. » Et hinc sanctus Leo ad Pulcheriam Augustam : « Contra statuta, inquit (*epist.* 58), canonum paternorum, quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicæna spiritalibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur : ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat. Quæ sit ut oportet a cunctis pontificibus intemerata serventur, per universas ecclesias tranquilla erit pax et firma concordia, nullæ de mensura honorum dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de privilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieni usurpatione certamina ; sed æquo jure charitatis, rationabilis et morum officiorumque ordo servabitur, et ille vere erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus. »

CAPUT XXVII.

De canonibus et sententiis ab eo prave intellectis et usurpatis.

Quod ergo de tua parochia, quasi ego ad aliquid in ea diffiniendum illam adire non possim, ex verbis D Callisti et aliis, tuis compilationibus tecum non facientibus, affirmare conaris, prave intelligis. Sed his et aliis regularum constitutionibus invenies hoc observare debere unumquemque metropolitanum in provincia alterius metropolitani, quod tu tibi perverse arrogas de tua parochia metropolitanæ sedi Rhemorum subjecta. Unde ea quæ supra posui non meæ personæ arrogo, sed metropolitanæ sedis dignitati ascribo : quia sicut beatus Leo dicit : « Etsi nonnunquam diversa sunt merita præsulum, jura tamen permanent sedium, quibus possunt æmuli pertubationem aliquam fortassis inferre, non ta- A men possunt minuere dignitatem. » Sed nec sensu sacris canonibus concordante in metrica titulatione compilationis tuæ domno regi porrigendæ scripsisti :

Responsum a vincto rite nec exigier ;

et mihi per comministros meos ad te directos remandasti, ne cogerem te respondere, quandiu in custodia et absentia clericorum tuorum eras. Unde tibi tunc scripto respondi, et nunc ostendo tu, ut dixi, non recto sensu ponere ex sacris regulis, quod de non respondendo in tua excusatione dixisti, asserente sancto papa Hilaro (*in concil. Rom.*, c. 4 : « Nos, inquit, in nullo volumus severitatem ultionis exercere : sed qui in causis Dei contumacia vel contemptu deliquerit, aut ipse quod perperam fecit abolere noluerit, in se quidquid in alium non resecarit inveniet. » Non enim hæc quæ egisti inter dubia vel obscura secundum Leonis decreta poterant vel possunt ullo modo computari, ut inde locum defendendi te haberes, et tuis redonatus, regulariter vocatus ad synodum respondere deberes, sicut et in præcedentibus et in subsequentibus istius opusculi ex sacris regulis, et tu et quilibet alius qui legerit potest cognoscere : et ideo tibi scribere studui, ut quæ in causis Dei contumacia vel contemptu deliquisti, et quæ perpere commisisti, abolere curares, et factum tuum, quo male exordinasti, sicut idem Hilarus jubet de eo qui male ordinavit, ipse dissolveres : quatenus severitatem ultionis in te exerceri ab eis quorum interest non C exigeres, et ego in me non invenirem quod in te non resecare curaverim : quia, ut isdem dicit (*in eodem conc.*, c. 1) : « Nulli fas est sine status sui periculo, vel divinas constitutiones, vel apostolicæ sedis decreta temerare : quia nos, qui potissimi sacerdotis administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei desides fuerimus inventi : quia meminimus, quod timere debemus, qualiter comminetur Dominus negligentiæ sacerdotum : siquidem reatu majore delinquit, qui potiore honore perfruitur, et graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum. » Scripsi ergo tibi secundum decreta Leonis, ut salubres suscipere curares hortatus, et nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes, divinis et apostolicis constitutionibus pareremus, et in nullo pateremur providentissima canonum decreta violari. Tu autem cogitans consilia quæ non poteris stabilire, inobedientiam tuam, ne corrigas quæ perpere admisisti, et effrenationem desideratæ libertatis, indebite, ut non sis metropolitano subjectus, de appellatione, et non reddenda compellatus de injustis judiciis tuis responsione, secundum sensum tuum, sed non rectum, interpretata vis palliare : cum sicut Africæ provinciæ canones manifeste demonstrent a quibus non licet provocari, ita Sardicenses canones patenter ostendant, appellatio episcopi ad sedem apostolicam quando, ubi, et pro

quibus fieri et qualiter exsequi debeat, sed et Innocentius, ac Bonifacius, atque Leo idipsum decernant : qui etiam et pro quibus appellans constringi non debeat, leges concordantes regulis eloquuntur. Attende igitur convenienter quod item idem beatus Leo Anatolio Constantinopolitano episcopo extollenti se supra mensuram suam scripsit dicens (*epist.* 56) : « Virum catholicum, et præcipue Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate corrumpi. Dicente quippe sancta Scriptura : *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua vetare* (*Eccli.* XVIII), multis mundi hujus illecebris, multis vanitatibus resistendum est, ut veræ continentiæ obtineatur integritas, cujus prima est labes superbia, initium transgressionis et origo peccati. Quoniam mens potentiæ avida, nec abstinet vetitis, nec gaudet concessis, dum in ordinato pravoque progressu excrescunt culpæ, quæ toleratæ sunt studio reparandæ fidei et amore concordiæ. » Quapropter revoca oculos mentis tuæ a pravis progressionibus, et rectos gressus fac pedibus intentionis tuæ et actionum tuarum, ut qui nunc de te gemimus, de te in Domino gaudeamus. Et attende quod beatus Gregorius ad Felicem episcopum in Serdica scripsit (*lib.* IV, *epist.* 10) : « Qualiter, inquiens, obedientia vel sit reverentia præpositis exhibenda, ex tuis quoque subjectis ipse non ambigis. In qua re valde est utile, si id quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente humilitas laudanda servaverit. Pervenit ad nos itaque quod fraternitas tua Joanni fratri nostro, primæ Justinianæ episcopo, secundum morem constitutum parere despiciat, et nec decreto ejus, nec relationi juxta consuetudinem voluisset subscribere. Quod si ita est, contristamur, quia superbiæ de te manifestæ præbes indicium, quod quam sit præcipue in sacerdote culpabile, divinæ clementia admonitionis eloquitur. Propterea hortamur, ut mentis tumore deposito, antedicto fratri et coepiscopo nostro humilem te exhibere et parere non desinas, quatenus et Deus gaudeat in fraternitatis vestræ concordia, et alii de te sumant bonitatis exemplum. Nam si, quod non credimus, te in superbia permanere contigerit, districtam canonicamque disciplinæ correctionem contumaciæ tuæ scito sacros canones ulciscenter imponere. Bene ergo facis, talem te sponte salubri consideratione præbere, qualis esse canonica coercitione exigente compelleris. Nam nec tibi denuo post hanc nostram admonitionem licebit ad tuæ voluntatis arbitrium contra morem majoribus tuis inobedientem existere, nec nos tantæ indisciplinationi ecclesiasticam cognoscas dissimulare vel differre vindictam. » Et item idem S. Gregorius ad Vincentium, et cæteros episcopos (*lib.* VII, *ind.* 11, *epist.* 8) : « Hortamur, inquit, fraternitatem vestram, ut si quemquam vestrum pro causis propriis ubicunque longius compulerit ambulare necessitas, a metropolitano vestro, secundum indictam a sanctis Patribus regulam, petere licentiam debeatis, nec

A eum postponere in aliquo præsumatis, excepto si, quod non optamus, contra eumdem metropolitanum vestrum vos habere aliquid causæ contingat, ut ob hoc sedis apostolicæ judicium requiratis. Nam iis qui petere festinant licentiam, quod scitis, per canones etiam antiquorum Patrum institutione permissum. » Manifestum est enim, qui canones hanc licentiam a metropolitanis petendam ab episcopis decreverunt. Quin Antiochenum concilium, a synodo Chalcedonensi favorabiliter comprobatum. Sed et Sardicenses canones dicunt (*can.* 9) : « Ut de qualibet provincia episcopi ad eum fratrem et coepiscopum nostrum preces mittant, qui in metropoli consistit, ut ille et diaconum ejus, et supplicationes destinet, tribuens commendatitias epistolas, et

B reliqua. » De judicio etiam apostolicæ sedis expetendo adversus metropolitanum, si episcopo necesse fuerit, iidem Sardicenses canones decreverunt, sicut et Innocentius ad Vitricium Rothomagensem episcopum patenter ostendit, et Hilarus papa dicit (*epist.* 8 *ad Metropol. Galliæ*) : « Illud etiam non potuimus præterire quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter metropolitanorum suorum litteras aliqui episcopi ad quamlibet provinciam audeant proficisci, quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet ecclesias custodiri. » Et sanctus Leo ad Theodorum Forojuliensem episcopum dicit (*epist.* 59) : « Sollicitudinis tuæ is ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo de eo quod quærendum videbatur esse conferres, ac si id quod ignorabat dilectio tua etiam ipse nesciret

C instrui vos pariter posceretis : quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet inquiri » Et Symmachus ad Cæsarium Aerelatensem episcopum (*epist.* 5) : « Si quilibet, inquit, episcopus metropolitano pontifici, juxta canonum diffinitionem vocatus, obtemperare noluerit, noverit succidendum se, quod non optamus, ecclesiasticæ disciplinæ. » Et Africæ provinciæ canones dicunt (*can.* 43) : « Ut episcopus a primate suo vocatus ad synodum competenter occurrat. Quod si non potuerit occurrere, nisi rationem impedimenti sui apud suum primatem reddiderit, Ecclesiæ suæ communione debere esse contentum. » Et (*can.* 20) : « Qui non fuerit concors circa metropolitanam

D ecclesiam, et circa sacerdotale consortium, sed inflatus, et ab hoc consortio separatus, putat propriæ plebi incubandum, et nonnunquam conventum ad concilium venire detrectat, circa hunc non tantum diœcesim non esse servandam, verum et de propria ecclesia, quæ illi male faverit, omnimodo adnitendum ut etiam auctoritate publica rejiciatur atque ab ipsa principali cathedra removeatur. » Et (*can.* 190 *Carthag.*) : « Si accusatus ad rationem reddendam venire refugerit, et excommunicatus a primate suo exstiterit, tempore quo non communicat, nec in sua Ecclesia vel parochia communicet. » Et sanctus Hilarus papa ad Leon

tium, et cæteros episcopos scribit (*epist.* 2) : « Quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur. » Et Dioscorus in synodo Chalcedonensi, sicut in gestis ejusdem concilii, sed et in edicto Justiniani super quintam synodum demonstratur, non quia in fidem peccaverit, sed propter solum ecclesiasticum ordinem, et quia contra suum archiepiscopum sacris canonibus obvians rebellaverat, est damnatus. Et Acacius Constantinopolitanus episcopus propter prævaricationem Nicæni concilii a Felice papa est condemnatus, sicut idem Felix ad eum scripsit dicens (*epist.* 4) : « Multarum transgressionum repereris obnoxius, et in venerabilis Nicæni concilii contumelia es sæpe versatus. » Hæc mentis oculo perspice, et ne illa, quod absit, incurras solertissime cave.

CAPUT XXVIII.

De male ab eo excommunicatis : qui et qualiter excommunicari debeant, et qui ordo in judiciis ecclesiasticis observandus.

Nam cum dicat beatus Petrus apostolus : *Si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum (I Petr.* II), causa injuriarum tuarum, sicut in petitione mihi ab ecclesia Laudunensi data continetur, presbyteros et diaconos, ac reliquos clericos non accusatos, nec confessos, neque convictos, ab omni ecclesiastico officio excommunicasti, et ut nemo sacra missarum officia in tua parochia celebraret, interdixisti : cum sacri canones neminem ab officio removeri permittant, nise aut sponte confessum, aut regulariter convictum, aut eum qui regulariter vocatus ad reddendæ rationis judicium venire noluerit, sicut scriptum est in capitulo 19 Carthaginensis concilii de episcopis, et in 20 de presbyteris et diaconibus, ac reliquis clericis. « Si, inquiunt (*can.* 29), presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis proprius episcopus legitimo numero collegarum, quos ab eodem accusati petierint, id est una secum in presbyteri nomine sex, in diaconi tres, ipsorum causas discutiant, eadem dierum et dilationum, et a communione remotionum, et discussione personarum inter accusatores et eos qui accusantur forma servata. » Scilicet sicut de episcopis in præcedenti capitulo est diffinitum : reliquorum autem clericorum causas etiam solus episcopus loci agnoscat et finiat. Et item (*can.* 28) : « Presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici, in causis quas habuerint, si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos cum consensu sui episcopi audiant, et inter eos diffiniant : vel ad primates suarum provinciarum provocent, sicut et de episcopis sæpe constitutum est. » Et secundum Antiochenos canones (*can.* 9) : « Ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere concurrant. » Et (*can.* 20) : « In canonicis conciliis adsint presbyteri, et diaconi, et omnes qui se læsos existimant, et synodi experiantur examen. Nullis vero liceat apud se celebrare concilia, præter eos quibus metropolitana jura videntur esse commissa. » Et hinc sanctus

A Augustinus, doctor famosissimus, atque ab apostolica sede receptissimus, qui Carthaginensi concilio, in quo hæc quæ eo præmisimus, apostolica auctoritate firmato interfuit, et plenissime sensum novit, quo eadem synodus capitulum illud constituit de quo in epistola ad clerum et plebem Hipponiensium inter alia dicit (*epist.* 137) : « Nuper in concilio episcoporum constitutum est, nullum clericum, qui nondum convictus est, suspendi a communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non præsentaverit. » Ipsam autem præsentationem idem demonstrat concilium (*conc. Carthag., can.* 19), videlicet, « ut aut ipse accusatus, ad causam suam dicendam electorum judicum die statuta litteris evocatus occurrat, aut aliquas veras necessitatis causas

B probet, quibus occurrere non potuisse manifestum sit. » Et attendendum, quia dicit *non potuisse*, et non dicit *non voluisse*. Sic et de accusatore dicit : « Ut nec ipsi adimatur facultas causæ suæ peragendæ, si se ad diem occurrere non valuisse probaverit. » Sic et iterum de accusato, si ad concilium universale anniversarium occurrere noluerit, dicit : « Quod si accusatus vel accusator occurrere voluit et non valuit, excusabilem quemlibet eorum synodus esse voluit. » Hoc quippe Africana synodus patenter ostendit, dicens (*can.* 46) : « Ut si intra annum excommunicationis causam suam purgare contempserit. » Unde et Carthaginense concilium dicit (*can.* 19) : « Quisquis episcoporum accusatur, ad primatem provinciæ ipsius causam deferat accusator, nec a

C communione suspendatur cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum judicum die statuta litteris evocatus minime occurrerit. » Qua sententia evidenter ostenditur, quia accusator accusare non potest, nisi in accusatione præsens fuerit; potest autem accusare absentem : et qui non potest accusari nisi per præsentiam accusatoris, potest absens judicari, imo etiam ab his qui hoc decreverunt jam judicatus est, si ad judicium litteris evocatus secundum quod decretum est non occurrerit, vel aliquas veras necessitatis causas, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, non probaverit. Similiter ut de episcopo, ita et de presbytero, vel diacono subsequenti capitulo demonstratur. Hinc Bonifacius ad septem provincias scripsit, dicens de Maximo (*epist.* 2) : « Si adesse voluerit, præsens si confidit ad ob-

D jecta respondeat : si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto et toties delegato judicio, purgandi se occasione non utitur. »

Qui autem ad accusationem admitti non debeant, leges dicunt : « Sane hi qui crimina sua in quæstione confessi sunt, de aliis si dicere voluerint, a judice non credantur : quia jure et legibus constitutum est, ut spontanea professione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui se criminosum esse confessus est. » Et item : « Non credendum est contra alios eorum confessioni, qui in criminibus accusantur, nisi se prius probaverint innocentes, quia

periculosa est, et admitti non debet rei adversum quemcunque professio. » Et concilium Africanum demonstrat : « Qui postea, inquiens (*can.* 96, 97), quam excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, sive sit clericus, sive sit laicus, accusare voluerit; omnesque servi, vel proprii liberti, ad accusationem non admittantur, vel omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt; omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est histriones, aut turpitudinibus subjectæ personæ; hæretici etiam, sive pagani, seu Judæi : sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non est neganda. » (*Can.* 98.) « Et quotiescunque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, et unum ex ipsis, de quo prius egerit accusator, probare non valuerit, ad cætera jam non admittatur. Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit : ad testimonium autem intra annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur. » Et sanctus Augustinus dicit : « Quamvis, inquiens, vera sint quædam, non tamen judici facile credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. » Qui fecit quod docuit, cum in reddita ratione ad primatem suæ provinciæ Xantippum scribens, quemdam presbyterum suum Abundantium a se judicatum esse demonstrat, de eo dicens (*epist.* 236) : « Insinuo prudentiæ tuæ, Abundantium quemdam in fundo Strabonianensi pertinente ad curam nostram ordinatum fuisse presbyterum. Qui cum non ambularet vias servorum Dei, non bonam famam habere cœperat, qua ego conterritus, non tamen temere aliquid credere volens, sed plane sollicitior factus, operam dedi, si quomodo possem ad aliqua malæ conversationis ejus certa indicia pervenire. Ac primo comperi, eum pecuniam cujusdam rusticani de vino apud se commendato intervertisse, ita ut nullam inde posset probabilem reddere rationem. Deinde convictus atque confessus est, die jejunii natalis Domini, quo etiam Gippitana ecclesia sicut et cæteræ jejunabat, cum tanquam perrecturus ad ecclesiam suam valefecisset collegæ suo presbytero Gippitano hora fere quinta, et cum secum nullum clericum haberet, in eodem fundo restitisse, et apud quamdam malæ famæ mulierem, et prandisse et cœnasse, et in una domo mansisse, et hoc negare non potuit. Nam quæ negavit Deo dimisi, quæ occultare permissus non est, judicavi. Timui ei committere ecclesiam, præsertim inter hæreticorum circumlatrantium rabiem constitutam. Hæc autem me prudentiæ tuæ præcipue intimare oportebat, ne aliqua tibi fallacia subreperet. » Sciebat enim iste vir Domini canones, et non contemnebat secundum eosdem sacros canones, primati suo, minori scientia et forte merito, sed potiori loco subdi, obaudiens dicentem Apostolum : *Obedite præpositis vestris in Domino* (*Hebr.* XIII). Ubi autem inter accusatores et

A accusatos causa debeat agitari, Carthaginense concilium statuit dicens (*can.* 30) : « Ut accusatus vel accusator in eo loco unde est qui accusatur, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere ubi causa finiatur; » et hinc leges dicunt : « Criminum discussio ibi agitanda est, ubi crimen admissum est : nam alibi criminum reus prohibetur audiri. » Et item : « Si quis adversarium aut repetitione, aut criminis objectione pulsaverit, in provincia in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerat actiones, nec æstimet adversarium suum alibi aut longius ad judicium pertrahendum. Ille vero qui pulsatus fuerit si judicem suspectum habuerit, liceat appellare. » Et Carthaginense dicit concilium (*can.* 15) : « Ut a quibuscunque judicibus ecclesias- B ticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravari. Sane si ex consensu partium electi fuerint judices, etiam a pauciori numero quam constitutum est, non liceat provocari. » Qualiter autem sententia finiri debeat, leges et sacri canones monstrant, dicentes ut vel in synodo, vel per judices, sive quos conquirentes primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint. » Deputati autem judices episcopi, ut Africanum dicit concilium (*can.* 88), ab illo primate sunt dandi, in cujus provincia causa versatur : si autem ex communi placito conquirentes vicinos judices elegerint, aut unus eligatur, aut tres, et si tres elegerint, aut C omnium sententiam sequantur, aut duorum. » Et Chalcedonense concilium dicit (*can.* 9) : « Si quis clericus adversus clericum habet negotium, non deserat episcopum proprium, et ad sæcularia percurrat judicia; sed prius actio ventiletur apud episcopum proprium, vel certe consilio ejusdem episcopi, apud quos utræque partes voluerint, judicium continebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subjacebit. » Et sanctus Innocentius ad Victricium episcopum : « Si quæ, inquit (*epist.* 1), causæ, vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundum synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ episcopis jurgium terminetur : nec alicui liceat (sine præjudicio tamen Romanæ D Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri), relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis forte præsumpserit, et ab officio cleri submotus, et injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autem majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, et vetus consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur. »

Et quia sicut duo sunt peccata, et duo genera peccatorum (aut enim in Deum peccat homo, aut in hominem), et duo sunt adventus Domini, qui venit peccatores salvos facere. *Omnes enim pecca-*

verunt, et egent gloria Dei (*Rom.* III), unus occultus, et alter manifestus : unus, de quo scriptum est : *Descendit sicut pluvia in vellus* (*Psal.* LXXI), et alter de quo scriptum est : *Deus manifeste veniet* (*Psal.* XLIX); unus de quo dicitur : *Venit filius hominis, non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (*Joan.* III), alter quando *veniet judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem ;* ita duo sunt judicia, unum occultum, et alterum manifestum ; et duo judiciarii ordines, unus de quo dicit Apostolus : *Si quis frater nominatur fornicator* (*I Cor.* v), etc., eam nominationem intelligi volens, ut dicit Augustinus in libro de Pœnitentia (*cap.* 3), quæ fit in quemquam, cum sententia ordine judiciario et cum integritate profertur. Noluit enim hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio : sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpe falso in quemquam crimen nominatur. Qui ordo judiciarius qualiter exsequi debeat, beatus Gregorius in commonitorio ad Joannem defensorem euntem in Hispanias dicit (*lib.* XI, *ind.* 6, *epist.* 52) : « Videlicet, ut alii sint accusatores, et alii testes : deinde causarum qualitas est examinanda, et ut præsente accusato sub jurejurando dicatur testimonium scriptis allegatum, et accusatus respondendi et defendendi se locum habeat, et examinatio personarum accusantium ac testificantium regulariter fiat. » Quem judiciarii ordinis modum etiam Dominus innuit, cum in resuscitatione puellæ in domo jacentis mortuæ, ac si in revelatione non omnibus causæ notæ, quosdam discipulorum suorum testes, sed et patrem et matrem puellæ secum adhibuit (*Luc.* VIII). Alter vero judiciarii ordinis modus est eorum, quæ non sub paucorum notitia, quasi adhuc in cubiculo contecta, ut patrata credantur testibus indigent, sed quasi jam extra portam civitatis multa turba comitante elatus (*Luc.* VII), ad multorum cognitionem delata esse noscuntur. De quo judiciarii ordinis modo, dicit Apostolus : *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatus vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis* (*I Cor.* V); et paulo superius : *Ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit* (*ibid.*). Unde Ambrosius « cognito opere pellendum peccantem fuisse de cœtu fraternitatis » dicit. Omnes enim crimen ejus sciebant, in qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. De patratore autem manifestorum, et si ad judicium adduci non potest, Bonifacius papa ad septem provincias decernens dicit de Maximo, qui conventus etiam devitabat, et adesse minime volebat : « Nullus, inquit (*epist.* 2), dubitat, quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quærit. Sed astuta cavillatio eorum, qui versutias agendi credunt esse consilia, nunquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus quisquis se subterfugere judicium dilationibus putat. Nihil enim interest utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata toties constet absentia. Quod si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. » Sic Cœlestinus (*epist.* 1) de Daniele Galliarum quondam episcopo judicavit. « Et quia nemo præpropere, vel præpostere, scilicet non commonitus, neque conventus est judicandus, de conventione hujusmodi patratoris manifestorum criminum lex dicit : Quicunque tribus auctoritatibus judicis conventus, vel tribus edictis ad judicem fuerit provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id est, quod causam extinguit, fuerit evocatus, et præsentiam suam apud eum judicem a quo ei denuntiatum est exhibere noluerit, adversus eum quasi in contumacem judicari potest, quinimo nec rectractari per appellationem negotia possunt, quoties in contumacem fuerit judicatum. »

Et hanc sententiam de tribus auctoritatibus conventis ex evangelica veritate, Cœlestinus ad Nestorium scribens, et Ephesina synodus de eodem decernens, et beatus Gregorius ad Joannem scribens comprobant. De peremptorio autem scripto, Africanum concilium monstrat de Cresconio (*can.* 15) : « Ut si conventus resipiscere detrectaverit suo contemptu et contumacia faciente, auctoritate judiciaria protinus excludatur. » Et item beatus Gregorius de sententia in contumacem scribens ad Maximum præsumptorem Salonitanum episcopum dicit (*lib.* V, *epist.* 3) : « Hortamur ut ad nos venire omni postposita excusatione festines, quatenus servata justitia, hæc de quibus accusaris et cognoscere et finire secundum canonica instituta Christo revelante possimus. Ita autem fac, ut ad veniendum amplius jam moras non ingeras, ne ipsa te magis absentia obnoxium his quæ dicuntur assignet, et nos in te hæc res, non solum propter dicta crimina quæ purgare subterfugis, sed etiam propter inobedientiæ culpam, durius scilicet ut in contumacen cogat ex concilio ferre judicium. » Et Africanum concilium (*can.* 67), ad suggestionem vel postulatum Maurentii episcopi, post recitatam schedulam quam obtulit Placentinus : « Debuisse quidem ex sancto concilio adversus contumaces episcopos, qui præcepti fuerant a primate suo ut occurrerent ad concilium, et non venerunt, secundum mensuram sacerdotalem ferri sententiam ; sed servata ecclesiastica mansuetudine, dati sunt de concilio electi judices, et missæ sunt litteræ ad eorundem episcoporum primatem. » Qualiter autem examinatis omnibus et ad liquidum cognitis, sententia regulariter ac legaliter proferri debeat, et ecclesiasticæ et publicæ leges demonstrant dicentes : « Observare judices specialiter debent, ut in omnibus causis sententia, quæ deliberata fuerit, constitutis pariter partibus recitetur, ut ab his a quibus causa dicta est ad integrum quæ dicta fuerit senten-

tia cognoscatur. » Et item : « Quidquid præsentibus partibus in causis fuerit ordinatum, habebit plenissimam firmitatem, nec poterit immutari. » Et item : « Ea quæ, altera parte absente decernuntur, vim rerum judicatarum non obtinent. » Et item, quod et sanctus Gregorius in commonitorio ad Joannem defensorem euntem in Hispanias ex fegibus novellæ constitutionis capitulo decimo sexto de testibus posuit, et canonicum esse decrevit : « Hoc quoque, inquiens, sæpius agnovimus, quoniam quidam, aut apud locorum defensores, aut apud clarissimos provinciarum judices, aut etiam ut assolet hic apud clarissimum magistrum census ingrediuntur et queruntur, tanquam ab alio passi aliquid contra leges, aut aliter injustitiam sustinentes, aut damnificati testes volunt producere. At ne postea objiciatur eis quia per unam partem gesta confecta sunt, oportet et illum qui impetitur, in ipsa civitate constitutum ubi testimonia dantur, admonitum a judice sive a defensore, advenire aut audire testes. Si vero noluerit advenire, sed contempserit ut ex hoc ab una parte testimonia adversis aliam inutilia sint, sancimus hujusmodi testimonia ita valere, tanquam si non ex una parte consisterent, sed etiam ipso præsente fuissent facta. Si enim repudiaverit, et venire noluerit et audire quæ deponuntur, cum utique in publico sit et non ex inevitabili quadam necessitate venire non possit, æqualiter erunt tanquam si advenisset, et nulla utilitas ex contemptu suo ei adhibebitur, sed videbuntur quidem in utriusque præsentia facta. » « Ecce, inquit sanctus Gregorius, admonendus est semper adversarius, ut ad audiendos testes adveniat, alioquin necesse est ut quod contra leges actum est firmitatem non habeat. » Quales autem testes, vel cujus opinionis, ad testimonium admittendi sunt, plurimæ leges ostendunt, quæ pene nulli habentur incognitæ, quæ etiam et illud sanciunt : *Ut vilissimis testibus etiam sine corporali discussione credi non debeat;* et item in libro sexto, titulo decimo nono, inter alia præcipitur : *Ut sententia, si sine scripto dicta fuerit, nec nomen sententiæ habere mereatur.* Quod legale decretum et in passione Domini, super cujus caput posuerunt causam ipsius scriptam, et in martyrum passionibus, quando judicati sunt, observatum multoties legimus, et legatos apostolicæ sedis, auctoritate Leonis papæ, Dioscorum in Chalcedonensi concilio, et Felicem Acacium, et Silverium papam Vigilium, et cæteros Romanæ sedis pontifices per scripturam plures qui resipiscere noluerunt legimus condemnasse.

CAPUT XXIX.

Quid canones statuant de irregulariter excommunicatis.

Vide, frater, si has sacras leges fuisti secutus, quando presbyteros et diaconos parochiæ tuæ ab officio ecclesiastico generaliter excommunicasti, cum certissimum atque notissimum et nobis et omnibus in hac Rhemensi provincia habeatur, quod nec accusati, nec confessi, neque convicti de aliquo crimi- A ne fuerint. Quia vero certum est te non secundum has regulas judicasse, nec ex consensu partium electus in hac judicatione judex fuisti, a te judice ecclesiastico ad me majoris auctoritatis judicem ecclesiasticum judicati, sicut et fecerunt, debuerant provocare, et tua injusta sententia a me est competenter soluta *Placuit*, inquit Carthaginense concilium, *ut a quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate, aut gratia depravati*, et reliqua. Quæ sententia utrum te an non tangat, ratio ipsa demonstrat. Nunc videamus quid sacri canones dicant de his, qui a singulis episcopis pro- B vincialibus, pro incognitis causis primati provinciæ et cæteris episcopis excommunicantur. « De his, inquiunt Nicæni canones (*can.* 5), qui communione privantur, seu ex clero seu ex laico ordine, ab episcopis per unamquamque provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur ; requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet episcopi vitio videatur a congregatione seclusus. Ut hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus simul episcopis congregatis provinciæ, discutiantur hujusmodi quæstiones, et sic qui suo peccaverunt evidenter episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, usquequo vel in communi, vel episcopo C placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. » Et Antiochenum concilium (*can.* 6) : « Si quis a proprio episcopo communione privatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quam suo reconcilietur episcopo, aut certe ad synodum quæ congregatur occurrens pro se satisfaciat, et persuadens concilio sententiam suscipiat alteram. Hæc autem diffinitio maneat circa laicos, et presbyteros, et diaconos, omnesque qui sub regula esse monstrantur. » Et Carthaginense concilium, quod in capitulo vigesimo dixerat, ut statuto numero uniti episcopi cum proprio episcopo presbyterorum et diaconorum causas terminarent, reliquorum clericorum querelas solus episcopus cognosceret et finiret, capitulo vigesimo octavo dicit : « Ut presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores D clerici, in causis quas habuerint, si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos cum consensu sui episcopi audiant, et inter eos diffiniant adhibiti ab eis episcopi. Quod si et ab eis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina judicia, sed ad primates suarum provinciarum, sicut et de episcopis sæpe constitutum est. Ad transmarina autem qui putaverint appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiantur. » Et Africanum concilium capitulo nonagesimo secundo hæc eadem diffinivit. Qui canones propter longinquitatem primatum, ad finitimos episcopos, presbyteros, vel diaconos, ac reliquos clericos præcipiunt

›rovocare, sicut iidem canones aperte demonstrant n capitulo de visitandis tempore concilii provinciis, ed et in eo ubi Carthaginense concilium dicit (*can.* 7) : « Ut unaquæque provincia propter longinquitatem rimatem habeat proprium. » Unde et Mauritania Siifensis postulavit primatem provinciæ Numidiæ, exujus cœtu separatur, ut suum habeat primatem, uem, consentientibus omnibus primatibus provyiarum Africanarum, vel omnibus episcopis propter onginquitatem habere permissa est. Quapropter *in naquaque provincia quæ primatem habet, omnes qui egotia videntur habere*, secundum Antiochenos caones, *ad metropolim debent concurrere* : quia, ut fricanum concilium ad Cœlestinum papam scribit can. 9) : « Decreta Nicæna, sive inferioris gradus lericos, sive episcopos ipsos, suis metropolitanis pertissime commiserunt. Prudentissime enim jutissimeque viderunt quæcunque negotia in suis lois ubi orta sunt finienda, nec unicuique provinciæ ratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas a hristi sacerdotibus et prudenter videatur, et contantissime teneatur : maxime quia unicuique conessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad oncilium suæ provinciæ vel etiam universale proocare. »

Quod et Innocentius ad Victricium ex Nicænis derevit canonibus, et ex eis Bonifacius ad Hilarium arbonensem episcopum dicit (*epist.* 1) : « Advertat, iquiens, charitas tua adeo nos canonum præcepta ervare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, uatenus metropolitani sui unaquæque provincia in mnibus rebus ordinationem semper exspectet » ; et imiliter Cœlestinus, et alii sedis Romanæ pontifices ecreverunt. Sardicenses quoque canones, propter ræfatam longinquitatem primatum, ad finitimos piscopos, veluti et Africæ provinciæ canones, proocare permiserunt, sicut et in eisdem Sardicensibus anonibus demonstratur, memorante Osio importuitates Africanorum episcoporum, quos dicit se ognovisse sanctissimi fratris et coepiscopi sui Grati alutaria consilia spernere atque contemnere. Unde n præfato Sardicensi concilio scriptum est (*can.* 17) : Osius episcopus dixit : Quod me adhuc movet retiere non debeo, si episcopus quis forte iracundus, uod esse non debet, cito et aspere commovetur dversus presbyterum, sive diaconum suum, et exrminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est e innocens damnetur, aut perdat communionem ; ideo habeat potestatem is qui abjectus est, ut piscopos finitimos interpellet, et causa ejus audiair, ac diligentius tractetur, quia non oportet ei egare audientiam roganti. Et ille episcopus, qui iste aut injuste eum abjecit, patienter accipiat ut egotium discutiatur, ut vel probetur sententia ejus plurimis, vel emendetur. Tamen priusquam omnia iligenter et fideliter examinentur, eum qui fuerat a ommunione separatus, ante cognitionem nullus deet præsumere ut eum communioni societ. » Attenendum quippe nobis est quod discretissime sacri canones dicunt, ut eum qui fuerat a communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere ut eum communioni societ. Quia sicut sanctus Leo ad Rusticum Narbonensem episcopum scribit (*epist.* 95, in præfat.) : « In his quæ vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inveniatur adversum. » Et item : « Quia sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus in rebus incognitis in cujusquam partis præjudicium diffinire, priusquam universa quæ gesta sunt veraciter audiamus. » Et item alibi egregie dicitur : « Non esse justum mediatorem, qui in incertis sic unam partem audit, ut alteri parti nihil reservet. » Et sanctus Gregorius : « Ira, inquit, sacerdotis nequaquam debet esse præceps et perturbata, sed magis ex consilii gravitate mitiganda. » Et item : « Ad proferendam, inquit (*Moralium* l. XIX, c. 14), sententiam nunquam præcipites esse debemus, nec temere indiscussa judicemus, ne quælibet mala audita nos moveant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod profecto perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri subtilius facta pensemus. Ipse quippe, ut nos a præcipiti sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda et aperta sint oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, qui ait : *Descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam* (*Gen.* XVIII, 21). Omnipotens itaque Dominus, et omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere quam probare ? » De manifestis autem et plurimis cognitis mox ibidem subsequitur : « Ecce per angelos ad cognoscenda mala descendit, moxque facinorosos percutit ; atque ille patiens, ille mitis, ille de quo scriptum est : *Tu autem, Domine, cum tranquillitate judicas* (*Sap.* XII, 18), ille de quo rursum scriptum est : *Dominus patiens est redditor* (*Eccli.* V, 4), in tanto crimine involutos inveniens, quasi patientiam prætermisit, et diem extremi judicii exspectare ad vindictam noluit, sed eos igne judicii ante judicii diem prævenit. Ecce malum quasi cum difficultate credidit cum audivit, et tamen sine tarditate percussit cum verum agnoscendo reperit : ut nobis videlicet daret exemplum, quod majora crimina et tarde credenda sunt cum audiuntur, et citius punienda cum veraciter agnoscuntur. » Et qui a Patre accepit omne judicium, et in spiritali et in sæculari sua republica, pro se ad judicandum ministros suos constituit, sicut Scriptura dicit, eisque sibi in judicio etiam ministrare præcepit, dicens : *Si quis mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII, 26), id est me imitetur. In qua ministratione idem qui est via, veritas, et vita, viam judicandi hoc modo judicibus sacra lectione, qui fuerint Sodomorum accusatores ostendit, *Clamor*, inquit, *Sodomorum venit ad me* (*Gen.* XVIII, 20), id est non solum magna, sed et manifesta perseverantia peccata eorum ad judicandum provocant me. Qui fuerint testes ac-

cusationis eorum subsequitur dicens: *Descendam et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non, ut sciam (Gen.* xxi). Dominus itaque omnia sciens, ut ex verbis sancti Gregorii præmisimus, et alii catholici doctores exponunt, judicandi nobis modum proponit, ut quæ non sunt manifesta non judicemus, et quæ manifesta sunt sine tarditate et hæsitatione aliqua judicemus, sicut supra ex verbis beati Ambrosii apostoli sententiam exponentis ostensum est: « Cognito, inquit, opere pellendum peccantem fuisse de cœtu fraternitatis dicit Apostolus. Omnes enim crimen ejus sciebant, in qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. »

CAPUT XXX.

Qua ratione solvi queant excommunicationes non legitimæ, et de iis qui injuste excommunicant.

Quibus sententiis sanctarum Scripturarum, et sacrorum canonum, atque decretorum sedis Romanæ pontificum, fultus atque suffultus, et sicut adhuc in processu ostendam, metropolitana auctoritate, exsecrabilem atque exitiabilem, non excommunicationem, sed maledictionem tuam, in eos jaculatam, qui non accusati, nec confessi, nec convicti, nec etiam a te fuere secundum Domini jussionem commoniti, ac de his pro quibus eos excommunicaveras, sicut non solum mihi, sed et pene omnibus in Rhemensi provincia erat notum, innoxii, et tanti simul a sacro officio et sacra communione, atque a societate Ecclesiæ catholicæ, solo tuo furore et causa tuæ injuriæ, ad multorum exitium fuere depulsi, irritam et nullius momenti esse decrevi: præsertim cum sacræ regulæ nulli in mortis urgente periculo constituto baptisma denegari, nulli poscenti ultimam pœnitentiam et viatici muneris communionem interdici præcipiant, nulli etiam sepulturæ humanitatem abrogari permittant, et in tua parochia nemo in necessitate mortis ab eis quorum interest baptizari, nemo communionis gratia reconciliari, nemo sepeliri cum debita commendatione poterat, si ministri Ecclesiæ suis forent privati ministeriorum officiis. Et tua ligamenta non fuerunt sanctæ Ecclesiæ alligationes, sed tuæ maledictiones. Unde beatus Gregorius respondens Petro interroganti: « Nunquidnam valde esse grave credimus, si fortasse cuilibet exagitati iracundia maledicamus? » In libro Dialogorum dicit (lib. III *Dialog.*, cap. 15): « Pensa, inquiens, quam gravis est culpa quæ separat a regno vitæ, cum Paulus dicat: *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 10). » Et interroganti eidem Petro: Quid si homo non fortasse ex malitia, sed ex linguæ incuria, maledictionis in proximum jaculatur verbum? respondit: « Si apud districtum, inquiens, judicem, Petre, otiosus sermo reprehenditur, quanto magis noxius? Pensa ergo quantum sit damnabilis qui a malitia non vacat, si et ille sermo pœnalis est qui a bonitate utilitatis vacat. » Et in libro Moralium (*lib.* IV, *cap.* 6): « Sciendum est, inquit, quod

A Scriptura sacra duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ. Contra maledictum quippe livore justitiæ depromptum, voce Pauli prædicantis admonemur, qui ait: *Benedicite, et nolite maledicere (Rom.* XII, 14); et rursum dicit: *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 10). Nam et sancti viri, cum maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile Dei judicium aspiciunt, et mala foras exsurgentia quia maledicto debeant ferire cognoscunt, et eo in maledicto non peccant, quo ab interno judicio non discordant. » Tu vero a judicio justitiæ in tuis maledictionibus discordasti, qui non B judicio justitiæ, sed livore vindictæ, et causa injuriarum tuarum eas protulisti, non videns quoniam a te irregulariter maledictos sacri canones non vetant ab aliquo episcopo regulariter recipi, multo magis autem ab eo qui tibi præest innuunt eos debere absolvi. Scriptum est enim in Carthaginensi concilio. Augustinus episcopus legatus provinciæ Numidiæ dixit (*can.* 9): « Hoc statuere dignamini, ut si qui forte merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt, et sive ab aliquo episcopo vel presbytero fuerint in communionem suscepti, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius, refugientes sui episcopi regulare judicium. » Et item (*can.* 29): « Qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive episcopus, sive quilibet clericus, et tempore excommunicationis suæ ante audientiam communionem C præsumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam. » Sentisne quid audis? intelligisne quæ legis? Hi enim sacri canones eos ab aliis recipi prohibent, qui merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt, et qui refugiunt sui episcopi regulare judicium, et qui pro suo neglectu excommunicati sunt, et ante audientiam tempore excommunicationis communionem præsumunt. Laudunenses autem clerici, nec pro suo neglectu excommunicati a te fuerunt, nec regulare judicium refugerunt, nec ante audientiam et cognitionem communionem contra regulas præsumpserunt. Regula quippe, unde et qualiter quique excommunicari debeant, nobis est manifeste deprompta, dicente Domino: *Si peccaverit in te frater tuus*, et reliqua usque dum dicitur, *sit* D *tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo* (*Matth.* XVIII). Et hac regula, atque hoc regulari judicio, canonicoque ordine, ab Ecclesiæ communione medicinaliter, usque dum convertantur et ad pœnitentiam redeant, separatos constat rata a Deo prolata sententia: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo* (*ibid.*). Et sacri canones taliter a propriis episcopis abjectos vel excommunicatos, vel si dubium fuerit utrum taliter necne abjecti vel excommunicati fuerint, interim non recipi ab aliis præcipiunt, si ante per finitimos episcopos, vel per electos aut deputatos judices,

causæ eorum finiri nequiverint, donec in provinciali synodo, quo metropolitanus antistes probaverit, discutiantur, et regulariter sententiam communiter inventam abjecti suscipiant, sicut Nicæni canones aperte demonstrant dicentes (*can.* 5) : « Hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet episcopi vitio, videantur a congregatione seclusi. » Manifestum est enim, quoniam dubia vel obscura jubentur requiri, non certa vel manifesta. Et Antiochenum concilium (*can.* 6) : « Communione, inquit, privatus a proprio episcopo, non ante recipiatur ab aliis, donec proprio reconcilietur episcopo, aut occurrens ad synodum quæ congregatur, pro se satisfaciat, et persuadens concilio sententiam suscipiat alteram. » Et Sardicenses canones (*can.* 17) : « Ille, inquiunt, episcopus, qui juste aut injuste cum abjecit, patienter accipiat ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia ejus a plurimis, vel emendetur. » Scilicet ut discussione facta de ante dubiis et obscuris, sententia rationabiliter dicta probetur, vel irrationabiliter prolata emendetur. Et hoc de uno, vel duobus, aut tribus, decem quoque, vel viginti, aut triginta, et de dubiis vel obscuris servari patienter aliquo modo poterat. At ubi manifestissime, sicut omnibus constat esse notissimum, sine aliqua ratione, vel culpa abjectorum, contra omnem auctoritatem, trecenti, vel quadringenti, sive quingenti, solo tuo furore, et causa injuriarum tuarum abjecti erant, in quorum abjectione, ut beatus Augustinus dicit (*epist.* 50), non hujus aut illius hominis erat periculum, sed populorum strages jacebat in perditione, etiam qui in tuis injuriis non peccaverunt, sed potius doluerunt, pro quibus illi abjecti erant, cui Christiano servari usque ad examinationem, sicut de dubiis et obscuris et nihil periculi habentibus, videri debuerit? Maxime erga non peccantes in tuis injuriis, sed dolentes : cum Deus hanc retributionem modis omnibus detestetur, *cum retribuuntur mala pro bonis (Psal.* XXXIV). Non ergo ante cognitionem, sicut Sardicenses canones jubent (*epist.* 50), sed post manifestam cognitionem, præfatos clericos a te maledictos communioni regulariter sociavi. Et si forte aliquid rationis vel auctoritatis haberet quod fecisti, ubi tantorum populorum strages et pericula imminebant, detrahendum foret, ut idem beatus Augustinus demonstrat, aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis subveniret charitas quæ cooperit multitudinem peccatorum. Et si tantum in eos, qui auctores vel patratores injuriarum tuarum erant, maledictiones tuas jaculando exereres, forte portari ab aliis poterant, usque dum synodali conventu tibi demonstraretur te contra rationem egisse, docente beato Petro apostolo : *Hæc est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias patiens injuste. Quæ enim gratia si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, relinquens*

A *vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste* (*I Petr.* II). Et Paulus : *Benedicite, et nolite maledicere, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto (Rom.* XII). Et hinc per semetipsam Veritas dicit : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Matth.* V). « Virtus, inquit Gregorius (*hom.* 35 *in Evang.*), est coram hominibus adversa tolerare, sed virtus coram Deo diligere : quia hoc solum Deus sacrificium accipit, quod ante ejus oculos in altari bonæ operationis flamma charitatis incendit. » Et Dominus illos B dicit beatos, qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth.* V); non propter nequitiam, nisi forte per ipsam persecutionem convertantur ad correctionem, et consequantur purgationis beatitudinem. Tu autem, si contra leges divinas et humanas in te quiddam a quocunque exstitit perpetratum, mihi hoc notum facere, et per aliquod temporis spatium patienter debueras exspectare, usque dum inde cum fratribus et coepiscopis nostris satagerem, sicut etiam egeram, et non tuas molestias aliorum perditionibus vindicare. Et si forte, quærens resistendi suffugia, et potius perniciosum factum tuum elegeris defendere, quam recognoscere atque corrigere, objicere mihi volueris quod Innocentius ad Macedones scripsit episcopos dicens (*epist.* 29, sub finem) : « Sed ut sæpe accidit, quoties a populis aut a turba peccatur, quia C in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solet transire, priora ergo dimittenda dico Dei judicio, et de reliquo maxima sollicitudine præcavendum ; » rejicio tibi, ut vel in populos, aut in turbam peccantem, et non in populos et in turbam innoxiam, has maledictiones tuas exereres, qui nulli maledicere, etiam in te peccanti, minime autem non peccanti, præciperis. De alligatione autem episcopali, quod nobis satis tremendum, et cavendum, atque observandum est, sanctus Gregorius in homilia Evangelii vigesima sexta dicit : « Sæpe in ligandis ac solvendis subditis pastor suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Unde fit ut ipsa hac ligandi et solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, et non pro subjectorum moriD bus exercet. Unde recte per prophetam dicitur : *Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt* (*Ezech.* XIII). Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat : et non victurum vivificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur; » ac sæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat. Non igitur novum, sed veterum regularum constitutum est, quod egi in absolutione a te maledictorum : quia ut Gelasius de suo decessore dicit : « Non novæ constitutionis auctor, sed veteris sum executor. » Sicut Carthaginenses canones manifeste demonstrant dicentes (*can.* 5) : « Novellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt,

vel sub genere latent, inspectæ a nobis formam accipient : cæterum de quibus apertissime divina Scriptura sanxit, non est differenda sententia, sed potius exsequenda. Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis in clericis oportet prædamnari. Universi dixerunt, Nemo contra prophetas, nemo contra Evangelium facit sine periculo. » Et post pauca : « Reliqua vero, quæ vel facta vel dicta superius comprehensa sunt, vel aliis conciliis conscripta, quæ secundum legem inveniuntur, custodire nos oportet. Si quis vero statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est, communione, si clericus est, honore privetur. Universi dixerunt, Placet, placet. » Et post istam synodum, Chalcedonense celebratum concilium dicit (*can.* 1) : « Regulas sanctorum Patrum per singula nunc usque concilia constitutas proprium robur obtinere decrevimus. » Et item post aliquanta (*can.* 10) : « Eos vero qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ et universalis hujus synodi, quidquam ex his quæ sunt prohibita perpetrare, decrevit sancta synodus a proprio hujusmodi gradu recedere. » « Et hic si objicere mihi volueris quod supra dixi de capitulo hujus synodi a sede apostolica non recepto, refero tibi ut legas superius, et videas quantum dixi, quod de eodem capitulo sedes apostolica non recipiat, scilicet, Si adversus ejusdem provinciæ metropolitanum episcopus vel clericus habet querelam, petat sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, et apud ipsam judicetur. » Et adhuc tibi refero, quia idem concilium hoc quod de Constantinopolitana sede petenda dixit, non prohibuit, sed concessit : in hoc autem supposito capitulo dixit, Qui ausi fuerint ex his quæ sunt prohibita perpetrare. Quia igitur constat in his te inimico animo judicasse, et cupiditate vincendi depravatum fuisse, secundum Carthaginenses canones, obest tibi tua soluta sententia. Et quoniam in rotulis tuis, domno regi et mihi per comministros Ecclesiæ tuæ directis, multoties ac multipliciter ad confirmandas tuas sententias, cum sacris canonibus, et decretis apostolicæ sedis pontificum, etiam legales sententias catholicorum imperatorum posuisti, proponam tibi legalem sententiam Justiniani catholici imperatoris, quam probat et servat Ecclesia catholica, qua constitutione CXVIII, capitulo CCCCXLI, decrevit : Ut nemo episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem antequam causa probetur, propter quam ecclesiastici canones hoc fieri jubent. Si quis autem adversus ea excommunicaverit aliquem, ille quidem qui excommunicatus est, majoris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat, is autem, qui non legitime excommunicavit, intantum abstineat a sacra communione tempus, quantum majori sacerdoti visum fuerit, ut id quod injuste fecit, ipse juste patiatur. Et hinc sanctus Gregorius ad Joannem episcopum injuste excommunicantem inter cætera scripsit dicens : « Cassatis prius atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri apostolorum principis auctoritate decernimus, triginta dierum spatio sacra te communione privatum, ab omnipotenti Deo nostro tanti excesssus veniam cum summa pœnitentia ac lacrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te cognoverimus implesse remissius, non jam tantum injustitiam, sed et contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas juvante Domino severius puniendam. » Et item alibi (*lib.* II, *ind.* 11, *epist.* 7) : « Quod si contra hæc quæ statuimus quolibet tempore, qualibet occasione, vel subreptione venire tentaveris, sacra scias te communione privatum, nec eam te, excepto ultimo vitæ tuæ tempore, nisi cum concessa Romani pontificis decernimus jussione percipere. Hæc enim consona sanctis Patribus deffinitione sancimus, ut qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare, nec communionem capere sit dignus altaribus. »

CAPUT XXXI.

De eo quod parvulos, qui sæpe discrimine mortis periclitantur, baptizari prohibuit.

Denique sicut in petitione mihi ab ecclesia Laudunensi data continetur, causa injuriarum tuarum parvulos baptizari, qui sæpe discrimine mortis periclitantur, prohibuisti. In quo capitulo Pelagius et tu facti estis, ut ex majori parte egregius poeta dicit :

Ambo errore pares, quamvis diversa sequentes.

Pelagius docuit parvulos recentes ab uteris matrum non baptizandos in remissionem peccatorum, quia nihil trahebant ex Adam, quod lavacro regenerationis expiaretur, certans ostendere nos vacue a Christo redemptos, contradicente sibi Apostolo : *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V). Et tu sciens verum esse quod Dominus dicit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III), præcepisti non baptizari in tua parochia parvulos, etiam in mortis periculo constitutos, ne salvari valerent, cum scriptum sit : *Non venit filius hominis animas perdere, sed salvare* (*Luc.* IX), obvians etiam decretis Siricii, Leonis, Gelasii, et Africani concilii, sicut jam tibi scriptis non solum semel sed et secundo mandavi. Unde quia ex integro jam tibi illa decreta scripto direxi, breviter tibi quædam exinde commemoro. Nam de infantibus baptizandis, qui necdum baptizati noscuntur, quoties necessitas exegerit, regula ecclesiastica per beatum Siricium et prolata, cujus regulæ conclusio constat hoc modo (*epist.* 1, *Himerio*) : « Nunc præfatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab apostolicæ petræ, super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli. » Et sanctus Leo : « In mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis augustiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc veræ salutis singulare præsidium cuiquam denegari decrevit. » Et Africanum

concilium, sed et idem sanctus Leo (*epist.* 92, *Rustico*) : « Etiam eis infantibus, de quibus non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem de traditis sibi sacramentis idonei respondere, absque ullo scrupulo eos baptizandos esse jusserunt. » Et sanctus Gelasius (*Ivo*, p. I, cap. 252) : « Etiamsi necessitas extrema compulerit, a laicis Christianis hujusmodi baptizari debere ostendit. »

CAPUT XXXII.

De eo quod pœnitentiam et viaticum morientibus dari vetuit.

In eo vero capitulo, quo ultimam pœnitentiam denegari, et viatico munere subvenire morientibus contra Nicænos et Africanos canones, et decreta Siricii, et Innocentii, atque Cœlestini, necnon et Leonis, vetuisti, sicut Innocentius, et cæteri doctores catholici ostendunt, Novati hæretici, licet diverso itinere, sed non diverso discrimine, sequipes exstitisti. Novatiani enim dogmatizant recipi non debere lapsos ad pœnitentiam atque communionem : et tu sciens, juxta Nicænos canones, quovis tempore non esse denegandam pœnitentiam et communionis gratiam postulanti, causa injuriarum tuarum præcepisti, sicut in petitione a Laudunensi Ecclesia mihi porrecta continetur, etiam in exitu mortis positis pœnitentiam et communionis gratiam denegari, ne permittente Salvatore nostro a perpetuo exitio vindicari valerent, cum per se de se Veritas dicat : *Venit filius hominis quærere et salvare quod perierat, qui non venit justos sed peccatores vocare in pœnitentiam* (*Luc.* XIX), multis voce Domini reclamantibus sanctis et Ecclesiæ catholicæ doctoribus ut præsidium regenerationis, ac pœnitentiæ, sacræque communionis, in mortis periculo positis et petentibus a quoquam nullatenus denegetur. Unde tibi ex integro quid sacri Nicæni canones, quid sanctus Siricius, quid sanctus Innocentius, quid sanctus Cœlestinus, quid sanctus Leo decreverint, tibi scribere studui, sed et judicium, quod de hæc contemnentibus sanctus Leo protulerit, præfatis subjunxi, tibique mandavi. Ait enim (*epist.* 1) : « Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. » Unde quia ignorare non potes quid sanctus Cœlestinus prædecessor beati Leonis decreverit, cujus decretorum partem tuæ collectioni interposuisti, quibus dicit : « Nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum possit regulis obviare : quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa fran- A gatur ? » satis mirari non valeo, quomodo teipsum nescire, et tam grandem causam, sicut contra decreta Cœlestini egisti, oblivisci valens, inter cætera in tuo pitaciolo verba ejusdem Cœlestini papæ ponere ausus fuisti. Quæ, etsi in professionis tuæ decreto a te subscripto hanc beati Cœlestini sententiam decretalem præscripsisti, non solum suo, sed et tuo judicio, te secundum sacros Carthaginenses canones, honore privasti, qui dicunt (*can.* 13) : « Si quis contra suam professionem vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit. » Fecisti enim quod Patrum regulis obviat, cum pœnitentes, contra decreta Cœlestini, et cæterorum pontificum Romanorum, atque contra sacros canones, ad pœnitentiam suscipi, et morientibus viatico munere sub- B veniri prohibuisti, et pro tuo libitu usurpata a te sententia, decretalium normam constitutorum fregisti. Sed forte noluisti intelligere illa constituta tuos esse canones, et ob id in tuo pitaciolo misisti : Nulli sacerdoti liceat canones ignorare, omittens quod ibi habetur *suos*. Non igitur radendum, vel omittendum est pronomen *suos*, de verbis Cœlestini : quoniam canones et Patrum regulæ canones et regulæ sunt sacerdotum, eo modo sicut lex Moysi dicitur et lex Judæorum, de qua Dominus ad Judæos : *In lege*, inquit, *vestra scriptum est* (*Joan.* VIII), et de eis iterum : *In lege eorum scriptum est* (*Joan.* XV). Aut ergo quilibet non est sacerdos, et sui non sunt canones : aut qui sacerdos est, sui sunt canones. Non ut sicut Judæi legem, eosdem canones pro suo libitu ad suum sensum inflectant, sed ut sensum eorum C præceptis obediendo accommodent : quatenus eorum præcepta sequendo, gressus rectos faciant pedibus suis, et de Scripturarum lumine promulgatos lucernam eos ponant actionibus suis, ut possint dicere cum Psalmista : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII). Si aliqua etiam tortitudo sensibus, vel præceptionibus, atque actionibus suis inesse videtur, eorum regulis corrigatur, et ad ea quæ sentienda, tenenda, et sequenda sunt dirigatur. Lege igitur decreta Siricii, et ejusdem Cœlestini, et sacros canones, et invenies te contra illorum decreta, imo contra evangelicam veritatem, et apostolicam auctoritatem, ausu nefario talia prohibuisse, sicut semel, et secundo jam tibi scripsi. Sed forte hæc, et ea quæ dicimus esse D canones, tenere non vis pro canonibus, sed illa de quibus tua commenta finxisti. Ideo peregrino sensu Cœlestini verba interposuisti. Reduc tamen ad memoriam quæ in eodem tuo pitaciolo ex verbis Cœlestini posuisti : « Quæ, inquiens, sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus. Per totas hoc ergo, quæ propriis rectoribus carent, ecclesias volumus innotescat, ut nullus sibi spe aliqua forsitan blanditus illudat. » Quapropter observandum tibi est de cætero, ne per ipsas regulas judiceris, quas de verbis sancti Cœlestini tuis collectionibus immisisti, sicut et ego servare studui

quod præcepit, scilicet notum faciens quæ servare debeat ecclesiæ Laudunensi. Et quoniam, ut supra ostendi, verba beati Gregorii a proprio eorum sensu, quantum ex te fuit, alienasti, et imposturasti, atque detruncasti, ut anathema, quod in eodem capitulo convenienti sensu miserat, ad eos quibus non convenerat retorqueres, tibi scribere dignum duxi, quod de anathemate in synodica epistola, quam secundum morem, in ordinationis suæ exordio patriarchis, Alexandrino scilicet, Antiocheno, Hierosolymitano, et Constantinopolitano direxerat, scripsit (*lib.* I, *ep.* 24) : « Præterea, inquiens, quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me profiteor : Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur, Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error convincitur, Ephesinum etiam primum in quo Nestorii impietas judicatur, Chalcedonense vero, in quo Eutychis, Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima probatione custodio, quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit. Et cujuslibet vitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque concilium pariter veneror, in quo epistola quæ Ibæ dicitur erroris plena reprobatur, Theodorus personam mediatoris Dei et hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur, scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas vero quas præfata veneranda concilia personas respuunt respuo, quas venerantur amplector : quia dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis vero præfatarum synodorum fidem tenet, pax ei sit a Deo Patre per Jesum Christum Filium ejus, qui cum eo vivit et regnat consubstantialiter Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen. » Et sacrum Nicænum concilium dicit (*can.* 13) : « De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo et necessario viatico minime privetur. Quod si desperatus et consecutus communionem, oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit. » Ecce audisti, frater, quod sacri Nicæni canones generaliter omni cuilibet in exitu posito, et poscenti communionis gratiam, non denegari, sed per eamdem communionem obeuntem absolvi præcipiunt. » Et ecce audisti decernentem beatum Gregorium : « Quisquis præsumit, aut solvere quos præfata concilia, quorum

A primum est Nicænum, religant, aut ligare quos solvunt : quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. » Imitare igitur sanctum David, qui audiens a Nathan propheta de peccato quod fecerat, ex cordis intimo dixit : *Peccavi Domino (II Reg.* XII) ; et item : *Quia percussit cor suum, eo quod fœdasset vestem Christi Domini* (*I Reg.* XXIV). Et vestis Domini est Ecclesia, de qua scriptum est : *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris (Isa.* XLIX, 18). Et Apostolus : *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III, 27). Percute pectus tuum, quia percussio pectoris ostendit contritionem cordis, et dic cum profusis lacrymis : *Peccavi Domino*, ut merearis audire, *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris (II Reg.* XII).

B

CAPUT XXXIII.

De eo quod sepulturam mortuis in parochia sua denegari præcepit.

In eo vero capitulo, quo sepulturam mortuis, sicut in petitione a Laudunensi ecclesia mihi porrecta continetur, denegari jussisti, nimia inhumanitate contra sacras historias sacrosque canones agere non erubuisti, cum sicut in historia veneranda libri Regum legimus etiam eorum corpora, qui ad consultum Domini propter peccatum Saul, ob quod facta est fames in diebus David tribus annis jugiter, crucifixi fuerant, laudabiliter custodita legamus a concubina Saul, ne lacerarentur ab avibus per diem, neque a bestiis per noctem, *Donec stillaret aqua super eos de cœlo (II Reg.* XXI). Sicque sepulta sunt C cum ossibus Saul et Jonathæ. Et in Evangelio legimus, quia petente Joseph, *Pilatus jussit reddi corpus Domini* (*Matth.* XXVII, 58), quem quasi nefarium petentibus Judæis crucifigi adjudicavit ; unde *et cum iniquis*, secundum Scripturam, *deputatus est (Isa.* LIII, 12). Et Judæi, ne remanerent etiam sceleratorum corpora in cruce die sabbati inhumata, obtinuerunt a Pilato ut frangerentur eorum crura, et tollerentur (*Luc.* XXI, 38). Et antiquorum patrum regulæ, etiam eorum corpora, qui sibi quolibet modo mortem intulerint, vel qui pro suis sceleribus puniuntur, ad sepulturam, licet sine hymnis et psalmis, deferri præcipiunt, et non sepultura in ventre matris omnium, id est terræ, carere etiam talium cadavera præceperunt. Si vere utique justitiam loqueris, juste judica, fili hominis, et vide si secundum D præfatas regulas ac leges, metropolitana auctoritate pontificium habuerim hæc corrigere, quæ contra sacras regulas præsumpsisti.

CAPUT XXXIV.

Quod in rebus certis et definitis, nec synodus convocanda, nec sedes apostolica inquietanda sit, sed quæ statuta sunt observanda.

At si tu in contumacia tua, et in contemptu meo permanere delegeris, et quæ hinc vera sunt profiteri nolueris, quia de certis et manifestis causis, quæ in nullo nobis sunt dubia vel obscura, de quibus diffinitivas sententias, quæ nulla possunt ratione convelli

a sanctis Patribus promulgatas habemus, synodale A consultum, vel coepiscoporum provinciæ nostræ consilium vel consensum, non debeo exspectare, nec a regulis præstitutis ulla aut negligentia aut præsumptione discedere, nec etiam sedem apostolicam inde requirendo inquietare, dicat sanctus Innocentius scribens ad Macedones archiepiscopos atque episcopos inde quid sentiat (*epist.* 27) : « Cum tradidisset epistolas, quin Vitalis archidiaconus, vestrarum portitor litterarum eas præcepi illico recenseri : in quibus multa posita esse pervidi, quæ stuporem mentibus nostris inducerent, facerentque nos non modicum dubitare, utrum aliter putaremus, an ita illa essent posita quemadmodum personabant. Quæ cum sæpius repeti fecissem, adverti sedi apostolicæ, ad quam relatio quasi ad caput ecclesiarum missa currebat, B fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur. Unde de quibus jam dudum scripsisse me memini, nunc iterare formam argumentis evidentioribus relationis vestræ percunctatio geminata compellit. » Et ad Felicem episcopum Nucerianum (*epist.* 3) : « Stupuimus prudentem virum de his voluisse consulere, quæ omnibus sunt certa ratione comperta. » Et sanctus Zozimus (*epist. Hesychio*) : « Sciet quisquis hoc postposita Patrum et apostolicæ sedis auctoritate neglexerit, a nobis districtius vindicandum, ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impune posse tentari. Contumeliæ enim studio fit quidquid interdictum toties usurpatur. » Et sanctus Cœlestinus quod et tu in tuis collectionibus, ut præmisimus, posuisti (*epist.* 11, *episcopis Apul. et Calab.*) : « Nulli C sacerdotum suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permissa frangatur? » Et post aliquanta : « Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus. » Et Leo (*epist.* 1, *episcopis*), quod iterare non piget : « Omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. » Et item idem Leo D ad Leonem Augustum : « Quæ patefacta sunt quærere, et quæ perfecta sunt retractare, et quæ sunt diffinita convellere, quid aliud est, quam de adeptis gratiam non referre, et ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? » Et item idem sanctus Leo ad eumdem Leonem Augustum dicit (*epist.* 84) : « Quia de rebus et apud Nicæam, et apud Chalcedonem sicut Deo placuit diffinitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per sanctum Spiritum fixit auctoritas. » Et Hilarus papa dicit (*epist.* 11, *Verano*) : « Quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur. » Et Gelasius : « Satis indignum est quemquam vel pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere, satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. » Et item ad universos episcopos per Dardaniam constitutos : « Patres, inquit (*epist.* 11, in princip.), nostri, catholici videlicet doctique pontifices, in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica, secundum Scripturarum tramitem, prædicationemque majorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare, nec in eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt : sapientissime pervidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper eisdem furoribus redivivis omnis integra diffinitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel synodalium regularum, non cessant elisæ pestes resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, et simplicia quæque corda percutere, quid fieret si subinde fas esset perfidis inire concilium, cum quamlibet illa manifesta sit veritas, numquam desit quod perniciosa depromat falsitas, et si ratione vel auctoritate deficiens, sola tamen contentione non cedens? Quæ majores nostri divina inspiratione cernentes, necessarie præcaverunt, ut contra unamquamque hæresim quod acta semel synodus pro fide, communione, et veritate catholica atque apostolica promulgasset, non sinerent novis post hæc retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur quæ medicinaliter fuerint statuta pulsandi : sed auctore cujuslibet insaniæ ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisque aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus, quoniam manifeste quilibet, vel professione sua, communione posset agnosci. » Et si volueris hoc tantum de suscitatis hæresibus intelligere, pariter quoque quod dicit intellige : « Auctore, inquiens, cujuslibet insaniæ ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisque aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus. » Quæ enim major potest esse vesania, vel quis deterior error, aut gravius contra catholicam Ecclesiam schisma, quam sanctorum conciliorum et apostolicæ sedis decreta contemnere, et leges quas probat Ecclesia conculcare, et Christianam pietatem abdicare, et innoxios contra omnes leges divinas et humanas gradu ac communione privare, atque ex proprio crimine innocentes in mortis urgentis periculo per baptismi gratiam non subveniri, obeuntibus

et petentibus communionis gratiam denegari, mortuis sepultaræ humanitatem non tribui? « Quidquid ergo, inquit Gelasius, pro fide, communione, et veritate catholica atque apostolica majores nostri promulgaverunt, non siverunt novis posthæc retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur quæ medicinaliter statuta fuerunt pulsandi : sed generaliter auctore cujuslibet insaniæ ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisque aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus, quoniam manifeste quilibet vel professione sua, vel communione posset agnosci. » Et item idem Gelasius dicit (*in commonitorio*) : « Decessorem, inquiens, meum executorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem : quod non solum præsuli apostolico facere licet, sed cuicunque pontifici. » Quia vero non vetera constituta retractari vel refragari liceat, sed de novis emergentibus rebus novæ constitutiones requiri debeant, quæ tamen evangelicæ veritati non habeantur contraria, nec decretis sanctorum adversa ; idem sanctus Gelasius in decretis suis, his enumeratis qui diffinitione constituta viritim et per diversa tempora fuere damnati, hoc modo demonstrat (*epist.* 11, sub initium) : « Synodus, inquiens, semel gesta condemnans, quin præfatos, ulterius ad nova concilia venire non sivit, sed universos quocunque modo in has blasphemias recidentes tradito sibi limite synodali refutavit Ecclesia : nec unquam recte cessisse manifestum est, qualibet necessitate cogente, noviter quæ fuerant salubriter constituta temerasse. » Et post aliquanta : « Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto, exsecrationem sui gestat et pœnam. » Et item : « Quia et nova in utroque pontifice causa esset exorta, et nóvam discussionem consequenter inquireret, ut sicut semper esset effectum, sacerdotali concilio de sacerdotibus judicia provenirent. » Et item : « Cum novæ essent causæ, nova debuit ecclesiastica provenire discussio. » Et item : « Novæ certe erant causæ, et his consequenter nova synodus debebatur. » Et item : « An hæc licuit sæculari potestati, et actis talibus Acacio consentiente, absque ulla synodo, quam ipsa rerum novitas exigebat, absque sedis apostolicæ consultatione perficere, et sedi apostolicæ non licuit, secundum tenorem synodi Chalcedonensis, in veteri utique causa, et veteri constituto, justa diffinitione damnata, inimicis synodi Chalcedonensis Acacium communicantem a sua communione depellere? » Et item : « Nec opus fuit nova synodo, cum veteris constituti sufficienter hoc forma præscriberet. » Et item : « Quæ congregatio facta pontificum, non contra Chalcedonensem, non tanquam nova synodus contra veterem primamque convenit : sed potius secundum tenorem veteris constituti particeps apostolicæ exsecutionis effecta est. » Et item : « Nec dubium quod sicut in unaquaque hæresi, quod incessabiliter repetendum est, quia firmum esse nullus ambigit Christianus, omnes complices, sectatores, communicatores damnatæ semel pravitatis pari sorte censentur. » Et item : « Inauditos, indiscussos, inconvictos non debere percelli, maxime cum novæ causæ et nova rerum facies appareret, ut rectores isti plebium repentinis incursionibus, pro mundanæ potentiæ voluntate, sacris dignitatibus privarentur, ex nulla veteri causa, ex nullo collegio reatus, nec participatione cujuslibet erroris jam ante damnati, teneri eos convincique consortes, ut tanquam ex præterita diffinitione judicarentur obstricti. » Sed et beati Gregorii condigna invectio ad Vitalianum episcopum Sipontinum memoriam meam non transiit, quando tuam alligationem, quinimo exsecrabilem maledictionem dissolvi, qua idem beatus homo dicit (*lib.* VIII, *epist.* 9) : « Si custos religiosi habitus, aut esse nosses episcopus, filiæ gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ, te illic posito, nec projectis religiosis vestibus ad sæcularem reverti habitum, nec ad nos licuisset perversam epistolam destinare. Nam si, ut præfati sumus, sollicitus exstitisses, prius ad nos ultio mulieris pravissimæ quam culpa debuit pervenire. » Et hinc ad Sergium defensorem (*lib. eodem, epist.* 10) : « Si homo esses, aut discretionem aliquam habuisses, ita regularis disciplinæ debuisti custos existere, ut ea quæ illic illicita committuntur, ante vindicta corrigeret, quam ad nos eorum nuntius perveniret. » Et post pauca : « Nam si quolibet modo in hac re negligens vel lentus exstiteris, ita in te noveris districtissime vindicandum, ut quod ex te nescis, pœna possis reserante cognoscere : quia sicut diximus, si intellectum hominis habuisses, hæc quæ modo facere præciperis, a te debueramus etiam cum ultione ante facta cognoscere. » Quid etiam hinc sacri canones per singula concilia decernant, devitans prolixitatem, et quia notissima sunt, hic ponere prætermitto. Tantum de Carthaginensi concilio testimonium, quod et supra posui, unum pono, Gratus episcopus dixit (*conc.* I, can. 13) : « Novellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ a nobis formam accipient. Cæterum de quibus apertissime divina Scriptura sanxit, non differenda sententia est, sed potius exsequenda. » Lege Breviarium Africæ provinciæ canonum, sedi apostolicæ missum, et ab eadem sede corroboratum, et hæc in fronte canonum ipsorum invenies.

CAPUT XXXV.

Quod apostolica sedes cum episcopis conjudicet, qui secundum canones judicant, et quod non bene intelligat, ut metropolitanus absque provincialium instantia causas non audiat.

Quicunque igitur primates provinciarum a Domino constituti, et apostolica auctoritate confirmati, sed et quique catholici episcopi, de certis et manifestis rebus, de quibus expressa judicia, et irrefragabiliter atque inconvulse conservandas diffinitivas habemus sententias, secundum sacros canones, et decreta sedis Ro-

manæ pontificum, quæque decernimus et judicamus, apostolica sedes, et catholica Ecclesia, apostolorum fundamento fundata super angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in nobis pro patribus natis filiis, id est pro apostolis creatis episcopis, ut in ordinandis coordinat, ita et in decernendis canonice condecernit, et in judicandis conjudicat. Nos autem, qui sacros canones, et decreta sedis Romanæ pontificum sub ipsius apostolicæ petræ judicio exsequimur, nihil aliud quam juste judicantium fautores, et justorum judiciorum exsecutores, obedientiam sancto Spiritui, qui per eos locutus est, et sedi apostolicæ, a qua rivus religionis, et ecclesiasticæ ordinationis, atque canonicæ judicationis profluxit, dependentes existimus. Quoniam quicunque baptismo catholico baptizent, sicut ad Joannem Baptistam dictum est, ipse est Christus videlicet Jesus qui baptizat, et quicunque sacrificent, ipse est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sempiternum habens sacerdotium, qui sanctificat (*Joan.* I): quia ut sanctus Leo dicit (*epist.* 91): « Si quid per servitutem nostram bono ordine et gratulando impletur effectu, non ambigimus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum, et operi nostro ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest, quæ ministris suis exsequenda commisit dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). » Et item Leo: « De his qui in Nicæno concilio, suggerente sibimet sancto Spiritu, quia aliter credendum non est, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, et si quid usquam aliter quam illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur. » Et sanctus Augustinus dicit (*De vera Relig.* c. 31): « Æternam legem mundis animis fas est cognoscere, non est fas judicare. In istis autem temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. » Non ergo ea, quæ per me qualemcunque metropolitanum, et primatem Rhemorum provinciæ, ad cujus curam, secundum sacros canones et decreta sedis Romanæ pontificum, sollicitudo pertinet totius provinciæ, sedes apostolica, et sancti patres nostri, qui cum Deo in cœlo, regnant, et in terris miraculis coruscant, quin ipse ut præmiseram Salvator noster dissolvit, ex his quæ provincialis episcopus contra diffinitivas sanctarum regularum sententias alligasti, quantacunque et qualicunque tua et complicum tuorum subscriptione potes ligare, nec ea, quæ secundum præfixas regulas a sanctis Patribus ligo, potes absolvere: quia ut Gelasius in decretis suis dicit, veluti potes in libro, quem tibi ante altare sanctæ Mariæ in die ordinationis tuæ commisi, relegere: Inferior potiorem absolvere non potest, potior autem inferiorem consequenter absolvit. Proinde inferioris loci pontifices, A qui nullatenus se noverant potiorem sibi sine prima sede posse resolvere, præcipue quem ejus sententia noverant obligatum, prævaricatoria absolutione non illum penitus exuerunt, sed se prævaricatione potius nexuerunt. Sed et quia Dominus ad quemdam dicit: *Ex verbis tuis te judico* (*Luc.* XXIV), licet in tuis compilationibus non mittere, sed potius omittere delegeris ex eorum verbis de quibus testimonia collegisti, quæ te mordere non ignorasti, unum pro omnibus quasi peremptorium edictum tibi proponam. Cum enim quædam posuisti de diverse collectis a Lucio papa ex diversis decessorum ac prædecessorum suorum dictis, interscripsisti: « Similiter, inquiens, auctoritate fulti apostolica præcipimus, ut nullus metropolitanus, absque cæterorum omnium B comprovincialium episcoporum instantia, aliquorum audiat causas, quia irritæ erunt, et ipse causam pro facto dabit: putans te alligare onus grave et importabile, et imponere in humeros metropolitanorum, quod tibi conjunctim idem Lucius scripsit, digito tuo movere noluisti. Ait enim consequenter sine ulla interpositione: Episcopi vero per singulas provincias observent, ne posteriores se prioribus suis præferant, nec eis inconsultis, nisi quantum ad propriam pertinet parochiam, aliquid agant: sed omnes de communibus eorum causis consonam sententiam proferant et determinent, quoniam aliter actæ nullas vires habebunt, nec ecclesiasticæ reputabuntur. » Quia igitur partim Lucius, et post eum plenius Antiocheni canones decreverunt (*can.* 9): « Ut episcopus C præter metropolitanum nihil agat, nisi ea tantum quæ ad suam parochiam pertinent, possessionesque subjectas, ut regat juxta reverentiam singulis competentem, et providentiam gerat omnis possessionis, quæs sub ejus est potestate,ita ut presbyteros et diacones ordinet, et singula suo judicio comprehendat, debes limate attendere quod dicitur: Presbyteros, inquit, et diacones ordinet, et non exordinet: quia quos solus episcopus ordinare potes, solus, nisi ut venerandi præfigunt canones, a sacris officiis submovere vel suspendere nequaquam potes. Et singula, inquit, non autem generalia, tuo judicio comprehendas, quem convenit nosse metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere concurrant. » Et Leo tibi dicit (*ibid.*): D « Quoniam in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri. » Et Lucius tibi ante Leonem prædixit, quod et canones Africæ provinciæ dicunt: « Ne tuis prioribus inconsultis, nisi quantum ad propriam pertinet parochiam, aliquid agas, quoniam aliter actæ nullas vires habebunt, nec ecclesiasticæ reputabuntur. » Quia ergo illa quæ male contra evangelicam veritatem, et apostolicam auctoritatem, contraque sacrorum canonum et apostolicæ sedis constitutiones, sine concilio metropolitani, in quo tibi consentire non debuit, sicut nec fecit, ligasti, secundum

Lucili verba nullas vires habent, nec ecclesiasticæ reputantur, libere potui solvere quod non licuit tibi ligare. Sed et hoc bene, ut patet, non intellexisti, et certum est quia non recto sensu posuisti quod Lucius dixit : « Ut nullus metropolitanus absque cæterorum omnium comprovincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas. » Quia pro omnibus reprehensibilibus, quæ de te per omnium, ut ita dixerim, ora volitant, et ad me non pervenire non possunt, semper quando easdem reprehensiones tuas audiero, omnes episcopos provinciales, ut eas mecum audiant, congregare non possum. Si enim bene intellexisses Carthaginenses canones quibus dicitur (*conc.* (*Carthag.* IV, can. 23) : « Ut episcopus nullius causam audiat sine præsentia clericorum suorum, » in hac de auditione sententia non errares : cum alio sensu accipiendum sit quod Jacobus dixit ad Paulum : *Audient*, quin Judæi, *te supervenisse* (*Act.* XXI); et Paulus de se : *Audiant omnes gentes, et liberatus sum de ore leonis* (*II Tim.* IV) ; et alio sensu quod dicit ad Corinthios : *Audio inter vos scissuras esse*, id est schismata, *et ex parte credo* (*I Cor.* I). Et alio quod item ad eos dicit : *Auditur inter vos fornicatio* (*I Cor.* V); et Eli filiis suis : *Non bona est fama, quam ego audio de vobis* (*I Reg.* II). Unde intelligere debes, inter auditionem et auditionem vel audientiam esse differentiam, sicut et Scripturæ demonstrant. De audientia quippe Felix ad Paulum : *Audiam te*, inquit, *cum accusatores tui venerint* (*Act.* XXIII) ; et canones : Non oportet negare audientiam roganti : et aliter intelligenda est auditio in eo loco ubi dicitur : *Domine, audivi auditionem tuam et timui* (*Habac.* III); et aliter ubi dicitur : *Justus ab auditione mala non timebit* (*Psal.* III). Similiter differentiam intelligere debes inter nominationem, et nominationem atque cognitionem, ut item Paulus dicit : *Si quis frater nominatur fornicator* (*I Cor.* V) ; et : *Ecce ego Paulus dico vobis. Et veniam cito ad vos, si Dominus voluerit, et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem* (*I Cor.* IV). Hinc sicut in legibus atque in canonibus invenitur, inter cognitionem quoque et agnitionem esse differentiam intelligere debes, sicut ostenditur in Africæ provinciæ canonibus, in quibus scriptum est (*can.* 71) : « Quicunque ab imperatore cognitionem judiciorum publicorum expetiverit, honore proprio privetur. » Sed et alibi iidem ac Sardicenses canones glossam cognitionis exprimunt. Et sanctus Gregorius in homilia Evangelii differentiam agnitionis, quæ significationibus vel relatu percipitur, ut Paulus : *Significatum est mihi de vobis ab his qui sunt Chloes* (*I Cor.* I), et reliqua, a cognitione, quæ legali ac regulari judicio comperitur, demonstrat loquens ad episcopos de Simoniaca hæresi, quam si per cognitionem in personis certis compertus fuisset, sine judicio ecclesiastico non dimisisset. « Vobis, inquit (Greg. *hom.* 17 *in Evang.*), sacerdotes, lugens loquor, quia nonnullos vestrum cum præmiis facere ordinationes agnovimus, spiritalem gratiam vendere, et de alienis iniquitatibus cum peccati damno tem-

A poralia lucra cumulare. Cur ergo ad memoriam vestram non redit quod vox divina præcipiens dicit : *Gratis accepistis, gratis date ?* (*Matth.* X.) Cur non ante mentis oculos revocatis, quod templum Redemptor noster ingressus, cathedras vendentium columbas evertit, et nummulariorum effudit æs ? Quinam sunt in templo Dei hodie, qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt, per quam videlicet manus impositionem Spiritus sanctus cœlitus datur ? Columba igitur venditur, quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium præbetur : sed Redemptor noster cathedras vendentium columbas evertit, quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. Hinc est quod sacri canones simoniacam hæresim damnant, et eos B sacerdotio privari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas evertitur, quando hi, qui spiritalem gratiam venundant, vel ante humanos, vel ante Dei oculos sacerdotio privantur. » De hac agnitione et beatus Augustinus in libro de Pœnitentia dicit (*cap.* 3) : « Plerique, inquiens, boni Christiani tacent, et sufferunt aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, ut ea quæ ipsi sciunt judicibus ecclesiasticis probare non possint. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen judici facile credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos vero a communione quemquam prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut aliquo, sive sæculari, sive ecclesiastico judicio accusatum atque C convictum. Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit et accusator et judex ? Non enim temere et quomodolibet, sed per judicium ab Ecclesiæ communione separandi sunt mali, ut si per judicium auferri non possunt, tolerentur potius velut palea cum tritico, usque ad ultimum ventilabrum, vel pisces mali cum bonis usque ad segregationem, quæ futura est in littore, hoc est in fine sæculi. » De qua agnitione ad me perventa, bene reminisci potes me jam te commonuisse, quoniam per multos audivi, sed et usque ad aures domini regis pervenit, quia et de impositione manus in ordinatione ecclesiasticorum graduum, etiam a manu munera accipiebas, et de ecclesiarum datione, quæ etiam non amplius quam dotem suam, id est man-D sum, quem sub immunitate, sicut in capitulis ecclesiasticis continetur, habent cum decima fidelium præmia requirebas, et a diffamatis presbyteris, ne discuterentur, redemptionem accipiebas. Unde et ab ecclesiæ tuæ filiis isdem domnus rex veritatem audire quæsivit, et requisitionem, interveniente tali causa quæ nota est, prosequi destitit, tibique quam terribilius potui, interdixi, ut his facinoribus nullo modo communicares. Sed et ante altare sanctæ Mariæ, ante quod episcopus es ordinatus, a me dictum audisti, et accepisti, si forte obaudisti, et mente condidisti, ut quod gratis accepisti, gratis etiam aliis secundum præceptum Domini dares (*Matth.* X) : quia dextera

ad pretium ordinantium, dextera est iniquitatis. Sed et quando hæc de te audivi, et a domno rege hæc requisisse cognovi, tibi et præscripta verba beati Gregorii dixi, et hæc quæ subsequuntur inculcare curavi, quibus in homilia Evangelii trigesima nona dicit : « Ingressus, inquit, Dominus Jesus templum, cœpit ejicere vendentes et ementes de illo (*Luc.* XIX). Sicut templum Dei in civitate est, ita et in plebe fideli vita religiosorum. Et sæpe nonnulli regionis habitum sumunt, et dum sacrorum ordinum locum percipiunt, sanctæ religionis officium in commercium terrenæ negotiationis trahunt. Vendentes quippe in templo sunt, qui hoc quod quibusdam jure competit, ad præmium largiuntur. Justitiam enim vendere est, hanc pro præmii acceptione servare. Ementes vero in templo sunt, qui dum hoc persolvere proximo quod justum est nolunt, dumque rem jure debitam facere contemnunt, dato patronis præmio emunt peccatum. Quibus bene dicitur : *Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum* (*Isa.* LVI) : quia dum nonnunquam perversi homines locum religionis tenent, ibi maliciæ suæ gradiis occidunt, ubi vivificare proximos orationis suæ intercessione debuerunt. » Et item in homilia quarta : « *Gratis*, inquit, Dominus, *accepistis, gratis date* (*Matth.* X). Præsciebat namque nonnullos hoc ipsum donum accepti Spiritus in usum negotiationis inflectere, et miraculorum signa ad avaritiæ obsequium declinare. Hinc est enim quod Simon per impositionem manus edita miracula concupiscens, percipere donum Spiritus sancti pecunia voluit, scilicet ut deterius venderet quod male comparasset. Hinc de templo Redemptor noster flagello de resticulis facto turbas ejecit, cathedras vendentium columbas evertit. Columbas quippe vendere est, impositionem manus, qua Spiritus sanctus accipitur, non ad vitæ meritum, sed ad præmium dare. Sed sunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, et tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt, quia de impenso officio sanctitatis nummum favoris expetunt. Unde bene cum justum virum describeret Propheta ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere* (*Isa.* XXXIII). Neque enim dicit, qui excutit manus suas a munere, sed adjunxit, ab omni : quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est, subjectis indebite impensa, munus a manu, pecunia, munus a lingua, favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. » Et in epistola ad Joannem Corienthiorum episcopum : « Pervenit, inquit (*lib.* IV, *ep.* 55), ad nos, quod in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuntio, quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Evangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum cathedras vendentium columbas evertit. Columbas enim vendere est, de Spiritu sancto, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, malo jam innuitur quid sequatur, quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo judice cathedræ corruerunt. Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque, qui præmio ad sacrum honorem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis venundare quod emit ; et ubi est quod scriptum est : *Gratis accepistis, gratis date* ? (*Matth.* X.) Et cum primo contra sanctam Ecclesiam simoniaca hæresis sit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum, quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit ut hæreticus fiat ? Quia igitur hanc nefandissimam pravitatem universalis damnat Ecclesia, hortamur fraternitatem vestram, ut tam detestabile et immane peccatum de locis omnibus, quæ sub se sunt, sollicitudinis suæ compescat omnibus modis instantia. Nam si quid tale deinceps fieri senserimus, jam non verbis, sed canonica ultione corrigemus, et de vobis, quod non oportet, aliud incipiemus habere judicium. » Et hinc in multis epistolis suis ad multos episcopos terribilia et grandia scripsit, quæ per te in suis locis legere potes, et cavere debes. Dixi etiam tibi, quia verba Dei, quæ sanctus Petrus apostolorum princeps, qui hanc hæresim in Simone mago damnavit, in omnes ex tunc et nunc, et usque in finem sæculi, veridica et valentia permanent. Et sicuti cum illo pecunia sua exstitit, in perditionem, ita et omnes qui hinc munera dant vel accipiunt, nisi dignam inde pœnitentiam egerint, in perditione et manent et sine fine manebunt. Et cum uterque sint hæretici, scilicet, et qui pro impositione manus pretium donant, et qui munus accipiunt, reatu tamen majore delinquit, qui potiore honore perfruitur, quia graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum. Et det Dominus ut non sint vera, quæ per multos ex hoc de te audio, et obtestor te per sanctam et inseparabilem Trinitatem, et per crucem et sanguinem Jesu Christi, Filii Dei vivi, ex quo, et a quo, et per quem omnis episcopatus ecclesiasticus cepit exordium, et per ipsum sanctum Spiritum, qui maxime in ordinationibus operatur, et per omnem sanctorum angelorum militiam, ac per sanctam omnium electorum Ecclesiam conscriptam in cœlis, et per futurum judicium, quo Christus veniet judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem, et reddere unicuique secundum opera sua, ut nec ipse, contra divinas et canonicas constitutiones, te huic Deo contrariæ negotiationi quolibet modo vel quacunque excogitata adinventione immisceas, nec alicui, quantum ex te est, et quantum ad te pertinet, immisceri consentias : imo tuis, quanta potes obtestatione, interdicere studeas.

Quam obtestationem non nova præsumptione exero, sed pro modulo meo beati Pauli sequor exemplum, scribentis ad Timotheum, quem juvenem ordinavit Episcopum, licet non de hac causa, sed de aliis, de quibus necessarium duxit, hujusmodi obtestationem exeruit. Cujus verba, per quem locutus est Christus, etiam tibi inculco. *Testificor*, inquit, *coram Deo, et Christo Jesu, et electis angelis, ut hæc custodias sine præjudicia, nihil faciens in aliam partem declinando* (*I Tim.* v) ; et : *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi* (*I Tim.* vi). De Lucii autem epistola, quæ ante Nicænum concilium facta fuit non ideo tibi scripsi, quasi non sufficiant ad auctoritatem, quæ sacrorum conciliorum canones, et ex his promulgata decreta alia sedis apostolicæ dicunt, sed ut scientiam tuam quæ inflat, sine charitate quæ ædificat, vento distentam esse demonstrem. Hæc, frater, patienter atque benigne suscipe, et apud peritos medicos disce sapientiam, quia illis inponentibus sæpe funem portat phreneticus unde ligetur. Et illa, de quibus me comprehendi a te posse existimas, discrete intellige : quoniam alia sunt quæ metropolitanus sine consilio atque consensu omnium coepiscoporum provinciæ agere non debet, sicut causas accusantis episcopum, ad discutiendum, vel ipsum canonice judicandum, sive noxium vel purgatum decernere, vel in loco decedentis episcopi ordinare, et de quibuscunque noviter emergentibus causis, vel dubiis aut obscuris : et alia sunt, de quibus certa et expressa in sacris regulis habemus judicia, quæ refragari vel convelli non licet, sed sine retractatione exsequi auctoritas et ratio ipsa compellit.

CAPUT XXXVI.

De irregulari subscriptione, quam collectioni suæ apposuit.

His igitur documentis certissimis constat quod me replicare cogit ipsa necessitas, quia si in parochia tua, quæ mihi cum sollicitudine totius Rhemorum provinciæ commissa est, secundum privilegium mihi datum, quod male admisisti corrigere detrectassem, a præstitutis regulis negligentia discederem, a quibus præsumptione tu discessisti. Egi ergo secundum jus metropolitanæ auctoritatis, in quo jure metropolitanæ dignitatis, me a te, subjectæ civitatis episcopo, mihi velis nolis subjecto, capitulum beati Leonis discrevit, quo jussit metropolitanis singularum provinciarum jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum servare, ita ut a præstitutis regulis nulla, aut negligentia, aut præsumptione discedant. Aliud autem capitulum ejusdem beati Leonis me tibi ordinis societate conjunxit, in epistola ad omnes episcopo per diversas provincias constitutos, de sacris ordinibus et canonum promulgata disciplinis, dum dicit (*epist.* 1) : « Hoc admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. » Pensemus igitur non dolosa, sed recta statera, quem nostrum pressius istud contingat capitulum, utrum me, qui ea, qui ea irrefragabiliter observanda sunt constituta, auctoritate metropolitana in parochia provinciæ mihi commissæ conservare decrevi, an te, qui in illa, quæ inviolabiliter conservanda sunt constituta, et temerasti et convelli fecisti, et præter me, primatem tuum, contra statuta ecclesiastica subscripsisti et subscribi fecisti, cum sicut statuta ecclesiastica docent, sine me nihil decernere valeas, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, sicut Africanum decrevit concilium dicens (*conc. Afric.*, can. 53) : « Ut posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Qua de re, inquit Aurelius, dico, prout captus animi mei retinet, eos qui putaverint spretis majoribus aliquid præsumendum, competenter esse ab omni concilio coercendos. » Et hinc Leo ad Theodorum Forojuliensem episcopum dicit (Leo, *epist.* 59) : « Quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primaticus oportet impleri. » Contra constituta ergo venisti, cum ea, quæ ipsa præcipiunt nulli poscenti negari, omnibus in tua parochia denegari jussisti. Prohibita quidem fuisti ausus admittere, cum adversus ea me postposito subscripsisti et subscribi fecisti, quod etiam nec in rectis agere debuisti ; subscriptio namque tua, sicut a multis dicitur, habetur hujusmodi : « Hincmarus Deo miserante Ecclesiæ Landunensis episcopus, his sanctorum apostolicæ sedis Patrum decretis obtemperandum subscripsi. Qui quoque mihi eodem Deo auctore commissi sunt, et in his similiter sentiunt, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, hac mecum pace potiantur. Si vero aliqui secus nolentes fieri socii hujus disciplinæ, nec habeantur participes communionis nostræ. Actum Lauduno VIII Idus Julias. »

Qua subscriptione tua manifestissime claret, quia si Nicæno concilio, et aliis generalibus catholicis synodis, eorumque fixis et immobilibus decretis contraria sentis in aliquo, te tibique complices a catholica communione segregasti, dicens : His decretis obtemperandum subscripsi. Unde verbis beati Gregorii alloquentis Serenum Massiliensem episcopum te alloquor, dicens (*lib.* IX, *ep.* 9) : « Dic frater, a quo factum sacerdote aliquando auditum est quod fecisti ? Si non aliud, vel illud te debuit revocare, ut despectis aliis fratribus solum te sanctum et esse crederes sapientem. Præcipue cum sacrorum canonum prohibitio te ab hac præsumptione modis omnibus revocet. Hoc vero quod dicis, Deo miserante Ecclesiæ Laudunensis te esse episcopum, oramus ut verum sit. Legimus tamen de quibusdam dicere Dominum : *Ipsi regnave-*

runt, et non ex me : principes exstiterunt, et non cognovi (Ose. VIII). Et : *Dedi eis regem in ira mea, et principem in furore meo (Ose.* XIII). *Qui facit hypocritam regnare propter peccata populi* (*Job* XXXIV). In eo quod subscripsisti, *Actum Lauduno* VIII *Idus Julias,* intelligimus secundum leges quas probat Ecclesia, atque secundum sacros canones, hanc tuam sine consule prolatam non valere sententiam. Alia namque sunt, quæ subscribuntur ad notitiam rei vel temporis, alia quæ, scripto prolata sententia, subscriptione alligantur ad observationem constitutionis, aut professionis, seu accusationis, vel petitionis. « Sententia, inquiunt leges *(Cod. Th.* leg. 1, *de const. princ.*, can. 56), si sine scripto dicta fuerit, nec nomen habere sententiæ mereatur ; » et : « Si qua post hæc edicta sive constitutiones sine die et consule fuerit deprehensa, auctoritate careant. Et hinc Africæ provinciæ canones episcopis litteras ab ordinatoribus suis manu eorum conscriptas jubent accipere, continentes consulem et diem. » De eo quod subnexuisti : *Qui quoque mihi commissi sunt, et in his similiter sentiunt, hac mecum pace potiantur*, videris non simplici intelligentia posuisse, *hac mecum pace potiantur :* quia non est pax vera, nisi in unanimitate catholica, alioquin dicentes, ut scriptum est : *Pax, pax, cum non esset pax (Jer.* VIII). *Non est pax impiis, dicit Dominus (Isa.* XLVIII). Impii namque dicuntur, qui aut per fidem rectam Ecclesiæ catholicæ non incorporantur, aut ab ea fide vel opere per hæreses aut schismata recedunt. Et in unanimitate catholica non subscripsisti, neque tibi commissos subscribere fecisti, si, ut dixi, contra Nicænos canones, et alia generalia concilia, fixaque decreta sentis vel sensisti, ac per hoc sollicitus servare unitatem spiritus in vinculo pacis, nequaquam in ista subscriptione fuisti. Sicut enim in edicto quintæ synodi scriptum est : « Solent prave sentientes, ut simpliciores decipiant, vocibus quidem uti quæ ab orthodoxis pie dicuntur, rectum autem earum intellectum et expositionem ad suam impietatem transferre : quoniam est quando eædem voces, cum bene exponuntur et intelliguntur, cum pietate sunt : quando autem male a prave sentientibus interpretantur et proferuntur, impietatem habent. » Et sanctus Gregorius in homilia 10 Ezechielis dicit : « Quia quisquis expositor in explanatione sacri eloquii, ut fortasse auditoribus placeat, aliquid mentiendo componit, sua et non Dei verba loquitur, si tamen placendi vel seducendi studio mentiatur. » Et tu, si hanc sententiam Apostoli tuis dictis interposuisti, ut ad subscribendum, quod non licet, comministros tuos facilius posses seducere, de auro et argento Dei, id est de sensu et eloquio divino, sicut per prophetam Dominus ad idololatram populum dicit, tuo sensu tibi et illis idolum fabricasti. Manifestum est enim, quia sententia apostolica, quam in eadem tua subscriptione ad tuam confirmandam sententiam perverse misisti, non eo sensu dicta est a beato Paulo apostolo, sicut eam ibi posuisti. Non enim, quando illam subscriptionem firmasti, quin potius te et subscribentes tecum infirmasti, sollicitus fuisti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, sed sollicitus fuisti dissolvere unitatem spiritus contra vinculum pacis. Unde providendum est tibi, ne inter adulteratores verbi Dei computeris, quos, ut supra posui, redarguit Paulus apostolus. Sed et de hac sententia idem dicit. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus, unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ* (*Ephes.* IV). Unde beatus Gregorius : Ad unam igitur vocationis spem nequaquam pertingitur, si non ad eam unita cum proximis mente curratur. *Est*, inquit Dominus ad Moysem, *locus penes me, et stabis super petram* (*Exod.* XXXIII). Locus quidem apud Dominum est sanctæ Ecclesiæ unitas, qua supra petram statur, dum confessionis ejus soliditas utiliter tenetur. Hi enim in loco qui penes Dominum est, et supra petram stant, qui per hæreses vel per schismata ab unitate se Ecclesiæ non dividunt. Quia, ut sanctus Hilarus papa dicit *(epist.* 2), sicut et supra posui : « Non minus in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, quam in ipsius Domini injuriam prosilitur. » Credimus namque, ac cum Ecclesia catholica confitemur, sacros canones Spiritu Dei conditos : unde qui per contemptum pertinaciter a sacris canonibus deviant, in Spiritum sanctum quo sunt conditi peccant. Pertinaciter autem addidi, quoniam Dominus dicit (*Matth.* XII), quod in Spiritum sanctum peccantibus nec hic esse, nec in futuro sæculo remittendum. Et multos hæreticos legimus et credimus ad fidem catholicam revertentes, et hic remissionem suæ percepisse blasphemiæ, et in futuro spem indulgentiæ consequendæ sumpsisse. Nec tamen ejus refragatur sententia, qui alibi dixit : *Verte impios, et non erunt* (*Prov.* XII). Non quidem ut non sint per essentiam, sed non erunt quod fuerant per impietatis culpam : sicut et Paulus dicit de se : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II). Exstinctus quippe fuerat sævus ille persecutor, et vivere cœperat pius prædicator. Hinc etiam adhuc dico, quod cum catholica credo Ecclesia, et confiteor, quia Spiritu Dei, ut Leo cum aliis orthodoxis affirmat, canones sacri sunt conditi. Qui siquidem Spiritus est Patris, Spiritus est Filii, et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, quorum est una substantia, una voluntas et operatio, unus est Dominus, ac per hoc a Patre et Filio et Spiritu sancto, tota scilicet Trinitate uno Deo et Domino, canones sacri sunt conditi, a quibus qui per contemptum pertinaciter deviant, in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, scilicet in Deum ac Dominum peccant. Constat igitur quia, ut Hilarius papa scribit, non minus in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, quam in ipsius Domini, Patris scilicet et Filii et Spiritus sancti, injuriam prosilitur. Et consequenter iterum pertinaciter, id est perseveranter addidi, quia beatus Joannes apostolus dicit : *Est peccatum ad mortem, non dico ut oretur pro eo : et*

est peccatum non ad mortem (*I Joan.* v, 16), dico ut A oretur pro eo. Est quidem peccatum ad mortem, in eodem peccato manentibus : est peccatum non ad mortem, ab eodem peccato recedentibus. Nullum est quippe peccatum, pro quo aut non oret Ecclesia remittendum, aut quod data sibi divinitus potestate discedentibus ab eo non possit absolvere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur : *Quæcunque dimiseritis super terram, dimissa erunt et in cœlis, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVIII, 18). Cum enim dicitur : *Quæcunque solveritis*, omnia quæcunque sint, et quantacunque sint, et qualiacunque sint, ex quocunque statu, vel ex quocunque lapsu comprehenduntur : veraci nihilominus eorum manente sententia, quæ nunquam solvenda esse denuntiantur, in eodem tenore consi- B stentibus, non etiam ab hoc eodem peccato postea recedentibus. Ex his igitur manifestissime claret de eadem tua subscriptione, in qua dicis : *His*, quin a te specialiter excerptis, *sanctorum apostolicæ sedis Patrum decretis obtemperandum subscripsi*. Quia si, ut supra dixi, et nunc iterum dico, Nicæno concilio, et aliis generalibus ac catholicis synodis, eorumque fixis et irrefragabilibus decretis, quæ apostolica sedes et cuncta Ecclesia catholica recipit, veneratur, et servat, contraria in aliquo sentis, vel teneri ac servari decernis, te tibique complices a catholica communione segregasti, et quando catholicæ observantiæ contrariis subscripsisti, sollicitus servare unitatem spiritus in vinculo pacis nequaquam in ista subscriptione fuisti. Et beati Leonis decernentis (*epist.* 59) : Quia in causis, quæ ad generalem ob- C servantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri, non fuisti socius disciplinæ. Unde timendum est ut non sis etiam consors communionis suæ, a cujus communione si quod absit fueris alienus, cum his, quorum decreta convelli fecisti, sicut ex sacris canonibus et decretis Romanæ sedis pontificum tibi scripto direxi, ac per hoc cum Ecclesia catholica communionem habere non poteris. Et non leve tibi ullo modo videatur quod supra ex verbis ejusdem beati Leonis posui, quibus dicit (*epist.* 84, *ad Leonem Augustum*) : « Quæ patefacta sunt quærere, et quæ perfecta sunt retractare, et quæ sunt diffinita convellere, quid aliud est quam de adeptis gratiam non referre, et ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupidita- D tis extendere ? » Sed cum magna cordis intentione considera, cui peccato peccatum quod admisisti diffinita convellens comparet, scilicet quod non nisi sanguine Filii Dei prævalet expiari, videlicet quod a primo parente commissum in omnes posteros pertransivit, sicut dicit Apostolus : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* v. 12) : sicut et per te in omnes tecum subscribentes contra diffinita a sanctis Patribus peccatum pertransiit, qui te agente in hoc peccaverunt, quia in illa subscriptione non te penitus

exuisti, sed eos prævaricatione potius nexuisti, volens me ostendere canonum prævaricatorem, qui quasi contra canones in tua parochia solvi quæ ligasti, et certans me nota damnationis inurere, quam conscientia tua nequibat effugere, et ideo plus veritus humanam verecundiam, ne vilis fieres ex his quæ perpere gessisti tuis subditis, quam reatum ante divinos oculos, quod humili resipiscentia corrigere poteras, ad illud argumentum te convertisti, ut hanc irregularem, imo tragœdialem subscriptionem excogitares, et hac adinventione Dominum ad iracundiam amplius provocares, et tecum alios necteres. Lege igitur in decretis Gelasii sententiam de Acasio, et de episcopis qui eum regulariter contendebant posse absolutum dicere, et eam tibi et his quos tecum fecisti subscribere applica, et quid egeris recognosce. Et quod ibi de sede apostolica leges, de tua metropoli, quæ jussa sedis apostolicæ executa est, dictum puta. Ait enim (Gelasius, *epist.* 11, *in fine*) : « Ideo cum sede apostolica minime congruebant, quia in sortem reciderant prævaricatoris Acacii, et illius se sine dubio pervidebant sententia consequenter adstringi, ob hoc eum videri nolebant esse damnatum, quia se cognoscebant in eadem prævaricatione esse damnatos, in qua hodieque manere persistunt. Sed sicut hi simili conditione constricti, complicem suum non possunt judicare non jure damnatum, neque rei reum possunt competenter absolvere : sic illo juste prævaricatore damnato, ipsi quoque pari jacent damnatione prostrati, neque nisi resipiscentes inde poterunt prorsus absolvi ; quia sicut per unum scribentem eorum omnium vulgata transgressio est, qui in eamdem perfidiæ reciderant actionem, sic in uno eodemque, qui pro omnibus scripserat, vel scribendo omnium prodiderat voluntates, transgressione punita, pariter quoque cum eodem, vel in eodem est complicum transgressio punita cunctorum. » Et sanctus Hilarius in epistola de synodis, quam de exsilio ad Gallicanos misit episcopos, dicit : « Nihil, inquiens, mirum videri vobis debet, fratres charissimi, quod tam frequenter exponi fides cœptæ sunt : necessitatem hanc furor hæreticus imposuit, et necessitas consuetudinem intulit exponi fides, et expositis subscribi. Ubi enim sensus conscientiæ periclitatur, illic littera postulatur, nec sane subscribi impedit, quod salutare est confiteri. » Converte igitur oculos mentis tuæ ad actum tuum, quod irrationabiliter, et contra auctoritatem atque sine ulla necessitate in hac præsumptiva subscriptione tua perpetrare non timuisti, et tibi subditos agere compulisti, ne furor tuus, etsi diverso modo, non diverso dolo, in hoc facto furori hæreticorum æquetur, qui illic litteram postulasti, ubi sensus conscientiæ non periclitabatur, et fecisti subscribi quod salutare non est confiteri, si tamen sacro Nicæno concilio, et Romanæ sedis pontificum decretis post Nicænum concilium habitis, et ex sacris canonibus promulgatis, in aliquo est contrarium, quod a te et tuis complicibus

constat esse subcriptum. In quo pernicioso facto a te non leviter est erratum, in quem a beato Gelasio ostenditur transgressio punienda cunctorum, qui omnibus præscripsisti, et ab omnibus comministris tuis subscribi fecisti. Unde idem Gelasius dicit : « Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto, exsecrationem sui gestat et pœnam. » Et in epistola ad Anastasium (*epist.* 10, *sub medium)* : « Cum dicat Apostolus (*Rom.* I), non solum qui non facienda faciunt reos videri, sed etiam qui consentiunt facientibus ? Proinde sicut non potest, perversitatis communicatore suscepto, non pariter perversitas approbari : sic non potest refutari perversitas complice sectatore perversitatis admisso. Legibus certe vestris criminum conscios, susceptoresque latrocinantium par judiciorum pœna constringit : nec expers facinoris æstimatur, qui licet ipse non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœdusque receperit. » Et in edicto quinti concilii scriptum est : « Miramur eorum dementiam, qui divinæ Scripturæ contraria agunt, evidenter dicenti (*Sap.* XIV), quia æqualiter horribilia sunt apud Deum impius et impietas ejus. Actio enim cum actore punietur. » Si autem similiter impietas horribilis est Deo, et ille qui impie agit, certe separatus est talis a Deo, et anathemati juste subjicitur. Anathema enim nihil aliud significat nisi a Deo separationem, sicut in Veteri et in Novo Testamento judicium de anathemate significat. In mente igitur habe scriptum a beato Paulo : *Sic autem peccates in fratres, et percutientes eorum infirmam conscientiam, in Christum peccatis* (*I Cor.* VIII). Graviter autem illi in Christum peccant, qui periculosissimo, et maxime detestando mendacio in religione mentientes, infirmorum conscientias percutiunt, de quibus specialiter scriptum est : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Et in decretis apostolicæ sedis scriptum est : *Quoniam quisquis schismatico assenserit, schismaticus esse negari non poterit.* Schisma enim a scissura est animorum, ut catholici doctores dicunt, vocatum. Eodem enim cultu, eodem ritu credit ut cæteri, solo congregationis delectatur discidio, et schismaticus est, licet sic credat ut catholica credit Ecclesia, si in dogmatibus ecclesiasticis ab Ecclesia se scindit catholica, cui quisquis assenserit, schismaticus esse negari non poterit : quod et si omnes sacerdotes et mundus assentiat, damnatio consentientes involvit, non prævaricationem consensus absolvit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cum generale fit ex privato. Hoc enim Deus omnium indicavit, qui mundum peccantem generali diluvio interemit. Quorum perditionem evidenter catholica demonstrat Ecclesia, quæ ut pro hæreticis, ita conjunctim et pro schismaticis, orat, ut ad fidei et pacis redeant unitatem, sciens hæreticos et schismaticos in hæresi ac schismate permanentes regnum Dei non intraturos : quia nisi ad judicium, in scissura mentium Deus non est, ut beatus dicit Gregorius. Deus quippe in unitate est, et illi ejus habere gratiam merentur, qui se ab invicem per sectarum scandala non dividunt. Unde per se Veritas admonet dicens : *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX). Ut quisquis habere sal sapientiæ studet, curet necesse est quatenus a pace concordiæ nunquam recedat. Sed sunt nonnulli, qui dum plus sapere quam necesse est student ; a proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes stultosque contemnunt, sicut tu egisti, qui cum tuis complicibus, et tecum subscribentibus, a vinculo et unitate pacis ecclesiasticæ divisisti, contemnens auctoritatem tuæ metropolis, et contradicens atque resistens his quæ de Evangelica veritate et apostolica atque ecclesiastica auctoritate tibi et ecclesiæ. Laudunensi metropolitana sollicitudine scripsi, et eadem catholicæ Ecclesiæ auctoritate, considerans periculum imminens, quod male ligasti pro officio loci mei dissolvi.

CAPUT XXXVII.

Ut non sit prudens apud semetipsum, et de discretione in pace tenenda.

Unde frater, et me et te moneo, ut attendamus quod Dominus per prophetam dicit : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes* (*Isa.* V) ; et per Apostolum : *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos (Rom.* XII); et : *Si quis se existimat aliquid scire, nondum cognovit quomodo oporteat eum scire* (*I Cor.* VIII) ; et : *Si quis vult inter vos sapiens esse, stultus fiat ut si sapiens, quia sapientia hujus mundi inimica est Deo (I Cor.* III) ; et per Jacobum apostolum monstrat ; *Quia superba et contentiosa sapientia terrena, animalis est et diabolica : sapientia autem quæ desursum est, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens* (*Jac.* III). Scientia et enim virtus est, humilitas custos virtutis, et miranda actio cum elatione non elevat, sed gravat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, in ventum pulverem portat, et unde aliquid ferre cernitur, inde deterius cæcatur. Hinc etiam scriptum est : *Qui emittit fontes in convallibus* (*Psal.* CIII) ; et : *Convalles abundabunt frumento* (*Psal.* LXIX). A montibus namque aqua dilabitur, quia superbas mentes veritas doctrinæ deserit : sed fontes in convallibus surgunt, quia corda humilium verbum prædicationis accipiunt. Unde per se Veritas admonet dicens : *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos (Marc.* IX). Ut quisquis habet sal sapientiæ, studiose curet necesse est, quatenus a pace concordiæ nunquam recedat. Et ne in pace tenenda quis erret, per semetipsam veritas, cum terrenam pacem a superna distingueret, atque ad venturam discipulos ex præsenti provocaret, ait : *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV) ; relinquo scilicet transitoriam, do mansuram. Si ergo in ea cor quæ relicta est figitur, nunquam ad illam quæ danda est pervenitur. Pax igitur præsens ita tenenda est, ut

et diligi debeat et contemni : quæ si immoderate A diligitur, diligentis animus in culpa capitur : et dum nimis humanam pacem desiderat, bravos hominum mores nequaquam redarguit, et consentiendo perversis ab auctoris sui se pace disjungit, et dum humano foras jurgia metuit, interni fœderis discussione feritur. Hinc David, dum totum se ad fœdera pacis internæ constringeret, testatur quod cum malis concordiam non teneret, dicens : *Nonne qui te oderant oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi (Psal.* CXXXVIII), Inimicos etiam Dei perfecto odio odisse est, ad quod facti sunt diligere, et quod faciunt increpare, mores pravorum premere, vitæ prodesse. Pensandum est igitur, quando ab increpatione quiescitur, qua culpa cum pessimis pax tenetur, si Propheta etiam velut in hostiam Deo obtulit, quod contra se pro Domino pravorum inimicitias excitavit.

CAPUT XXXVIII.

Ut sacræ Scripturæ verba, et sacras regulas recte intelligat.

Admoneo etiam tuam dilectionem, ut cum sacræ Scripturæ verbis etiam sacras regulas, sicut a sancto Spiritu quo et sacræ Scripturæ sunt conditæ, intelligas : quoniam qui sacræ legis verba non recte intelligunt, saluberrimum vini potum in veneni sibi poculum vertunt, ac per medicinale ferrum vulnere se mortali feriunt, dum per hoc in se sana perimunt, per quod salubriter abscidere sauciata debuerunt : quos videlicet ad intellectum pravum intentio perversa non raperet, nisi prius superbia inflaret : dum enim se præ cæteris sapientes arbitrantur, sequi alios ad melius intellecta despiciunt : atque ut apud imperitum vulgus scientiæ sibi nomen extorqueant, student summopere et ab aliis recte intellecta destruere et sua perversa roborare ; quorum sapientia *sicut novacula acuta facit dolum* (*Psal.* LI); quia sicut novacula acuta sæpe assimilat se agere vultus nitorem, et genas vulnere suo sauciat, ita dolosa versutia dolo pravæ intelligentiæ vulnerat quos sano sensu sanare se simulat. Unde bene per prophetam dicitur : *Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum* (*Amos* I). Quia nimirum bene dicta prave intelligentes, fidelium mentes, quæ jam aliquid de veritatis intellectu conceperant, perversa doctrina perimunt : et dum scientiæ sibi nomen extendunt, parvulorum corda jam de verbi conceptione gravida erroris gladio scindunt, et quasi doctrinæ sibi opinionem faciunt. Quibus primum necesse est ne inanem gloriam quærant : quia si radix elationis absciditur, consequenter rami pravæ assertionis arefiunt. Nam catholici doctores, et Ecclesiæ sanctæ rectores, qui de hæresibus scripserunt, eos qui verba divini eloquii non recte intelligunt, vel non recte interpretantur, sed ad suos sensus illa allegorizant, in catalogo prave sentientium hæreticis connumerantes ascribunt.

CAPUT XXXIX.

Ut ab eo removeat dolorem, a se ipso periculum, et ab utroque improperium.

Admoneo te paterna et fraterna dilectione, ut removeas a me dolorem, a te periculum, et ab utrisque nostrum a plurimis illatum improperium. A me quidem dolorem, quia ut sanctus Gregorius dicit : « Minorem dolorem mala ingerunt, quæ ab extraneis inferuntur, plus vero in nobis ea tormenta sæviunt, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præsumebamus, quia cum damno corporis mala nos cruciant amissæ charitatis. » Hinc est enim quod de Juda traditore suo per Psalmistam Dominus dicit : *Et quidem si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem utique : et si is qui oderat me super me* B *magna locutus fuisset, absconderem me utique ab eo Tu vero homo unanimis dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Domini ambulavimus cum consensu* (*Psal.* LIV). Et rursum : *Homo pacis meæ, in quo sperabam, et qui edebat panes meos ampliavit adversum me supplantationem (Psal.* XL). Ac si de traditore suo apertis vocibus dicat : Transgressionem ejus tanto gravius pertuli quanto hanc ab eo qui meus esse videbatur sensi. Omnes ergo electi, quia sumni capitis membra sunt, caput quoque sum in passionibus sequuntur, ut ipsos adversarios in sua morte sentiant, de quorum vita præsumebant, et tanto eis crescat merces operis, quanto eis virtutis lucrum proficit et ex alienæ damno charitatis. Et quoniam minus jacula feriunt C quæ prævidentur, et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur, eo ista de te tolerabilius porto, quo longe ante per prophetam a Domino dictum lego : *Unusquisque*, inquit, *a proximo suo se custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet, et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquetur* (*Jer.* IX). Et paulo post : *In ore pacem cum amico suo loquetur, et occulte ponet ei insidias, nunquid super his non visitabo, dicit Dominus?* (*Matth.* X.) Et per semetipsam Veritas dicit : *Inimici hominis domestici ejus* (*Malac.* II). Et cum scriptum sit : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem*, quæ inter alia dicit : *Honora patrem tuum et matrem tuam, requirent ex ore ejus, quia* D *angelus Domini exercituum est* (*Exod.* XX). Tu e contra, ne magnitudo miserationum Domini. quas de manu illius gratuita gratia sine merito ullo suscepi, extollat me, datus es mihi stimulus recognoscendæ infirmitatis meæ, angelus Satanæ, ut me et matrem tuam Rhemorum metropolim, quæ te nutrivit, elatis moribus et inobedientiis colaphizes. Sed sciens quia virtus in infirmitate perficitur, libenter gloriabor in his, quæ infirmitatibus meis, aut a Deo per corporales molestias, aut a diabolo per tentationes, aut ab homine per quaslibet immissiones inferuntur, ut inhabitet in me infirmo virtus Christi, qui

perficit in infirmitate virtutem. Periculum quoque discordiæ, quam contra auctoritatem et rationem, contraque salutem tuam erga me videris habere, a te quantocius amove : certissime sciens, quoniam quantislibet virtutibus polleas, spiritalis nullatenus fieri potes, si uniri per concordiam mihi et cæteris fratribus tuis neglexeris. Scriptum quippe est : *Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax* (*Galat.* v) : qui autem servare pacem non curat, ferre fructum Spiritus recusat. Certus enim es, si sanum sapis, quoniam tandiu nullum boni operis Deo sacrificium immolas, quandiu a proximorum charitate discordas : multo minus autem, si a dilectione mea discordas, qui te benigne nutriendum suscepi, orphanum dulci dilectione nutrivi, in clericum totondi, litteris per me et per quoscunque potui erudivi, per singulos gradus ad ordinem episcopatus provexi, familiaritatem et dulcedinem dilectionis domni nostri regis tibi obtinui. Pensare enim cum magno timore debes quod scriptum est : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quoniam frater tuus habet aliquid adversum te relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offer munus tuum* (*Matth.* v, 23). Ex qua scilicet præceptione considerare debes, quam intolerabilis ejus culpa monstratur, cujus hostia repellitur. Nam cum mala cuncta bonis sequentibus diluantur, pensandum nobis est quanta sint mala discordiæ, quæ nisi exstincta funditus fuerint, bonum sequi non permittunt : quia quælibet in nobis bona opera fuerint, si charitas disit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, ut ad feriendum nos valeat hostis intrare. Ego, crede mihi, non tecum, sed cum tuis improbabilibus moribus et actuum motibus, de quibus te sæpe et verbis et litteris reprehendi et castigavi, et ut doleo, dolui, discordiam habeo. Fac quod salubriter tibi cupio, et tuo convenit ministerio, et me placabilem ac præstabilem in cunctis habebis. Alioquin exspectabo, si per Dei gratiam verbum Domini, quod inter me et te adhuc laborat, tandem requiescere valeat. *Si peccaverit*, inquit, *in te frater tuus, increpa illum : si pœnitentiam egerit, dimitte illi* (*Matth.* XVIII). Interim autem, donec hoc verbum Domini inter me et te laborabit, utar continue salubris antidoti medicina contra mortiferum discordiæ poculum mihi a te propinatum, quam Dominus et Salvator noster conscius infirmitatis nostræ largiri dignatus est, dicens : *Cum stabilis ad orandum remittite si quid habetis adversus aliquem in cordibus vestris, ut et Pater vester cœlestis dimittat vobis peccata vestra (Marc.* XI). Et scilicet Conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, a peccato nos solvet, quia munus pro culpa sumet. Quod munus etiam holocaustum gratia Dei misericordis fiet, si fuerit simila oleo conspersa, et in zeli sartagine frixa : scilicet cum misericorditer eum diligimus, et inter sacra pro eo oramus, quem zeli salutaris fervore insequi videmur, vel a quo invidiæ livore insequimur, imitantes illum qui mori etiam pro inimicis venerat, et tamen positurum se animam pro amicis dicebat, ut profecto nobis ostenderet, quia cum diligendo lucrum facere de inimicis possumus, etiam ipsi amici sunt qui persequuntur. Quæ non ideo dico, ut persecutionem tuam in damnis temporalibus vel in contumeliis timeam, aut magnopere sentiam, quibus etiam etsi voles me nocere non potes : sed de illa persecutione dico, licet sim injustus, qui me veraciter et ex corde peccatorem profiteor, de qua beatus Petrus dicit : *Quoniam inter quos Loth habitabat, iniquis operibus de die in diem ejus animam cruciabant (II Petr.* II), et de qua Apostolus recolens historiæ veteris : *Quomodo*, inquit, *tunc is, qui secundum carnem erat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc* (*Gal.* IV). Quia, ut ita dicamus, ferrum nostræ animæ nequaquam perducitur ad subtilitatem acuminis, si hoc non eraserit alienæ lima pravitatis.

CAPUT XL.

Verum non esse quod dicere solebat, Hincmari consilio regem ipsi adversatum esse.

Et quia dictum est mihi, te plurimis solere dicere, quoniam quidquid tibi, de tuis hominibus, et de hominibus suis ad Laudunum directis, et de eo quod te commendavit Conrado, contrarium domnus noster rex egerit, hoc meo instinctu et consilio atque consensu egisse, tibi refero non esse verum, sicut et scriptis ad eumdem domnum nostrum regent, sed et ad alios inde in eodem tempore directis possum ostendere, et coram plurimis episcopis apud Pistas domno nostro regi dixi me audisse quod sic deceres, et idem domnus noster rex coram eisdem episcopis respondit, sicut et pro certo verum dixit, quod nec meo instinctu, nec meo consilio, neque meo consensu hoc egerit, licet quædam fuerint et sint, de quibus metropolitana auctoritate, vel synodali conventione, ac regia potestate corripi debueris atque debeas. Quæ non ideo dico, ut me apud te excusare operæ pretium ducam, cum stultum esse majores nostri demonstrent, si eis placere quærimus, vel displicere timemus, quos bonorum judiciis non placere cognoscimus : sed ut in quibus ex veritate possum, quantum ex me est, quantumque sufficio, idoneum reddam bonum nomen, quod Apostolus etiam ab his qui foris sunt habere jubet episcopum. Quia vero auctoritate divina regi obedire jubemur, ipsius jussione respondisse me ex Scripturis et sacris legibus atque sanctorum verbis tuis litteris ad eum directis non nego. In qua responsione si quid perpere dixisse vel egisse me invenisti ostende, et aut rationabiliter sine contentione defendam, aut humiliter sine disceptatione recognoscam.

CAPUT XLI.

Quod si culpam agnosceret, pro divino timore indulgentiam expeteret.

Cæterum, si me contra auctoritatem et debitam

fraternæ dilectionis unanimitatem, quæ, ut supra dixi, te mihi reputasse audivi, egisse recognoscerem, quia dicente beato Joanne apostolo : *Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est Dominus, ut remittat nobis peccata nostra* (*I Joan.* I), et prima salutis spes est confessio, deinde dilectio, *Quia charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV), non dimitterem quin inde salubrem indulgentiæ medicinam expeterem, non pro humano, sed pro divino timore, et fraterno amore, ac propria salvatione. Non enim perfunctorie nobis sacerdotibus legendum et tenendum est, quod etiam laicis et feminis Spiritus sanctus per beatum dicit Gregorium (*homil.* 32 *in Evang.*) : « Est ubi se quisque interroget, et in confessione Christi se veraciter probet. Veremur sæpe a proximis despici, dedignamur injurias verbi tolerare. Si contingat jurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere. Cor quippe carnale, dum hujus vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit : et plerumque ipse homo qui irascitur, discordantem sibi reconciliari appetit, sed ire ad satisfaciendum prior erubescit. Pensemus facta veritatis, ut videamus quo jaceant nostræ pravitatis actiones. Si enim membra summi capitis sumus, imitari eum cui connectimur debemus. Quid namque ad nostræ eruditionis exemplum Paulus egregius prædicator dicit? *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo* (*II Cor.* V). Ecce inter nos et Deum discordiam peccando fecimus, et tamen ad nos Deus suos legatos prior misit, ut nos ipsi qui peccavimus, ad pacem Dei rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia, confundatur quisque si non satisfaciat prior proximo, quando post culpam nostram, ut ei reconciliari debeamus, et ipse quoque qui offensus est legatis intervenientibus obsecrat Deus. »

CAPUT XLII.

De auferendo a nobis ambobus opprobrio a multis illato.

Aufer ergo, faciendo quæ debes, et quæ opto ac oro, et utinam dignus exaudiri fuissem, a me et a te opprobrium quod mihi a multis reputatur, quia talem, sicut et contra divinæ ordinationis dispositionem, et contra regem, et erga me, et erga Ecclesiam tibi commissam, et erga plurimos alios effectus es, episcopum ordinaverim. Sed qui mihi hæc reputant, non attendunt, quia non ut Judam electum præsenti justitia, et ut per eum divina dispositio impleretur, Apostolum, sicut et Saul regem postea reprobatum, de quo scriptum est : *Erat vir electus et bonus, et non erat vir de filiis Israel melior illo (I Reg.* IX). Deus omnia sciens per providentiam ordinavit, et nil culpæ contraxit, qui peccare non potuit; sed ut homo nesciens quod futurum erat, te per improvidentiam ordinavi et divini judicii non injusti minister exstiti, quia sicut timeo aliis peccatis meis hoc esse promerui. Quanquam et sancti apostoli cum beato Stephano et aliis diaconibus Nicolaum ordinaverint, nec tamen dictis et factis illius, improbabilibus postea comprobatis, per manuum suarum impositionem communicaverunt, quem ordinantes bonum crediderunt, et mansurum perpetuo in bonitate optaverunt : sicut nec Samuel culpam contraxit in ordinatione Saul, quem divina jussione a se ordinatum, et a Domino postea rejectum, sicut de te doleo, diutissime flevit, velut sacra narrat historia. Reputatur etiam mihi, quod te nepotem meum gratia propinquitatis episcopum ordinaverim. Quasi non et alii per me sint ordinati episcopi, qui non sunt mihi carne propinqui, et nolunt attendere mihi hoc reputantes, quia non impedit ad quemquam ordinandum carnis propinquitas, si ordinandus fuerit electus et petitus secundum ecclesiasticas regulas. Non et Dominum, a quo et per quem cœpit episcopatus, carne sibi propinquos legimus ordinasse apostolos. Sed licet in te nepote meo egerim unde gemo, quia nescio qualiter de hoc et de aliis meis factis, terribilis in consiliis super filios hominum in occulto suo judicio, qui posuit tenebras latibulum suum disponat : scio tamen omnipotentem advocatum, et misericordem judicem meum, ante quem est omne desiderium meum, et cui gemitus meus non est absconditus. Si enim obaudieris monita beati Pauli Timotheo a se juvene ordinato episcopo directa, et a me et a te opprobrium tuæ ordinationis tolles, in quibus inter cætera dicit : *Nemo adolescentiam tuam contemnat (II Tim.* IV); id est, talem te exhibe, ut propter ætatis adolescentiam nemo te contemptibilem habeat, quia cujus vita despicitur, restat ut et prædicatio contemnatur. Si hæc, frater, tibi in aliquo dura sunt, quæ non sunt dicta ea intentione, ut velim quod absit in aliquo tuam damnationem, vel dehonorationem, sed potius salutem et correctionem, attende quia, ut beatus dicit Gregorius, per amarum poculum confectionis pervenitur ad effectum optatæ salutis. Et Salomon dicit : *Meliora sunt vulnera amici, quam odientis inimici oscula* (*Prov.* XXVII). Et Dominus dicit : *Ego quos amo, arguo et castigo* (*Apoc.* III); et : *Quem diligit Dominus, corripit : flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Heb.* XII).

CAPUT XLIII.

De sacrarum Scripturarum falsatione, et responso ejus ad litteras de Nevino. Qui canones sint recipiendi, et de imperitia et jactantia ejusdem. De Bertrico item, et de eo quod sæpe illum admonuit.

Per plures denique audio te apud multos me infamare, quoniam sacras Scripturas soleam detruncare, et ad meum sensum inflectere. Quod ut pro certo adhuc credo nec in uno loco me egisse, si tamen hoc quod dicis poteris approbare, et si hoc ad approbationem volueris ducere, ostende coram quantis et quibus tibi libuerit, et aut patenter ostendam te mea verba bene non intelligere, aut ab aliquo illa falsata fuisse : et si forte me, quod dicis, si tamen dicis, egisse cognovero, quantocius corri-

gere procurabo. Quod enim de me dicere diceris, Gothescalcus hoc de Scripturis facere consuevit, illas scilicet detruncare, et ad suum sensum violenter inflectere : sed et ea quæ in canonicis libris non continentur auditoribus suis proferre, sicut et supra priscos hæreticos facere consuevisse ostendi, quia sicut B. dicit Gregorius : « Sæpe hæretici, dum sua student perversa astruere, ea proferunt quæ profecto in sacrorum librorum paginis non tenentur. » Unde et discipulum suum prædicator egregius admonet dicens : *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates* (*I Tim.* VI). Quia dum laudari hæretici tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi nova quædam proferunt, quæ in antiquorum Patrum libris veteribus non tenentur : sicque fit ut dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargant. Et quoniam hæc egisse Gothescalcus in conventu episcopali revictus fuit, idem concilium, sicut scriptum est : *Qui imponit stulto silentium, iras mitigat* (*Prov.* XXVI), silentium ei imposuit, mihique illum ad custodiendum commisit, sicque complicum ejus, qui jam sicut vermes in putredine scatentes ebulliebant, iræ partim sunt mitigatæ, et congregatæ sunt a Domino quasi in utrum aquæ maris, cum amaritudo perversarum mentium nondum apud nos, de his quæ Gothescalcus eos docuerat, erumpit exterius in vocem pravæ libertatis. Et quod de sanctis Scripturis Gothescalcus agebat, et tu me agere notaris dicere, ut cum pace tua dicam, tu de sacris canonibus, et ecclesiasticis regulis, atque de legibus soles agere, sicut jam quater egisse te possum ostendere. Scilicet in rotula per Hadulphum archipresbyterum tuum mihi transmissa, in qua de canonibus et legibus quædam detruncando, quædam de suo sensu expulsa prava interpretando, de capella parochiæ meæ in Attolæ villa sita nonnulla adversum me concinnasti. Similiter in rotula a te mihi data, in qua fabulam de Amalberto et uxore ejus contexens plurima in eum captasti. In rotulis nihilominus domno regi et mihi per comministros tuos directis, in quibus historias altercationum inter te et eumdem domnum regem, et item inter te et Normannum descripsisti, et vocum ac factorum tuorum novitates explicuisti, sententias Scripturarum et canonum atque legum te ferientes tuo sensu in alios detorsisti, veluti ex ore et opere tuo, et ex eisdem sententiis, majorum astipulante doctrina, singillatim ac viritim possum ostendere. In quaterniunculis quoque, a te mihi per Wenilonem venerabilem archiepiscopum missis, plurima inter se diversa collegisti, quæ tecum facere æstimasti, non videns, quin potius videre non valens, aut non volens, quia inter se dissonabant, et de illis ipsis epistolis, ex quibus eamdem tuam collectionem compilasti, conjunctim sequentia dolo penitus omisisti ; sed et illa quæ cuncta catholica Ecclesia recipit, tenet, sequitur, veneratur, honorat, amplectitur, quæque tibi in diplomate, parvo corpore, sed maximo merito, per præfatum venerabilem archiepiscopum Wenilonem remisi, nec ad memoriam reducere voluisti. Nimia sunt quæ dico, si hæc ita esse illa ipsa tua scripta quæ habeo non attestantur, et lex, quam catholica Ecclesia recipit, manifeste decernit dicens : « Confiteri quis in judicio non tantum sua voce, sed et litteris, et quocunque modo potest, convinci autem non nisi Scriptura aut testibus potest. » Et tu his scriptis hæc quæ dico denegans, si necesse fuerit, in judicio revinci valebis. Et Gelasius in decretis suis ad episcopos per Dardaniam constitutos dicit : « Quoniam manifeste quilibet vel professione sua vel communione possit agnosci. » Præterea per Heddonem, clericorum tuorum præpositum, conscriptam nuperrime more tuo solito mihi rotulam direxisti, contra litteras de in mea parochia delinquentibus a me tibi directas, quæ ita se habent.

Hincmarus Rhemorum episcopus Hincmaro coepiscopo nostro salutem.

Nivinus, etc. *Reliqua hujus epistolæ, vide supra*, col. 224.

Et has litteras non ita, ut dubueras, recepisti, sed ex eis nacta occasione, amaritudinem, quam erga me in animo geris, verbis evaporando exhalasti, volens ostentare tuam sapientiam et meam insipientiam, et demonstrare me Nivino injuste et contra auctoritatem egisse ; et os mihi obstruere, ut de his quæ ex te audieram, non te auderem corripere, ut si forte vera forent te corrigeres, sin autem, ne illa incurreres præcaveres : cum sicut derogantium linguas nostro vitio non debemus, quantum ex nobis est, ad derogandum acuere, ita debemus derogantium detractiones, prout rationabiliter potuerimus compescere. Sed non talis est tuus animus, ut ea quæ benigne tibi dicuntur vel scribuntur, nisi talia fuerint qualia versantur in corde tuo, benigne et patienter possis audire ; unde Salomon ait : *Acetum in nitro ei qui cantat carmina cordi pessimo* (*Prov.* XXV). « Acetum, inquit Gregorius, si mittatur in nitrum, fervescit nitrum protinus et ebullit : et perversa mens, quando per increpationem corripitur, aut per prædicationis dulcedinem ad bona suadetur, de correptione fit deterior, et inde in murmurationis iniquitate succenditur, unde debuit ab iniquitate compesci. » Litteris autem meis, quas per singulas periodes dissolvere voluisti, non eis convenientibus auctoritatibus respondisti, nec recto sensu eum in hoc es imitatus, qui tuis scriptis istiusmodi tenore, veritate subnixis auctoritatibus solitus est respondere : quia non in hoc jure rationem studes attendere, sed tuam intentionem modo quolibet confirmare. Non enim ille, qui taliter tuis solet scriptis respondere, talis responsionis modum ab his didicit a quibus hæc studuit discere. De Nivino autem, ut me oportuit, ea quæ gesta sunt tibi nota facere procuravi. Cujus advocationem non videtur mihi ut oporteat te suscipere. Quod et si adversum me illam volueris suscipere, et ratio atque auctoritas consentit, quantum ex me est, inde tibi non refugio re-

spondere. Cæterum isdem ætatem habet, ipse de se loquatur. Et si legaliter ac regulariter me accusare voluerit, aut de excommunicationis, aut de collaborationis, aut de alterius cujusque rei præjudicio, rationem inde ei reddere non recuso. Nemo tamen potest me apud te regulariter accusare, nec de meo judicio ad tuum judicium provocare, nec sollicitudo totius Rhemensis provinciæ cum mea parochia est tibi commissa, ut inde amplius tibi reddere debeam rationem, nisi ut tibi scribere studui. Scrutare epistolam beati Augustini ad Xantippum primatem suum, quam suprapositam legere prævales, et invenies te debere mihi de tuis judiciis reddere rationem : et si de tuo judicio quisquam ad meum judicium provocaverit, ego debeo inde veritatem investigare, et singula quæque canonice terminare. Tu autem, quando hæc audisti quæ mihi post litteras meas tibi inde directas rescripsisti, debueras mihi aut humiliter suggerere quæ inde audisti, ut si perpere inde actum haberem, corrigere procurarem : sin autem, fraterna ac paterna benignitate veritatem inde tuæ filiali dilectioni rescriberem, quod et faceres si apud te humilis esses, et erga me charitatem haberes. Verumtamen pro modulo meo secutus beati apostoli Petri exemplum, qui etiam minoribus suis quærentibus cur ad Gentiles intrasset, rationem per ordinem reddidit, et testes suæ rationi adhibuit, bonum duco, quocunque modo tu mihi ea quæ scripsisti mandaveris, ut iterato quæ inde sunt vera tibi rescribam. Videlicet quia, ut scripsisti, nullius prava vel mendosa suggestione illi ea de quibus diffamatus est imputavi, nec ad comprobationem sui sceleris testibus causa indiguit, quia sicut ipse scripsisti, negotii qualitas unumquemque aut excusat, aut accusat. Unde et Dominus de eo quod quidam paterfamilias ei, qui apud eum diffamatus est quasi dissipasset bona illius, dixit : *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ* (*Luc.* XVI). Et supra sufficienter habes in quibus negotiis testes legaliter atque regulariter examinati requirendi sunt, et in quibus negotiis ratio non indigeat testibus. Manifestum est enim et presbyteris, et aliis clericis, et laicis, ac feminis, et nobilibus, et villanis in nostra civitate, quia sanctimonialem, de qua tibi scripsi, ab infantia in monasterio Deo dicatam, et a sacerdote velatam, clanculo prius de ipso monasterio furatam, in mansione in qua manebat apud hortos per plurimas noctes habuit, consentiente portario, cujus factione ipse egrediebatur de monasterio, et a Novini hominibus abducebatur : in quo monasterio ipsa sanctimonialis regulariter inde est disciplinata. Quapropter cum fama excrescere cœpit, et ego ad civitatem reverti incepi, misit suos homines, Walchanonem scilicet et Lupum, qui eam scalis pretio locatis de ipso monasterio noctu eduxerunt, et ad beneficium, quod ei dederam in nostra parochia, deduxerunt, et ibi per plures dies eamdem sanctimonialem Nivinus habuit, sicut et presbyteri, et circummanentes homines ac villani manifestissime sciunt.

A Et cum ministeriales nostri ipsam sanctimonialem cœperunt requirere, per eosdem suos homines illam in Calmontensem deduci fecit. De placitis autem sibi a me datis quot et quanti spatii fuerint, canonici et monachi, et fideles ac nobiles laici, ac presbyteri parochiani cognoscunt, in quorum præsentia et quorum consilio inde egi, quæ secundum regulas sacras inveni. De eo vero quod dicis, me ab illo quæsisse qualiter famam suam purgaret, non ideo ab eo quæsivi, ut non scirem quia hoc agere non poterat, sed ut vel ita eum ad confessionem et pœnitentiam, atque post ad indulgentiam possem compellere, quem voluntarium ad ea non poteram provocare : et eo usque illum perduxi, ut si præfati sui homines, quia non liberæ conditionis sunt, aut cum aqua B calida, aut cum aqua frigida, inde ad judicium Dei exirent, quid inde Deus ostenderet mihi sufficeret. Et cum se ratione convictum atque constrictum vidit, in contumaciam et contumelias prosilivit : cui dixi, quod nisi aut confiteretur, aut satisfaceret parochiæ meæ unde infamabatur, ipse et illi sui homines, qui eamdem sanctimonialem cum eo furati fuerant, in mea parochia habitare non possent, et progrediente illo ad contumelias atque calumnias, quia de mea parochia, vel de mea provincia non erat, et res et mancipia in regno senioris nostri non habebat, per quæ illum constringere ad reddendam rationem valerem, et per beneficium vel per peculiaro noluit sustinere distringi, excommunicavi illum a mea parochia. Quod dicis, *oportet episcopum omnibus bene facere, omnes recipere fideles*, verum est, et utinam C ita facias. Sed aliter vicini et parochiani tui de te dicunt, et tibi specialiter commissi aliter sentiunt. Cæterum de his quæ tibi mandavi ex te me audisse, si alteri sic mandarem, scio quia gratias mihi inde referret, et tu sic faceres quantum intelligo, si amaritudo animi tui tibi permitteret, et occasionem invenire non velles, ut mihi de his quæ in quaterniunctuis per venerabilem archiepiscopum Wenilonem a te missis compilasti, iterum licet non ad rem pertinentia inculcando conscriberes, et me dicere provocares, unde in sermone capere posses. Quod evidenter ipse in præfato tuo scripto demonstras : quia commemoratis dictis Anacleti, Victoris, Callisti, et Dieutheri, qui ante Nicænum concilium pro quorumdam consolationibus, sicut dicit Gelasius, ad diver- D sos suas epistolas direxerunt, subjungis : Ecce, pater, qui canones recipiendi, venerandi, ac observandi habeantur. Et quia patrem me, ut paret, irrisione potius quam veneratione vocasti, dico tibi. *Et si pater ego sum, ubi est honor meus?* (*Mat.* I.) Dicam tamen tibi : Fili pro arbitrio tuo vel proprie vel aliene, si isti sunt canones recipiendi, venerandi, ac observandi, quos commemorasti, qui sunt illi, quos et apostolica sedes, et omnes episcopi per universum orbem, a primæ sedis apostolicæ pontifice usque ad illum qui modo novissime etiam post te est ordinatus episcopus, imo et omnis catholica Ecclesia, canones appellant? quique Nicæno con-

cilio, quod primum in nostris codicibus, quos ab apostolica sede majores nostri acceperunt sequendos per ordinem usque ad Africanum concilium pro canonibus recipiendis venerandis, et observandis retinent, et Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cœlestinus, Leo, Hilarus, Symmachus, Gelasius Hormisda, Gregorius, et cæteri quique observandos canones nominant? Inter quos et istas epistolas apostolicæ sedis pontificum, quas canones appellas, Gelasius, ut supra posui, differentiam facit, et illa concilia canonum observanda decrevit, has autem epistolas pro consolatione quorumdam directas, venerabiliter suscipiendas dicit, et item in decretis suis inter alia dicit (*Gelasius in commonitorio ad Faustum*): Nobis, inquit, opponunt canones, qui orientales episcopi, dum nesciunt quid loquantur, contra quos ipsi se venire produnt, qui primæ sedi sana rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri. » Quod manifestum est de Sardicensibus canonibus illum dicere, de quibus et Innocentius ad Victricium, et Gregorius ad Vincentium his consona dicunt, quæ in hoc etiam legis opusculo. Et ibidem post aliquanta: « Viderint ergo si alios habent canones, quibus suas ineptias exsequantur. Cæterum isti, qui sacri, qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, non solum sedem apostolicam ad judicium vocare non possunt, et Constantinopolitanæ episcopus civitatis, quæ utique per canones inter sedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum non debuit submoveri? Nam, ut ipse demonstrat, Heracleotes suffraganea fuit. Hoc autem Gelasium dicere patet de sacris Nicænis canonibus, qui privilegia sedium constituerunt, sicut in sexto ipsorum capitulo aperte monstratur. Unde Bonifacius (*epist.* 3, *Hilario Narbon.*): « Nulli, inquit, videtur incognita synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit; ut eadem proprie verba ponamus: Per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subjectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, servandum, sancto Spiritu suggerente, sibimet censuerunt; » et paulo post: « Quod idcirco dicimus, ut advertat charitas tua, adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. » Et Leo ad Anastasium (*epist.* 88, cap. 1): » Secundum sanctorum Patrum canones, Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, metropolitanos singularum provinciarum episcopos jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus. » Et item Gelasius, ut supra ostendi, post descriptionem authenticarum Scripturarum, et Nicænæ Constantinopolitanæ, ac Ephesinæ, Chalcedonensis quoque synodi, addidit: « Et si qua sunt concilia a sanctis Patribus instituta, post horum quatuor auctoritatem, et custodienda et recipienda decrevimus. » Ipsas autem epistolas, ut

A prædixi, et sæpe dicere necessitas ipsa compellit, pro diversorum Patrum consolatione diversis temporibus datas, a sede apostolica venerabiliter suscipiendas, sicut et facimus, dicit. Addam etiam: Si illa quæ de præfatorum pontificum apostolicæ sedis epistolis dicis recipiendos venerandos canones esse, qui quod vis sanctum dicis et licitum, et quod non vis non sanctum et illicitum, ac si voluntate tua cuncta sint posita, et non sit qui tuæ possit resistere voluntati, pande nobis, quæsumus, quid censeas de eorum decretis, qui post Nicænum concilium, et alia catholica concilia, observanda decretalia constituta de eisdem sacris canonibus promulgata sanxerunt, sicut Siricius, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cœlestinus, Leo, Hilarus, Symmachus,

B Gelasius, Hormisda, Gregorius, et quique alii, quorum decreta Ecclesia catholica, et Patres ac prædecessores nostri servanda tenuerunt, et venerati sunt. Et quoniam in quibusdam a præfatis, quos appellas canones, dissonant, magistrali censura decerne, quæ ex his sequi et quæ refutare debeamus: quoniam nisi tu ferula singularis auctoritatis de nostra consuetudine ista rejeceris, quæ sicut et Patres nostri, mentibus nostris tenenda et servanda imbibimus, non videtur mihi ut facile ab ecclesiastico usu illa quæ tenemus generaliter valeas removere, de quibus satis superque superius potes relegere, quæ si tibi non suffecerint, nec plura sufficient. Tantum de una re superadjiciam, videlicet quoniam qui dicis: « Ecce qui canones recipiendi, venerandi, ac observandi habeantur, » non satis eosdem canones

C perscrutatus es, in quibus, sicut scripsisti, habetur ut qui accusare alium elegerit, præsens per se et non per alium accuset, inscriptione videlicet præmissa. Quod quia ad munimem tui convertere studuisti, legere debueras, quia ipsa sententia de antiquis legibus Romanis fuit assumpta, in quibus legibus. In capituli interpretatione edicti Valentiniani de episcopali judicio, posteriore videlicet constitutione, ita scriptum habetur (*Interp. Novellæ Valent.*): « Lex ista de diversis rebus multa constituit, sed in primis de clericis quod dictum est, ut nisi per compromissi vinculum judicium episcopale non adeant, posteriore lege Majoriani abrogatum est. » Quam constitutionem, sicut petiit et obtinuit, ita ex tunc hactenus Ecclesia conservavit. Sed et sicut in litteris

D meis legisti differentiam intelligere debueras inter admonitionem et de accusatione judicationem, et inter hoc quod dixi, si ita est ut passim a multis et etiam publice in publicis placitis divulgatur, et hoc quod non dixi, quia ita est. Unde a multis et etiam publice quod non licet, in publicis vel a publicis, placitis accusaris. Et quod confuse dixisti, te mirari si aliqui ex his placitis fecissent a vobis pro hoc petitionem negotio, ex verbis Callisti adjungens, nullus doctor per scripta accusetur, non bene distinxisti quia nec bene intellexisti ex legibus et canonibus differentiam inter petitionem et accusationem. Revolve hinc leges, et decreta sedis apostolicæ, et

disce quæ nescis. Unde iterum quasi vestigans. sequar te per angulosos anfractus, et dicam tibi ad notitiam pauca de pluribus, sed quibus te consequi valeam. Innocentius ad Maximum et Severum episcopos scripsit (*epist.* IV) : « Nuper Maximilianus filius noster agens in rebus cujusmodi querelam detulerit, libelli ejus series annexa declarat. » Et Gregorius Sabino subdiacono (*lib.* VII, *ind.* 11, *epist.* 46) : « Clerus ecclesiæ Regitanæ multa contra reverentissimum fratrem nostrum Bonifacium episcopum suum, data nobis petitione, conquestus est, petens ut ad nos debuisset habere veniendi licentiam, quatenus causæ ipse hic subtiliter probarentur. Sed quia nos interim prædictum fratrem nostrum hoc modo non prævidimus deducendum, visum nobis est illic personam deputare ad causam eamdem cognoscendam. Et ideo mediis sacrosanctis Evangeliis, experientia tua, una cum Paulino, Proculo, Palumbo, Venerio, atque Martiano reverentissimus fratribus coepiscopisque nostris, sine cujusquam personæ respectu, tam clericorum querelam, quam adversus suum, sicut diximus, habent episcopum, vel si quam forte contra eos habuerit, cum omni æquitate ac sollicitudine perscrutetur : et quidquid in veritate cognoverit, nobis una cum prædictis nostris fratribus subtiliter diligenterque significet, ut renuntiatione vestra redditi certiores, quid fieri debeat decernamus. » Et ad prædictos episcopos, clerus ecclesiæ Regitanæ contra reverentissimum fratrum nostrum Bonifacium episcopum suum data nobis petitione conquestus est, et reliqua. Sed et de auditione, sine petitione vel accusatione, ad Sabinum idem beatus Gregorius scripsit (*lib.* XI, *epist.* 28) : « Pervenit ad nos, inquiens, reverentissimum Palumbum, fratrem et cœpiscopum nostrum, quod dici grave est, Ecclesiæ suæ, vel parochiarum causas utilitatesque negligere. » Et post aliquanta : « Ideoque experientia tua prædictum fratrem nostrum studeat commonere, ut res Ecclesiæ, vel parochiarum suarum, sive ministeria, rationabiliter vindicet atque defendat, » et reliqua. De accusatione autem episcopi, aut cujuslibet ordinis clerici, ex sacris canonibus sufficienter supra potes relegere. Verumtamen oportet te discrete intelligere quod de accusatione leges dicunt : « In criminalibus, inquiunt, causis, vel objectionibus, per mandatum nullus accuset, nec si per rescriptum principis hoc potuerit impetrare : sed ipse qui crimen intendit, præsens per se accuset, ut scias quo sensu de accusatione hos dicant. » Et canones dicunt (*conc. Carthag.*, c. 19) : « Quisquis episcoporun accusatur ac primatem provinciæ ipsius causam deferat accusator, nec a communione suspendatur cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum judicum die statuta litteris evocatus minime occurrerit. » Manifestum est autem, quia episcopus accusatus apud primatem non esse præsens ostenditur, qui litteris evocari præcipitur. Et Bonifacius de Maximo dicit (*epist.* 2) : « Si adesse voluerit, præsens si confidit ad objecta respondeat, scilicet præsenti accusatori : si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. » Accommoda ergo sensum tuum bene dictis, et non prave intelligi tradas bene dicta, ad tuum sensum illa inflectens. Velis enim vel nolis, illi erunt canones, quos catholica Ecclesia canones vocat, et non erunt illi canones, quos tua socordia ad effrenationis tuæ libertatem canones advocas. Erunt autem epistolæ venerabiliter suscipiendæ, a sede apostolica pro diversorum Patrum consolatione datæ, quas canones vocas ; et concilia a sanctis Patribus institua, ad auctoritatem erunt custodienda et recipienda, sicut decrevit Gelasius, et cæteri sedis Romanæ pontifices, atque illi qui in eisdem conciliis, suggerente siblimet sancto Spiritu, sacros canones condiderunt, et quos sedes apostolica, et Ecclesia catholica canones vocat. Verba quoque obstrusa, et undecunque per glossulas collecta, et sine ratione posita, quæ in hoc scripto tuo posuisti, sicut et in aliis domno regi et mihi olim directis congessisti, redarguunt te typo jactantiæ, cum dicat Apostolus : *Vocum novitates devita* (*I Tim.* VI.); et : *Malo quinque verba loqui in Ecclesia ad ædificationem, quam decem millia verborum in lingua* (*Cor.* XIV). Qui enim linguam, in qua natus es, non solum non loqui, verum nec intelligere nisi per interpretem potes, cum suppeterent sufficienter verba Latina, quæ in his locis ponere poteras, ubi Græca, et obstrusa, et interdum Scottica et alia barbara, ut tibi visum fuit, nothata atque corrupta posuisti, paret quia non ex humilitate, vel ad manifestationem, ea quæ dicere voluisti Græca verba, quæ ipse non intelligis, inconvenientissime posuisti, sed ad ostentationem illa insipientissime inseruisti, ut omnes qui illa legerint intelligere possint, te illa velle vomere quæ non glutiisti. Hunc namque morem etiam a pueritia habuisti in his quæ te dictare rogabam, maxime autem in versibus, et præcipue in figuris porphyriacis, in quibus verba linguæ alienæ, atque obstrusa, impropria et utilitate sensus carentia, quæ nec ipse intelligebas, studiose ponebas. Quod mente percipiebam, et mihi admodum displicebat : sed cum viderem te per jactantiam amore laudis flagrare, et me non posse sentirem in ætatis adolescentia te ad tantum robur mentis accendere, ut ad discendi ac versificandi studium te provocarem, et jactantiæ a te pravitatem eraderem, ne acriori correptione fractus revocareris ab studio, permisi te interim tantum, ut studio litterali incumberes, de scientia jactitare, donec in maturiori ætate ab illo etiam vitio possem compescere, secutus pro modulo meo Apostolum, qui cum infirmum auditorem suum perpenderet, aut prava adhuc velle agere, aut de actione recta humanæ laudis retributione gaudere, ait : *Vis non timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem ex illa* (*Rom.* XII). Interea, quia illud, quo hæc agere cogitabam, tempus ante tempus excessit, cum præceptione Apostoli, jubentis vocum novitates vitare, ab hac jactantia et

ostentatione te doctorem et episcopum cohibere debueras : quoniam sancti et sapientes ac magnæ auctoritatis viri, et etiam utriusque linguæ, Græcæ videlicet et Latinæ periti, suis scriptis verba Græca, nisi ea quæ in Scripturis, vel canonibus, sive legibus, sine interpretatione sunt posita, et veluti Latina in usu habita, verum et obstrusa suis dictis immittere ad ostentationem noluerunt. De Hebræa vero lingua Alleluia, et Osanna, atque Amen, propter auctoritatem primæ linguæ, et reverentiam sensus sine interpretatione usi fuerunt. Nos etiam moderni glossarios Græcos, quos suatim Lexicos vocari audivimus, sed et sapientum scripta de nominibus obstrusis habemus, et adeo sensatuli sumus, ut nostras dictatiunculas eo usque circumducere et producere possimus, quatenus verba Græca vel obstrusa de glossariis assumpta in admirationem vel stuporem nescientibus seu scalpentes aures habentibus proferre possimus, cui vanitati obviat Scriptura dicens : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas (Eccle.* I). Et timeo, quia sicut agis de verbis, et canonum ac legum sensibus, novitates vocum in eis delectando requirens, ad hoc usque te perducat elatio cordis, et jactantia inflatæ ac inanis scientiæ, ut ita in Scripturarum sensibus facias et aberres, quia ut Scriptura dicit : *Qui modica spernit, paulatim decidit* (*Eccli.* XIX). Quoniam qui minora corrigere ac devitare negligit, ad majora proruens, ab statu justitiæ, non quidem repente, sed partibus totus cadit. Attende igitur quod dicit Apostolus : *Si quis existimat se aliquid scire, nondum scit quemadmodum oporteat eum scire* (*I Cor.* VIII); et : *Si quis vult inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens* (*I Cor.* III); et : *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos* (*Rom.* XII); et : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes* (*ibid.*). Beatus quoque Gregorius in epistola sua dicit, quoniam domnæ Dominicæ salutes mandans ideo non rescripsit, quia cum esset Latina ei Græce scribere voluit, parvipendens illi rescribere, quoniam a corde pensavit quæ per sermonem in scripto suscepit. De eo quod petis a me te instrui, si Bertricus de mea esset provincia, non autem ex propria parochia, qualiter ex eo acturus essem, illo inspirante, qui cognita nequitia sibi dicentium : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum, dic nobis, si licet censum dare Cæsari, an non* (*Matth.* XXII), respondeo tibi : Interrogabo te et ego unum sermonem. Rescribe mihi per ordinem et ex integro, qualiter ego feci et dixi, et qualiter tu fecisti et dixisti in placito confinium parochiarum nostrarum, te conhibente condicto de Amalberto parochiano meo, qui in tua parochia et mea provincia legaliter uxorem accepit, et in parochiam meam duxit, quem tu irregulariter excommunicasti, et uxorem suam legaliter acceptam, quæ per mandatum tibi suggessit quoniam idem vir ejus cum ea non posset concumbere, de parochia mea apud Laudunum ad tuum A judicium reduci rogasti; et ego dicam tibi qualiter facerem de Bertrico, si de mea esset provincia, et non esset ex propria mea parochia. De hoc quod dicis : Sciendus est modus correptionis, quin præfati Bertrici, utrum secretus, an publicus, utrum a Christianorum consortio, aut a corpore et sanguine Domini fuerit segregatus, quem publicæ deditum pœnitentiæ non audisti, et modum istius ejectionis de parochia mea nosse convenit : Tibi respondeo, quia si tanto studio sacros canones perscrutateris, ut moderata discretione te in subjectorum tibi actibus gereres, ne in sanctarum Scripturarum auctoritatem prædicationemque majorum offenderes, et in ipsis tibi subjectis servares quod scriptum est : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, et omnes greges tuos con-* B *sidera* (*Prov.* XXVI); et : *Perfode parietem, et vide abominationes, quas isti faciunt hic (Ezech.* VIII), quanta intentione illa legis, unde tua commenta compilare procuras, quatenus effrenis, et sine ullius coercitione, viam voluntatum tuarum currere, et in affectum cordis transire prævaleas, bene intelligere posses et modum, quo toleratus et correptus et diu exspectatus fuit, quem audire potuisti, sicut eum in pœnitentia publica positum dicis te non audisse, et scire cur hac conditione isdem Bertricus, qui non est de mea parochia, neque de mea provincia, regulariter cum suis exire præcipitur. Et quoniam qua mente hoc interrogas me latere non potest, *paratus*, juxta Petri vocem, *ad satisfactionem omni poscenti*, quantum Deus dederit, *respondere de ea quæ in me est spe* (*I Petr.* III), tibi ex hac quæstione respondeo, C quia Pilatus veritatem, quam ante oculos corporis, non autem ante oculos mentis habebat, *quid est veritas?* (*Joan.* XVIII) interrogavit, et audire non meruit, quia, ut dicit S. Gregorius, *quam non invenit humilem, veritas fugit mentem*; et : *Qui ficte quærunt, invenire Dominum nunquam merentur* (*I Cor.* I); et isdem : *Dei virtus, et Dei sapientia, a cujus facie est sapientia et intellectus* (*Psal.* XCIII); et : *Qui docet hominem scientiam, contra quem non est sapientia, non est prudentia, non est consilium* (*Prov.* XXI); *quique est via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV), via scilicet conversationis sanctæ, veritas doctrinæ divinæ, vita beatitudinis sempiternæ, confitetur, id est, laudat patrem, *quia abscondit ea a sapientibus et prudentibus (Isa.* V), de quibus scriptum est : D *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes, quæ revelavit parvulis (Luc.* X), id est humilibus, quoniam, *Qui resistit superbis, humilibus dat gratiam* (*Jac.* IV); et : *Valles*, id est humiles, *abundabunt frumento* (*Psal.* LXIV), id est eloquii divini pabulo. His ita de his qui non sunt de mea parochia, sed neque de mea provincia. Cum autem me interrogaveris de tuis parochianis, confido in clementissima gratia Dei dicentis : *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud* (*Psal.* LXXX), quoniam qui mihi dedit regimen disciplinæ, dabit et spiritum sapientiæ, quo salutaria tibi valeam respondere. Denique de hoc quod mihi objicis, te scisse atque

sensisse, sæpius de te similia me audisse, ac falso audita pro veris recepisse, atque tenuisse, et quia voluntarie audio verba mendacii, et detractoribus tuis aurem libenter accommodo, non me ad iram commoveo, quia et capiti nostro plura et majora mendaciter objecta fuere, scilicet, quia dæmonium haberet, et publicanorum atque peccatorum esset amicus (*Matth.* XI); et multa alia. Unde et in his titulum mei Domini recognosco, et tanta ac talia mihi et facta, et dicta, et mandata habes, ut de his commoveri non possim : sed quod ad remedium tibi adinvenisti, remediabiliter dictum accipio : quia sicut Heliu prævius arrogantium, qui non meruit per beatum Job, sicut cæteri amici ejus, a sua stultitia hostiis expiari, de se dicit : *Venter tuus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit* (*Job.* XXXII), nisi se verbis evaporet inflata adversum me tua stomachatio, aut follem inflati ventris tui disrumperet, aut alias secundum antiquum poetam,

Ut displosa sonat quantum vessica sonaret.

Factus sum insipiens, tu me coegisti. Sed nec te cogente tibi taliter responderem, nisi beatum Augustinum Juliano, elato ac duræ mentis juveni et exepiscopo, respondisse hujusmodi sensu et partim etiam verbis legissem, docente Paulo, et explanante Gregorio, qualiter sit respondendum Galatarum mentes habentibus. Verumtamen quia sapientibus et insipientibus debitor sum, præcipue omnibus consistentibus in provincia Rhemensi, cujus sollicitudo meæ indignitati est a Deo commissa, et unicuique secundum ordinem et personam ac qualitatem suam, inter quos et tu annumeraris, væ mihi est, si non docendo, custodiendo, suadendo, increpando, mulcendo, terrendo, aliquando leniter, aliquando vero severius agendo, pro viribus et captu meo evangelizavero tibi cum aliis, quæ ad fidem rectam, et bonos mores, atque ad bonas actiones pertinent, in sanctis Scripturis atque sacris canonibus rectam habere intelligentiam, et continuam observantiam, et humilitatem, atque obedientiam tibi prælatis, secundum sanctas Scripturas, et eosdem sacros canones dependendam, et tibi subditis necessariam sollicitudinem, et benignitatem, atque modestiam impendendam, et in his continuum laborem atque perseverantiam. Quia cum dicitur nobis qualibuscunque speculatoribus : *Quia sanguis nobis subditorum, si non annuntiaverimus eis, de manibus nostris requiretur* (*Ezech.* III), augetur metus. Quia si in subjectis suis, is qui prælatus ad speculandum est, etiam de morte corporis quandoque morituri tam graviter reus tenetur, quo reatu de morte animæ subjectorum constringitur, quæ potuisset semper vivere, si verba correptionis audisset ? Sanguis ergo morientis de manibus speculatoris requiritur, quia peccatum subditi culpæ præpositi si tacuerit reputatur. Et quia frequenter, juxta præceptionem Domini, verbis et litteris, secreto per me et cum aliis, te corripui, sed

A correptionem meam, ut optaveram, prodesse tibi non vidi, de quibus reprehendi te audio, tacere tibi non audeo, et quæ adversum me, rationi et auctoritati atque saluti tuæ contraria, contraque alios tibi male non meritos, quibus potes molitionibus satagis, unde apud homines inconveniens nomen episcopo, et periculum habes coram Domino, quæ nullo rancore sed pio animi dolore commemoro, tibi tacere non debeo, cum Dominus dicat : *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum* (*Levit.* XIX); et item : *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; si pœnitentiam egerit, dimitte illi* (*Luc.* XVII). Non igitur nobis tacendum est ea quæ ad dicendum sunt necessaria, vel his a quibus honoramur, vel his

B a quibus contemnimur, cum Dominus unicuique nostrum dicat : *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum : ut adamantem et silicem dedi faciem tuam* (*Ezech.* III), ut nec subditorum humilitatem debeamus erubescere, nec superbiam formidare. Sed nec honorantes, nec contemnentes nos admonere debemus erubescere, cum Veritas dicat : *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua* (*Luc.* IX). Sed et quem in suis actibus infirmari, vel in contumacia permanere conspicimus, remissiores et clementiores nos illis, usque dum firmentur ac corrigantur, ostendere non debemus. Unde scriptum est : *Filiæ tibi sunt, serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas* (*Eccli.* VII). Infirmæ quippe

C animæ, atque ad appetitum mundi deditæ, aliquando melius ex severitate servantur, ut obfirmata facie, id est per severitatis custodiam, ab omni spe frivolæ remissionis obducta, inconstantem animam terreat, atque a delectatione vitiorum districtionis vigore constringat. Quod cum a doctore agitur, semper necesse est ut dulcedo et humilitas in corde teneatur, quatenus et multum amet, et nunquam contra eum quem corrigit, per elationem superbiat, cui tamen amorem suum, et humilitatem pro utilitate ejus prodere recusat. Mihi ergo, fili et contemptor, et tibi parces, si a contumacia cordis, et ab inconditis moribus, atque inconvenientibus actibus resipueris. Tibi et mihi parcam, quando ea, quæ de te displicenda audiero, aut corrigenda in te videro vel cognovero,

D non tacebo. Ut igitur ego non taceam, et tu libenter audias, atque obaudias, consideremus pariter quam liber a commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat : *Mundus sum a sanguine omnium vestrum, non enim subterfugi quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis* (*Act.* XX). Si enim non annuntiasset, mundus a sanguine eorum non esset : sed quibus omne consilium Dei annuntiare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. In qua voce nos convenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes et prælati vocamur, qui super ea mala quæ propria habemus alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire

quotidie tepidi et tacentes videmus, et solertissime attendamus, quia non sufficit tantum si verbo sine bono exemplo prædicemus, quia cujus vita despicitur, restat ut et prædicatio contemnatur; et : *Qui mandatum solverit et docuerit, hic minimus vocabitur in regno cœlorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* V), id est in Ecclesia justorum. Igitur corrige hæc quæ egisti, et de cætero sollicite stude, ne hujusmodi probras incurras, aut scripturas authenticas, aut ea quæ Dominus per sanctos suos locutus est corrumpendo, quia scriptum est : *Non addas quidquam verbis illius, et aguaris, inveniarisque mendax* (*Prov.* XXX). Quod ita catholici doctores exponunt : ne corrumpas eloquia sanctarum Scripturarum, quod quidam hæretici, ne his convincerentur, fecisse noscuntur.

CAPUT XLIV.

Qualiter redire valeat ad paternæ charitatis dulcedinem.

Unde, frater et quondam dulcissime fili, qui exigentibus peccatis de nido paterno, velut implunis, citius quam necesse fuerat evolasti, et antequam soliditate plumarum, id est humilitatis veste fieres protectus, quasi nudus his animositatum et sæcularium cupiditatum spinis ac vepribus, quibus laceraris, insedisti, sec si volueris sacris regulis et religioni concordari, gratia Dei sine difficultate ad cubile paternæ dulcedinis redire valebis, te ante teipsum repone, et memento unde excideris, et age pœnitentiam. Quod si volueris, necesse est ut intelligas per qualia et quanta delinquas, qui apud te tumens, nulli subesse voles, et cunctis præesse non potes : et idcirco sacras regulas, perverse interpretando, et quas prave interpretari non potes, quasi non sint, in tuis collectionibus ex studio prætermittendo, convellere satagis, quibusdam etiam de tuo quædam contra veritatem immittis, et dum invictus esse desideras, exterius quæ non debes defendis, et interius veram dilectionem amittis, et te a compage fraternæ unanimatis præcidis : quod sine ulla dubitatione de illius magisterio tibi descendit, qui, ut scriptum est : *Omne sublime videt, et est rex super universos filios superbiæ, factusque est ut nullum timeret* (*Job* XLI); quique dixit : *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV). Et quia divinæ ordinationis dispositionem servare, et socialem vitam in cœlo tenere non voluit, Lucifer qui mane oriebatur de cœlo cecidit, et veram beatitudinem perdens, miseriam sempiternam incurrit, sibi consentientes et obsequentes atque complices de beatis miseros fecit, et adeo in miseriam suam excrevit, ut se recognoscere et humiliare non possit. Quod vitium primis parentibus nostris immisit, ut suam culpam delinquintes non dicerent sed in alium, videlicet in auctorem suæ conditionis, non autem iniquitatis, retorquere studerent. Quo vitio adhuc non minime laborat genus humanum, et timeo ac doleo quia ego et tu ab hoc vitio in totum alieni non simus. Attende igitur tota mentis intentione verba beati Leonis, qui-

A bus dicit (*epist.* 15, *ad Pulcheriam*) : « Sedis, inquiens, apostolicæ moderatio hanc temperantiam observat, ut severius agat cum obduratis, et veniam cupiat præstare correctis. » Quam temperantiam ex divino magisterio sedes apostolica suscepit, et hanc omnibus sedibus imitandam proposuit : quoniam error confessus et correctus jam culpa caret, quia veniam habet : error vero convictus nec sic correctus, et culpam habet et venia caret. « Et, ut Augustinus dicit, melius est in factis malis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio. » Et beatus Joannes in Apocalypsi voce divina angelo, id est episcopo Ephesi dicit : *Memor esto unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac : sin autem, venio tibi et movebo candelabrum*
B *tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris* (*Apoc.* II). Et angelo, id est episcopo Laodiciæ ecclesiæ dicit; *Collyrio inunge oculos tuos ut videas* (*Apoc.* III). Collyrio quippe oculos ut videamus inungimus, cum ad conspiciendam veri luminis charitatem intellectus nostri aciem medicamine operationis adjuvamus. Sicque in mutuam gratiam redire valebimus, si hæc et alia tibi salubria, et ministerio nostro competentia, agere et sequi volueris : quia, ut item beatus Leo dicit : « Dulcius munera gratiæ divinæ proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur, et minus videri bonum solet pax continuata per otium quam reddita per labores : ipsa quoque veritas et clarius renitescit, et fortius retinetur, dum quæ prius fides docuerit, hæc postea examinatio confir-
C marit. » Noli ergo diutius, tanquam civili bello, nostris contra nos erectis signis armisque pugnare, et seditiones a multis et per multos super multos compressas, redivivo contumaciæ furore in perniciem tuam, et Ecclesiæ catholicæ commotionem reexcitare. Redi ad paternam charitatem humiliter, quam contempsisti contumaciter. Fiat pax, ut dicis beatus Augustinus de Donatistis contra Ecclesiam se erigentibus, in virtute Jerusalem, quæ virtus charitas est, cui sanctæ civitate dictum est : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis* (*Psal.* CXXI). Et noli te extollere contra maternam metropolis tuæ generalem totius provinciæ sollicitudinem, et contra paternam nutritoris et ordinatoris tui benignitatem, quam tibi cum cæteris, sine aliquo detrimento, tantum ut te recognoscas, et metropolis privilegium,
D et metropolitani dilectio, sine difficultate cupiunt exhibere. Sciunt enim et auctoritas metropolis et metropolitanus, illum vere esse magnum, qui totius ambitionis fuerit alienus, dicente Domino : *Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister : et quicunque voluerit inter vos primus esse erit vester servus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (*Matth.* XX). « Et tamen, inquit Leo, hæc illis tunc insinubantur, qui de pusillo volebant crescere, et de infinis ad summa transire. » Tu autem, ut scriptum est, jam magister infantium, et doctor insipientium factus, debes modum tum cognoscere, et tibi subditis, a quibus obedientiam exigis,

humilitatem obedientiæ tibi prælatis dependendo insinuare : præsertim cum ordines et distinctiones episcoporum sacri canones et decreta sedis Romanæ pontificum, necnon et leges quas Ecclesia probat et servat, sufficientissime ostendant, et irrefragabiliter conservari decernant : quæ si quis præsumit convellere, quid est aliud nisi seipsum ab universali Ecclesia, quæ partim jam in cœlo cum Deo regnat, partim autem adhuc in terris peregrinatur, et ad patriam cœlestem suspirat, præcidere? Unde, frater, maximo cordis dolore perculsus, cogor tibi dicere quad Moyses et Aaron rebelli et sibi populo resistenti dixerunt : *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Nos enim quid sumus?* (*Exod.* XVI.) Et licet me nihil esse cognoscam, scio tamen quia servanda est mihi in corde humilitas, et quando B causa exigit, in regimine disciplinæ miscenda est lenitas cum severitate. Faciendum quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur jura regiminis. Quod juxta Pauli vocem *(Hebr.* IX), bene illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul et manna est : quia cum sacræ Scripturæ scientia in redtoris pectore sic esse debet virga districtionis, ut sit etiam manna dulcedinis : et rursum non sit tanta dulcebo, ne hac dissolutione sui loci oblitus quis pereat. Nam falsa pietate superatus, quia ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum judicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Si autem mihi locus et possibilitas, quocunque obstaculo intercludente, ad id exsequendum quod debeo defuerit, ponam sartaginem inter me C et obsistentem mihi, murum ferreum, ut zeli munitione defendar, ne destitutus pro dissolutione condemner.

CAPUT XLV.

Ut recordetur quanta in dulcedine fuerit initio episcopatus, et deponat animositatem.

Tandem, frater et fili, moneo te, reduc in memoriam, qui nunc es omnibus in proverbio, et motione capitis, atque in fabula et cantico tota die, cum quanta quiete a tumultu cogitationum, quibus nunc in diversas distenderis, degebas, in primis diebus quando ac episcopatum venisti, cum quanta benignitate a domno rege suscipiebaris, quanta dulcedine mea fruebaris, quanta unanimitate cum fratribus et coepiscopis nostris utebaris, cum quanto amore a Palatinis, et ab aliis hujus terræ hominibus colebaris, cum quanta amoris reverentia a tibi commissis, D sed et a nostris, a quibus et cum quibus et inter quos nutritus fuisti, venerabaris, antequam immoderatus amor sæculi tibi irreperet, et per quosdam subriperet, et ad se te raperet; et cum te raptum habuit, fecit mundus sicut solet facere mundus immundus, cunctos quos accepit decepit, cunctos quibus arrisit irrisit, et sicut a plurimis dicitur, ad ea te sponte offerre (tantum ut hoc ego nescirem, nullo nisi forte cupiditate aut indebito timore cogente, quem non haberes si episcopaliter viveres) exsequenda perduxit, quæ in tantum detestabaris, ut antea A tibi collum absciderctur, quam ab illa perducereris agenda, quæ multi dicunt a te etiam iterata. Et sicut illa non servasti vera, quæ toties atque tantisper alligare curasti, qui solebas dicere et scribere, quia verba sacerdotis aut vera sunt aut sacrilega, ita sunt nihilominus falsa quæ diceris per plures disseminare, scilicet quia nihil aliud adversum te habeo, nisi quoniam non vis consentire ut sedes apostolica suam potestatem non habeat. A temetipso enim hæc dicis, et non alii tibi dixerunt de me, nec didicisti a me, nec etiam didisti in me, vel audisti ex me : sed tu auxiliator humanus illam summam sedem non petitus inde adjuvas unde a te se adjuvari non sentit. Jam per annorum millia etiam in paganismo orbis caput existens, nec ex quo Petrum apostolorum Cepham, quin caput principem, cui Dominus dixit : *Tu es Petrus et super hanc petram,* id est, super hanc firmam et solidam fidei confessionem, quam tu es confessus, *ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI); et : *Ac tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII); et *Si diligis me, pasce oves meas* (*Joan.* XX), videlicet quæ sunt in universo mundo, quaquaversum se catholica diffundit Ecclesia, licet per terrarum plagas dispersa, sud uno tamen pastore ac pastorum principe Christo unitate fidei in ovili uno conclusa, suscipere meruit prima sedes, et omnium ecclesiarum in toto orbe terrarum mater atque magistra, antequam heri sero vel nudiutertius terra te germinaret, et uterus maternus in hanc lucem produceret, mansit et permanet. Nam non ego, sed tu illius potestati ac privilegio derogare videris, qui Dei ordinationi, quam per eam disposuit, ut nulli subesse valeas, resistere prout potes laboras. Quanquam non unde, nec sicut canones sacri, quos ipsa veneratur et servat, præcipiunt, sed pro motibus incompositi animi tui, undecunque et per andronas de hora in horam appellas, et aliam semel etiam et secundo ab ea litteris evocatus adire detrectas : cum ea quæ voles, et pro quibus te illam fingis appellando adire, quolibet modo apud domnum regem obtines, pro certo sciens adhuc de causis regulari ordine non te compellari, pro quibus appellans in synodo, cum appellatione tua illam, sicut ipsa per canones præcipit, cures adire. Licet absque rationabili necessitate, quantum ex te constat, litteras evocationis tuæ obtinueris, ut ipsam primam et sanctam sedem adires. Cæterum ipsa unde et sicut audit rescribit. Crede mihi, frater ac filii, si qui sunt qui te hortantur in hac pertinacia, quam indebite et sine ulla necessitate assumpsisti, et in qua permanes pertinere, non pro tua salute, neque pro tuo honore hoc faciunt. Et non episcopum, non quemcunque sanum sapientem invenies, cum ad certam rationem veneris, qui tibi consentiat ita intelligere debere sacras regulas, sicut eas interpretaris, et ab aliis vis intelligi, ut nulli debeas suddi : quod tibi pressius demonstrabo, si necessitate, quod absit, cogente me ad hoc sine mea voluntate compuleris. Accipe ergo salubre et honestum tibi oblatum

consilium. Depone noxiam tibi animositatem, et illas nænias, quin potius tragœdias, quæ vadis per tuas collectiones et subscriptiones interpretando, mihi ostende, et tempore congruo, cum quibus et cum quantis volueris de fratribus et coepiscopis nostris, sed et de communibus nostris fidelibus, familiariter illas legamus, et inveniamus inde consilium, qualiter et sine tuo periculo, et sine opprobrio sopiantur, quia illa tua subscriptio, divinæ auctoritatis, quæ per beatum Leonem dicit, quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri, est contradictio. Et si in plurimorum sapientum notitiam perlata fuerit tua derisio, *incipient*, inquit Dominus, *omnes illudere ei, dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare* (*Luc.* XIV). Quia enim nihil fit, nisi quod aut Dominus voluntate facit, aut fieri contra voluntatem suam interdum juste permittit, et miro modo fit, quia ejus consilio militant etiam quæ ejus consilio repugnant, si quædam aliquando perverse a perversis obtinentur, vel evindicantur, aut ad eorum damnationem, aut ad electorum purgationem, aut ad utrumque fieri Dominus juste permittit, et in suo tempore eos irridebit, quia sicut item scriptum est : *Illusionibus ipse deludet* (*Prov.* III). Propter quod Psalmista Spiritu sancto repletus, unumquemque fidelem admonet dicens : *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias, quoniam qui malignantur exterminabuntur.* Et : *Vidi impium superexaltatum, et elevatum super cedros Libani. Transivi, et ecce non erat, quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. Custodi innocentiam et vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico* (*Ps.* XXXVI).

CAPUT XLVI.

De eo quod gloriatur se in omnibus, quæ contra quoslibet suscepit, fuisse ac semper fore victorem.

Quæ idcirco dico, quia sicut a pluribus audio, per vanitatem te jactitas, quoniam quæcunque incepisti, aut contra regem, aut contra me, aut contra quoscunque tuorum, sive clericos, sive laicos, qui contra tuam voluntatem fecerunt, vel contra vicinos tuos, qui se contra te erexerunt, totum ex parte maxima semper evicisti, et quod adhuc restat evinces. Unde tunc potes in Domino te gloriari victorem, si per rectitudinem vincis errorem ; si autem de errore errorem, aut vincis rectitudinem per errorem, non te potes gloriari victorem, sed debes flere miserabiliter te victum errore, et si ita non sapis, insipide desipis, quia unde tristari et flere debueras, inde jactaris. Graviore enim sunt vindicta plectendi, qui gaudent etiam in delictis, et lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis. Et quidam sapiens dicit : *Qui semper vincit non semper bene vincit.* Quando enim nobis diabolus vincendi libidinem suggerit, debemus recordari sententiæ beati Gregorii in capitulo decimo hujus opusculi supra positæ, qua dicit sæpe se vidisse, quod cum se ad feriendum graviter rhinoceros, id est temporali potestate fultus accenderet, et quasi elevato cornu subjectis intentaret damnationem, repente fronti signo crucis impresso omne in se incendium furoris exstinxisset, et minas deposuisset. Et si homini sæculari potestate prædito sic utique est agendum, quid nos miseri sacerdotes in judicio Dei dicemus, qui loco sacerdotali devincti, non nostras ullo modo, sed divinas injurias cum misericordia et discretione in alios, et cum severitate in nosmetipsos, vindicare debemus, si ad evindicationem parati semper existimus, quibus dicitur : *Benefacite his qui oderunt vos, non reddentes malum pro malo (Matth.* V). Scriptum est enim : *Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus : sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi* (*I Petr.* III ; *Rom.* XII). Et Salomon dicit : *Melior est patiens viro forte, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium* (*Prov.* XVI). Minor est ergo victoria urbes expugnare, quia extra sunt quæ vincuntur : majus autem est quod per patientiam vincitur, quia ipse a se animus superatur, et semetipsum sibimetipsi subjicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ substernit. *Qui*, inquit Apostolus, *sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* V), ut non solum a pravo opere, sed etiam a concupiscentia pravi operis crucifixi, non sequamur deliberatione, minime autem opere, quod prave a nobis concupiscitur, vel in mente suggeritur, Domini incessanter petentes clementiam, ut qui nos jussit vigilare et orare, ut non intremus in tentationem, sua nos gratia protegat, ne inducamur in tentationem : et si ut homines labimur, citius ad pœnitentiam redeamus ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus ; cui videlicet peccato, si tollere non possumus, ut non sit in nobis tollamus tamen per Dei adjutorium illi regnum, ne dominetur nostri. Maxima quippe infelicitas est hominis, in malo suo prosperari feliciter. Scriptum est enim : *Tria sunt quæ bene gradiuntur, et quartum quod incedit feliciter* (*Prov.* XXXVIII). Non enim omne quod feliciter, bene : nec omne quod bene, feliciter. Feliciter enim semper incedere, filio perditionis est proprium. « Grandis namque offensa est, ut Hieronymus dicit, postquam peccaveris, iram Dei non mereri. » Et sanctus Gregorius : « Necesse est ut peccantes quosque tunc consideremus amplius miseros esse, quando eos conspicimus in culpa sua sine flagello derelictos. » Hinc etenim per Salomonem dicitur : *Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos* (*Prov* I). Qui enim a Deo avertitur et prosperatur, tanto perditioni fit proximus, quanto zelo disciplinæ invenitur alienus : quo contra Psalmista de Moyse, et Aaron, et Samuele dicit : *Quia invocabant Dominum, et ipse exaudiebat illos, in columna nubis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia ejus, et præceptum quod dedit illis* (*Psal.* XCVIII) ; et more prophetico conversus mox ad Dominum dicit : *Domine Deus noster, tu exaudiebas eos : Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Propitiatio quippe Dei,

est delinquentem corripere. *Cum judicamur*, inquit, *a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur* (*I Cor.* XI); et : *Qui in bonis ducunt dies suos*, ut scriptum est, *in puncto ad inferna descendunt* (*Job* XXI). Hinc enim Psalmista de Domino dicit : *Immissiones per angelos malos, viam fecit semitæ iræ suæ* (*Psal.* LXXVII). Cor quippe Dominus prioribus meritis aggravatum juste permittit etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli : quod cum digne in culpam trahitur, reatus ejus in pœna cumulatur. Unde et iræ suæ Domino viam facere est, in eos, qui punire in se causas recte noluerunt, districte judicando dilatare : ut qui illuminati agere recta noluerunt, juste cæcati adhuc faciant unde amplius puniri mereantur, de quibus dicit Apostolus : *Ut impleant peccata sua semper* (*I Thess.* II). Et hinc voce angeli ad Joannem dicitur : *Qui nocet, noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII). Et hinc David dicit : *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in justitiam tuam* (*Psal.* LXVIII). Et hinc per Moysen dicitur : *Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum* (*Gen.* XV). Hinc per eumdem Dominus dicit : *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis ? In die ultionis reddam eis* (*Deut.* XXXII). Et quia eorum mala narravit, illico adjunxit : *In tempore quo lapsus fuerit pes eorum.* Ecce atrocissima peccata illorum describuntur, et tamen ad ultionis diem adhuc subsequens lapsus aspicitur, quo eorum culpæ cumulentur. Habent jam quidem unde feriri mereantur, sed sustinetur tamen adhuc peccatum crescere, ut peccantes possit acrior culpa cruciare. Jam meretur supplicium peccatum et causa peccati, sed exspectatur adhuc, ut augmentum supplicii subroget peccatum et pœna peccati. « Peccatum, inquit Gregorius (*homil.* 11 *in Ezech.*), quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum es et pœna peccati, aut peccatum simul causa et pœna peccati. Omne enim quod prius committimus, peccatum est : sed si citius pœnitendo non tergitur, Justo judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut quæ flendo et corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo, quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est et causa peccati, quia ex illo oritur unde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum vero quod ex peccato sequitur, peccatum simul est et pœna peccati, quia excrescente cæcitate ex retributione prioris culpæ generatur, ut quasi jam quædam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum. » Peccatum quippe tibi fuit insolentiæ contumacia, cum sine causa, si tamen sine causa, contra domnum regem te irrationabiliter erexisti : a quo peccato quia per humilitatis debitam et rationabilem satisfactionem noluisti respicere, exegisti ut ageret et agi præciperet in te, unde amplius furore exagitatus te contra illum commoveres : qua commotione devictus, in peccatum subsequens incidisti, ut perniciosas excommunicationum maledictiones in eos etiam qui erga te non inde peccaverunt exereres : quasi non in te, sed in illum ipsa pericula, quæ de eisdem maledictionibus imminebant, redundarent. Qui te ad hoc prevocavit ut taliter innoxiis malediceres, cum de his qui non judicio justitiæ, sed livore vindictæ maledicunt, dicat Apostolus : *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* IV). Et hoc peccatum exstitit pœna præcedentis contumaciæ insolentis peccati, et causa adhuc subsequentis peccati : quia cum voluisti ostentare nihil te contra rationem in ipsa excommunicatione parochiæ tuæ fecisse, et verecundiam irrationabilis facti a te depellere, et non esse ita te subditum Metropolitanæ prælationi, ut non licere quidquid velles in parochia tua sine meo consultu agere posses, meque prævaricatorem canonum esse, quia quod ligasti in parochia tua præsumpsi absolvere, et non esse soluta quæ solvi, quin potius sedes apostolica, et omnes illi per quos Deus sacros canones suo Spiritu condidit, ac per hoc ipse Deus, si recte intellexisses, absolvit, nisi contra ea quæ tibi et parochiæ tuæ scripsi, tecum sentirent, atque in præfato sensu subscriberent. In hanc vesaniam ex retributione justitiæ corruisti, ut sicut de aversore principe scriptum est : *Qui peccavit, et peccare fecit Israel* (*III Reg.* XIV), contra evangelicam veritatem, et apostolicam auctoritatem, et sacrorum canonum constitutionem, de quibus promulgata sunt illa scripta, quæ per me in unum collecta, et tibi ac parochiæ tuæ constant esse directa, et ipse subscriberes, et alios subscribere faceres, reclamantibus adversum te sacris regulis, ut inconsulto priore tuo nihil novi facere præsumas, quoniam quæ ad generalem observantiam omnium Domini pertinent sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri. Sed quia nervi testiculorum Behemoth perplexi sunt, cum his te explicare finxisti, te durius et multiplicius nexuisti, et super dolorem vulnerum tuorum ipse superaddens, alios solutos tecum connexuisti, insuper et contra canones, et decreta sedis Romanæ pontificum commenta ad hoc collegisti, quatenus te ut onagrum liberum a sede metropolitana monstrares, et me ut prævaricatorem canonum, eisdem commentationum tuarum vinculis astrictum insolubiliter demonstrares, et adhuc etiam sicut de malo in pejus, ita de pejore in pessimum profecisti, ut non solum tibi commissis clericis, sed et episcopis illa figmenta compilata, et regi danda ostenderes, et mihi dari faceres, ut per illa me concrederem, et adeo me tibi subjugarem, ut, sicut mandasti, verba evangelica et apostolica atque canonica, quæ tibi et Ecclesiæ tibi commissæ direxeram, igne cremarem, et me non solum a gradu, verum et a Christianitate exuerem, et potum mortis mihi a te propinatum bibens, etiam homicida mei velut Judas pœnitendo existerem, et in hoc etiam gravius a Juda differrem, ut de bono facto me pœniteret. Hoc namque poculum, quod

confecisti ex nominibus sanctorum apostolicæ sedis pontificum, quasi ad ora melle oblitum, et indiscrete commixtum, de quo tibi commissos clericos potionasti, et quod quibusdam episcopis obtulisti, et Satanas primis parentibus nostris in paradiso obtulit, quando pomum bonum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile ostendit, eisque dixit : *Quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii scientes bonum et malum* (*Gen.* III) ; et quibus promisit divinitatem, tulit immortalitatem, et pollicens liberam et nulli subjectam deitatis æqualitatem, captivitatis eis intulit miseram servitutem, quos sibi complices fecerat ad iniquitatem. « Et tu clericis tuis, qui, inquis, mihi eodem Deo auctore commissi sunt, et in his similiter sentiunt, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, hac mecum pace potiantur, » ac si patenter addendo diceres, et in transgressionem sanctarum regularum per sanctum vere Spiritum prolatarum gradiantur ; et mox subsequendo : « Si, inquiens , aliqui secus nolentes fieri socii hujus disciplinæ, nec habeantur participes communionis nostræ. » Quod non est aliud dicere, nisi permaneant in catholicæ Ecclesiæ communione, et si forte non verbis, rebus tamen quibusdam episcopis persuadendo : « Hanc, inquiens, tenete et mecum evindicate compilationem, et nulli nisi Romano pontifici debebitis subjectionem, et dissipabitis mecum Dei ordinationem in communis episcopalis ordinis discretam sedibus dignitatem. » Sed concedamus hæc dicere et agere posse aliquem arrogantem atque jactantem, illa vero divinare non valeo, quomodo in mentem tuam venire potuit, ut regi illam compilationem versibus inversis, scilicet adulatoriis sensibus prælitam velles ostendere, quem latere non posse sciebas ad quid illam voluisti colligere. Sed et mihi quomodo potuisti mandare, ut non solum ea quæ ædificavi destruerem, verum sic metropolitanæ sedis privilegium et meipsum tibi subjicerem, et Evangelia, atque apostolos, et prophetas, et canones incendendo negarem, ut sicut ethnicus et publicanus omnibus fierem, cum licet infirmus et fragilis una cum sancta Ecclesia frequentissime cantem, esse virum sanctum, qui pro lege Dei sui certavit usque ad mortem. Et hinc anxie mihi hæsitanti occurrit Paulus de hujusmodi dicens : *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom.* I). De quibus et Dominus ad Ezechielem prophetam dicit : *Patres*, inquiens, *eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc, et filii dura cervice et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te* (*Ezech.* II). Sed prius nobis ex verbis beati Gregorii dicendum est quid sit pactum : « In pacto, inquit (*hom.* 9 *in Ezech.*), discordantium partium voluntas impletur, ut ad votum suum quæque perveniat, et jurgia desiderato fine concludat. Quod pactum inter

A Deum et homines prævaricatum Deus queritur. Et ecce est una culpa superbiæ, quia prævaricati sunt pactum. Ecce altera obstinationis, quia usque ad diem hanc. Ecce culpa gravis impudentiæ, quia dura facie, quoniam mala quæ faciunt jam nec erubescunt, et nunquam vel post culpas ad pœnitentiam redeunt, quia indomabili corde sunt. Cum vero tantæ pravitatis, tantæque obstinationis sint hi, ad quos propheta mittitur, quis jam non videat quia persona prophetæ a tam perversis hominibus despici valeat ? Sed ecce auctoritas personæ tribuitur, cum subditur : Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus, si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant, *quia domus exasperans est* (*Ezech.* XII). Et tu, fili hominis, ne timeas eos, neque
B sermones eorum metuas, *quia domus exasperans est.* (*Ibid.*) Stultum enim valde est, si illis placere quærimus, quos non placere Domino scimus. Debemus autem habere in metu et reverentia judicia justorum, quia membra omnipotentis Dei sunt, et hoc ipsi in terra reprehendunt, quod Dominus redarguit e cœlo. Nam perversorum derogatio, vitæ nostræ approbatio est quia jam ostenditur nos aliquid justitiæ habere, si illis displicere incipimus qui non placent Deo. Ideo boni timendi sunt ne offendantur, ne fortasse per eos ille provocetur ad iracundiam, qui eorum corda semper inhabitat. Propter quod etiam subditur : Tu autem, fili hominis, audi quæcunque loquor ad te, et noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est. Nisi enim ad loquendum verba cum mittebatur obediret, omnipotentem Dominum, sicut
C auditores de perverso opere, sic propheta, id est prædicator de suo silentio Deum exasperasset. »

CAPUT XLVII.

Quod victum se nunquam agnoscat. De ejus in metropolitanum rebellione : et quod sacra eloquia exuri petierit, et schisma subscriptione sua fecerit. Et de injustis ejus obligamentis.

Unde mihi, ad cujus sollicitudinem pertinere dignosceris, non est tibi tacendum. Et quia ego monendo et tu resistendo luctari cœpimus, et puto in hac præsenti luctatione non ante sextam, aut septimam, vel usque ad decimam volutionem patieris succumbere : nempe, ut timeo, etiam cum ratione, veritate, atque auctoritate, ac nube testium, acriori duello Daretis et Entelli justissime victus, et judicum
D justorum clamoribus percitus, jam subtus jacens, victum te dicere non dignaberis, et quæ ad tuam instructionem et correptionem tibi scripta sunt, non ad ædificationem suscipies, sed ad contentionem exaggerare studebis, et more tuo sueto ut invictus sis, secutus Heliu præcursorem arrogantium, et in arrogantia sua invictissimum, qui dixit : *Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei : loquar et respirabo paululum, aperiam labia mea et respondebo* (*Job* XXXII), te intra te cohibere non poteris, quin scientiam tuam sine ratione et auctoritate in auras incondite ut soles non proferas, et ut me ad rescribendum compellere possis, quatenus horas utilitat

et necessitati impendendas inutilitati et superfluitati expendam, frivola et inutilia atque ratione carentia rescribere decertabis, et illa quæ jam a me tibi scripta sunt, sed et tuas ineptias ad episcoporum et sapientum examen me producere ad meum pro te dolorem et ad tuam perniciem exiges, et veniet super te, sicut vereor, illa sententia quæ scripta est : *Necesse est ut veniant scandala, væ autem homini illi per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII). Et sicut me et eos qui mecum te nutrierunt, deinde alios atque alios, sed et plures de his qui tibi commissi fuerunt, verum et de his qui a te in fœdus familiaritatemque suscepti fuerunt, viritim dereliquisti, et vicissim alios atque alios tibi in amicitiam et familiaritatem recepisti, cum delegeris potius eorum, qui se per diversa jactantes ab unitate catholicæ fraternitatis B præciderunt, vel propter irrevocabilem suam pertinaciam præcidi exegerunt, ut nostris temporibus Gothescalcus atque Guntarius, exitiabilem pertinaciam sequi, quam ecclesiasticam mansuetudinem et piam paternitatem. Contingat tibi, quod absit, cum eis habere partem, quorum studueris imitari perversam intentionem : et idcirco si, quod non opto sed timeo, in hac dementia sicut cœpisti volueris perseverare, ne amplius contra verbosum studeam contendere verbis, sed ista aut ad correctionem, aut per aliorum judicium ad tuam revictionem sufficere valeant, et mihi de avulsione dextri oculi vel dextræ manus abscissione dolor continuus et perpetuus mœror accidat, sicut ex verbis beati Gregorii tria tibi proposui : peccatum scilicet, et causam peccati, ac pœnam peccati : quæ etiam si negare velis admisisse C convinceris, tibi alia tria ex verbis beati Augustini proponam, ut sicut scriptum est, *Videas, et scias, et recogites, et intelligas pariter* (*Isa.* XLI). Primum quidem provectum avaritiæ, unde Apostolus, *et avaritia quæ est idolorum servitus (Coloss.* III). Avaritia enim, ut demonstrat Gregorius, non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Recte quippe avaritia dicitur, cum super modum sublimitas ambitur. Quod incidisse videris, qui contra decretum a Deo ordinatum, ne subditus secundum regulas tuo metropolitano fias, ut supra ostendi, rebellare conaris. In quo si perseverare delegeris, quantum delinquas, cum tantis auctoritatibus revincaris, ex ejusdem beati Augustini verbis, quæ de sancti Cypriani dictis deprompsit, tibi ostendere necessarium duxi. Ait enim sanD ctus Cyprianus (*epist.* 65, *ad Antonianum*) : « Post inspirationem, inquiens, et revelationem factam, qui in eo quod erraverat perseverat prudens et sciens, sine venia ignorantiæ peccat : præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur. » Hinc Augustinus (*lib.* IV *de Bapt. contra Donatistas*, cap. 5) : « Hoc verissimum est, longe gravius esse peccatum ejus qui sciens, quam ejus qui nesciens peccaverit. « Et ideo vir sanctus Cyprianus, non solum doctus, sed etiam docilis, quod in laude episcopi puem designat Apostolus, sic ipse intellexit, ut diceret etiam hoc in episcopo esse diligen-

A dum, non solum ut scienter doceat, sed etiam patienter discat. Non dubito quod si istam quæstionem in Ecclesia diu multumque versantem cum viris sanctissimis doctissimisque tractaret, per quos postea factum est, ut antiqua illa consuetudo etiam plenario concilio firmaretur, sine dubitatione demonstraret, non solum quam devotus esset in his quæ firmissima veritate perceperat, verum etiam quam docibilis in his quæ minus adverterat. Et tamen cum manifestissimum sit multo gravius peccare scientem quam nescientem, vellem mihi aliquis diceret : Si quis in hæresim incurrat, nesciens quantum malum sit, et alius ab avaritia non recedat, sciens quantum malum sit, quis eorum sit pejor ? Possum etiam ita proponere, si alius nesciens in hæresim B incurrat, et sciens alius ad idololatria non recedat, quia et Apostolus dicit : *Avaritia quæ est idolorum servitus* (*Coloss.* III), et ipse Cyprianus eamdem sententiam non aliter intellexit, sicut ad Antonianum scribens ait (*epist.* 52) : « Nec sibi in hoc novi hæretici blandiantur, quod se dicant idololatris non communicare, quando sint et apud illos adulteri et fraudatores qui teneantur idololatriæ crimine, secundum Apostolum dicentem (*Ephes.* V) : Hoc enim scitote intelligentes, quia omnis fornicator, aut immundus, aut fraudator, quod est idolatria, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei ; et iterum : *Mortificate* itaque *membra vestra quæ sunt super terram,* exponentes *fornicationem, immunditiam,* et *concupiscentiam malam, et avaritiam quæ est* idolorum *servitus* (*Colloss.* III). Quæro ergo quis peccet C gravius, qui nesciens in hæresim incurrerit, au qui sciens ab avaritia, id est ab idololatria non recesserit ? Secundum quidem illam regulam, qua peccata scientium peccatis ignorantiæ præponuntur, avarus cum scientia vincit in scelere hæreticum nescientem. Sed ne forte hoc fiat, facit in hæresi sceleris ipsius magnitudo, quod facit in avaritia scientis admissio, ut hæreticus nesciens avaro scienti coæquetur. » Exustionem quoque divinorum eloquiorum, quam mihi persuadere, si posses, obtentu apud te obtinendæ pacis conatus fuisti, sicut clericos parochiæ tuæ eodem obtentu per irregularem subscriptionem tecum connexuisti. Legimus quippe esse os cordis, sicut et os corporis. De ore enim cordis scriptum est : *Labia dolosa in corde, et corde locuti sunt* (*Psal.* D XI) ; et juxta evangelicam veritatem : *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, perjuria, falsa testimonia* (*Matth.* XI), et reliqua quæ ex ore cordis ad aliorum procedunt notitiam per os corporis. Et legimus deliberationem voluntatis esse perfectionem operis, dicente Domino : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (Matth.* V), et ad discipulos suos : *Posui,* inquit *vos, ut eatis et fructum afferatis* (*Joan.* XV). « Eatis, inquit Gregorius, volendo, fructum afferatis operando. Eatis enim volendo dixi, quia velle aliquid facere jam mente ire est. Et tu adeo ex deliberatione voluntatis pervenisti ad operationem sermonis,

ut mortiferum ad bibendum mihi propinares, scilicet ut eloquia sacra gratia tui incenderem, nisi mihi ille adesset qui in se credentibus repromisit dicens : *Si mortiferum quid biberint, non eos nocebit (Marc.* XVI). Dum pestiferas, inquit beatus Gregorius, suasiones audiunt, sed tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocebit. » Et licet me Deus hinc gratia sua servaverit, tu tamen, nisi pœnitueris, studii tui lues judicium. « Tardius, inquit beatus Gregorius (*Pastor.* III, admon. 33), peccatum solvitur, quod et per consilium solidatur : nisi enim mens omnimodo æterna despiceret, in culpa ex judicio non periret. Hinc est quod per prophetam Dominus non tam præcipitationum prava, quam delictorum studia reprehendit dicens : *Ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui exstinguat propter malitiam studiorum vestrorum* (*Jer.* IV). Hinc iterum iratus dicit : *Visitabo super vos juxta fructum studiorum vestrorum* (*Jer.* XXI). Quoniam igitur a peccatis aliis differunt peccata quæ per consilium perpetrantur, non tam prava facta Dominus, quam studia pravitatis insequitur. In factis enim sæpe infirmitate, sæpe negligentia, in studiis vero malitiosa semper intentione peccatur. » Hinc ergo colligant qui in culpa se etiam per consilium ligant, qua quandoque ultione feriendi sunt, qui nunc pravorum non socii, sed principes fiunt. Schisma nihilominus, quo te a tibi commissis separaturum monstrasti, nisi tectum subscriberent, quos tecum subscribentes a nobis, qui ea quæ tibi et ecclesiæ tibi commissæ, de evangelica veritate, et apostolica auctoritate, atque canonica institutione direxi, servamus, imo ab Ecclesia catholica, quæ illa servat et irrefragabiliter omnes servare docet. Ut quoniam me ex merito meo despicis, ex beati Augustini verbis de Scripturæ sacræ auctoritate docentis agnoscas quam grave peccatum sit idololatria, quod ex ambitu altitudinis admisisse videris, et quia gravius est incensio divinorum eloquiorum, ad quod me quantum ex te fuit traduxisti, et quoniam gravissimum sit peccatum schisma, quo te a fraterna nostra unanimitate per tuam perniciosam subscriptionem separasti, si in eo, quod absit, permanere delegeris : et si forte his subscripsisti, quæ evangelicæ veritati et apostolicæ auctoritati contraria, et decretis sanctorum conciliorum, quæ universalis Ecclesiæ probavit assensus, et apostolicæ sedis confirmavit auctoritas, inveniuntur adversa. Ait enim idem Beatus Augustinus loquens ad Donatistas, imo contra Donatistas schismaticos per carnis præsentiam, sicut tibi nunc loqui creditur per litterarum suarum doctrinam, et quæ mori nunquam potuit charitatem : velut ipse de Cypriano dicit *(lib.* V *de Bapt.*, c. 17) : « Præsens est, inquiens, non solum per litteras suas, sed etiam per ipsam, quæ in illo maxime viguit et mori nunquam potuit, charitatem. » Quique te cum præfatis alloquens (*lib.* II *de Bapt.*, c. 6) : « Quare, inquit, vos, non dico ab innocentibus,

A quod probatur, sed ab ipsis, quod non probatur, traditoribus separastis ? An, ut dicere cœperam, graviora sunt crimina traditorum, quam schismaticorum ? Non afferamus stateras dolosas ubi appendamus quod volumus, et quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes, hoc grave, hoc leve est : sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis, et in illa quid sit gravius appendamus, imo non appendamus, sed a Domino appensa recognoscamus. Tempore illo, quo Dominus (*Exod.* XXXII) priora delicta recentibus pœnarum exemplis cavenda monstravit, et idolum fabricatum atque adoratum est, et propheticus liber ira regis contemptoris incensus (*Jer.* XXXVI), et schisma attentatum, idololatria gladio punita est, exustio

B libri bellica cæde et peregrina captivitate, schisma hiatu terræ sepultis auctoribus vivis, et cæteris cœlesti igne consumptis. Quis jam dubitaverit hoc esse sceleratius commissum, quod est gravius vindicatum? » De eo quod in tua subscriptione misisti, ut tecum subscribentes : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, hac tecum pace potiantur* (*Num.* XVI), in eodem libro dicit ad Donatistas (*lib.* II *de Bapt.*, cap. 6) : « Quare non communicatis ecclesiis, quibus epistolas apostolicas missas tenetis et legitis, et secundum ipsas vos vivere dicitis ? » Et post pauca, quæ studio brevitatis prætereo, et lector ibidem ex ordine poterit invenire : Hos, inquit, omnes catholica unitas materno sinu complectitur, invicem onera sua portantes, et studentes

C servare unitatem spiritus in vinculo pacis, donec alteris eorum, si quid aliter sapiebant, Dominus revelaret. De hoc autem, quod quasi ex verbis Leonis subjunxisti *(Ephes.* IV) : « Si aliqui secus nolentes fieri socii hujus disciplinæ, nec habeantur participes communionis nostræ, » conferantur verba tua cum verbis Leonis in capitulo ubi hæc dicit, et junctim legantur, sicut ibi habentur (*epist.* 1, c, 5) : « Hoc itaque admonitio nostra denuntiat quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis forte credatur : Omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium de-

D cessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. » Hæc est integritas capituli beati Leonis. Intueamur ergo, si disciplina discenda tuis a te proposita, disciplinæ, quam sequendam Leo docuit, æqua sorte conveniat, aut si tua doctrina ab illius doctrina discordet, et judicet cœlum ac terra quæ potius sit sequenda, tua disciplina, an Leonis doctrina. Et cum idem Leo dicat : « Nec communionis nostræ esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ, » discernendum est, cujus commu-

nionem, illius cum universali Ecclesia, an tuam oppidani episcopi cum tuis complicibus debeat catholicus quisque eligere, præsertim cum idem Leo dicat : « Si quis in decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum suorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, et canonum promulgata sunt disciplinis commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. » In quæ decretalia constituta te manisfestum est commisisse, sicut et in scriptis semel et secundo a me tibi directis ostenditur, et ecce jam tertio in hoc scripto supra monstratur : a quorum disciplina, imo a catholica Ecclesia, cujus exstitere rectores, hac subscriptione tua te separasti, si, ut prædictum est, et semper dicendum est, a te subscripta eisdem constitutis esse inveniuntur adversa. Quapropter adhuc etiam tria tibi ex verbis beati Augustini catholicæ Ecclesiæ doctoris eximii proponenda proposui, præponens his tribus beati Cypriani sententiam, a beato Augustino favorabiliter collaudatam *(epist.* 73, *ad Jubajanum* in fine), et ab omnibus catholicis ac pie viventibus acceptandam. « Servatur, inquit beatus Cyprianus (*lib.* IV *de Bapt.*, cap. 7), a nobis patienter et leniter charitas animi, honor collegii, vinculum fidei, concordia sacerdotii. » Hæc, inquit Augustinus, verba Cypriani sunt. An forte invidia et malevola dissensio parvum malum est ? Quomodo ergo isti erant in unitate, qui non erant in pace ? Vox enim non mea, aut alicujus hominis, sed ipsius Domini, nec per homines, sed per angelos sonuit Christo nato :*Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II*)*. Quod utique nato in terris Christo non sonaret ore angelico, nisi Deus hoc vellet intelligi, eos esse in unitate corporis Christi, qui sunt in pace Christi, eos autem esse in pace Christi, qui sunt bonæ voluntatis. Porro sicut in benevolentia bona voluntas, sic in malevolentia mala voluntas est. Jam vero ipsa invidia, quæ non potest esse nisi malevola, quantum malum est ? Non quæramus alios testes, sufficit nobis ipse Cyprianus, per quem tam multa de zelo et livore Dominus veracissima intonuit, et salubria præcepit Legamus ergo Epistolam Cypriani de zelo et livore, et videamus quantum malum sit invidere melioribus, cujus mali originem ab ipso diabolo exstitisse memorabiliter docet. « Zelare, inquit, quod bonum videas, et invidere melioribus, leve apud quosdam et modicum crimen videtur, fratres dilectissimi. » Deinde paulo post, cum ejus mali caput atque originem quæreret : « Hinc diabolus, inquit, inter initia statim mundi, et periit primus et perdidit. » Et paulo post : « Quale malum est, inquit, fratres, quo angelus cecidit, quo circumveniri et subverti, alta illa et præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse qui decepit ? Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum qui zelat imitatur, sicut scriptum est : *Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum* (*Sap.* II). Imitantur ergo illum qui sunt ex parte

A ejus. » Hæc idcirco tribus promissis de verbis beati Augustini a me tibi proponendis præposui, quoniam zelo et furore illa perniciosa ligamenta, de quibus agitur, te egisse, et hanc contra sacras regulas subscriptionem adinvenisse veraciter credimus. Quapropter necessarium duxi primum quidem tibi ostendere, quia in sola catholica, unitate per hæreses vel schismata non divisa, vera sunt ligamenta, ut vera sunt sacramenta. « Puto me, inquit beatus Augustinus (*lib.* VII *de Bapt.*, c. 51), non temere dicere, alios ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari super petram, quæ unica columba appellatur, quæ sponsa pulchra sine macula et ruga, et hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum : quæ domus etiam B claves accepit, ac potestatem solvendi et ligandi. Hanc domum si quis corripientem corrigentemque contempserit, sit tibi, inquit, tanquam ethnicus et publicanus. » Et sciendum nobis est, quia præposita regula corripiendi data huic domui Dei, videlicet catholicæ Ecclesiæ, hæc sententia si contempta fuerit, subditur : *Sit tibi,* inquit, *tanquam ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII). Secundum autem capitulum, contra injustam obligationem innoxiorum a te patratam, quasi specialiter de hoc facto loquentis, et te una cum eis quos alloquebatur computantis, ex verbis ejusdem doctoris magnifici tibi propono, dicentis (D. Aug. I. II *de Bapt.*, c. 6) : « Si tunc in illos quos arguebatis vera diceretis, causam vestram unitati orbis terrarum persuasissetis, ut vobis retentis illi excluderentur. Quod si conati estis facere, et C non obtinuistis, innocens orbis terrarum qui judicibus ecclesiasticis potius quam victis litigatoribus credidit. Si autem noluistis agere causam vestram, innocens est orbis terrarum qui damnare non potuit inauditos. Quare ergo vos ab innocentibus separastis ? Sacrilegium schismatis vestri defendere non valetis. » Spiritales autem, sive ad hoc ipsum pio studio proficientes, non eunt foras, quia et cum aliqua vel perversitate vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probant quam intus permaneant, cum adversus Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solida unitatis petra fortissimo charitatis robore radicantur. Ad hoc enim pertinet quod in illo Abrahæ sacrificio dicitur : *Aves autem non divisit (Gen.* XV*)*, videlicet quia se ab unitate spiritales non D præcidunt. Quo contra Antiochenum concilium de his, qui se a ministerio ecclesiastico subtrahunt, et seorsum colligunt, seque ab unitate dividunt, dicit (*conc. Antioch.*, can. 5) : « Si quis presbyter aut diaconus, episcopum proprium contemnens, se ab Ecclesia sequestraverit, et seorsum colligens altare constituerit, et commonenti episcopo non acquieverit, nec consentire vel obedire voluerit semel et iterum convocanti, hic damnatus omnimodo nec ultra remedium consequatur : quia suam recipere non poterit dignitatem. Quod si Ecclesiam conturbare et sollicitare perstiterit, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur. » Et Carthaginense con-

cilium (*can.* 11) : « Si quis presbyter a præposito suo correptus fuerit, debet utique apud vicinos episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconcilari : quod nisi fecerit, sed superbia, quod absit, inflatus secernendum se ab episcopi sui communione duxerit, aut separatim cum aliquibus schisma faciens sacrificium Deo obtulerit, anathema habeat, et locum amittat : si querimoniam justam adversus episcopum non habuerit, inquirendum erit. » Secundum hoc capitulum, simul cum nono capitulo Antiocheni concilii, comministri Ecclesiæ Laudunensis absque schismate et rebellione, juxta temporis augustiam et imminens periculum, innocenter injuriam passi episcopum metropolitanum adierunt, et ideo, sicut supra ostendi, in communione ecclesiastica restitui et permanere debuerunt. Unde Carthaginense concilium de irregulariter judicantibus, et injuste judicatis, et de majoris auctoritatis judicibus : « Placuit, inquit (*can.* 15), ut a quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos ubi est major auctoritas fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati. » De episcopo autem, si forte schisma a sacris canonibus in Ecclesia fecerit, Africanum concilium dicit (*can.* 20) : « Circa eos sane, inquiens, qui fuerint concordes, non solum circa Ecclesiam Carthaginensem, scilicet metropolim, sed et circa omne sacerdotale consortium. » Et post pauca : « Oportet ut quis universis fratribus ac toto concilio inhæserit, non solum sua jure integro, sed et diœceses possideat. At vero qui sibimet putant plebes suas sufficere fraterna dilectione contempta, non tantum diœceses amittant, sed ut dixi etiam propriis publica careant auctoritate, ut rebelles. » De a te autem separatis a communione catholica, sicut in petitione mihi a Laudunensi Ecclesia data continetur, scilicet parvulis in tua parochia causa injuriarum tuarum non baptizandis, et obeuntibus viatici muneris communione non reconciliandis, audi quid exinde ad remedium pertinens idem doctor catholicissimus et subtilissimarum rerum investigator, et gratia Dei inventor sagacissimus dicat (Aug., *lib.* IV *de Bapt.*, cap. 22) : « Baptismi, inquiens, sane vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII), non leve documentum idem beatus Cyprianus assumit. Quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in augustiis temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum : nec quia credidit passus est, sed dum pateretur credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili baptismi sacramento quod ait Apostolus : *Corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem* (*Rom.* X), in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Nam multo magis in Cornelio et in amicis ejus (*Act.* X), quam in illo latrone posset videri superfluum, ut aqua etiam tinguerentur, in quibus jam donum Spiritus sancti, quod nisi baptizatos alios accepisse sancta Scriptura testatur, certo quoque indicio, quod illis temporibus congruebat, cum linguis loquentibus eminuerat : baptizati sunt tamen, et in hoc facto apostolica exstat auctoritas. Usque adeo nemo debet, in quolibet provectu interioris hominis, si forte ante baptismum usque ad spiritalem intellectum pio corde profecerit, contemnere sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter adhibetur, sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritaliter operatur. Nec ob aliud existimo baptizandi munus Joanni fuisse attributum, ita ut Joannis baptismus diceretur, nisi ut Dominus ipse qui dederat, cum servi baptismum non sprevisset accipere, dedicaret humilitatis viam, et quanti pendendum esset suum baptisma, quo ipse baptizaturus erat, tali facto apertissime declararet. Videbat enim, tanquam potentissimus medicus salutis æternæ, quorumdam non defuturum tumorem, qui cum intellectu veritatis et probabilibus moribus ita profecissent, ut multis baptizatis vita atque doctrina se præponere minime dubitarent, supervacaneum sibi esse crederent baptizari quando ad illum mentis habitum se pervenisse sentirent ad quem multi baptizati adhuc ascendere conarentur. (*Ibid.*, c. 23.) Quid autem valeat et quid agat in homine corporaliter adhibita sanctificatio sacramenti, sine qua tamen latro ille non fuit, quia non ejus accipiendæ voluntas defuit, sed non accipiendæ necessitas affuit, difficile est dicere: nisi tamen plurimum valeret, non servi baptismum Dominus accepisset. Verum quia per se ipsa consideranda est, excepta salute hominis cui perficiendæ adhibetur, satis indicat, quod et in malis, et in eis qui sæculo verbis non factis renuntiant, ipsa integra est, cum illi nisi corrigantur salutem habere non possint. Sicut autem in latrone, quia per necessitatem corporaliter defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritaliter affuit, sic et cum ipsa præsto est, si per necessitatem desit quod latroni affuit, perficitur salus. Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui certe nondum possunt corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem, quod latro potuit, quinetiam flendo et vagiendo, cum in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt, et tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari. (*Ibid.*, c. 24.) Et si quisquam quærat in hac re auctoritatem divinam, quamquam quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur, tamen veraciter conjicere possumus quid valeat in parvulis baptismi sacramentum ex circumcisione carnis, quam prior populus

accepit, quam priusquam acciperet justificatus est Abraham (*Gen.* XIX), sicut Cornelius etiam dono Spiritus sancti priusquam baptizaretur ditatus est (*Act.* X). Dicit tamen Apostolus de ipso (*Rom.* IV), Abraham signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei, qui jam corde crediderat, et deputatum illi erat ad justitiam. Cur ergo ei præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret (*Gen.* XVII), qui nondum poterat corde credere ut ei deputaretur ad justitiam, nisi quia et ipsum per seipsum sacramentum multum valebat? Quod in filio Moysi per angelum manifestatum est (*Exod.* XIV), qui cum adhuc incircumcisus a matre ferretur, præsenti et evidenti periculo ut circumcideretur exactum est, et cum factum esset, depulsa est pernicies. Sicut ergo in Abraham (*Exod.* IV) præcessit justitia fidei, et accessit circumcisio signaculum justitiæ fidei, ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus sancti, et accessit sacramentum regenerationis in lavacro baptismi. Et sicut in Isaac (*Gen.* XXI), qui octavo suæ nativitatis die circumcisus est, præcessit signaculum justitiæ fidei et quoniam patris fidem imitatus est, secuta est in crescente ipsa justitia, cujus signaculum in infante præcesserat, ita in baptizatis infantibus præcedit regenerationis sacramentum, et si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conversio, cujus mysterium præcessit in corpore. Et sicut in illo latrone quod ex baptismi sacramento defuerat, complevit Omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat: sic in infantibus qui baptizati moriuntur eadem gratia Omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideo cum pro eis alii respondent, ut impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt: at si pro eo qui respondere potest alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Evangelio dictum est, quod omnes cum legitur naturaliter movet: *Ætatem habet, ipse pro se loquatur* (*Joan.* IX). (*Cap.* 25.) Quibus omnibus rebus ostenditur, aliud esse sacramentum baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri: nec si unum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse ut et alteram desit: quia et illud sine isto potest esse in infante, et hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset. Cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvi. Et baptismus quidem potest inesse ubi conversio cordis defuerit: conversio autem cordis potest quidem inesse non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest. Neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur. » Et quia sicut veridica est sententia Salvatoris nostri: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu*
A *sancto non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III), scilicet aut invisibili gratia cum visibili sacramento, aut invisibili gratia sine visibili sacramento renatus, ita veridica est ejusdem Salvatoris nostri sententia, qua dicit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Unde idem beatus Augustinus in sermone ad infantes ad altare accedentes de Sacramento: «Dominus, inquit, Jesus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis et unitatis nostræ in sua mensa sonsecravit: qui accipit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Nulli est aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri,
B quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si antequam panem illum comedat, et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipse hoc quod illud sacramentum significat invenitur. » His autem, qui forte obeuntes viatici muneris communione reconciliari petierunt, sed impetrare non potuerunt, convenire posse videtur remedialis sententia ejusdem beati Augustini, quam laudans sensum beati Cypriani de his qui in unitate Ecclesiæ dormierunt, et idcirco ab Ecclesiæ muneribus non separati credebantur, dicit: « Bene quidem præsumpsit quod charitas unitatis cooperire posset multitudinem peccatorum. » Et his concinens beatus Ambrosius in
C libro de morte Valentiniani inter alia dicit (*post medium, versus finem*): « Non habet ergo gratiam quam poposcit? Et quia poposcit, accepit: et ubi illud est, Justus quacunque morte præventus fuerit, anima ejus in requie erit? Solve igitur, pater sancte, munus servo tuo, quod Moyses dum in spiritu vidit, accepit, quod David quia ex revelatione cognovit, emeruit (*Sap.* IV). Solve, inquam, servo tuo Valentiniano munus quod concupivit, munus quod poposcit sanus, robustus, incolumis. Si affectus ægritudine distulisset, tamen non penitus a tua misericordia esset alienus, qui celeritate temporis esset non voluntate fraudatus. Solve ergo servo tuo munus tuæ gratiæ, quam ille nunquam negavit, qui ante diem mortis templorum privilegia negavit insurgentibus
D quos revereri posset. Astabat virorum caterva gentilium, supplicabat senatus: non metuebat hominibus displicere, ut tibi soli placeret in Christo. Qui habuit spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? Aut quia solemniter non sunt celebrata mysterial hoc movet? Ergo nec martyres si catechumeni fuerint coronentur? Non enim coronantur, si non initiantur. Quod si suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas. » Et item idem in eodem libro (*non longe a principio*): « Beatus plane qui ve, in senectute correxerit errorem: beatus qui vel sub ictu mortis animum avertit a vitiis. *Beati enim quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI), quia scriptum

est : Desine *a malo, et fac bonum, et inhabita in sæculum sæculi* (*Psal.* XXXVI). Quicunque ergo desierit a peccatis, et fuerit ad meliora in quacunque conversus ætate, habebit superiorum indulgentiam peccatorum, quæ fuerit vel pœnitendi confessus affectu, vel corrigendi aversatus ingenio. »

CUPUT XLVIII.

De iis qui nimis amant sententiam suam usque ad schisma vel hæresim.

Ex his, frater, diligenter attende et perspicaciter collige, quia licet sicut in illo latrone (*Luc.* XXIII), quod ex baptismi sacramento et communicatione corporis et sanguinis Christi (quæ sacramenta antequam Dominus in crucem ascenderet suis discipulis celebranda et sumenda cunctis fidelibus tradidit), defuerat, complevit omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat, et sicut parvulis naturali, id est alieno peccato obnoxiis, aliorum, id est patronorum fides pro eis respondentium in baptismate fit ad salutem, ita parvulis, quibus baptismum denegari jussisti, parentum vel patronorum corde credentium, et pro parvulis suis fideli verbo baptisma expetentium, sed non impetrantium, fides et fidelis postulatio prodesse potuerit, dono ejus, cujus Spiritus quo regeneratio fit ubi vult spirat, quia ipse habet in potestate cujus cor gratia suæ visitationis illustret, sicut et in illis duobus, qui inter Septuaginta conscripti fuerunt a Moyse (*Num.* XI), ut ad tabernaculum Domini irent, et propagato ejus spiritu inter seniores computarentur, et remanentes in castris prophetaverunt, et sicut ante baptismum in Cornelium et amicos ejus supervenit, et sicut secundum Africanum concilium et decreta Leonis, etiam signa petentium, et testes communionem postulantium, proficere ad salutem debere legitur, ita eisdem petentibus, licet non impetrantibus, communionem, quibus eam denegari jussisti, per viscera misericordiæ Dei nostri, qui posuit tenebras latibulum suum, et cujus misericordiæ nec modum possumus ponere, nec tempora diffinire, dicente Dei Spiritu per prophetam : *Cum ingemueris, tunc salvus eris* (*Isa.* III), quia apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio, ipsa ex desiderio fidelis postulatio, si non præscientia Dei ex retributione justitiæ fuerunt in massa perditionis umani generis relicti ad pœnam, sed gratiam Dei ex eadem masse prædestinati ad gloriam, prodesse valuerit. Tamen tu sucurus esse non potes, si aliqui sine eisdem sacramentis per tuam jussionem obierunt, ut non districte inde judicetur tua malignitas, quod in eis complere valuit Omnipotentis benignitas, si per dignos pœnitentiæ fructus ac profusas lacrymas veniam non obtinuerit tibi apud Deum vera humilitas ; dicente Leone (*epist.* 59, *ad Theodorum*), et per eum catholica et apostolica Ecclesia : « His, inquit, qui in tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora deffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confessio, dicente Dei Spiritu per prophetam (*Isa.* XXX) : Cum ingemueris, tunc salvus eris ; et alibi : Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris *Isa.* XLIII) ; et iterum : *Quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud Deum redemptio* (*Psal.* CXXIX), In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantum se gemitus lacrymasque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo (*II Tim.* I) : Ne forte det illis Deus pœnitentiam, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem. » Et paulo post : « Verum, ut dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus postulant, negetur. At si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequantur. » Et Gregorius : « Pastores Ecclesiæ ei pœnam debent amovere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. » Et sacri Nicæni canones generaliter omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui manifeste præcipiunt (*can.* 13). Tertium capitulum est de his qui nimis amando sententiam suam, vel invidendo melioribus, usque ad præcidendæ communionis, et condendi schismatis vel hæresis sacrilegium perveniunt. Unde idem doctor catholicus ac solertissimus dicit (August., lib II *de Bapt.* cap. 4, 5) : « Hoc, inquiens, facit sanitas pacis, ut cum diutius aliqua obscuriora quæruntur, et propter inveniendi difficultatem, diversas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris. Et ideo plerumque doctioribus minus aliquid revelatur, ut eorum patiens et humilis charitas, in qua fructus major est, comprobetur, vel quomodo teneant unitatem, cum in rebus obscurioribus diversa sentiunt, vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id quod sentiebant declaratam esse cognoscunt. Quorum duorum manifestatum tenemus unum in beato Cypriano, id est, quomodo tenuerit unitatem cum eis a quibus diversum sentiebat. Ait enim : Neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem si diversum senserit amoventes. Alterum autem, id est, quomodo accipere potuerit veritatem contra id quod sentiebat inventam, et si litteræ tacent, merita clamant ; si epistola non invenitur, corona testatur ; si concilium non judicat episcoporum, consortium indicat angelorum. Non enim parvum documentum est pacatissimæ animæ, in ea unitate martyrium meruisse, unde se diversum sentiens noluit separare. Homines enim sumus. Unde aliquid aliter sapere quam se res habet, humana

tentatio est : nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo mulieribus, usque ad præcidendæ communionis et condendi schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est : in nullo autem aliter sapere quam se res habet, angelica perfectio est. Quia itaque homines sumus, sed spe angeli sumus, quibus æquales in resurrectione futuri sumus (*Matth.* XXII), quandiu non habemus perfectionem angeli, non habeamus præsumptionem diaboli. Ideo dicit Apostolus : *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana* (*I Cor.* X). Humanum est ergo aliquid aliter sapere. Propterea dicit alio loco : *Quodquod ergo perfecti hoc sapiamus.* Et *si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit* (*Philip.* III). Quibus autem revelat cum voluerit, sive in hac vita, sive post hanc vitam, nisi ambulantibus in viam pacis, et in nullam præcisionem deviantibus ? Non quales isti sunt, qui viam pacis non agnoverunt, nec propter aliud unitatis vinculum diruperunt. Ideoque Apostolus cum dixisset (*Ephes.* IV). Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelavit, ne putarent præter viam pacis quod aliter sapiebant sibi posse revelari, continuo addidit (*I Cor.* XIII) : Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus. In quo ambulans Cyprianus perseverantissima tolerantia, ne fuso sanguine, sed in unitate non fuso, quia si traderet corpus suum ut arderet, et non haberet charitatem, nihil ei prodesset, per martyrii confessionem pervenit ad angelicam lucem : ut si non antea, ibi certe revelatum agnosceret, quod cum aliter saperet, sententiam diversæ opinionis vinculo non proposuit unitatis. » Quod autem adjungit Cyprianus et dicit (*lib.* V *de Bapt.*, c. 3) : « Non tamen quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est, cum magis sapientibus et Deum timentibus congruat, patefactæ et perspectæ veritati libenter atque incunctanter obsequi, quam pertinaciter atque obstinate contra fratres et consacerdotes pro hæreticis reluctari, verissime dicit, nec alteri potius quam sibi adversatur qui resistit apertissimæ veritati. Primatus autem non est nisi in sancta conversatione et vita bona, quo pertinent omnes, ex quibus tanquam membris constat illa sponsa non habens maculam neque rugam, et illa columba inter multorum corvorum improbitatem gemens. Nisi forte cum Esau propter lenticulæ concupiscentiam primatum perdiderit, tenere primatum arbitrandi sunt fraudatores, raptores, feneratores, invidi, ebriosi, et cæteri hujusmodi, quales in Ecclesia sui temporis etiam per litteras Cyprianus ingemuit. Quapropter aut quod est tenere Ecclesiam, non hoc est in divinis tenere primatum, aut si omnis qui tenet Ecclesiam, etiam primatum tenet, omnes illi iniqui Ecclesiam non tenent, qui tamen intus videntur, et baptismum dare et habere a nullo nostrum negantur. Nam eos primatum in divinis habere quis dicat, nisi qui nihil divinum sapit ? » Et foris quidem, id est in hæresi vel schismate nec ligari aliquid potest nec solvi, ubi non sit qui aut

A ligare possit aut solvere. Sed solvitur qui cum columba fecerit pacem, et ligatur qui cum columba non habet pacem, sive aperte foris sit, sive intus esse videatur. Dathan vero et Abiron (*Num.* XVI), qui sibi sacrificandi licentiam usurpare conati sunt contra unitatem populi Dei, et filii Aaron, qui alienum ignem altari imposuerunt, novimus quod impune non fecerint : nec nos alia scelera dicimus impunita remanere, nisi se tales correxerint, si patientia Dei ad pœnitentiam adducens tempus corrigendi largitur. (Aug., lib. III *de Bapt.*, c. 16.) « Spiritus autem sanctus, qui in sola catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt quod Apostolus ait : *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*

B *per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V). Ipse est enim charitas, quam non habent qui ab Ecclesiæ catholicæ communione præcisi sunt, ac per hoc etiam si linguis hominum et angelorum loquantur, si sciant omnia sacramenta, et omnem scientiam, et si habeant omnem prophetiam et omnem fidem, ita ut montes transferant, et distribuant omnia sua pauperibus, et tradant corpus suum ut ardeant nihil eis prodest. Non autem habet Dei charitatem qui Ecclesiæ non diligit unitatem : ac per hoc recte intelligitur dici, non accipi nisi in catholica Spiritus sanctus. Neque enim temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus (*Act.* VIII), sicut antea debatur ad commendationem rudis fidei, et Ecclesiæ primordia dilatanda Quis enim nunc hoc exspectat,

C ut in quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui ? Sed invisibiliter et latenter intelligitur pro vinculo pacis eorum cordibus divina charitas inspirari, ut possint dicere : Quoniam *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V). Multæ autem sunt operationes Spiritus sancti, quas idem Apostolus, cum quodam loco quantum sufficere arbitratus est commemorasset, ita conclusit : *Omnia autem hæc operatur unus atque, idem Spiritus dividens unicuique prout vult* (*I Cor.* XII). Cum ergo aliud sit sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit (*Act* VIII.) aliud operatio Spiritus, quæ in malis etiam hominibus fieri solet, sicut Saul habuit prophetiam (*I Reg.* XII) : aliud opera-

D tio ejusdem Spiritus, quam non nisi boni habere possunt, sicut est finis præcepti charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (*I Tim.* I), quodlibet hæretici et schismatici accipiant, charitas quæ coeperit multitudinem peccatorum (*I Petr.* IV), proprium donum est catholicæ unitatis et pacis, nec est in omnibus, quia nec ejus sunt omnes, sicut suo loco videbimus. Præter ipsum tamen esse illa charitas non potest, sine qua cætera, etiam si agnosci et approbari possunt, prodesse tamen et liberare non possunt. » Et sanctus Gregorius in libro Moralium (*lib.* XVIII, c. 14) : « Conflationis ignis, qui extra catholicam toleratur Ecclesiam, quam nullius

omnino virtutis sit, Paulus apostolus insinuat dicens: *Si tradidero corpus meum ut ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XXXIII). Alii quippe prava de Deo sentiunt, alii recta de auctore tenent, sed unitatem cum fratribus non tenent: illi errore fidei, isti vero schismatis perpetratione divisi sunt. Unde et in ipsa prima parte Decalogi utrarumque partium culpæ reprimuntur, cum divina voce dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (*Deut.* VI), atque mox subditur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Qui enim de Deo perversa sentit, liquet profecto quia Deum non diligit. Qui vero de Deo recta sentiens a sanctæ Ecclesiæ unitate divisus est, constat quia proximum non amat, quem habere socium recusat. Quisquis ergo ab hac unitate matris Ecclesiæ, sive per hæresim de Deo perversa sentiendo, seu errore schismatis proximum non diligendo, dividitur, charitatis hujus gratia privatur, de qua hoc quod præmisimus Paulus dicit: *Si tradidero corpus meum ut ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII); ac si aperta voce diceret, extra locum suum conflationis mihi ignis adhibitus tormento me cruciat, mundatione non purgat. Hunc omnes sanctæ pacis amatores summo studio locum quærunt, hunc quærentes inveniunt, hunc invenientes tenent, scientes peccatorum remissio, vel ubi, vel quando, vel qualibus detur. Ubi quippe, nisi in catholicæ matris sinu? Quando, nisi ante venturi exitus diem? quia ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Et: Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Qualibus, nisi conversis, qui ad parvulorum imitationem magistra humilitate formantur, quibus dicitur: *Sinite parvulos venire ad me: talium est enim regnum cœlorum* (*II Cor.* VI); et: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Isa.* LV). » Et in decretis apostolicæ sedis, quando Vigilius ex apostolico, post multa et terribilia præstita sacramenta in hæresim lapsus Constantinopoli detinebatur, ab Ecclesiæ Romanæ catholicis clericis Joanni schismatico presbytero directis, quæ ipsa sancta Romana Ecclesia inter catholicas regulas retinet, inter alia scriptum est: Sic semper habuit omnis Ecclesia, quia qui in una communione consentiunt, uno dogmate, una charitate, uno tenentur assensu. Sicut enim communio et ex omnibus offerentibus una fit, et una redit in omnibus, non parte corporea, sed virtute divina: sic unanimitas per omnes illic communicantes excurrit. Nam si non est unius consensionis signum una communio, quid erit quod ad confitendam per omnem Ecclesiæ consonantiam mystice celebretur? Nec nobis jam dicas (*Matth.* XIX): Ergo si criminosus sit sacerdos, crimen redundat in populos. Aliud est enim quod committitur, aliud quod etiam prædicatur. Privatum est quod ab unoquoque committitur: commune vero fit Ecclesiæ quod publice prædicatur, tantorumque sacerdotum manu subscribitur. Et sicut tu absolvi non potes si contraria ore prædices, contraria uno eodemque tempore manu subscribas: sic ipsa omnium vestrum collectio absolvi non potest si contraria dicat et contraria faciat; id est, si communicet sacerdoti, a cujus prædicatione et subscriptione dissentit. Sicut enim os tuum et manus tua unius ejusdemque corporis membra sunt, ita unius ejusdemque Ecclesiæ membra sunt sacerdotes et populus, sive cum catholicis catholicus, sive cum non fidelibus infidelis. Inde est enim quod a Domino in finem sæculi colligi jubentur zizania et alligari fasciculos ad comburendum (*Matth.* XIII). Hinc est quod sancto propheta Ezechiele testante: *Si sacerdos non distinxerit populo, ipse quidem populus in suo peccato morietur, animam tamen ejus de manu sacerdotis inquirit (Ezech.* III), non ait, quia extra peccatum populus est non morietur, sed quia in suo peccato morietur, sed populus quidem pro seipso tantum, sacerdos vero etiam pro populo. Hinc est: *Si cæco cæcus ducatum præbeat*, non ipse qui ducatum præbet solus, sed *ambo in foveam cadunt (Matth.* XV). Et item in eisdem decretis, Schismaticus enim et hæreticus populus schismatico et hæretico sacerdoti communicans, sicut universa Dei semper tenuit et tenet Ecclesia, schismaticus et hæreticus in regnum Dei intrare non possunt, sed pars ejus es in gehenna. Cessa igitur talia prædicare, quæ scelus sit cogitare: cessa vastare gregem Christi, ne sicut et ipse negare non potes, super tuum caput sit illius populi universi perditio. Quod quidem tibi perfectæ damnationis est causa, illos vero absolvere omnino non poterit. Et item ibi, quod et in alio loco istius ipsius opusculi posui: Quisquis assentit principi schismatis, schismaticus esse negare non poterit. Quod si et omnes sacerdotes et mundus assentiat, damnatio consentientes involvit, non prævaricationem consensus absolvit. Non enim crimen minuitur sed accrescit, cum generale fit ex privato. Hoc enim Deus omnium indicavit, qui mundum peccantem generali diluvio interemit. Sed quid miseri facietis, quia qui illum et prædixit et fecit, ipse ignis diluvium nunc minatur, ipse gehennæ sine fine tormenta? Sicut enim justos in æternam vitam prædixit ituros, sic impios æterno damnandos interitu, ut sicut non potest finiri beatitudo justorum, sic nec impiorum tormenta finiantur. Hæc hæreticis schismaticisque sunt: et quia quidquid nunc gerit Ecclesia, mystice typus est futurorum, si gustabunt de pane cœlesti, id est de suavitate divina gehennæ participes, damnatio est schismaticis et hæreticis corporis Christi communio. Et sanctus Augustinus in epistola concilii Africani ad Donatistas: « Quisquis, inquit (August., *epist.* 152), a catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod a Christi unitate disjunctus est non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac Ecclesia bene vixerit, nihil

ei præjudicant aliena peccata, quia unusquisque in ea proprium portabit, sicut Apostolus dicit : Et quicunque in ea corpus Christi manducaverit indigne, *judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI) : cum enim dicit *judicium sibi manducat,* satis ostendit quia non alteri judicium manducat, sed sibi : quia communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam et personam suam, nec præjudicat alteri, quem in consentione mali operis socium non habet criminis. » Et Prosper in libro Sententiarum : « Escam vitæ accipit, æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, et cujus Christus habitator est. Nam qui discordat a Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei sacramentum ad judicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat. » Audis, frater, quia nimis amando quis sententiam suam, vel invidendo melioribus, ad sacrilegium schismatis pervenit ; audis, quia non in schismate, nec nisi in unitate Ecclesiæ est primatus ; audis, quia non in schismate, et nonnisi in Ecclesiæ unitate vera sunt ligamenta, in qua vera et ad salutem pertinentia sunt sacramenta ; audis quia non in schismate, et non nisi in unitate Ecclesiæ datur vel accipitur Spiritus sanctus, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris ; audis quia illis, qui non sunt in unitate pacis ecclesiasticæ, si gustant de pane cœlesti, est perfecta damnatio corporis Christi communicatio. Depone ergo tumorem cordis tui, et pertinaciam contumacis animi tui : et nimium amando sententiam tuam, noli te præcidere ab illa charitatis compage, in qua omnia sacramenta ecclesiastica catholice percepisti, et in qua idcirco es ordinatus episcopus, ut in ea permaneres, et alios in ea permanere fide et operibus, exemplis et verbis doceres. Denique unde oriantur schismata, idem catholicus doctor dicit (August., *de Bapt.*, lib. I, cap. 11 et cap. 15) : « Origo et pertinacia schismatis nulla est alia, nisi odium fratris, et Ecclesia non prius carnales, vel animales, et postea spiritales habuit, sed in ipsa sorte mortalitatis nostræ, ex quo de Adam nascimur, non est prius quod spiritale, sed quod animale, postea spiritale. Ex ipso autem animali sensu, quia homo animatis non percipit quæ sunt Spiritus Dei, omnes dissensiones et schismata generantur. In quo sensu perseverantes Apostolus dicit ad Vetus Testamentum pertinere, id est ad terrenorum promissorum cupiditatem, in quibus quidem spiritalia figurantur, sed animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei. Quocunque ergo tempore tales homines esse cœperint in hac vita, jam divinis pro sæculorum distributione sacramentis imbuti, adhuc tamen carnaliter sapiunt, et carnalia de Deo sive in hac vita, sive post hanc vitam sperent atque desiderent, animales sunt. » Et item ex verbis beati Cypriani, ut partim et supra scripsi, quod tibi necessarium est replicari, dicit (Cyprian., *epist.* 65, *ad Antonianum*) : « Ignosci enim potest simpliciter erranti, sicut de seipso dicit apostolus Paulus : *Qui primum fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus, sed misericordiam merui quia ignorans feci* (*I Tim.* I). Post inspirationem vero et revelationem factam qui in eo quod erraverat perseverat, prudens et sciens sine venia ignorantiæ peccat. Præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur. » Hinc Augustinus (August., *de Bapt.*, lib. IV, cap. 5) : « Hoc verissimum est, longe gravius esse peccatum ejus qui sciens quam ejus qui nesciens peccaverit. Et ideo vir sanctus Cyprianus, non solum doctus, sed etiam docibilis, quod in laude episcopi tamen designat Apostolus, sic ipse intellexit ut diceret, etiam hoc in episcopo esse diligendum, non solum ut scienter doceat, sed etiam patienter discat. Docibilis autem ille est qui est ad discendi patientiam lenis et mitis. Oportet enim episcopos non tantum docere, sed et discere : quia et ille melius docet, qui quotidie crescit et proficit discendo meliora. His utique verbis satis indicat vir sanctus, et pia charitate præditus, non esse metuendum sic ejus epistolas legere, ut si quid postea pluribus et diuturnioribus inquisitionibus compertum Ecclesia confirmavit, non ambigamus, quia sicut multa erant quæ doctus Cyprianus doceret, sic erat et aliquid quod Cyprianus docibilis disceret. » Hæc, frater, auribus percipe, et mente intellige, et non dedigneris cum Cypriano et Augustino, Apostolo præcipiente, docibilis esse episcopus, et quia si perseverare in obstinatione et præsumptione tua delegeris cum ratione supereris, prudens et sciens sine venia ignorantiæ peccabis. Hinc enim psalmus dicit : *Descendant in infernum viventes* (*Psal.* LIV), id est labantur in peccatum scientes. Unde Leo ad Constantinopolitanos scribit dicens (*epist.* 25) : « Nam si vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, tanto magis in eis qui præsunt nec excusatio est digna nec venia : maxime cum etiam defendere perversarum opinionum commenta præsumunt, et in consensum suum, aut terrore, aut gratia insanabiles quosque traducunt. Separentur hujusmodi a sanis membris corporis Christi, neque sibi catholica libertas infidelium jugum patiatur imponi. » Revoca ergo te a pertinacia tua, quoniam illi, quos in conventiculis tuis ad tecum subscribendum pellexisti vel coegisti, habent quidem excusationem, quoniam aut captivas manus sine cordis consensione timori dederunt, aut ignorantes quid agerent, palliata suasione tua de vinculo pacis et communione pacis tuæ consensu etiam deliquerunt, aut forte scientes et illi et isti quiddam tibi exinde suggerere ausi non fuerunt. Unde beatus Gregorius : « Nemo, inquit, amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur, quibus est facilior ve-

nia, quoniam inest eis et levior culpa. » Nam de his qui per ignorantiam peccaverunt traducti, sanctus Augustinus in suprамemorato opere dicit (*lib.* I *de Bapt.*, c. 2) : « Si quem forte, inquiens, coegerit extrema necessitas, ubi catholicum per quem accipiat non invenerit, et in animo pace catholica custodita, per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit quod erat in ipsa catholica unitate accepturus, si statim etiam de hac vita emigraverit, non eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum catholicæ congregationi etiam præsentia corporali reddiderit, unde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus, quia præsentem Deum credidit cordi suo, ubi unitatem servabat. » De his autem qui scienter, sed causa timoris vel favoris, in hanc transgressionem ierunt, Leo ad Pulcheriam Augustam scribit (*epist.* 53) : « Sic utimur justitia commotionis, ut non amittamus remedia charitatis : quod sicut pietas vestra cognoscit non verbis solis promittitur, sed etiam factis docetur. Siquidem pene omnes, qui in consensum præsidentium, in illo Ephesino, non judicio sed latrocinio, aut traducti fuerant, aut coacti, rescindendo quod statuerant, et condemnando quod scripserant, perpetuam culpæ abolitionem et apostolicæ pacis gratiam sint adepti. » Et in epistola ad Anatolium (*epist.* 42) : « Neque enim potest in aliquo benignitas nostra reprehendi, cum satisfacientes recipimus, quos doluimus esse deceptos. Nec aspere igitur communionis nostræ gratia deneganda est, nec temere largienda : quia sicut plenum pietatis est oppressis charitatem Dominicam redhibere, ita justum est omnia perturbationis auctoribus imputari. » Audite igitur et tu et illi, quos traduxisti, vel ad tecum subscribendum coegisti, admonitionem beati Augustini, qua eos de illis alloquens qui se ab unanimitate fraterna disciderunt, admonuit dicens (*lib.* II *de Bapt.*, c. 10, 11) : « Videant, inquit, nihil sibi remansisse quod dicant, sed tamen remansisse quod faciant, ut pro factis eorum præteritis sacrificium dilectionis offeratur placabili Deo, cujus unitatem nefario scelere dirupeerunt, cujus sacramentis tam diuturnas injurias irrogarunt. Misericors est enim et miserator Dominus, longanimis, et multum misericors, et verax. Amplectantur in præsenti vita misericordem et longanimem, et timeant in futura veracem. Non vult enim mortem impii, quantum ut revertatur et vivat, quia sententiam inflectit adversus injurias irrogatas. Hæc est nostra exhortatio. Propter hoc eos habemus inimicos, quia vera dicimus, quia tacere metuimus, quia cessare ab instantia quanta possumus formidamus, quia obtemperamus Apostolo dicenti : *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, hortare increpa* (*II Tim.* IV), sed sicut Evangelium loquitur : *Diligunt gloriam hominum magis quam Dei* (*Joan.* XII), et reprehendi ad tempus timent, damnari in sempiternum non timent. Vident etiam ipsi

A quid mali faciant, vident non esse quid omnino respondeant, sed nebulas imperitis ostendunt, cum ipsi vivi sorbeantur, id est scientes et agnoscentes intereant. Vident horrere homines et graviter detestari, quod etiam se ipsi in multa schismata diviserunt, et maxime in capite Africæ et notissima civitate Carthagine, conati sunt resarcire dedecus pannorum suorum, putantes quod possent maximianistas auferre. » Et post aliqua (*ibid.*, c. 12 et 13) : « Urget eos undique veritas, vident se non habere quid respondeant, et putant se non habere quid faciant : quid loquantur non inveniunt, tacere non permittuntur, malunt perversis vocibus veritati reluctari, quam confessis erroribus paci restitui. Quis autem non intelligat quid in corde suo possint dicere?
B Quid ergo facimus, inquiunt, de his quos jam rebaptizavimus? Et vos : Quid ergo faciemus de his quos jam traduximus, vel quid faciemus qui traducti sumus? Respondetur : Redite cum eis ad Ecclesiam, videlicet ad unanimitatem fraternam : medicamento pacis offerte curandos quos vulnerastis, vitæ charitatis offerte suscitandos quos occidistis. Multum valet ad propitiandum Deum fraterna concordia. *Si duobus ex vobis*, ait Dominus, *convenerit super terram, quidquid petieritis fiet vobis* (*Matth.* XVIII). Si duobus hominibus, quanto magis duobus populis? Simul nos Domino prosternamus, participamini nobiscum unanimitatem, participemur vobiscum dolorem, et charitas cooperiet multitudinem peccatorum. Et beatus Gregorius in homilia Ezechielis dicit (*hom.* 7, *in fine*) : « Perfectorum semper et virtutes et lacrymas ante
C mentis nostræ oculos ponamus, imitemur quæ in illis aspicimus, ut dum cœperimus per incrementa crescere, possimus ab illo distincto examine mala quæ fecimus velare. In assiduis enim fletibus, in quotidiana nostra pœnitentia, habemus sacerdotem in cœlis qui interpellat pro nobis, de quo etiam per Joannem dicitur : *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propiatio pro peccatis nostris* (*I Joan.* II). Ecce exsultat animus, cum advocati nostri potentiam audimus : sed exsultationem nostram iterum remordet timor, quia ipse qui nobis advocatus est dicitur justus. Nos enim causas injustitiæ habemus. Justus vero advocatus injustas causas nullo modo suscipit, nec verba dare pro injustitia consentit. Quid ergo
D agimus, charissimi fratres mei? Sed ecce occurrit animo quid agamus. Mala quæ fecimus, et deseramus et accusemus. Scriptum est : *Justus in principio accusator est sui* (*Prov.* XVIII). Quilibet enim peccator conversus in fletibus jam justus esse inchoat cum cœperit accusare quod fecit. Cur enim justus non sit qui contra suam injustitiam jam per lacrymas sævit? Justus igitur advocatus noster justos nos defendit in judicio, quia et nosmetipsos et cognoscimus et accusamus injustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus. » Timeamus quod scriptum est : Filius malus ipse se justum dicit, exitum autem suum non

abluit, hoc est, ut Augustinus dicit, non excusat, non diluit, non defendit, Noli ergo, frater, te convertere, post auditas tot sacras auctoritates, et admonitiones, ac salubria tibi porrecta consilia, ad excusandas excusationes in peccatis, atque ad contumacem defensionem, cum nemo quærat tuam damnationem, sed tuam correctionem, et coram Deo et hominibus salvationem. Et hæc legens, quæ tibi paterna devotione scribo, cum his etiam beati Gregorii non prolixam verborum numero, sed maximam ac pretiosam intelligentia, in mentis arcano reconde sententiam qua dicit : « In verbis, inquiens, sacri eloquii iste debet studii nostri ordo servari, ut hæc ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra compuncti, cognoscentes mala quæ fecimus, vitemus ne alia faciamus, et cum jam ex magno usu lacrymarum, de peccatorum remissione cœperit esse fiducia, per verba Dei quæ intelligimus, ad vitam quoque et alios trahamus. Ad hoc enim intelligenda sunt, ut et nobis prosint, et intentione spirituali aliis conferantur. »

CAPUT XLIX.

Admonetur ut talentum intellectus, quod Dominus sibi gratuito dedit, non negligat.

Audiamus et obaudiamus beatum Apostolum secum nos admonentem : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem invidentes, invicem provocantes* (*Gal.* V); et iterum nobis dicit : *Videte quomodo caute ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes : redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* V), et : *Subjecti estote invicem in timore Christi* (*ibid.*); et : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI); et : *Honore invicem prævenientes* (*Rom.* XII). Dic frater ac fili, quid aliud a te exegi, postquam episcopus factus es, et divitias terrenas adeptus es, nisi ut Deum haberes placabilem, et episcopaliter vivens, et episcopalem habitudinem gerens, te hominibus faceres venerabilem ? et pro quibus me contra te commovi, nisi quia talem coram Deo ad salutem, et coram sæculo ad honorem episcopali gravitati et ordini debitum esse cupiebam, et esse commonebam ? et tibi hoc esse grave videbam : et hoc quidem tibi grave hactenus esse potuit, et propter ætatem, et quia sæculi hujus instabilitatem, ac quam mutabile et fragile sit, eatenus non cognovisti. Nunc autem hora est jam nos de somno surgere (*Rom.* XIII). Et non debemus esse semper juvenes, sicut bos malus semper est vitulus. Debemus ante oculos mentis neglecta reducere, et de pristinis erubescere, sicut egregius prædicator nos admonens dicit : *Quem fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis* (*Rom.* VI)? Et debemus certare, *ut fructum nostrum habeamus in sanctificatione, finem vero vitam æternam.* Et si, frater et fili, me non vis aut dedignaris audire, audi et obaudi ipsum beatum Paulum apostolum Timotheum spiritalem filium suum, quem juvenem episcopum ordinaverat, admonentem : *Exerce*, inquit, *teipsum ad pietatem : nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ* (*I Tim.* IV, 7). Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, et impositionem manuum presbyterii : hoc enim faciens, teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. » Sin autem time, frater ac fili, quod terribiliter Dominus dicit ei qui unum talentum acceperat, et abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui : *Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non spargo* (*Matth.* XXV), et reliqua. Talentum quippe in terra abscondere, est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare, lucrum spiritale non quærere, cor a terrenis desideriis nunquam levare. « Sunt namque, ut beatus dicit Gregorius (Greg., *hom. in Evang.*), nonnulli, qui donum intelligentiæ perceperunt, sed tamen sola quæ carnis sunt sapiunt, de quibus per prophetam dicitur (*Jer.* IV) : Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem nesciunt facere : sed Dominus qui talenta contulit, rationem positurus redit, quia is qui nunc spiritalia dona distribuit, districte in judicio merita exquirit, quid quisquis accepit considerat, et quod lucrum de acceptis reportet, pensat. » Considera ergo quæ sine tuo merito in talento intelligentiæ accepisti, et vide ne in terra illud abscondas, et quod Deus longe faciat a te, inde ab illo damneris.

CAPUT L.

De eo quod dicitur ferre non posse, ut quisquam dicatur ei bonum aliquod sine ipsius merito exhibuisse.

Denique dicitur a quibusdam, quod portare patienter non possis, ut tibi a quoquam dicatur, quod quisquam tibi bonum aliquod sine tuo merito exhibuerit. Hæc namque qualitas animi non de humilitate, sed de superbia manifeste descendit. Ait enim Apostolus : *Quid enim habes quod non accepisti ? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?* (*I Cor.* IV). Hæc enim et Domini consuetudo, et sanctorum ejus in Scripturis legitur esse, ut cum non recognoscimus a quo bona accepimus, et aut bonis factis malis operibus respondemus, aut ingrati existimus, ostendantur bona quæ nobis impensa sunt, quatenus illa recognoscentes, de malis nostris et de bonorum ingratitudine erubescamus, et ad bona reparanda, et ad gratias referendas convertamur. Sic enim Dominus agere in Scripturis sæpissime legitur, ut de pluribus pauca numero sed non merito ad medium devocemus. Ait enim ad peculiarem populum suum : *Popule meus, quid molestus fui tibi ? Ostende mihi. Adduxi vos per desertum quadraginta annis, non sunt attrita vestimenta vestra, manna de cœlo plui vobis, et obliti estis me ?* (*Mich.* VI). Et ad David dilectum servum suum, de quo dicit : *Inveni David servum meum, qui facit omnes voluntates meas. Ego*, inquit, *te tuli de domo patris tui, et posui te pascere gregem populi mei, et fui tecum in omnibus ubicunque ambulasti, firmans regnum tuum in æter-*

num (*II Reg.* VII). Et alia plurima quæ illi improperat, quoniam post multiplicia dona graviter in eum sine respectu peccaverat. Lege epistolas Pauli ad Corinthios et ad Galatas, et hinc sufficienter invenies. Nam quatuor legimus species arrogantium, cum aut bonum se putant a se habere quod habent, aut pro meritis suis se habere quod habent, aut singulariter se habere quod habent, aut præ cæteris se habere quod habent. Ab his omnibus cor tuum custodi, juxta quod scriptum est : *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV).

CAPUT LI.

De exeniis, quæ a clericis et laicis exigere dicebatur.

Dicitur et a multis, quod et clericos et laicos tibi commissos in multis exeniis per diversas occasiones graves, quod sanctus Leo papa non christianæ devotioni, minime autem episcopali religioni convenire ostendens, dicit : « Sicut, inquit (*epist.* 84, *ad Anastas.*), prælatus non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat aliis importabile pondus imponere. Disciputi enim sumus humilis et mitis magistri dicentis : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Qui humilis et mitis magister iterum de gravi et importabili prælato dicit : *Si dixerit*, inquiens, *malus ille servus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriis, veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis* (*Matth.* XXIV). « Hinc beatus dicit Gregorius (*Pastor.* II, cap. 6) : « Inter hypocritas enim jure deputatur, qui ex simulatione disciplinæ, ministerium regiminis vertit in usum dominationis. » Et beatus apostolus Paulus vetat, *non percussorem esse episcopum* (*I Tim.* III ; *Tit.* I). Non quidem qui non percutiat pugnis subditos, sed qui non percutiat actis et dictis suis conscientiam subjectorum, quos per prophetam Dominus redarguit : *Qui percutiunt pugno impie (Isa.* LVIII). Audiendum ergo nobis est prælatis quod per quemdam sapientem dicitur : *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis* (*Eccli.* XXXII) ; et : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere (Psal.* LXI). Timere etiam debemus, ne prælatio et honores, quos in isto sæculo habemus, si aliquid boni sumus, retributio nobis fiat, et a retributione justorum alienos efficiat. Unde Abrahæ voce ardenti diviti dicitur : *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua* (*Luc.* XVI). Idcirco enim bona hic recepit et malus, ut illic plenius mala reciperet, quoniam hic fuerat nec per bona conversus : quia cum largientem Deum humana mens boni operis responsione non sequitur, unde nutrita pie creditur, justius inde damnatur. Hinc enim per Psalmistam dicitur : *Dejecisti eos dum allevarentur* (*Psal.* LXXII). Quoniam videlicet reprobi, cum recta opera divinis muneribus non rependunt, cum totos se hic deserunt, et affluentibus prosperitatibus dimittunt, unde

A exterius proficiunt, inde ab intimis cadunt. A multis enim dicitur, quod vix pauci, aut potius nulli apud te quiddam beneficii, nisi præmii datione prævalent obtinere : quod satis superque sanctarum Scripturarum auctoritati contrarium, et canonum est sacrorum decretis adversum, ut res et facultates ecclesiasticas, quas in ordinatione episcopali ad regendum et regulariter dispensandum sine pretio suscepisti, ad turpis lucri præmium in beneficium dones, cum Paulus apostolus Tito describens qualis debeat esse episcopus, inter alia dicat : *Oportet*, inquiens, *episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum* (*Tit.* I). Et item idem

B dicit : *Avaritia quæ est idolorum servitus (Ephes.* V, 5) ; Et : *Radix omnium malorum cupiditas (I Tim.* VI, 10). Et sacri Carthaginenses canones (*can.* 5) : « Omnino, inquiunt, cuiquam clericorum non liceat de qualibet re fenus accipere ; » et paulo post : « Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in clericis prædamnari. Universum concilium dixit : Nemo contra prophetas, nemo contra Evangelia facit sine periculo. » Et Nicænum concilium, quod sæpe et in aliis invenitur canonibus, more suo plures causas uno comprehendens capitulo, hinc cum aliis conclusive dicit (*can.* 17) : « Quoniam multi sub regula constituti avaritiam et turpia lucra sectantur, juste censuit sancta et magna synodus, ut si quisque inventus fuerit ex adinventione aliqua vel quolibet modo negotium transigens, vel

C aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, dejiciatur a clero, et alienus existat a regula. » Et Leo in epistola ad universos episcopos per universas provincias constitutos : « Illud, inquit (*epist.* 1), duximus præmonendum, ut sicut non suo, ita non alieno nomine, aliquis clericorum exercere fenus attentet. Indecens enim est crimen suum commodis alienis impendere. Fenus autem hoc solum aspicere et exercere debemus, ut quod hic misericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multipliciter, et in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus. Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec eum communionis nostræ

D futurum esse consortem, qui socius noluit esse disciplinæ. » Et Dominus in Evangelio : *Esurivi*, inquit, *et non dedistis mihi manducare ; sitivi, et non dedistis mihi bibere ; hospes eram et non collegistis me, nudus et non cooperuistis me, infirmus et in carcere, et non visitastis me* (*Matth.* XXV, 42). Quibus etiam præmittit dicens : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*ibid.*, 41). Ecce nequaquam audium quia rapinas vel quælibet alia violentia commiserunt, et tamen æternis gehennæ ignibus mancipantur. Hinc ergo colligendum est, quanta damnatione plectendi sunt qui aliena rapiunt, si tanta animadver-

sione feriuntur, qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, si tali subjicit pœnæ non tradita. Perpendant quod meretur injustitia illata, si tanta percussione digna est pietas non impensa. Cum aliena rapere intendunt, audiant quod scriptum est : *Væ ei qui multiplicat non sua usquequo et aggravat contra se densum lutum* (*Habac.* II, 6)? Avaro quippe densum lutum contra se aggravare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Cum multiplicare largæ habitationis spatia cupiunt, audiant quod scriptum est : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci: nunquid habitabilis soli vos in medio terræ* (*Isa.* V, 8)? Ac si aperte diceret : Quousque vos extenditis, qui non habere in communi mundo consortes minime potestis? Conjunctos quidem premitis, sed contra quos vos valeatis extendere semper invenitis. Cum augendis pecuniis inhiant, audiant quod scriptum est : *Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias fructus non capiet ex eis* (*Eccle.* V). Fructus quippe ex illis caperet, si eas bene spargere non amando voluisset : quia vero eas diligendo retinet, hic utique sine fructu derelinquet. Cum repleri cunctis simul opibus inardescunt, audiant quod scriptum est : *Qui festinat ditari, non erit innocens* (*Prov.* XXVIII). Profecto enim quoniam augere apes ambit, vitare peccatum negligit, et more avium captus, cum escam terrenarum rerum avidus conspicit, quo stranguletur peccati laqueo non agnoscit. Cum quælibet præsentis mundi lucra desiderant, eaque quæ de futuro damna patiuntur ignorant, audiant quod scriptum est : *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit* (*Prov.* XX). Ex hac quippe vita initium ducimus, ut ad benedictionis sortem in novissimo veniamus. Qui itaque in principio hæreditari festinant, sortem sibi in novissimo benedictionis amputant : quoniam dum per avaritiæ nequitiam hic multiplicari appetunt, illic ab æterno patrimonio exhæredes fiunt. Cum vel plura ambiunt, vel obtinere cuncta quæ ambierint possunt, audiant quod scriptum est : *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum fiat?* (*Luc.* VIII.) Ac si aperte Veritas dicat : Quid prodest homini si totum, quod extra se est congregat, si hoc solum quod ipse est damnat? Hinc quoque te frequentissime monui, et adeo corripui, ut etiam contra me et mihi fideles inde scandalum sumpseris, et quas vel quantas potuisti insidias moliri studueris. Sed et domnus rex in suis litteris tibi datis ex hac causa monuit hoc modo : « Verum, « inquiens, prius te dignum duco monere, ut clerum « et plebem tibi commissam, qui te, nullo cogente, « sed spe ducti, quia pro amore tui avunculi, qui « et nobis, et regno, ac Ecclesiæ regni nostri in « multis profuit, me videbant te diligere, et quia « putabant te illius vestigia secuturum, et consiliis « obediturum, et quoniam Laudunense municipium « Rhemensi Ecclesiæ, in qua nutritus fuisti, unitum

A « antiquitus fuerat, devote elegerunt, et obnixe sibi « pastorem ordinari petierunt, debitam eis vicem « rependens, episcopalem ac pastoralem benignitatem impendas, et non eos tam duriter tractes « atque affligas, neque illis alios quos ante non « nosti præponas vel superponas, et de gremio Ec« clesiæ tibi commissæ, in qua nutriti et educati « fuerant, illos, sicut quosdam jam expulisti, vel « abscedere compulisti, non projicias, vel cum ge« mitu ibidem consistere cogas. » Lege intelligenter, et retine tenaciter hanc epistolam beati Gregorii ad Constantium Mediolanensem episcopum : « Scripta inquit (*lib.* III, *epist.* 1), fraternitatis vestræ suscipiens, magnas omnipotenti Deo gratias retuli, quia ordinationis vestræ merui celebratione relevari. Quod B vero ex superno munere in electionem vestram concorditer omnium convenit assensus, hoc fraternitas tua cum summa debet consideratione pensare, quia post Deum valde est debitrix eis qui sibi vos præferri tam subdita mente voluerunt. Decet igitur vos sacerdotali benignitate eorum moribus in omnibus respondere, eorumque necessitatibus pia compassione concurrere. Si quorum fortasse sunt vitia, hæc maturis objurgationibus increpare, ut ipsa quoque sacerdotalis indignatio, virtute sit admista dulcedinis, quatenus et tunc a subjectis amari debeat, etiam cum graviter timetur. Quæres personam vestram apud eorum judicium in magnam quoque reverentiam adducit : quia, sicut præceps, furor usitatusque despicitur, ita contra culpas discreta indignatio plerumque quo tarda fuerit, eo amplius sit C timenda. » Diligenter etiam debes attendere, quod non in mea, sed in Dei laude cujus est donum, pro tua utilitate dico, quia et ego nutritor tuus, apud quem a pueritia usque ad juventutem tuam exegisti ætatem, sicut vidisti et audisti, non pro largitione beneficiorum, non pro commendatione ministeriorum, non pro receptione eorumdem ministeriorum, non pro redhibenda gratia mea his qui in me offenderant, non per quamcunque petitionem cujuscunque adjutorii, non per quascunque adinventitias occasiones, aut a clericis, aut a laicis, aut a parochianis presbyteris, quæcunque pretia, vel exenia, seu emolumenta exegi, vel quolibet modo quæsivi, sed in omnibus eorum profectum, et loci mihi commissi utilitatem attendi. Unde et reminisci debes, quia D sæpius te commonui, ut tibi commissis, qui te libenter elegerunt, non onerosus, sed gratiosus existeres. Et si meæ admonitiones non tibi placent, lege cum aliis homiliam beati Gregorii in Evangelio, *Ego sum pastor bonus* (*Joan.* X); et eam mente reconde, in qua inter alia dicit de summe et essentialiter pastore bono, cujus formæ debemus inniti : « Cognosco, inquit (*homil.* 14 *in Evang.*), oves meas, id est diligo, et cognoscunt me meæ, id est diligentes obsequuntur : quia oportet ut nobis commissi magis dilectione in Christo obediant, quam servili timore coacti gementesque deserviant. » Nam de hujusmodi prælationibus, vel præmissis negotiis,

quibuscunque adinventionibus præmia vel exenia quæcunque accipere, simoniacum et contra sanctas Scripturas, atque, ut supra ostendi, contra sacros est canones. Unde etiam leges, quibus debitæ observationis reverentiam sancta Ecclesia exhibet, in constitutione 117, capitulo 352 constitutionis Justiniani, dicunt : « Ut locorum venerabilium administratores sine pecunia fiant. Nullus neque ex xenodochiis, neque ptochotrophiis, neque nosocomiis, neque alicujus religiosæ domus administrator, vel cujuscunque curæ ecclesiasticæ gestor, præstet aliquid ei a quo præponitur, vel cuicunque personæ, pro commissa sibi administratione. Qui autem præter hæc quæ disposuimus dederit aliquid, vel acceperit, vel mediator factus fuerit, sacerdotio vel clero, vel commissa sibi administratione nudabitur, his quæ data sunt vindicandis religioso loco, cujus talis persona consecrationem, vel curam, vel administrationem accepit : sin autem laicus sit qui acceperit, vel mediator factus est, duplum ab eo exigatur, et religioso loco, in quo talis persona, vel administrationem, vel consecrationem, vel curam accepit, præstetur. » Juste igitur et rationabiliter leges sanctis Scripturis et canonibus concordantes talia decreverunt, quia ut sanctus Leo dicit (*serm.* 9 *de Passione Domini*) : « Avaritiam merito Apostolus radicem esse malorum omnium diffinivit. Nullum enim peccatum sine cupiditate committitur, et omnis illicitus appetitus istius aviditatis est morbus. Amori pecuniæ vilis est omnis affectio, et anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit, nullumque est justitiæ in illo corde vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum. Hoc perfidus Judas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum. »

CAPUT LII.

De superbia ejus et arrogantia, jactantiaque inepta et indecenti.

A multis etiam denotaris, quod superbia efferaris, et vana gloria jactiteris, atque arrogantia supereris. Unde ego et tu, quasi in speculo, in verbis beati Gregorii nos nostrasque mentes conspiciamus, et nos coram divinis oculis componamus. Ait enim (*lib.* XXXIV *Moral.*, c. 18) : « Superbia, inquiens, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis exstinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, ut quidquid illa invadente agitur, etiam si esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ servitur. Quasi enim tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cum mentem superbia irrumpit, et quo ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exsurgit, quia quo amplius res virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur. Quisquis vero ejus in se tyrannidem captiva mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod clauso cordis oculo judicii æquitatem perdit. Nam cuncta quæ ab aliis vel bene geruntur displicent, et sola ei quæ ipse vel prave egerit pla-

A cent : semper aliena opera despicit, semper miratur quod facit, quia et quidquid egerit, egisse se singulariter credit, atque in eo quod exhibet per gloriæ cupiditatem, sibimetipsi per cogitationem favet, nec considerat quid alter boni amplius quam ipse, sed quid boni ipse amplius quam alter habeat. Neque enim pensat quæ bona spiritus alter acceperit, et ipsi desint, sed quæ bona ipsi, et quæ mala sint alteri : et cum se in cunctis transcendere, cæteros æstimat, per lata cogitationum spatia secum deambulans, laudes suas tacitus clamat. Nonnunquam vero ad tantam elationem mens ducitur, ut in eo quod tumet, etiam per ostentationem locutionis effrenetur et tanto facilis ruina sequitur, quanto apud se quisque impudentius exaltatur. Hinc enim scri-
B ptum est : *Ante ruinam exaltabitur cor* (*Prov.* XVI), et hæc elatio alios ex rebus sæcularibus, alios vero ex spiritalibus possidet. Alter namque tumescit auro, alter eloquio, alter infimis et terrenis rebus, alter summis cœlestibusque virtutibus, una tamen eademque superbia ante Dei oculos agitur, quamvis ad humana corda veniens in eorum obtutibus diverso amictu pallietur. Aliter autem præpositos atque aliter subditos tentat. Prælato namque in cogitationibus suggerit, quia solo vitæ merito super cæteros excrevit, et si qua ab eo aliquando bene gesta sunt, hæc importune ejus animo objicit, et cum hunc Deo singulariter placuisse insinuat, quo facile suggesta persuadeat, ipsam ad testimonium potestatis traditæ retributionem vocat, dicens : Quia nisi omnipotens
C Deus te his omnibus meliorem cerneret, omnes hos sub tuo regimine non dedisset : ejusque mox mentem erigit, et viles atque inutiles eos ostendit qui subjecti sunt, ita ut nullum jam quasi dignum respiciat, cui æquanimiter loquatur. Unde et mox mentis tranquillitas in iram vertitur, quia dum cunctos despicit, dum sensum vitamque omnium sine moderatione reprehendit, tanto irrefrenatius se in iracundiam dilatat, quanto eos, qui sibi commissi sunt, esse sibimet indignos putat. Et si ipsi subjecti sunt aliis, eorum cor superbia instigat, ut sua acta considerare funditus negligant, et semper tacitis cogitationibus rectoris sui judices fiant : qui dum in illo quod reprehendere debeant importune respiciunt, in semetipsis quod corrigant nunquam vident; unde et tanto atrocius pereunt, quanto a se oculos aver-
D tunt. Aliquando autem tales subditi proterva quæ sentiunt nequaquam produnt, et hi, quorum loquacitas vix compescitur, nonnunquam ex sola amaritudine intimi rancoris obmutescunt : qui per dolorem mentis procacitatis suæ verba subtrahentes, cum male loqui soleant, pejus tacent, quia cum peccantes aliquid de correctione audiunt, indignantes etiam responsionis verba suspendunt. Cum his quando aspere agitur, sæpe ad querelæ voces de hac ipsa asperitate prosiliunt; cum vero eos magistri sui blande præveniunt, de ipsa humilitate, qua præventi sunt, gravius indignantur, et tanto eorum mens vastius accenditur, quanto consideratius infirma

judicatur. Cunctis namque superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos vero alios importuna, ad ea quæ facere et debet et prævalet ignava, ad ea quæ facere nec debet nec prævalet parata. Hæc in eo quod sponte non appetit nullis exhortationibus flectitur, ad hoc autem quod latenter desiderat, quærit ut cogatur, quia dum metuit ex desiderio suo vilescere, optat vim in ipsa voluntate tolerare. Quapropter hoc vitio, laborantibus Dominus dicit : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV); et item : *Immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor* (*Eccli.* XVII); et item : *Quid superbit terra et cinis?* (*Eccli.* X.) Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, et Leviathan *rex* dicitur *superborum*, aperte cognoscimus quod evidentissimum reproborum signum superbia est, ad contra humilitas electorum. Cum ergo quam quisque habeat cognoscitur, sub quo rege militet invenitur. Unusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facile ostendat sub cujus serviat potestate rectoris. » De hoc quippe vitio superbiæ descendit, quod multi te apud plurimos dicunt de fortitudine et agilitate tui corporis gloriari, et de præliis, atqne ut nostratium lingua dicitur, de *vassaticis* frequenter ac libenter sermonem habere, et qualiter ageres si laicus fuisses irreverenter referre, et alia multa quæ tibi non conveniunt dicere et agere, nec mihi enuntiare. Debes enim attendere quod scriptum est : *Non in fortitudine sua roborabitur vir* (*I Reg.* II); et : *Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine fortitudinis suæ* (*Psal.* XXXII). Unde apud se David manu fortis, humiliter infirmus, et ideo veraciter fortis, qui gigantem multæ fortitudinis occidit, et regem ac virtutem exercitus ejus ab opprobrio liberavit, Domino dicit : *Fortitudinem meum ad te custodiam* (*Psal.* LVIII). Et Paulus, qui audivit a Domino : *Virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII), gloriatur in infirmitatibus suis, dicens : *Quando infirmor, tunc fortior sum et potens (II Cor.* XII); et : *Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne aliis prædicans ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX). Sed et cum in his, in quibus infatigabiliter pugnando, non quasi aerem verberantes, sed contra aerias potestates, et carnis illecebras, ac mundi concupiscentias agonizantes decertaverimus, quod nobis a Domino præcipitur ex intimo cordis affectu dicere debemus : *Servi inutiles sumus, quæ debuimus facere, fecimus* (*Luc.* XVII). *Quia non sumus sufficientes a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui dedit velle et perficere pro bona voluntate* (*II Cor.* III); quique suis dixit : *Sine me nihil potestis facere* (*Philip.* II). De vanitate autem qua te jactas, qualiter faceres si laicus esses, breviter tibi

A valeo respondere, faceres utique sicut patriotæ et propinqui tui laici faciunt, scilicet voluntarie viveres inter tuos conterraneos atque vicinos pacifice, quoniam si aliter præsumeres, fortiores et superiores qui tibi resisterent, teque reprimerent, invenires.

CAPUT LIII.

De motibus corporis inordinatis, qualiter cavere debeat.

Et quoniam reprehenderis de motibus corporis inordinatis, attendendum mihi et tibi est quod beatus Gregorius dicit, quoniam interius est custodia, quæ ordinata servat exterius membra. Et sanctus Gregorius Nazianzenus habitum Juliani Apo-
B statæ describit dicens (*orat.* 1. *in Julianum*) : « Faciebat me cautum adeo inconstantia morum ejus, et excessus uberior. Vates enim egregius est, qui bene considerat. Nullum enim signum mihi in eo utile videbatur, cervix inflexibilis, humeri jactabiles, oculi currentes, huc illucque directi et furiose respicientes, pedes impatientes, nares spirantes injurias atque contemptum, schemata risibilia, et hoc ipsum semper habentia, risus incontinens et quasi subbulliens, consensus et negatio simul, ratio nulla ratione consistens, interrogatio inordinata, atque responsio nulla convenientia sibi conveniens. » Et sanctus papa Gregorius quemdam describens potiusque depingens juvenem, de eo dicit : « Quia erat superbus et lubricus, verbis levis, nutibus instabilis, mente tumidus, veste
C compositus, actione dissipatus. » Unde attendendum est nobis, quia si hæ reprehensiones in laicis quibuscunque potestatibus præditis ita denotantur, quam damnabiles in nobis episcopis habeantur, qui lux mundi, et lucerna super candelabrum posita, ut luceamus omnibus qui in domo Dei, id est Ecclesia sunt positi, esse videmur? Hæc tibi, frater ac fili, scribo multo dolore ac confusione compunctus, hortans ut in lutere, quem Moyses (*Exod.* XXXVIII) de speculis mulierum ante tabernaculum Domini excubantium fecerat, in quo sacerdotes ministraturi in eadem domo Domini manus et pedes lavarent, mecum te conspicias, et interius atque exterius ibidem, id est in sacræ Scripturæ præceptis per sanctos Dei nobis explanaris, et in eorumdem sancto-
D rum exemplis, nostra reprehensibilia abluamus, et dignos nos fletibus et sanctis operationibus, ut digne illi ministrare possimus, exhibeamus. Hinc enim omnipotenti Domino per Psalmistam dicitur : *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me* (*Psal.* CXVIII). Justificationes enim præcepta Dei dicuntur, in quibus nos corrigendo justificat, de quibus idem Psalmista apertius dicit : *In tuis justificationibus meditabor, non obliviscar sermones tuos* (*Psal.* XVIII). In eis itaque nos vivificat, quia per hæc nobis spiritalem vitam demonstrat, eamque per afflationem spiritus nostris mentibus infundit.

CAPUT LIV.

Ut non se permittat decipi a flore juventutis et sanitate corporis, et mundi illecebris.

Tandem hortor te, frater ac fili, et moneo ut non te permittas decipi a flore juventutis, et sanitate corporis, et mundi illecebris, habens semper ante mentis oculos quod hinc sanctus Spiritus per beatum Job dicit : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis : quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est, constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt* (*Job.* XIV). Et per Psalmistam : *Verumtamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur. Thesaurizat et ignorat cui congregavit ea* (*Psal.* XXXVIII). Habe B semper ante mentis oculos, quam terribilis judex noster sit in consiliis super filios hominum, et quam districtus ad judicandum veniet, cœlis et terris ardentibus, et universis cœlorum virtutibus, atque omnibus creaturis in obsequium sui terroris commotis. Quando ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus : advocans cœlum desursum, et terram discernere populum suum, quando veniet nos judicaturus de cogitationibus, verbis, et actibus nostris : quem præveniendum nobis est in confessione, et plorandum ante eum qui fecit nos (*Psal.* XCIV). Attendendum est etiam, quæ nobis verecundia tunc erit in conspectu totius humani generis, omniumque virtutum cœlestium confundi, et post confusionem quæ nos pœna sequetur, cum animam immortaliter morientem reatus involvet, et indeficienter deficientem carnem gehenna consumet, si radices cordis huic sæculo perseveranter infixas habuerimus : quia nemo potest, ut scriptum est, *hic gaudere cum sæculo, et illic regnare cum Domino.* Simus igitur, ut docet Apostolus, *quasi morientes, et ecce vivimus : ut castigati, et non mortificati : quasi tristes, semper autem gaudentes : sicut egentes, multos autem locupletantes : tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* (*II Cor.* VI). Momentis suis horæ fugiunt, et tempora dilabuntur. Satagamus ergo ut in bonis et continuis operibus teneantur : quia scriptum est : *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore* (*Psal.* CV). Et descriptis viri sancti continuis bonis operibus, scriptum est : *Sic faciebat Job* D *cunctis diebus* (*Job* I). Sicut ergo quotidianas et necessarias pensiones corpori reddimus, ita quotidianas atque continuas bonorum operum, scilicet continentiæ, lectionum, vigiliarum, et orationum, atque lacrymarum, et eleemosynarum, atque sacræ hostiæ oblationum, gemituum quoque ex præteritorum pœnitentia, et sancto futurorum desiderio, pensiones animabus nostris effundentes eas in conspectu Domini reddere studeamus, et in his cum fide recta, spe firma, et charitate perfecta, perseverantissime vigilemus, scientes quia Joseph solus inter fratres talari tunica indutus legitur (*Gen.* A XXXVII), et cauda pecoris in sacrificio Domino offerri præcipitur, quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (Matth.* X). Et obaudiamus quod Sapientia per Salomonem nos singulos exhortans dicit : *Quodcunque potest manus tua facere instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos quo tu properas* (*Eccle.* IX).

CAPUT LV.

Conclusio epistolæ verbis Eliæ, Quod meum fuit feci tibi.

In conclusione autem horum omnium tibi scribo quod beatus Elias Spiritu sancto repletus ad Eliseum eodem Spiritu sancto replendum dixit : *Quod meum fuit feci tibi* (*III Reg.* XIX). Credo enim quia B etiamsi quod absit me non obaudieris, labor meus non erit in te apud Deum inanis et vacuus. Etsi enim Æthiops niger in balneum intrat, et niger de balneo exit : non tamen balneator denarium, id est pretium sui balnei perdit. Nos autem et sermones nostri in manu Dei sumus, qui dicit : *Pluam super unam civitatem, et super alteram non pluam (Amos,* IV) ; et quibusdam loquitur per vocem, et exigente culpa, occulto atque justo judicio, non loquitur per unctionem : quibusdam vero gratiæ loquitur unctione, id est sancti Spiritus inspiratione cum voce. Det Dominus me, et velle, et scire, et dicere, et agere quæ jussit : et te audire, et exaudire quod expedit, et nobis ambobus ea velle et operari, et in his perseverare quæ præcipit, ut mereamur dona C percipere quæ promittit.

EPISTOLA HINCMARI RHEMENSIS

AD HINCMARUM LAUDUNENSEM.

Accepto ejus missatico per Heddonem præpositum ecclesiæ Laudunensis.

(Apud Sirmond., ex veteri codice bibliothecæ Thuanæ.)

HINCMARUS, Rhemorum episcopus, dilecto fratri Hincmaro, Ecclesiæ Laudunensis episcopo, salutem.

Decimo quinto Kalendas Augusti præsentis tertiæ indictionis, jam vesperi venit ad me communis frater et comminister noster Heddo, præpositus commissæ tibi ecclesiæ, dicens mihi ex tua parte missaticum, sicut hic habetur subnexum.

« I. Meus senior vobis mandat salutes et fideles orationes.

« II. Mandat vobis, quia vos sapitis quod illi nunc factum fuit in Attiniaco, propter quod inde ambulavit, sicut vobis per Teutlandum mandavit, et vos sapitis quo modo illi jam altera vice factum fuit, quando rex illum detinuit.

« III. Mandat vobis, quia res de sua ecclesia illi tollutæ sunt, et Flotharius regis missus eas consignavit Nortmanni homini, et hoc meus senior jam sciebat, quando de Attiniaco ambulavit, quia sic deveniret, quia homo Nortmanni Herimundus hoc seniori meo dixit, quando rex de Silvanectis revenit.

« IV. Et mandat vobis, quia et alias res de sua ecclesia tenent sui homines per potestatem et per verbum regis, et mandavit suos homines ad se venire præterita die sabbati, et voluit considerare de servitio regis, et de illa opera ad suam ecclesiam, et illi non venerunt, et rex illi per Bertharium nunc mandavit, ut Eligio suum beneficium redderet, et Eligius inde regis indiculum apportavit, ut suum beneficium illi redderet, et meus senior illi respondit, ut reveniret die Lunis, et inde consideraret cum suis fidelibus, et tunc illi responderet : ipse autem dixit, quod hoc exspectare non debuisset, quia rex illi eum beneficium reddidit, et intravit ibi, et tenet illum.

« V. Et quia vos estis suus avunculus et suus archiepiscopus, si vos illi potestis impetrare ad regem, ut ille possit res de sua ecclesia ordinare, et illi eas liceat sicut et simulaverit disponere et gubernare : quia quod ille facit, alter disfacit ; et quod ille disponit, alter pervertit. Tunc vult ille vobis obedire, et ad vos venire, et per vestrum consilium facere : quia quidquid de rebus suæ ecclesiæ fecit et ordinavit, non per scaz, vel per aliquam propinquitatem aut amicitiam inde fecit, sed sicut melius ille intellexit, si inde fecit. Et si hoc vos non potestis ad regem facere, tunc non potest ille regi obedire, nec illi servire, nec aliquod temporale obsequium facere, nec ad illum venire, et non potest dimittere, ut sic longe inde se non reclamet si plus alte potest, id est ad sedem apostolicam. Et non dimittet, ut inde suum ministerium non faciat, id est excommunicabit illos sicut hic habet quod illi episcopi diffinierunt, quia non potest dimittere ut illos non excommunicet, quoniam altera vice, quando domno apostolico mandavit de Nortmanno, hoc ei remandavit domnus apostolicus, ut prius inde fecisset suum ministerium, et tunc se reclamasset. Et hoc ideo usque modo dimisit, donec vobis mandaret ut hoc vos sciretis quia nunc inde suum ministerium faciet. »

Unde frater una cum venerabilibus episcopis et dilectis fratribus nostris qui adfuerunt, Remigio scilicet, et Harduico, et Francone, ac Hodone, atque Willeberto, ad domnum Carolum regem gloriosum petitoriam suggestionem referre curavi. Qui nobis respondit, se putasse tibi posse sufficere quod hinc jam : coram episcopis benigno animo et allocutione placida tibi in Attiniaco dixit, videlicet quoniam ad illum pervenit, te amplius præsumpsisse de rebus, de quibus nunc mandas quia Flotharius missus ejus Nortmanno consignaverit, quam ecclesiæ tibi commissæ debeantur, et amplius quam in præcepto habeatur, per quod tibi res a longo tempore ab ecclesia Laudunensi subtractas restituit, vel gratis tuæ petitioni annuens dedit, sicut et manifestissime claruit de his, quas contra rationem et justitiam illegaliter atque irregulariter usurpasti, quæ in præcepto non continentur, et juste atque rationabiliter secundum legem homo suus reconquisivit. Propterea illas res, videlicet villam Pauliacum, quæ a longo tempore ab ecclesia Laudunensi subtractæ fuerant, præsentaliter reciperes, et illas alias de quibus ad eum reclamatio venit, interim non reciperes, sed tantum inde exspectares, donec illud præceptum apportares, et suus ac meus missus in ipsum pagum irent, et ex his rei veritatem investigarent : et quidquid inventum fuerit, quod ex eisdem rebus juste et rationabiliter ad Laudunensem ecclesiam pertineret, non solum non discuperet, verum et libenter eas ipsi ecclesiæ concedere vellet, et tu ex his nihil tunc contradixisti. De beneficiis autem hominum tuorum, de quibus mandasti, respondeo quia tui homines se ad eum reclamaverunt, quod ab eis sua beneficia, quæ apud antecessores tuos, et apud te proservierunt, injuste et irrationabiliter abstulisses. Unde secundum sacros canones, et decreta sanctæ sedis Romanæ pontificum ex eisdem sacris canonibus promulgata, electos judices episcopos apud me expetisti, et eorum atque aliorum Deum timentium judicio de quibusdam decretum fuit, ut beneficia sua, quæ irrationabiliter perdiderant, recuperare deberent : quorumdam autem eorum causa usque ad alium tractatum certis causis intervenientibus non diffinita, sed implacitata remansit, et tu ante diffinitionem, contra sacros canones, sine ulla necessitate vel ratione fuga lapsus, regularem diffinitionem exspectare contempsisti, unde quid sacri decernant canones sufficientissime nosti. Nunc vero quia ipse jam in motu est, pergens obviam fratri suo propter pacis charitatisque concordiam, et sanctæ Ecclesiæ ac Christiani populi obtinendam quietem ; cum favente Domino inde reversus fuerit, veni ad illum, et apporta illud præceptum, per quod præfatas res ecclesiæ Laudunensi restituit, sive contulit, et sicut justum de illis rebus quas requiris inventum fuerit, agere procurabit. Homines autem tui, quorum causa, te irregulariter ac illegaliter abscedente, adhuc non diffinita sed implacitata remansit, juste et rationabiliter ventiletur, et secundum sacras leges diffiniatur. Cæterum, charissime frater, de scedula quasi episcoporum diffinitionem continente, in synodo quæ apud Tusiacum fuerat habita, valde miratus sum ubi et quomodo hanc adinvenisti, quam antequam per Heddonem clericum tuum acceperim nunquam vidi, et nunquam vel nusquam audivi, sed nec qui modo adfuerunt episcopi eam se vidisse vel audisse dixerunt. Illam quippe authenticam diffinitionem, quæ secundum sacras leges in eadem synodo decreta est, cui et mecum interfuisti, ego habeo, et divinare non valeo, unde adinventio ista emerserit, quæ, sicut ex his evidenter potes cognoscere, quæ tibi contra præsumptiones tuas studui scribere, in quibusdam sacris regulis obviat, et mendacem illam esse facillime posses advertere, si illos oculos habuisses in capite, de quibus Scriptura dicit : *Oculi sapientis in capite ejus* (*Eccle.* II, 14). Et miranda est tua prudentia, cur sibi placuit plus hanc mendacem, et in quibusdam, ut dixi, sacris regulis obviantem compilationem habere, et mihi transmit-

tere, quam veram synodi diffinitionem, et sacris regulis congruentem habere, et a me qualicunque primate tuo juxta regulas sacras tenendam et sequendam accipere, cujus, secundum decreta sanctæ sedis Romanæ pontificum ex sacris canonibus promulgata, ordinationem semper debes in rebus exspectare. Nam etsi scedula a te mihi directa quiddam rationis vel auctoritatis habere videtur, hoc tamen debes discernere, quia sicuti ubi reclamatio certa suscipitur, causa ventilatur, ratio postulatur, præsumptio vel usurpationis temeritas non invenitur, sed justitia sequitur, et æquitas conservatur, censura districtionis canonicæ vacat, ita se ad ulciscendum contra devios a ratione et auctoritate ac æquitate, et in contemptus pertinacia obduratos exaggerat. Sedis, inquit beatus Leo, apostolicæ moderatio hanc temperantiam servat, ut severius agat cum obduratis, et veniam cupiat præstare correctis. Igitur quoniam, ut item Leo dicit, matura volumus sacerdotum esse consilia, et sacra Scriptura dicit : *Qui festinus est, pedibus offendit* (*Prov.* XIX), hortor et moneo te, frater charissime, paterna et metropolitana secundum sacras regulas auctoritate, ut non per hæc commenta, quæ mihi misisti, præceps sicut mihi mandasti sis ad proferendam sententiam, præsertim cum sufficientissime jam te hinc commonuerim, redarguerim, et etiam ex auctoritatibus divinis instruxerim. Sed patienter interim tolera quæ videntur tuæ potestati contraria, qui dicere cum Psalmista debes : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam* (*Psal.* CXXVIII). *In patientia*, inquit Dominus, *possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI) ; et item scriptum est : *Doctrina viri per patientiam noscitur* (*Prov.* XIX). Quanto enim quis minus est patiens, tanto convincitur minus doctus. Et melior est patiens viro forte, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium. Quoniam qui urbes subigit, extra se est quod vincit, qui autem patiens est, semetipsum sibimetipsi subjicit. Tolera igitur æquanimiter quos contrarios tibi deputas, et dilige ipsos quos toleras, et plus erga corrigendos agat tua benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam commotio, plus charitas quam potestas : a qua regula non exorbitabis, si non quæ tua sunt quæsieris, sed quæ Jesu Christi. Porro si dominari magis quam consulere subditis volueris, honor inflabit superbiam, et quod provisum est in ordinatione tua ad concordiam, tendet ad noxam. Ergo age, frater charissime, quod episcopalem condecet gravitatem, exspectans donec ad provincialem synodum, cujus jam tempus in proximo est, conveniamus, in qua favente ac cooperante Domino, secundum decreta beati Gregorii, et de incidentibus causis disceptatio, et sit salubris de ecclesiastica observatione collatio : quatenus dum per hoc et præterita corrigentur, et regulam futura suscipient, omnipotens ubique Dominus fratrum concordia collaudetur, cujus nobis adesse præsentiam, si hæc observabimus, credere pro certo debemus, quia scriptum est : *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Si ergo adesse dignabitur ubi duo vel tres fuerint, multo magis non deerit ubi plures convenerint sacerdotes. Quod autem mihi mandasti : Quia non potes dimittere ut illos homines, qui res ecclesiæ tuæ contra voluntatem tuam tenent, non excommunices, quoniam altera vice, quando domno apostolico mandasti de Nortmanno, hoc tibi remandavit, ut prius inde fecisses tuum ministerium, et tunc te reclamasses, non hoc in suis litteris invenimus, vel audivimus. Propterea, frater, vide ne cujusquam verbo, forte per adulationem ad gratiam tuam tibi suaso, et non ex domni apostolici auctoritate prolato pellectus, præpropere et tibi inconsulte ac præcipitanter sententiam excommunicationis sacris regulis obviam proferas : sed exspecta, ut prædixi, donec ad provincialem synodum episcopi Rhemorum provinciæ conveniamus, et si quid nobis obstiterit, ut secundum sacras regulas juste et rationabiliter ea quæ agenda sunt exsequi quod absit nequiverimus, quod nullo modo futurum fore putamus, tunc si necesse fuerit secundum sacras regulas, tua reclamatio, si justa inventa fuerit, ad sedem apostolicam nostris litteris prosecuta perveniat.

HINCMARI RHEMENSIS AD EUMDEM.

Ad mentis ejus oculos revocat qualiter illum orphanum dulci dilectione sub religione nutrierit, litteris erudierit, per singulos gradus ecclesiasticos usque ad episcopatus apicem provexerit.

Nunc, inquit, retribuentem mihi mala pro bonis, et odio me habentem gratis, quoniam non faveo tuis infructuosis operibus, quandiu te patiar, multis a te afflictus injuriis ? Etenim ab ipsa die tuæ ordinationis, tam verbis quam scriptis, et inordinatis actibus ac motibus tuis, frequentibus adeo sum gravatus lacerationibus atque contusionibus, ut tædeat me vitæ meæ : quia sic pro loci mei officio tuæ insolentiæ sum connexus, ut non solum post primam et secundam correptionem, juxta Apostolum, verum nec post plurimas, privatim et coram communibus familiaribus nostris, sed et coram rege, et episcopis, ac plurimis aliis, verbis et scriptis commonitiones te valeam devitare. Et licet exoptem, ut darentur mihi pennæ sicut columbæ, et avolarem ac requiescerem a te elongatus in aliquam solitudinem, non possum quoquam effugere, ut aut tua pertinacia contumacis præsentiæ, aut missorum tuorum duriloquiis, aut scripturarum tuarum derogationibus et inutilibus næniis, quin potius tragœdiis, aut talibus quæ non conveniunt episcopo, de te auditionibus non affligar. Et jam tandem putavi te pigere talia exsequi, cum ecce nunc idibus Novembris quartæ indictionis prolixissimam rotulam, mendaciis et irrationabilitatibus ac improperiis contra veritatem et auctoritatem repletam, mihi misisti. Et miror cur sic exfrons

factus, ut de Judæa Dominus queritur (*Jer.* VI, 15; VIII, 12), nescis erubescere, et tibi non est nausea talia et tanta scribere, nisi quoniam jam utilibus non es intentus, neque in necessariis occupatus. Et ut de aliis taceam, quæ si ex ordine voluero replicare, antea deficiet lux diurna, quam legenda exinde deficiat pagina, replicabo tibi aliqua, quæ non valeo nec debeo silentio præterire. Videlicet quia statim ut a paternæ nido educationis factus episcopus evolasti, et me et eos qui nutrierunt deseruisti, et sæculares amicitias atque familiaritates quæsisti, et acquisisti, et sic subinde alios et alios deserens et acquirens, non solum de comparibus, sed etiam et de tibi commissis, ad hoc emersisti, ut contra sacras Antiochenas regulas, præcipientes ut præter me agere nihil debeas, secundum antiquam Patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum quæ ad tuam parochiam pertinent, possessionesque subjectas, sine mea vel coepiscoporum nostrorum conscientia administrationem in palatio domni regis obtinueris : quam administrationem tibi coram eodem domno rege, et aliis qui adfuerunt ex sacris regulis interdixi, et aliquandiu ab administratione cessasti. Postea autem per exteras, id est sæculares potestates, contra Sardicenses canones, eamdem administrationem cum abbatia in tertia provincia, ultra Rhemensem provinciam, sine mea conscientia obtinuisti. Ad quam abbatiam, sine mea licentia, quoties tibi placuit perrexisti, et quandiu tibi placuit ibidem fuisti immoratus, contra Hilari papæ decreta dicentis (*epist.* 8 *ad episc. Galliæ*) : « Illud non potuimus præterire, quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter metropolitanorum suorum litteras aliqui episcopi ad quamlibet provinciam audeant proficisci : quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet ecclesias custodiri ; » et sic antea Zosimus, et postea sanctus Gregorius decreverunt. Præterea quoque, semel ac secundo litteris canonicis evocatus ad ordinationem episcopi in ecclesia Cameracensi Rhemensis provinciæ pastore destituta, unde apostolica sedes me suggerente non modice laboravit, nec ipse venisti, nec pro te vicariam personam, vel litteras tui consensus, ut regulæ sacræ præcipiunt, ad me direxisti. Unde Symmachus papa ad Æonium ex sacris regulis promulgavit (*epist.* 11 *ad Cæsarium*), « ut si quilibet episcopus metropolitano pontifici juxta canonicam diffinitionem vocatus obtemperare noluerit, noverit succidendum se, quod non optamus, ecclesiastica disciplina. » Sed et hinc a me conventus, nullam satisfactionem, nec etiam humile responsum mihi ac coepiscopis nostris exhibuisti. Post hæc, more tuæ instabilitatis ac inconstantiæ, contra domnum regem in tantum te sine ratione contumaciter erexisti, ut et administrationem palatinam, et ipsam abbatiam tibi auferret, et a te exaggeratus duriora ingerenda tibi proponeret : unde et scriptis et verbis pro te satagens illum tibi reconciliavi. Indeque, sicut sciunt plurimi, contra illum te iterum erexisti, et mandata sua ut ad eum venires contemnens, adeo illum ad iracundiam provocasti, sicut omnes in istis regionibus sciunt, ut coactus te per fideles suos sicut infidelem appeteret. Tu autem ante inauditam excommunicationem in meos et multorum archiepiscoporum et episcoporum parochianos, sed et in ipsum regem, sine mea conscientia contra sacras regulas jaculasti. Unde multos scandalizasti, et maximum scandalum non solum Ecclesiæ, sed et regi ac regno intulisti, cum lex prohibeat ut per alienam messem transiens falcem non mittas, sed manu spicas conteras et manduces (*Deut.* XXIII, 25). « Falcem, inquit beatus Gregorius, judicii mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa, sed per effectum boni operis frumenta Dominica vitiorum suorum paleis excoria, et in Ecclesiæ corpus monendo et persuadendo quasi mandendo converte. » Post quam præsumptionem, adhibitis mecum confratribus nostris, te et cum eo pacificavi, et episcopis, quorum parochianos excommunicasti, ut te in synodali sententia non inveherent persuasi : sed et eosdem a te excommunicatos, licet non sine labore, adminiculante domno rege, adversum et conquiescere feci. Sed tu, addens pejora prioribus, sic domnum regem, sicut mihi longum est enarrare et multi sciunt, iterum exaggerasti, ut causa tuæ castigationis te sine mea voluntate, sineque meo consensu, aliquantulum detineri juberet. Tu vero causa tuæ injuriæ, me inconsulto, et sine consensu coepiscoporum Rhemensis provinciæ, sicut petitio a clericis Laudunensis ecclesiæ mihi porrecta demonstrat, presbyteros et comministros ecclesiæ ac parochiæ tibi commissæ excommunicasti, ut nemo in eadem parochia missarum officia celebraret, neminem parvulorum etiam in mortis urgentis periculo constitutum baptizaret, nullum ad pœnitentiam quisquam susciperet, nec etiam obeunti communione viatica muneris subveniret, nulli defuncto in sepeliendo humanitatis obsequium exhiberet, donec aut tu ipse ad eos venires, aut a sede apostolica inde relationem reciperent. Quod audiens, fateor, vehementer exhorrui, et proinde ad te metropolitana sollicitudine litteras misi, monens et hortans te, ut tam exitiabilem excommunicationem et impietatis colligationem, in tuum et multorum periculum intentatam, quantocius solveres. Sed et ad ministros Laudunensis ecclesiæ, timens immane multorum exitium, certissimas et irrefragabiles diffinitiones evangelicæ veritatis, et apostolicæ auctoritatis, atque sacrorum canonum et apostolicæ sedis direxi, quatenus secundum easdem diffinitiones, quæ in nullo divelli possunt, ex eadem periculosa et irregulari excommunicatione agerent et ipsi satis. Sed quia meæ admonitioni obedire non voluisti, misi ad te iterum exinde litteras, sed et clericos Laudunensis parochiæ, et nec sic te ad obediendum invitare prævalui. Post hæc, quærens adinventiones ut te a metropolitana subjectione posses exuere, libellum de Patrum antiquorum scriptis, ante sacros Nicænæ

synodi et anorum sanctorum canones editis, collegisti. In quibus sententias inter se dissonas, et contra evangelicam et apostolicam atque canonicam et apostolicæ sedis auctoritatem immiscuisti, et eidem libello, sine metropolitani et coepiscoporum Rhemensis provinciæ conscientia ac consensu, subscripsisti, et a clericis Ecclesiæ tuæ et a parochianis presbyteris subscribi fecisti, volens te a subjectione tuæ metropolis exutum ostentare, et privilegium metropolitanæ sedis annulare. Quasi non possem impietatis tuæ colligationes canonica auctoritate, sine tuo consensu ac sine synodali conventu in parochia tuo dissolvere, cum de certis et manifestis causis, quæ in nullo nobis sunt dubia vel obscura, et de quibus finitivas sententias, quæ in nulla possunt ratione convelli, a sanctis Patribus promulgatas habemus, synodale consultum vel coepiscoporum nostræ provinciæ consilium vel consensum non debeam exspectare, et a regulis præstitutis, ut sanctus Leo dicit : « nulla aut negligentia aut præsumptione discedere, nec etiam sedem apostolicam inde inquietare, sicut ipsius sanctæ sedis beati pontifices, Innocentius, Zosimus, Cœlestinus, Leo, Hilarus, Gelasius, Gregorius, et alii plures ejusdem sanctæ sedis rectores in decretis suis ostendunt, » et reliqua. Item datis auctoritatibus Gelasii papæ. » Post præfati denique, inquit, monstruosi libelli, a te monstruose collecti, tuam tuorumque subscriptionem, litteris quarum exemplar habeo denuo te commonui ut ea quæ in parochia tua contra rationem et auctoritatem egeras, studeras corrigere : sed admonitioni meæ non paruisti. Deinde ex præfatis epistolis Romanæ sedis pontificum, ante Nicænam synodum scriptis, libellum a te collectum, et versiculis in nomine domni regis Caroli titulatum, per venerabilem quondam archiepiscopum Wanilonem in Gundulfi villa coram episcopis qui adfuerunt mihi direxisti. De quo tibi scripto respondi, cujus exemplar habeo, monens te ut sacris canonibus promulgatis fidem accommodares, et debitam obedientiam illis dependeres. Inde in Attiniaco Rhemensis parochiæ, tibi coram episcopis debi libellum in quinquaginta quinque capitulis, auctoritates ecclesiasticas continentem, contra illa quæ in præfatis tuis duobus collegeras, monens ut a talibus et hujusmodi reprehensionibus te cohiberes, et te sacris regulis subdens, pacem et sanctimoniam secundum Apostolum sequi studeres. Tu autem nullam inde meæ admonitioni satisfactionem exhibuisti: quin potius rotulam prolixissimam, contra veritatem et auctoritatem ac rationem contextam, in eadem synodo obtulisti, et præfatum tuum monstruosum libellum a te et a tuis subscriptum in eadem synodo protulisti, quem ibidem accipiens hactenus servo. Et cum me vidi post tot admonitiones nihil apud te posse proficere, schedulam porrexi in synodo episcoporum decem provinciarum, ab eisdem venerandis episcopis quærens consilium, quid contra tuam pertinacem contumaciam

A agere possem, et illa, quæ tibi ac parochiæ tuæ contra colligationes tuæ impietatis direxeram, coram illis relegi feci. Unde et ab eisdem episcopis prædictis sacri conventus auctoritatibus, quoniam injuste ac irregulariter tantas et tales excommunicationes agere præsumpsisti, et a domno rege impetitus, quoniam juramenta illi a te super sacra præstita non observasti, sed et quia res suæ proprietatis contra leges divinas et humanas invasisti, et a Nortmanno in synodo accusatus, quoniam eum de rebus tua concessione atque consensione a domno Carolo sibi beneficiatis, sine auctoritate regia, armata militari manu, et turba vulgi collecta cum gladiis et fustibus, primum quidem uxorem suam quæ tibi sine ullo erat, et postea illum ipsum contra leges et B regulas repulisti, et omnia sua quæ ibi habuit abstulisti, sed et a tuis hominibus accusatus, quia contra leges divinas et mundanas eis sua beneficia abstulisti, ut synodalem censuram evaderes, dedisti regi et mihi in eadem synodo professionis tuæ libellum de regulari obedientia tua, quem habeo, et tu negare non potest, quoniam ipsius exemplar de manu mea in eadem synodo accepisti, sicut in processu monstrabo. Sed ut vir duplex animo et inconstans in omnibus viis tuis, statim in crastina misisti mihi per Arduicum, venerabilem Vesontionensem episcopum, ad profitendum et subscribendum tibi, breviculum ita se habentem : « Et ego « Hincmarus Rhemorum archiepiscopus tibi Hinc« maro Laudunensi episcopo tuum debitum sacris « canonibus privilegium conservabo, et in quibus- C « cunque ecclesiasticis negotiis indigueris, secun« dum sacras regulas debitum tibi jure adjutorium « archiepiscopali auctoritate adhibebo. » Quæ causa non solum non de humili, verum nec de sano sensu processit. Injustum quippe ac irrationabile videtur, ut archiepiscopus, a sacris canonibus non exorbitans, excedenti episcopo suffraganeo a se ordinato professionis ac subscriptionis libello, sicut postulaveras, satisfaceret. Sicut enim secundum Scripturam minor a majore benedicitur, ita prorsus minor a majore et non a major a minore judicatur, ligatur, vel solvitur, sicut et in decretis Gelasii demonstratur. Juste igitur et rationabiliter tibi hinc respondetur ex Jacobo (*cap.* IV), Petisti et non accepisti, eo quod male petisti. Sed et in eo quod tibi a me D subscribi poposcisti, ut tuum debitum sacris præcipientibus canonibus privilegium conservarem, petisti quod voluisti, sed nescisti quod dixisti : « quoniam, ut sanctus Hieronymus dicit, privilegia singulorum communem legem facere non possunt. Et sacri canones provincialibus episcopis, et eorum ecclesiis vel sedibus, privilegia, scilicet privatas leges vel jura privata generaliter non dederunt, quia quod omnes generaliter habent, jus speciale et dignitatis lex privata esse non valet. Sed metropolitanis episcopis ac metropolitanis sedibus privilegia tribuerunt, » et cætera de sacris canonibus et decretis Leonis papæ subnexa. Post quæ subinfert : « Qua-

propter quando talia mihi ad profitendum et subscribendum misisti, scire debueras quod in istis regionibus nemo pene ignorat, quia municipium Lauduni, in quo es ordinatus episcopus, ab exordio sui, postquam a Marcobrio prætore, ut produnt historiæ, conditum fuit, nunquam inter sedes provinciales Rhemorum provinciæ, in paganismo vel in Christianismo, nomen vel locum habuit, donec sanctus Rhemigius decimus quintus Rhemorum archiepiscopus, certis quibusdam accidentibus causis, primus ibidem ordinavit episcopum, et idem municipio, de rebus Rhemensis metropolis satis superque ditato, ipsum comitatum, in quo consistit, partem scilicet ex Rhemensi parochia delegavit; sed semper fuit Rhemensis provinciæ municipium, sicut hodieque alia municipia in Rhemensi parochia, quæ in subjectionis loco ac nomine permanent. Non igitur privilegium, sed municipatum tibi debere servari convenerat petere, quia sicut patres nostri ac magistri Ecclesiæ tradunt, Paulus apostolus non se civem, sed municipem appellat dicens: *Ego homo sum quidem Judæus a Tarso Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps* (*Act.* XXII, 3). Natus quidem apostolus in oppido Galileæ Giscali fuit, quo a Romanis capto, cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigravit. A quibus ob studium legis missus Hierosolymam, a Gamaliele viro doctissimo, sicut in subsequentibus ipse memorat, eruditus est: et ideo non se civem, sed municipem a municipio, id est territorio ejusdem civitatis, in quo est nutritus, appellat. Dictum autem municipium, quod tantum munia, id est tributa debita vel munera reddat. Nam liberales et famosissimæ causæ, et quæ ex principe proficiscuntur, ad dignitatem civitatum pertinent. Nec mirum, si se Tarsensem et non Giscalitem dicat, cum Dominus ipse in Bethleem natus, non Bethleemites, sed Nazarenus a loco ubi nutritus erat cognominatus est. Et tu ergo in diœcesi Rhemensi natus, et in metropoli Rhemorum nutritus, et in municipio Lauduni ordinatus, non te civilem vel civicum, sed municipem, videlicet tributarium, seu munerarium, utinam spiritalium donorum, episcopum, et excepto quod a pluribus episcopis es ordinatus, pene vicarium episcopum, quem Græci chorepiscopum vocant, debueras recognoscere, ac per hoc non privilegium tibi ascribi, sed municipatum: nec contra privilegium tuæ metropolis te oportuerat rebellare, quod non ageres, si animo Paulus scilicet pusillus et humilis esses. Unde timendum est, ne et in hoc perditionis filium imiteris, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: qui quantum ex te fuit tradidisti eos, quos irregulariter ut præmisi excommunicasti, non ut secundum Apostolum spiritus eorum salvi, sed quantum furor et indignatio tua prævalere potuit, perditi essent in die Domini. Quas colligationes impietatis, ut sæpe dictum est, et semper dicendum est, quoniam regulariter contra votum tuum dissolvi, te adversum me erexisti. » Item post auctoritates super illicita excommunicatione. « De sacramentis autem a te regi præstitis non est mihi necesse aliquid scribere, quoniam pene omnes sciunt, quid de perjurio, si forte illud admisisti, Dominus in lege et prophetis, et in Evangelio, et per apostolos ac Ecclesiæ doctores atque magistros dicat. Et quia, ut in decretis apostolicæ sedis dicitur, noluimus exaggerare quod gestum est, ne cogamur judicare quod est justum, quoniam quod inde tibi in synodo reputatum est, judiciario ordine comprobatiam non est, sed regia benignitate intermissum est, omisi hinc regulare judicium ponere, ut te ad consciendum tuam remitterem. Pervasio autem rerum proprietatis regiæ a te perpetrata manifestissime clariut, quia nunquam res ipsæ juris ecclesiæ Laudunensis fuisse legaliter probatæ sunt, nec sua vel cujuscunque alicujus alterius donatione vel concessione ab eadem ecclesia possessas fuisse monstratum est. Unde super hominem tuum Teduinum, cui easdem pervasas beneficiasti, legaliter conquisitum est. Sed et proclamatio adversum te Nortmanni vera fuisse clariut, nec testibus indiguit, quoniam tam manifestissime hoc quod inde contra leges et regulas egisti, adeo omnibus in istis regionibus patuit, ut nulla tergiversatione factum tegi aut excusari valeret. Nam constat multis esse notissimum, et tu in scriptis tuis domno regi et mihi directis hoc confiteris, quoniam ad deprecationem Rodulfi et Conradi easdem res, postquam domnus rex illas a longo tempore de ecclesia Laudunensi abstractas eidem ecclesiæ sua pietate restituit, ipsi domno regi illas, sine meo ac coepiscoporum nostrorum et comministrorum tuorum conscientia atque consensu beneficiasti, quatenus eidem Nortmanno illas beneficiaret. » Item et post aliquas datas auctoritates. « Et hoc a te ita irrationabiliter factum irrationabilius dissolvisti: qui armata militare manu, et permista vulgi multitudine cum armis et fustibus et tumultu maximo, sicut dicunt qui factum illud viderunt et audierunt, eumdem Nortmannum, qui ipsas res a te regi concessas per regis beneficium retinebat, violenter et sine regis auctoritate ac verbo vel litteris expulisti, expulso illo illas invasisti, et in eas intrasti, ac possedisti, cum sint leges et regulæ, sit etiam rex portans gladium ad vindictam malefactorum, sint episcopi et canones ad judicanda crimina sacrilegorum, ut si ipse Nortmannus pervasor rerum ecclesiasticarum foret, gladio, id est vindicta regia puniretur, si sacrilegus comprobatus esset, episcopali et canonico judicio judicaretur. Sunt etiam judices, et sunt leges, quorum et quarum judicio, si quid forte tibi et ecclesiæ tibi commissæ injuste factum erat, legaliter et regulariter emendaretur. » Item post quædam, præcipue beati Gregorii præceptionum decreta. » Denique ex eo quod tui homines se ad regem reclamaverunt, quoniam ab eis sua beneficia, quæ apud antecessores tuos præservierunt, injuste et irrationabiliter abstulisses, post datum regi et mihi libellum in synodo de regulari obedientia tua secundum sacros canones et de

creta sancta sedis Romanæ pontificum, ex eisdem sacris canonibus promulgata, electos judices episcopos apud me expetisti, et tres secundum Africanum concilium, scilicet Actardum, Ragenelmum, atque Joannem, a me tibi designatos suscepisti, et eorum atque aliorum Deum timentium judicio, in domni regis, sicut postulasti, præsentia de quibusdam decretum fuit, ut beneficia sua, quæ irrationabiliter perdiderant, recuperare deberent : quorumdam autem eorum causa usque ad alium tractatum certis causis intervenientibus non diffinita, sed die alia diffinienda remansit, et tu ante diffinitionem contra sacros canones, et sine ulla necessitate vel ratione, fuga lapsus regularem diffinitionem exspectare contempsisti. » Item, post aliqua de canonibus. « Et ab electorum judicio, ut prædixi, incaute ac inhoneste fuga lapsus, abscedens pitaciolum irrationabiliter confectum, et manu tua subscriptum, ac præfatæ professioni tuæ usquequaque contrarium, per Ermenoldum diaconum tuum VI Nonas Julias III Indictionis mihi misisti, quod ita se habet. *Reverentissimo Rhemorum archiepiscopo Hincmaro, sanctæ Laudunensis ecclesiæ Hincmarus Deo miserante episcopus debitam in Christo devotionem.* Vos scitis, quia ab universali sanctæ Romanæ Ecclesiæ papa, patre quoque nostro et magistro Hadriano bis vocatus existo, et vos ipsi in quaternionibus, mihi a vobis in Attiniaco palatio coram archiepiscopis et episcopis qui adfuerunt datis, quod ad eamdem sedem venire totidem vocatus detrectem, me reprehendistis, si vitio scriptoris pro detrectem, quod est dissimulem vel differam, detractem, quod valde tractem non ab re accipi potest, intercharaxatum non fuit. Unde vos nunc pro amore Dei omnipotentis et reverentia sancti Petri exposco, sicut in eadem synodo in eodem Attiniaco a vobis convocata, quod et impetrare non valui, expostulavi, ac jam etiam per integrum efflagitavi annum, et præcipue in synodo apud Vermeriam palatium olim ab orno habita obsecrando declamavi, nunc quoque et obsecro, et item declamo, ut et hactenus egi, quo vestra archiepiscopali auctoritate apud domni gloriosissimi regis Caroli clementiam obtineatis, quatenus domni et universalis papæ Adriani præceptis ac institutionibus ecclesiasticis mihi, ut omnibus expedit, velut ei qui de omni Ecclesia fas habet judicandi, liceat obedire, videlicet ut limina sanctorum apostolorum Petri scilicet et Pauli merear, ut devovi, et ab eodem insuper vocatus sum, penetrare. Alioquin me vobis abhinc, ut archiepiscopo coepiscopus obtemperare debet, canonice sciatis obsequi non posse, quia ut decernit beatus papa Gelasius, nesciunt quid loquuntur, qui decretis sanctæ Romanæ Ecclesiæ sedis præsulum quasi canones opponunt, quibus contraire contra canones est ipsos se erigere. » Iste Gelasius papa venerabilis et sanctus omnes decretales epistolas venerabiliter sanxit suscipiendas, nec eas venerabiliter suscipit, licet ad tomum caput inclinet, qui eis non obedit sed potius porro obvias manus inferens, quod sine periculo agi non potest, respuit, utpote

A qui de se judicari non prospicit. Nam velimus nolimus, aut eis purebimus, aut eorum judicio percellemur, quorum neminem aliqui quique reprobare valemus. De archiepiscopis autem Remigio ac Arduico, quod mihi per Teutlandum diaconum mandastis, privilegio sanctæ Romanæ Ecclesiæ non præjudicat, sed quod eis eadem sancta sedes de me voluit ac disposuit committere commisit. Vos vero quod vestrum est agite. In Domino Jesu Christo bene valete. « Ego Hincmarus sanctæ Laudunensis ecclesiæ episcopus sponte subscripsi. » De quo pittacio tibi distuli respondere, putans te retractare, et a tua contumacia resipiscere : tu autem non quievisti, sicut causa brevitatis omitto. Et post hæc per clericum tuum Bertharium domno regi litteras

B tuas direxisti, excusans te, quoniam ad illum sicut tibi mandaverat venire non posses, quia febricitans ut te sol tangeret sufferre nequibas : sed tibi Romam eundi licentiam daret secundum votum tuum quod vovisti, quando altera vice febrem habuisti, ut ad sanctorum apostolorum limina sicut voveras veniens, ibidem ab eadem febre liberareris. Is autem domnus rex, coram episcopis et aliis suis fidelibus qui adfuerunt, tibi per eumdem clericum tuum remandavit, mirum et non verum esse quod diceres, quoniam ad illum venire non posses, et Romam adire valeres. Venires autem ad illum, et si ipse pro causa rationabili te illuc ire velle cognoscere posset, tibi licentiam non denegaret. Tu vero ad eum venire noluisti, donec circa Kalendas Septembris tertiæ indictionis ad Silvacum de collocutione

C fratris sui Ludovici rediit. Quo obviam illi veniens, nihil cum eo, sed nec mecum, per te vel missos tuos de licentia tua Romam eundi dixisti. Sed et quando missi domni apostolici Rhemis fuerunt, quotidie per septem dies cum rege et mecum locutus fuisti, et inde nihil dixisti. Quod dicis te in synodo apud Vermeriam, indeque apud Attiniacum licentiam eundi Romam petisse, et impetrare non potuisse, omnes episcopi, qui in eisdem synodis fuerunt, liquido sciunt, quoniam cum de tuis insolentiis increpabaris, timens regulare judicium, vel regis castigationem, licentiam eundi Romam petebas. Cum vero videbas, quia et rex et episcopi erant tibi placabiles, de ipsa licentia nihil dicebas, sicut nec modo facis, donec aliquam novitatem, ut soles,

D quam semper timendo exspecto, iterum facias, de qua compellatus solitam cantionem de licentia tua recantes. Petitio autem tua apud domnum regem talis fuit, quando ad eum venisti, quia sicut plures et pene omnes in istis provinciis scire dicuntur, et patet, addens gravibus graviora, velut ipsa sacrorum canonum demonstrant judicia, nescio quibus machinationibus exquisitis a te jussio est principalis elicita, ut de his de quibus electos judices secundum sacros canones expetisti, non solum eorum querela, quorum causa usque ad alium tractatum diffinienda remansit, verum et quæ, ut dixi, in domni regis præsentia electorum judicum sententia

diffinita fuerunt, sine metropolitani conscientia, sineque canonico et episcopali judicio, per judices sæculares, Helmigarium scilicet mercati palatii telonearium, et Flotharium ac Ursionem villarum regiarum majores, refricarentur contra canones, qui ab ecclesiasticis ad majoris auctoritatis ecclesiasticos judices, et non a majoribus ad minores, nec ab ecclesiasticis ad sæculares, neque a consensu partium electis provocari permittunt. A quibus judicibus sæcularibus a te pertitis, quædam ex diffinitis refricata et immutata, quædam vero ex diffiniendis sunt diffinita, adinventitia reputatione, sicut ab ipsis qui in eodem placito fuerunt dicitur, de non necessariis et inconvenientibus juramentis reperta, et a te coram prædictis judicibus, ipsis tuis accusatoribus, quos contra electos judices sicut expetieras suscepisti, proposita : quatenus et is, de quo legaliter et regulariter diffinitum fuerat, ut beneficium suum haberet, quod contra rationem et æquitatem perdiderat, eadem adinventione dimitteret : et illi, quibus judicatum fuerat, ut quoniam tu post expetitum electorum judicium idem judicium subterfugisti, beneficia sua usque ad legalem diffinitionem tenerent, beneficia ipsa desererent, et tu quod incepisti evindicares, cum sicut tibi non licet de accusatione, sive criminalis causæ, sive civilis, relicto ecclesiastico, publico purgari judicio, ita etiam non licet tibi, postposito vel contempto ecclesiastico judicio, ad sæcularia judicia convolare, vel quemcunque, nec etiam laicam personam pertrahere, neque ad forum suum sequi, si ipsa laica persona consenserit ecclesiasticum subire judicium, sicut lex Valentiniani, quam probat Ecclesia, demonstrat. Item post ostensas auctoritates. « Et non pertranseat etiam tuam considerationem, cur domnus rex tuæ petitioni annuerit, ut unde in præsentia illius electos judices episcopos secundum sacros canones accepisti, sine conscientia metropolitani, sineque ecclesiastico judicio, consenserit ut sæculares judices ad retractanda ea quæ diffinita fuerunt, vel ad diffinienda, de quibus judices acceperas, demum acciperes. Scio enim et certus sum hinc illum canonicum scire judicium, et miror ac doleo cur tu hoc videre non voluisti, aut Deo judice arrogantia cæcatus non potuisti. Inunge igitur secundum consilium Apocalypsis Joannis (*cap.* III, 18) collyrio oculos tuos, ut videas et albuginem arrogantiæ de oculo mentis, id est intellectu tuo abjicere valeas : et pensa, ne forte domnus rex, quem toties exacerbasti, sciens divina judicia atque eloquia, hinc in annuendo votis tuis cogitaverit contra se sententias divinas, de his qui duræ cervicis et indomabiles corde sunt. *Qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII, 11) ; et : *Ut impleant peccata sua semper* (*I Thes.* II, 16); et : *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis* (*Psal.* LXXX, 13) ; et : *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis ? mea est ultio et ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum : juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora* (*Deut.* XXXII, 34). Et cum tantarum transgressionum inveniaris obnoxius, non cessas me provocare, ut de promisso pittacio tuæ professionis atque tuæ subscriptionis, de quo tibi, ut prædixi, respondere hactenus distuli, sed et de aliis tuis professionibus atque subscriptionibus vel lacessitus rescribam, quatenus professionum et subscriptionum tuarum historias plures legentes, si forte sunt qui adhuc eas ignorent, earum diligentiam, cautelam quoque et utilitatem cognoscant. Et primum quidem respondebo tibi de præfato a te subscripto pittacio, in quo scribis in adminiculo tuo te a me reprehensum, et esse me ostendis reprehensibilem, sed ego spreta reprehensione tua, qua me, quasi sub quodam excusationis velamine, de scriptoris vitio more tuo evidenter reprehendere satagis, qui aut differentiam verbi detractem, quod in meis scriptis tibi datis posui, nesciam, aut scriptoris vitium in eis corrigere non sapuerim, vel emendare neglexerim, et ex mea reprehensione tuam ostentare scientiam Cham Noe filius voluisti, non solum in verbi illius differentia, sed et in alio verbo, quod ad ostentationem tui in tuis adinventionibus iteratum inveni, et cum hinc meam insipientiam voluisti ostendere, tuam studuisti apud scholasticos stultitiam propalare. Pro me nil curo dicere : mihi enim pro minimo est ut a te judicer, aut sine dilectione a tua scientia reprehendar. Sed ne apud illos, qui tecum rumusculos captant, glorieris quasi me mutum effeceris et elinguem, qui solus nostris temporibus thesauros sapientiæ et scientiæ penetrans introisti, hic causa compendii prætermittens, cum mihi vacaverit ostendam quid regularum grammaticæ artis auctores, quid orthographiæ doctores, quid sanctæ Scripturæ tractatores inde sentiant atque dicant. » Item post nonnulla. « Sed alia sunt hinc ex sacris canonibus et apostolicæ sedis decretis, quæ mihi hic ponere longum fuit, et in opusculo quinquaginta quinque capitulorum, quod ad tuam commonitionem et correctionem atque instructionem tibi dedi, potes relegere, præter epistolas præmissas quas tibi direxi ad redarguendam tuam temeritatem, contra evangelicam veritatem, et apostolicam atque canonicam auctoritatem, contraque sedis apostolicæ decreta, in tuam et perniciem multorum præsumptam, sicut in synodo plurimum episcoporum est comprobatum : sed et præter alias epistolas ac alia scripta quæ tibi direxi, vel dedi ad comprimendam tuam insolentiam, et commonendam ac instruendam tuam dilectionem, ut ageres juxta Domini dictum (*Deut.* XXVI, 27) : Quid quærit Dominus Deus tuus a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et facias voluntatem ejus, obediasque ipsius imperio ? Quæ, frater, sollicita cordis intentione revolve, et recogita quid sit quod dixisti : Quia ex tunc quando mihi litteras illas misisti, ut archiepiscopo coepiscopus obtemperare debet canonice, scirem obsequi mihi te non posse, et revoca ante

oculos quod coram episcopis decem provinciarum professus es, et manu propria subscripsisti, scilicet quia privilegio metropolitani provinciæ Rhemorum ecclesiæ, secundum sacros canones, et decreta sedis apostolicæ sacris canonibus promulgata, pro scire et posse te obediturum profitereris, et subscripsisti. Dic, frater, quando, et ubi, vel in quibus a te requisivi vel extorquere volui, ut mihi contra hæc in aliquo obedires? qui nunquam tua, sed juxta Apostolum te quæsivi, et qui meas injurias, scilicet meæ personæ, facile Deo gratias possum dimittere, sicut et pro te quotidie omnipotentiam Domini devote exorans facio, injurias ordinationis divinæ, quæ a tua insolentia exquiruntur, ut metropolitano privilegio canonice non subdaris, in eum redundantes, qui Spiritu sancto suo, a que promulgati leguntur et creduntur canones, instituit, patienter ferre non possum, nec debeo, quin tantum inde non satagam quantum potero. Nam sicut sollicitudo et primatus totius Ecclesiæ catholicæ sanctæ sedis Romanæ pontifici divinitus est collata, ita et uniquique metropolitano ac primati provinciæ sollicitudo sibi delegatæ provinciæ per sacros canones spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos noscitur esse commissa, » et cætera. Sequuntur denique plura de professionibus et subscriptionibus ejusdem Hincmari, et correptionibus ejus, usque ad finem operis.

EPISTOLA HINCMARI LAUDUNENSIS

AD HINCMARUM RHEMENSEM.

Respondet ad opusculum quinquaginta quinque capitum et ad alia quæ contra ipsum scripta vel acta.

(Vide Patrologiæ, tom. CXXIV, col. 1027.)

HINCMARI LAUDUNENSIS

AD EUMDEM

De consensu in excommunicationem ab eo factum quem exigebat.

(Vide ubi supra, col. 1069.)

EPISTOLA HINCMARI RHEMENSIS

AD HINCMARUM LAUDUNENSEM.

(Apud Sirmond., ex Flodoardi, lib. III, cap. 22.)

Hincmarus Rhemorum episcopus Hincmaro Laudunensis episcopo.

Vir diversis flagellis a diversis attristus dicit : Qui me comedunt non dormiunt; ac si diceret, non quiescunt. Et tu, frater, me tuæ linguæ flagellis atterere, et venenosis scriptis tuis ad iracundiam provocando inficere non quiescis. Sed ille qui servum suum custodivit a murmurationibus, me peccatorem et fragilem in se confidentem potest custodire a rancore et malitia contra tuas falsas criminationes. Post alia multa super dolorem vulnerum meorum addens dicis : Sicut in scriptis tuis perversis invenio, quia apostolicæ sedis potestati derogo. Unde nemo sanum sapiens tibi unquam credidit vel credet : quoniam et ipsa scripta quæ ad apostolicam sedem sæpissime misi, et illa quæ tibi resultanti sæpe transmisi, te revincent, et in isto sæculo et in futuro judicio. Non enim de me verum esse valebis unquam vel usquam probare quod dicis, ab his, inquiens, a quibus pro apostolicæ sedis privilegiis, quæ Christi sunt, usque ad mortem fas erat decretari, prædicatur et docetur, in his quæ eadem sedes statuit, vel ut respuendum probari. Sed tu probaris ejus privilegio resultare, qui secundum sacrosanctorum conciliorum canones supra positos, ab ipsa prima sede, atque ab omni Ecclesia catholica comprobatos, ut re vera spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, et juxta decreta ipsius sanctæ sedis ex eisdem sacris canonibus promulgata, metropolitano privilegio semel et secundo ac tertio commonitus obedire detrectasti, ut colligationes impietatis, quas contra evangelicam veritatem, et apostolicam atque propheticam auctoritatem, contraque sanctorum canonum, et decreta ipsius venerandæ sedis, exitiabiliter in tuum et multorum periculum colligasti, dissolveres. Insuper contra sacras regulas adversus metropolitanum privilegium libello perniciose subscripsisti, et subscribi fecisti. Unde in synodo conventus ab episcopis decem provinciarum, libellum professionis de futura tua obedientia, subscriptum manu propria, quod habeo, porrexisti : contra quem iterum resubscripsisti. Nam ego decretales epistola sedis apostolicæ, divertis temporibus pro diversorum patrum consolatione vel consultatione ab ejusdem sedis pontificibus datas, et venerabiliter suscipio, et venerabiliter suscipiendas dico, et scribo, et sacrosanctorum conciliorum canones, cum decretis apostolicæ sedis ex eisdem sacris canonibus promulgatis et recipiendos et custodiendos et servandos, sicut supra ostendi, profiteor. Et quod te dicis audire obloqui de judicio domni papæ Nicolai, si de me dicis, mendacium dicis. Nam quod ille de Rothodo, sive de Vulfado judicavit, non contradixi, sed sicut ipse præcepit obedire curavi. De eo quod dicis de Rothado, quia in ejus depositione non consensisti, subscriptiones tuæ manus propriæ te revincunt. Nihil enim inde egi quod mecum non egeris, nihil subscripsi quod non subscripseris. Habeo enim illas ipsas manus tuæ subscritiones.

Et circa hujus operis finem. De aliis vero, quæ in scripto apud Attiniacum dato mihi improperando mendaciter dicis, tibi respondere non curo. Sed scias quia non sum oblitus quod scriptum est in Isaia propheta, quoniam sanctus Ezechias arctatus angustia, blasphemas epistolas sibi directas in templo coram Domino expandit, et ad eum clamavit, et exauditus est. Expandam autem manus meas ad Dominum cum blasphemis et superbissimis scriptis tuis mihi a te directis, orans ut quando scit, et quando vult, et sicut scit, et sicut vult, te convertat ad veræ pacis et dilectionis atque debitiæ obedientæ dilectionem, et me liberet a labiis iniquis, et a lingua dolosa. Et Dominæ meæ beatæ et gloriosæ Dei genitricis Mariæ meritis, ac precibus sancti Remigii, cujus privilegio derogas, exaudiet me adjutor in opportunitatibus in tribulatione. Et quia beatus Hieronymus de his, quo-

rum adversum me gratis suscepisti officium, dicit : « Audiant canes mei, tu qui de filio in fratrem, indeque crevisti in coepiscopum, et post adeo profecisti ut in canem meum excreveris, accipe hanc perversi contumaciæ tuæ pittacioli exigente causa prolixam responsionem. Cum autem mihi vacaverit, succinctius de aliis perversis et incompositis scriptis tuis, in quibus quædam mendaciter, quædam reprehensibiliter me reprehendendo, quædam ficte humiliter et vere superbe scripsisti, rescribam, et in illo scripto, quia lego dixisse Dominum : Jam non irascar tibi amplius, quantum mihi adhuc paret, de hujusmodi altercationibus tibi scribendi finem imponam. De hoc quod dicis, quia dicunt de me homines : Qualis est ille avunculus, qui talia suo nepoti scribit, dicant et de te ipsi homines : Qualis est ille nepos, ab avunculo suo talis ut tunc erat assumptus, et talis sicut nunc est in spiritali ac temporali honore effectus, qui talia sibi exigit ab invito avunculo, ne talis ab aliis, sicut a nepote suo depingitur, æstimatus, per eum blasphemetur nomen Domini, et vituperetur ministerium ejus; secutus Apostolum scribentem ad Corinthios contra se blasphemantes, et vilipendi ab aliis laborantes. Egit quippe doctor egregius, ut dum ipse qualis esset agnoscitur, et vita et lingua male prædicantium ejus prædicatione vilesceret. Illos videlicet commendaret, si se absconderet. Cumque se non ostenderet, errori locum dedisset. Dicunt etiam ipsi homines de te : Qualis est ille nepos, qui talia contra suum avunculum et nutritorem atque ordinatorem machinatur, et quantum potest mali agit, et plusquam potest agere cupit? Sicut tu in die magni judicii manifeste videbis, si te antea inde non recognoveris, et dignis pœnitentiæ fructibus non emendaveris. Multum me fatigas, et merito, non imputetur tibi. Sed fatigationem meam consolatur, quod sicut tibi scripsi dicit Gregorius : « Et si Æthi« ops niger balneum intrat, et niger de balneo exit, « tamen balneator denarium balnei sui non perdit. » Timeo de te meo Alexandro, quod de suo dicebat Paulus : Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus. »

HINCMARI RHEMENSIS

AD EUMDEM.

(Ex Conciliis Labbei, ut et sequentes epistolæ.)

Hincmarus Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus, presbyteris, diaconibus, ac reliquo ecclesiastico ordini, et cunctis in Laudunensi parochia consistentibus salutem.

Confratres ac consacerdotes nostri Hetto, Ermino, Hadulfus, et Clarentius presbyteri ecclesiæ vestræ prid. Kal. Junias præsentis secundæ indictionis data mihi ad vicem omnium vestrum petitione, cujus hinc partim textus, quantum sufficere vidi, sequitur, de quibusdam capitulis vestræ communis necessitatis consuluerunt, hoc modo : Dum XIII Kal. Maias pastor noster in monte Lauduno in sua synodo de perplurimis utilitatibus suæ sanctæ ecclesiæ, ordinando et emeliorando quædam in eis disputaret; occurrit pro successu temporum quædam pars ejusdem disputationis, pro qua quia ordinandi rerum ecclesiasticarum potestas ab eo, cum jus et lex canonum jubendo præcipit, ut episcopus res ecclesiæ suæ quibus voluerit, et quomodo voluerit disponendo dispenset, auferretur; perplurimæ auctoritates sancti Petri successorumque ejus, quibus qualiter et quomodo data sit potestas ligandi et solvendi, ab eodem pastore nostro in præsentia totius synodi eas relegendo recitatæ sunt. Quibus recitatis, memor injuriarum suarum, quæ ei moderno acciderant tempore addidit, quod immineret tempus comprovincialis synodi, quæ in Vermeria palatio regio a vobis vestrisque suffraganeis VIII Kal. Maias habita est. Ad quam vestris litteris evocatus libenti animo coram omnibus professus est, se sine ulla intercapedine progressurum. Sed quia credebat in ipsa synodo, quod mos haud exposcit canonicus, aliquam violentiam sibi illegaliter et contra leges canonum a quocunque fieri, sermone contestatorio et auctoritate sancti Petri, quod si ei licentia eundi Romam prohiberetur, aut ipse captus obtineretur, omnes sacerdotes totius parochiæ suæ colligavit, ut nemo eorum in ea sacerdotali ministerio tandiu uteretur, usque dum ille ipse nobiscum iterum viva voce loqueretur; aut litteræ ex ipsa sancta sede beati Petri apostoli nobis mitterentur. Quo facto quod tunc non accidit, nunc in Silvaco palatio V Kal. Junias peractum est. Qua tamen die priusquam ad ipsum Silvacum perveniret, præscius venturæ violentiæ suæ, prædixit sacerdoti nostro Clarentio, simulque diacono Teutlando, ut nobis denuntiarent per omnia nos servaturos, quæ causa suarum injuriarum, et ut satius dicamus, pro statu sanctarum ecclesiarum, in præscripta synodo XIII Kal. Maias omnibus sacerdotibus suæ parochiæ observare auctoritate sancti Petri ipse præceperat.

Et post aliquanta : Quapropter quia eumdem dominum nostrum regia potestate retentum et reclusum viva voce adire non poteramus, et sacerdotali ministerio prohibiti ab eo frui non audebamus, III Kal. Junias ad capitolium nostrum convenimus, et ibidem communi colloquio retractantes ratum fore duximus, ut exinde consilium nostræ salutis a sacra paternitate almitatis vestræ humiliter deposceremus, utrum sacerdotalis ministerii officio missas celebrando, et domino pro receptione pastoris nostri ac communi utilitate totius sanctæ Ecclesiæ sacrificia offerendo, baptizando pueros, visitando infirmos reconciliando cum viatico munere pœnitentiam petentes, sepeliendo mortuos, cum penitus ab his omnibus prohibiti simus. Et paulo post : in parochia nostra uti debeat, an non, et reliqua. Quam relegens satis superque dolui fateor, quia dilectus frater et coepiscopus noster Hincmarus contra episcopalem gravitatem, et contra evangelicam ve-

ritatem, atque apostolicam et canonicam auctoritatem talia inconsulte causa suarum injuriarum agere præsumpsit; qualia nullus ante ipsum episcopus egit : quæ non modo sacrarum Scripturarum tramiti contraria, et decretis sunt sanctorum adversa, verum et saluti humanæ ac universæ Christianitati sunt animica. Quia, sicut Hilarus papa dicit, non minus in sacrarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius domni prosillitur. Vestram autem solertiam laudo, filii ac fratres charissimi, quos præcepta sacrorum canonum non perfunctorie legisse cognosco. Ait enim sacra et mystica Nicæna synodus : « Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam et Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem ; quia ut urbis Romæ episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam cæterasque provincias suis privilegia serventur ecclesiis. » Quod capitulum sanctus Bonifacius papa scribens ad Hilarium Narbonensem episcopum exponit hoc modo : « Convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus ; per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas : quod illi, quia aliter credendum non est, servandum, Spiritu sancto suggerente, sibimet censuerunt. » Et post aliquanta : « Quod idcirco dicimus, ut advertat charitas tua, adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat ; quatenus metropolitani sui unaquaque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. » Et secundum Africanum concilium scribens ad Cœlestinum papam : « Decreta, inquit, Nicæna sive inferioris gradus clericos, sive episcopos ipsos suis metropolitanis apertissime commiserunt. »

Et venerandum Antiochenum concilium : « Per singulas, inquit, regiones episcopos convenit nosse metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere. Propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere concurrant. Unde placuit eum de honore præcellere, et nihil amplius præter eum cæteros episcopos agere, secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum quæ ad suam diœcesim pertinent possessionesque subjectas. Unusquisque enim episcopus habeat suæ parochiæ potestatem ut regat juxta reverentiam singulis competentem ; et, providentiam gerat omnis possessionis quæ sub ejus est potestate : ita ut presbyteros et diacanos ordinet, et singula suo judicio comprehendat. Amplius autem nihil agere tentet præter antistitem metropolitanum. » Presbyteros, inquit, et diaconos parochiæ suæ episcopus ordinet, et non exordinet. Quia quos solus episcopus ordinare potest, solus nisi ut venerandi præfigunt canones a sacris officiis submovere vel suspendere nequaquam potest. Et singula, inquit, non autem generalia suo judicio comprehendat, quem convenit nosse metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere. Propter quod ad metropolim undique qui negotia videntur habere concurrant.

Unde, fratres charissimi, docente nos beato Gregorio ac dicente, « qui non corrigit resecanda, committit, » ad præfatum fratrem et coepiscopum nostrum Hincmarum has quæ sequuntur litteras auctoritate metropolitana dirigere necessarium duxi ; monens illum paterna ac fraterna dilectione, ut juxta beati papæ Hilari decreta ipse quantocius iniquum factum suum dissolvat. Quod si agere noluerit, et contumaciter, quod absit, magis differre quam obedire maluerit, sciat generalitas fraternitatis vestræ virtute Domini nostri Jesu Christi, qui, ut ipse dicit, venit animas salvare, non perdere, et venit quærere et salvare quod perierat : qui est, ut ipse insinuat, *via, veritas et vita (Joan.* IV) : via scilicet conversationis sanctæ, veritas doctrinæ divinæ, vita beatitudinis sempiternæ. A quo, et per quem in ædificationem, et non in destructionem sacer ordo episcopalis accepit exordium. Judicio etiam sancti Spiritus, quo sacri promulgati sunt canones ; et sancti prophetæ atque apostoli, eorumque successores, et apostolicæ beati Petri sedis pontifices nobis documenta salutis et regulas ac decreta salubria ediderunt, et servanda inviolabiliter tradiderunt, sicut in subsequentibus relegetis cuncta quæ de capitulis in vestra petitione conscriptis contraria divinæ auctoritati, quæ tenetur in subditis, aut verbo præcepit, aut scripto decrevit, irrita et vacua et nullius virtutis vel auctoritatis esse pronuntio atque decerno ; vobisque ministris ecclesiæ Laudunensis parochiæ præfata auctoritate præcipio, ut et in missarum celebrationibus, et in cæteris officiis, tam diurnis, quam nocturnis, et in distributione secundum traditionem Domini sacramentorum cœlestium fratribus et populis consulendis, sed et in baptizandis parvulis, et in suscipiendis ad pœnitentiam indigentibus, et in subveniendis viatico munere secundum sacros canones obeuntibus, et in sepeliendis mortuis, sine ulla retractatione aut negligentia, quantum patitur humana fragilitas, secundum tramitem sacrarum Scripturarum traditionemque majorum divina munia exsequendo fratribus et populis consulere studeatis : scientes vos ordinum vestrorum sustinere jacturam, si confessi aut regulariter convicti fueritis de proximorum per vestram negligentiam, quod absit, periculo. Si autem, quod non est credendum, frater et coepiscopus noster Hincmarus quocunque tempore cuicunque vel quibuscunque vestrum pro hoc quia ejus illicitam præceptionem non observastis, contra regulas in antiquo fecerit, secundum sacros canones ad metropolim vestram, vel ad provinciale concilium qui læsos se existimaverint festinent recurrere ; ut quod perperam illis, quod Deus longe faciat, fuerit irrogatum, synodi experti examen debitam et necessariam emendationem suscipiant.

HINCMARI RHEMENSIS
AD EUMDEM.

HINCMARUS Rhemorum episcopus dilecto fratri HINCMARO Laudunensi coepiscopo nostro salutem.

Pridie Kal. Junias præsentis secundæ indictionis misit ad me grex Laudunensis ecclesiæ per legatos suos, quorum nomina scripta habemus, oblatam petitionem, in qua inter cætera continetur : Dum XIII Kal. Maias idem pastor noster in monte Lauduno in sua synodo de perplurimis utilitatibus suæ sanctæ Ecclesiæ ordinando et emeliorando quædam in eis disputaret, occurrit pro successu temporum quædam pars ejusdem disputationis, pro qua quia ordinandi rerum ecclesiasticarum potestas ab eo, cum jus et lex canonum jubendo præcipit, ut episcopus res suæ ecclesiæ, quibus voluerit et quomodo voluerit, disponendo dispenset, auferretur, perplurimæ auctoritates sancti Petri successorumque ejus, quibus qualiter et quomodo data si potestas ligandi et solvendi, ab eodem pastore nostro in præsentia totius synodi eas relegendo recitatæ sunt. Quibus recitatis, memor injuriarum suarum, quæ ei moderno acciderant tempore, addit quod immineret tempus comprovincialis synodi, quæ in Vermeria palatio regio a vobis vestrisque suffraganeis VIII Kal. Maias habita est, ad quam vestris litteris evocatus libenti animo coram omnibus professus est se sine ulla intercapedine progressurum. Sed quia credebat in ipsa synodo, quod mos haud exposcit canonicus aliquam violentiam sibi illegaliter et contra leges canonum a quocunque fieri, sermone contestatorio et auctoritate sancti Petri, quod si ei licentia eundi Romam prohiberetur, aut ipse captus obtineretur, omnes sacerdotes totius parochiæ suæ colligavit, ut nemo eorum in ea sacerdotali ministerio tandiu uteretur, usque dum ille ipse nobiscum iterum viva voce loqueretur, aut litteræ ex ipsa sancta sede beati Petri apostoli nobis mitterentur. Quo facto, quod tunc non accidit, nunc in Silvaco palatio regio V. Kal. Junias peractum est. Qua tamen die priusquam ad ipsum Silvacum perveniret, præscius venturæ violentiæ suæ prædixit sacerdoti nostro Clarentio simulque diacono Teutlando, ut nobis denuntiarent per omnia nos servaturos, quæ causa suarum injuriarum, et ut satius dicamus, pro statu sanctarum ecclesiarum in præscripta synodo XIII Kal. Maias omnibus sacerdotibus suæ parochiæ observare auctoritate sancti Petri ipse præceperat.

Et post aliquanta : « Quapropter quia eumdem dominum nostrum regia potestate retentum et reclusum viva voce adire non poteramus, et sacerdotali ministerio prohibiti ab eo frui non audebamus III Kal. Junias ad capitolium nostrum convenimus, et ibidem communi colloquio retractantes ratum fore duximus, ut exinde consilium nostræ salutis a sacra paternitate almitatis vestræ humiliter deposceremus, utrum sacerdotalis ministerii officio missas celebrando, et domino pro receptione pastoris nostri ac communi utilitate totius sanctæ Ecclesiæ sacrificia offerendo, baptizando pueros, visitando infirmos, A reconciliando cum viatico munere pœnitentiam petentes, sepeliendo mortuos ; cum penitus ab his omnibus prohibiti simus. » Et paulo post : « In parochia nostra uti debeat, an non, et reliqua. Quam novitatem a sæculo hactenus inauditam, frater charissime, satis contremiscens exhorrui, satis superque dolui. Unde augentur mihi lacrymæ : gemitus se in meo corde non capiunt, atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis reputo, quod tu talia filius meus in tempore isto novitatis præsumptione, quæ de superbia descendere noscitur, agis, qualia nunquam ullus episcoporum legitur præsumpsisse. » Nam sicut in sacra Historia legitur : *Petrus quidem servabatur in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo* (*Act.* XII). Liberius B papa, Vigilius papa, Joannes papa, et pontifices sanctæ Romanæ Ecclesiæ in exsilium missi, et quidam eorum carcere conclusi fuerunt : Athanasius Alexandrinæ secundæ sedis episcopus, et sanctus Meletius Antiochenæ tertiæ sedis episcopus, et Cyrillus Hierosolymitanus episcopus, Joannes Constantinopolitanus episcopus, Paulinus Treverensis episcopus, sanctus Hilarius Pictaviensis episcopus, Eusebius Vercellensis episcopus de parochiis suis abducti et in exsilium missi fuerunt, et tale quid agere, sicut egisti, non præsumpserunt. Beatus Ambrosius in ecclesia Mediolanensi Justina hæretica imperatrice præcipiente, conclusus, et armatis circa ecclesiam excubantibus obsessus, et carpento posito ante ostium, quo in exsilium traheretur, animam suam tenens in manibus suis, quid tale non egit. Rigobertus C Rhemorum episcopus crudeli violentia a sede sua expulsus, et in proprietate sua non longe ab eadem urbe cum magna indigentia pluribus annis residens deguit, sed quid tale cum coepiscopis suis non egit. Fuerunt etiam alii nostra ætate ac tempore a sedibus suis pro diversis causis ad tempus expulsi, quidam etiam irrecuperabiliter abjecti, et tale quid non egerunt ; attendentes sibi dixisse Apostolum, et ex prophetico testimonio confirmasse : *Non vos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim. Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus* (*Rom.* XII ; *Hebr.* X ; *Deuter.* XXXII). Et si enim aliud vel hoc te ab hac præsumptione cohibere debuerat, ne solus talia faceres, quæ nemo alius fecit : Cum beatus Petrus apostolus dicat : *Nemo vestrum patiatur* D *tanquam homicida, aut fur, aut maledicus* (*I Petr.* IV). Tanquam maledicus, inquiunt catholici doctores, patitur, qui persecutionis suæ tempore in sui saltem injuria persecutoris effrenatur. Et item idem apostolorum princeps dicit : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus : qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ejus, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur ; tradebat autem judicanti se injuste* (*I Petr.* II). Tradebat autem, et non excommunicabat neque maledicebat. Et Paulus apostolus dicit : *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum ; sed in omnibus*

exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia. Et patientes estote ad omnes (*II Cor.* VI) Et sanctus Gregorius scribens ad Januarium dicit: « Inter querelas multiplices, inquit, Isidorus vir clarissimus a fraternitate tua frustra se excommunicatum anathematizatumque conquestus est. Quod quam ob rem factum fuerit dum a clerico tuo, qui præsens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa nisi pro eo quod te injuriaverat factum innotuit. Quæ res nos vehementer afflixit. Quia si ita est, nil te ostendis de cœlestibus cogitare, sed terrenam te habere conversationem significas; dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti.

« Unde de cætero omnino esto circumspectus atque sollicitus, et talia cuiquam pro defensione injuriæ tuæ inferre denuo non præsumas. Nam si tale aliquid egeris, in te scias postea vindicandum. Et oblata mihi petitio Laudunensis ecclesiæ hanc inauditam antea excommunicationem causa injuriæ tuæ a te priusquam ipsa injuria tibi irrogaretur depromptam fuisse demonstrat. Quæ etiam præterita proxima Dominica die IV videlicet Kal. Junias præsentis secundæ indictionis missarum celebratione prætermissa in Laudunensi parochia, proh dolor! exstitit executa. » Et item sanctus Gregorius in homilia 26: « Judicare, inquit, digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Unde fit ut ipsa hac ligandi ac solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, et non pro subditorum moribus exercet. Unde recte per prophetam dicitur: *Magnificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt* (*Ezech.* XIII). Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat; et non victurum vivificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. » Cui concordat tempore prior, sed loco posterior sanctus Augustinus in libro de Pœnitentia: « Noluit, inquiens, hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum. Unde pro tuis injuriis non debueras presbyteros excommunicare ab officio celebrandi sanctum sacrificium; cum juxta sacros canones solus possis episcopus presbyteros ordinare, sed non confessos neque convictos de crimine solus non potest, nisi ut venerandi præfigunt canones, ab officio removere. Minime autem pro tua injuria quemquam presbyterorum, quantominus omnes parochiæ tuæ sacerdotes non debueras officio presbyterali privare? » cum sanctus Gregorius ad Euphemium scribens dicat: « Servorum Dei humilitas in afflictionis tempore debet apparere; qui vero se contra præpositos suos eriguent, profecto ostenditur, quod esse servi Dei contemnunt. Non enim grande est, his nos esse humiles a quibus honoramur; quod et hoc sæculares quilibet faciunt: sed illis maxime esse debemus humiles a quibus aliqua patimur. » Psalmista dicit: *Vide humilitatem meam de inimicis meis* (*Psal.* IX). Et ad Maximianum episcopum scribit: « Frequenter, inquiens, me admonuisse vos recolo, ut in proferenda sententia esse præcipites nullatenus deberetis. » Et ad Marcianum dicit, quia nullus sine cognitione damnandus est.

Continetur etiam in præfata petitione ab ecclesia Laudunensi exiguitati meæ oblata, te prohibuisse nulli communionem, nec etiam obeunti ultimam pœnitentiam, vel viaticum munus in parochia tua tribui, nullum infantem in eadem parochia baptizari, nullum mortuum sepeliri, si tibi licentia eundi Romam prohiberetur, aut captus tenereris; usque dum tu ipse viva voce cum eis loquereris, aut litteræ a sede apostolica ecclesiæ Laudunensi mitterentur. Et unde nosti, frater, si vel usque in crastinum vives? semper obligati erunt quos decrevisti ligari? Quo contra beatus Gregorius dicit: Durum quippe est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex vitæ fiat alienæ. Et plerumque contingit ut hunc judicii locum teneat, cui ad locum vita minime concordat: ac sæpe agitur ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat. Igitur, quantum ex te est, hæc crudelitas tua omnem crudelitatem omnium paganorum, et omnes persecutiones omnium persecutorum, quæ Christianis illatæ fuerunt, excedunt, dicente Domino: *Nolite timere eos qui occiderunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X). Tu autem, frater, quantum ex te est, animam et corpus mittis in gehennam; et non solum illos omnes occidis, quos sine baptismate, aut sine pœnitentia et communione de hoc sæculo exire præcipiendo facis; verum et omnes presbyteros reos mortis illorum efficis, atque illorum judicio qui jam in cœlis cum Deo regnant, et in terris miraculis coruscant, gradu privatos efficis; et pro tantis non solum in synodo, verum et in divino judicio rationem de illorum mortibus reddes. Quia sicut Paulum legimus tantorum manibus sanctum Stephanum lapidasse, quantos ad lapidandum exertos reddidit; ita et tu tantos occidis, quantos tua crudelitate, et injusta atque iniqua commendatione sine baptismate atque communione de corpore exire facis. Quomodo tibi, frater, a mente excessit, quod Dominus per prophetam unicuique nostrum dicit: *Speculatorem te dedi domui Israel. Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, et non conversus fuerit impius ab impietate sua, ipse quidem in peccato suo morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* XXXIII). Et si illorum sanguinem de manu tua Deus requiret, quibus non annuntiasti suam iniquitatem, ut ab impietate sua converterentur; quid dices, frater, illi in judicio suo, qui sicut ipse dicit, non venit animas perdere, sed salvare? Cum venient illæ animæ ante Deum, qui natos suos ad baptismi gratiam, ut de potestate diaboli liberarentur, fideliter portaverunt et obtulerunt, vel per patronos [*f.* patrinos] miserunt? Sed et illæ non minores grandium animulæ parvulorum, qui

non suo sed alieno peccato obnoxiæ liberari potuerunt, nisi tua crudelitate et furore ac indignatione animi forent perditæ, et clamabunt adversum te ? pro quibus omnibus, additis etiam tuis peccatis, tot martibus dignus, quot occidisti crudeliori gladio tuæ sententiæ, quam materiali machæra.

Unde dignas ultionum pœnas sine dubio lues. Cur non te terruit, et ab hac perversa sententia proferenda Domini promissio revocaverit, qua universali Ecclesiæ suæ per Isaiam prophetam pollicitus est dicens : *Ab oriente adducam semen tuum et ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, Da; et Austro, Noli prohibere* (*Isa.* XXXIII). Et tu prohibes Ecclesiæ ab immaculato divini fontis utero Domino filios generare, qui non venit animas perdere, sed salvare. Quomodo te præteriit quod in Evangelio legis : *Offerebant*, inquit, *illi parvulos ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur afferre. Quos cum videret Jesus indigne tulit, et ait illis: Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos* (*Matth.* XIX; *Marc.* X). Et tu prohibes offerri Domino parvulos? Et si tremendum Dei judicium te non terruit, et a furore animi tui ut talia præciperes revocare non potuit, quia nunquam et nusquam postquam sacrum Nicænum concilium est celebratum, tale quid factum fuisse audisti, sicut fieri præcepisti : timere debueras ne solus hoc ageres quod nullus Christianorum unquam facere ausus fuit. Nam de infantibus baptizandis qui necdum baptizare noscuntur, quoties necessitas exegerit, regula ecclesiastica per beatum Siricium prolata demonstrat, dicens ita : Infantibus qui necdum loqui potuerunt per ætatem, ut his quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacri unda baptismatis, omni volumus celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de sæculo et regnum perdat et vitam. Quicunque etiam discrimen naufragii, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinem desperationis inciderint, et sibi unico credulitatis auxilio poposcerint subveniri, eodem quo poscunt momento temporis expetitæ regenerationis præmia consequantur. Hactenus erratum in hac parte sufficiat : nunc præfatam regulam omnes teneant sacerdotes qui nolunt ab apostolicæ petræ super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli. Et beatus Leo dicit : « Principalis et maximi sacramenti custodienda nobis est mystica et rationabilis exemplatio non indicta licentia, qua in baptismo tribuenda periclitantibus subvenitur : ita enim in has duas festivitates, Pascha scilicet, et Pentecosten, connexas sibimet atque cognatas incolumium et in pacis securitate degentium libera vota differimus, ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc veræ salutis singulare præsidium cuiquam denegemus. » Et Africanum concilium etiam eis infantibus de quibus non inveniuntur certissimi testes qui eos baptizatos esse

A sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem de traditis sibi sacramentis idonei respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos præcepit, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari. Et sanctus Leo hinc dicit : « Si nulla exstant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos, aut vicinos, quibus hi de quibus queritur baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascantur, ne manifeste pereant. In quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sint ut videatur iteratum : qui autem possunt meminisse quod ad ecclesiam veniebant cum parentibus suis possunt recordari an quod eorum parentibus dabatur acceperint. Sed si hoc etiam ab ipsa memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse B nescitur; quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. » Et sanctus Gelasius : « Baptizandi sibi quispiam passim quoque tempore nullam credant inesse fiduciam præter paschale festum et pentecostes venerabile sacramentum, excepto duntaxat gravi languoris incursu, in quo verendum est ne, morbi crescente periculo, sine remedio salutari fortassis ægrotans exitio præventus abscedat. Et diaconi absque episcopo et presbytero baptizare non audeant, ni prædictis fortassis officiis longius constitutis necessitas extrema compellat; quod et laicis Christianis facere plerumque conceditur. » Et sanctus Gregorius scribens ad Joannem Larissæum episcopum, dicit : « Secundum, inquiens, de criminalibus capitulum adversus Adrianum episcopum videtur esse propositum de infantibus ejus C jussu a sacri baptismatis susceptione prohibitis ; atque in inablutos sorde peccati defunctos in tenebris. » Vide, frater, quia esse hoc criminale capitulum sanctus demonstrat Gregorius. Sed et de ultima pœnitentia, et viatico munere nulli negare debere illius sententia sufficere tibi debuerat qui dicit : *Venit filius hominis quærere et salvare quod perierat* (*Luc.* XIX) : et licet misericordia Domini qua plena est terra illis qui ultimam pœnitentiam, et viaticum munus sibi dari deposcunt, si eis fuerit denegatum, subvenire possit qui corde credunt ad justitiam, ore autem confitentur ad salutem, transfixi dolore cordis, et baptizata conscientia suis lacrymis gratiam Dei incomprehensibiliter percipiant, quod eis denegare jussisti, sicut in illo latrone D quod, ut beatus Augustinus dicit, ex baptismi sacramento defuerat, complevit omnipotens benignitas ; quia non superbia, vel contemptu, sed ex necessitate illi defuerat : tamen manifestissime tu reus eris illarum omnium animarum, si tua præceptione sine pœnitentia et viatico munere rebus humanis excedant.

De viatico munere sanctæ communionis sacrum Nicænum concilium dicit : « Quia generaliter omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit. » De qua sancta et mystica synodo beatus Leo papa ad Anatolium episcopum Constantinopolitanum scribit dicens : « Quod illa Nicænorum

canonum per sanctum vere Spiritum ordinata conditio in nulla sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur, neque trecentis illis decem et octo episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum vel comparare se audeat vel præferre, cum tanto divinitus privilegio sit consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. » Et sanctus Siricius etiam de apostatis, et idolorum cultu, ac sacrificiorum contaminatione profanatis decrevit, ut in ultimo fine suo reconciliationis gratia eis non denegetur : quia, dicente Domino, nolumus mortem peccatoris, tantum ut convertatur et vivat. Et sanctus Innocentius dicit, quia communionem dari obeuntibus placuit, et propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani hæretici negantis veniam asperitatem et duritiam subsequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis permittente Salvatore nostro a perpetuo exitio vindicentur. Et sanctus Cœlestinus dicit : « Agnovimus, inquiens, pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietati desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere quo se ille expediri desiderat liberare. Quid hoc rogo aliud est quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate ne absoluta esse possit occidere ? cum Deus ad subveniendum paratissimus sit, et invitans ad pœnitentiam sic promittat : *Peccator in quacunque die conversus fuerit peccata ejus non reputabuntur ei* (*Ezech.* XXXIII). Et iterum : *Nolo mortem peccatoris, sed tantum ut convertatur et vivat* (*ibid.*). Salutem ergo homini adimit quisquis ei mortis tempore pœnitentiam denegavit : et desperavit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credidit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset; cum esset in pœna pœnituit, et per unius sermonis promissionem habitaculum paradisi Domino promittente promeruit. Vera ergo ad Dominum conversio in ultimis positorum mente potius est æstimanda quam tempore, propheta hoc taliter asserente : *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris* (*ibid.*). Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti; cum illi se obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari. » Et sanctus Leo : « Pœnitentia, inquit, quæ dilata est cum studiosius petita fuerit non negetur, ut quoquomodo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perveniat. Et item : His autem qui in tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda ; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confessio, dicente Dei Spiritu per prophetam : *Cum conversus ingemueris tunc salvus eris* (*ibid.*). » Et alibi : *Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris* (*Prov.* XVIII). Item : *Quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio* (*Psal.* XXIX). In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se gemitus lacrymasque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo : *Ne forte det illis Deus pœnitentiam, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem* (*II Tim.* II). Verum etiam, ut diximus, talium necessitati ita auxiliandum est, ut actio illius pœnitentiæ, nec communionis gratia, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus postulant negetur. At si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequantur.

Et item idem sanctus Leo dicit : « Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt, disciplinis ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Item idem de damnatione violatoris sacrorum ex hujusmodi re constitutorum. Et quia hæc, frater, ignorare non vales, et hoc judicium jure depromptum non nescis, præsertim cum non catholici episcopi, sed Novatiani hæretici, ut beatus Innocentius, et sanctus Ambrosius et cæteri quique orthodoxi doctores demonstrant, sit ista perniciosissima et exitiabilis atque exsecrabilis secta : cavere debueras ne talia sicut oblata mihi ecclesiæ tibi commissæ petitio monstrat, inconsulte præciperes : puto enim te legisse epistolam sancti Augustini ad Honoratum episcopum, in qua invenire potuisti potius te mori debere cum plebe tibi commissa, quam ut illis desint sine quibus vivere et salvari non possunt sacramenta cœlestia. Qua de re, frater, vide ne tu sis homicida, et etiam homicidarum homicida, quia sacramenta cœlestia plebi subtrahi facis, sine quibus vivere non potest, cum adsint qui eadem sacramenta licite plebi valeant ministrare.

« Pertimesce nihilominus quod de sententia sancti Evangelii qua Dominus dicit : *Si quis vobis aliquid*

dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos (*Matth.* XXI), loquente in eis Spiritu sancto nostri dixere majores : Doctoribus, inquiunt, præcipitur, ut si quid eis obstiterit adversi, si quis verbo contradixerit veritatis, si quis prohibuerit peccatores solvi a laqueis diaboli, et per confessionem fidei Domino adduci, non tamen a prædicando desistant, sed constanter insinuent, quia Dominus ad ædificandam Ecclesiam suam talibus opus habet. Et proh dolor ! cum nemo his contradicat, tu econtra implorantibus contradicis ; alligans eos ne divina munia populis exsequantur, quorum interest sacra missarum officia celebrare, mysticam distributionem spiritualis alimoniæ corporis scilicet et sanguinis Domini nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum fidelibus distribuere, per lavacrum regenerationis de potestate diaboli in regnum Christi non baptizatos transferre; per januam reconciliationis et viatici muneris sanctificationem animas ab æterno interitu liberare, Domino de cœlestibus tibi clamante : quia *pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis* (*Joan.* X). Qui fecit quod docuit, ostendit quod jussit, cum præduce Juda cohors et ministri Judæorum venerunt, ut eum et suos caperent dixit : *Si me quæritis, sinite hos abire* (*Joan.* XVIII), sicque comprehendi se pertulit, et qui populos ad fidem converterent, et conversis sacra mysteria celebrarent, solutos abire permisit. Nam si te provocante aliquid tibi adversi accidit, patienter ferre debueras, usque dum ego qualiscunque metropolitanus tuus cum coepiscopis et confratribus nostris Domini nostri regis clementiam pro te adirem ; et sicut jam fecimus, quod juste et rationabiliter ab eo postularemus, utique obtineremus. Unde nihil dubitamus quin Domino cooperante obtinebimus quod juste et rationabiliter postulabimus, tantum ut tua insolentia nostris petitionibus non obsistat : quia etiam in hac tuæ præsumptionis præceptione contra Scripturarum tramitem contraque sacras regulas egeris, tibi ex loci nostri officio necessarium duxi ostendere : Scriptum est enim : *Interroga Patrem tuum et annuntiabit tibi ; majores tuos, et dicent tibi* (*Deut.* XXXII) ; et : *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos* (*Prov.* IV) ; et : *Omnia fac per consilium, et post factum non pœnitebis* (*Eccli.* XXXII). » Et sacrum Nicænum concilium dicit : Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, et Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et urbis Romæ episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam, cæterasque provincias suis privilegia serventur ecclesiis. Quod capitulum sanctus Bonifacius papa ad Hilarium Narbonensem episcopum scribens exponit ita. Convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes ; nulli etenim videtur incognita synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcepit ut eadem proprie verba ponamus, per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, servandum sancto Spiritu suggerente sibimet censuerunt.

Et post aliquanta : « Quod idcirco dicimus, ut advertat charitas tua adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. » Et Africanum concilium scribens ad Cœlestinum papam : « Decreta, inquit, Nicæna sive inferioris gradus clericos, sive episcopos ipsos suis metropolitanis commiserunt. » Et sanctus Leo ad Anastasium Thessalonicensem episcopum : secundum sanctorum Patrum, inquit, « Canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, metropolitanos singularum provinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus : ita ut a regulis præstitutis nulla aut negligentia aut præsumptione discedant. » Et item ad Theodorum Forojuliensem episcopum : « Sollicitudinis, inquit, tuæ is ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo de eo quod quærendum esse videbatur conferre ; quia in causis quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum nihil sine primatibus oportet impleri. Certum est enim quoniam illa quæ baptizandis parvulis, et de ultima pœnitentia, et viatico munere nulli denegando ex sacris regulis præmisi, ad generalem observantiam Domini sacerdotum pertinent, contra quæ inconsulte præcipere non debueras. » Et Antiochenum concilium dicit : « Per singulas regiones episcopos convenit nosse metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere ; propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere concurrant : Unde placuit eum et honore præcellere, et nihil amplius præter eum cæteros episcopos agere, secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum quæ ad suam diœcesim pertinent, possessionesque subjectas. Unusquisque enim episcopus habeat suæ parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem, et providentiam gerat omnis possessionis, quæ sub ejusdem potestate ; ita ut presbyteros et diaconos ordinet, et singula suo judicio comprehendat ; amplius autem nihil agere tentent præter antistitem metropolitanum. « Diligenter attende quod dicitur presbyteros et diaconos parochiæ suæ ordinet episcopus ; ordinet autem et non exordinet, nec contra regulas ab officio submoveat vel suspendat : et ibidem subsequitur, singula suo judicio comprehendat : singula autem dicit ut suo judicio comprehendat, et non quæ ad generalem observantiam omnium Domini pertinent sacerdotum, quæ, ut Leo dicit, sine primatibus non oportet impleri. Et noli claudere aures cordis ad id quod ibidem diligentissime dicitur : Unusquisque, inquit, episcopus habeat suæ parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem. Proinde cavere debueras ne concessa tibi tuæ parochiæ potestate

contra hos sacros canones abutereris, qui dicunt ut regat episcopus suam parochiam juxta reverentiam singulis competentem, et non subrigat [*f.* subruat], sicut tu fecisti, quantum ex te fuit, exitio juxta irreverentiam cunctis incompetentem. Omnibus enim irreverentia quam exhibuisti in tua parochia noscitur esse incompetens, quæ ad omnium probatur pertinere exitium; cum singulis de singulis, quanto magis de pluribus timendum Dominus dicat : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII *Marc.* IX; *Luc.* XVII) : quia, ut beatus monstrat Gregorius, ad sanctitatis speciem deducto, et verbo vel exemplo cæteros destruenti, melius profecto fuerit ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam in sacro officio positus cæteris mortem verbo et opere propinaret. Quia nimirum si solus caderet, utcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret.

Propterea, frater charissime, rogo, hortor, deprecor, et quanta possum dulcedine ac humilitate exposco, et metropolitana auctoritate commoneo, ut sicut Dominus præcipit per prophetam, quantocius has *dissolvas colligationes impietatis, solvas hos fasciculos deprimentes* (*Isa.* LVIII), dimitte eos qui a te constricti sunt liberos, et hoc omne onus disrumpe: attendens quod papa Hilarius in decretis suis dicit : « Qui, inquiens, in causis Dei contumacia, vel contemptu deliquerit, aut ipse quod perperam fecit abolere noluerit, in se quidquid mali non resecarit inveniet, Quapropter qui te scis quibusdam præpositum, sicut sanctus Leo in decretis suis ad Anastasium Thessalonicensem episcopum dicit : non moleste feras aliquem tibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigis etiam ipse dependas, et sicut non vis gravis oneris a me impositam tibi sarcinam ferre, ita non audeas aliis importabile pondus imponere : discipuli enim sumus humilis et mitis magistri dicentis : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris : jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XV). Et sit quod absit, his sacris ac regularibus monitis obedire renueris, scito metropolitana auctoritate, fulta apostolicæ sedis, et canonum sacrorum judicio, sicut præmisimus, hanc pestiferam atque mortiferam excommunicationem tuam solvendam. Nam si quælibet persona tuæ parochiæ a te excommunicata foret, unde dubitari posset utrum sicut sacri Nicæni canones dicunt, pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet vitio tuo videretur a congregatione seclusa, exspectarem utique usquequo omnibus communiter simul episcopis congregatis provinciæ discuteretur hujusmodi quæstio, et vel tibi, vel in communi placeret humaniorem pro tali ferre sententiam. Nunc autem quia tam manifeste causa patet exsecrabilis atque exitiabilis esse a te præcepta, ut præceptis evangelicis contraria, et decretis sanctorum inveniatur adversa, quod, ut sanctus Leo scribit, etiam in dubiis et obscuris cavere debueras, et nullas sustinet moras habere, supradicta auctoritate denuntiabo esse omni penitus virtute vacuum quidquid a te ex prædictis capitulis præceptum est ab illorum constitutione diversum. In cujus tuæ præsumptionis evacuatione, ut partim sensu, partim verbis utar beati Gelasii, non novæ constitutionis auctor, sed veteris constituti executor existo, quod non solum præsuli metropolitano, sed et cuicunque est pontifici licitum, quoniam error qui semel est cum suo auctore damnatus, in participem quolibet modo pravæ communionis effectum exsecrationem sui gestat et pœnam. »

HINCMARI RHEMENSIS

AD EUMDEM.

HINCMARUS Rhemorum episcopus dilecto fratri HINCMARO Laudunensi coepiscopo nostro salutem.

Ante non longum tempus inconvenientes atque illicitas excommunicationes in eos etiam qui ad te non pertinebant ira præcipiti et perturbata contra sacras regulas jaculasti, unde maximum scandalum in hoc regno, et in ista ecclesia commovisti : de quibus excommunicationibus nuper in Vermeria te una cum fratribus, et coepiscopis nostris conveni, easque licet non sine tui calumniosa invidia his quibus ipsas maledictiones irrogaveras quomodo dissolvisti, a nobis commonitus ut in proferenda sententia de cætero nullatenus præceps existeres : sed tu addens pejora prioribus, sicut data mihi petitio a Laudunensi Ecclesia monstrat, in vindictam injuriarum tuarum præcepisti, ut in commissa tibi parochia nemo missam cantaret, nemo communionem sacram perciperet, cum Dominus tradens sacrosancta mysteria corporis, et sanguinis sui celebranda suis discipulis, et per eos omnibus sacerdotibus dixerit : *Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis* (*Luc.* XXII); et de corpore et sanguine suo : *Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Præcepisti quoque ut nemo parvulos, etiam mortis urgente periculo in tua parochia baptizaret, cum Dominus dicat : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Marc.* XVI); et : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III). Vetuisti nihilominus ut nemo quemquam ultimam pœnitentiam vel reconciliationem reciperet, vel poscenti ultimo sacræ communionis viatico subveniret, cum Dominus omnibus prædicet. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III.) Et Jacobus apostolus : *Infirmatur*, inquit, *aliquis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini* (*Jac.* V), Et sanctus Gregorius de resuscitatione quatriduani

mortui loquens dicit, quia illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa jam cognoscitur confessione peccati. Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator, venientem vero foras solvant discipuli, ut pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Et de corpore, ac sanguine suo, in quibus salus animarum et corporum nostrorum consistit, Dominus dicit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die (Joan.* VI). Quæ resuscitatio discreta erit ab eorum resuscitatione qui non manducant carnem filii hominis, et non bibunt ejus sanguinem, ac per hoc non habebunt vitam. Jussisti etiam maximam inhumanitatem ut nemo mortuum in tua parochia sepeliret, cum Dominus per prophetam egenos et vagos quemque in domum suam inducere jubeat, et Dominus in judicio dicet, *Hospes fui, et suscepistis me* (*Matth.* XXV) et tu hospitium in ventre omnium matris scilicet terræ mortuis denegari jussisti, de quibus præcepta evangelica atque apostolica, et sanctorum decreta tibi direxi, quæ sicut mihi non incerta relatione renunciatum est suscepisti quidem illa, sed legere noluisti, cum dicat Apostolus : *Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per consolationem Scripturarum spem habeamus* (*Rom.* XV) : qui enim doctrinam et consolationem Scripturarum abnuit, spem salutis se non habere ostendit : nam beatus Joannes apostolus a Domitiano principe in Pathmo insula relegatus, et humana consolatione destitutus, consolationem revelationis quam divinitus acceperat in eodem exsilio ac relegatione manu propria scripsit, et ad Ecclesias quibus missus fuerat prædicare, direxit. Et sanctus Paulus apostolus ad Timotheum scribens dicit : *Memor esto Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula quasi mala operans, sed verbum Dei non est alligatum : ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur quæ est in Christo Jesu cum gloria cœlesti* (*II Tim.* II).

Et tu, frater charissime, non solum ea legere quæ tibi misi, et mihi respondere cum posses debueras ; verum et ministros Ecclesiæ tibi commissæ quibus modis posses debueras non excommunicatione ligare, sed consolari et adhortari ut in divino servitio, et assidua oratione, et salvatione populi tibi commissi laborare studerent. Et si me digne propter indignitatem meam despicis, tamen professionis, ac subscriptionis tuæ memor non debueras in qualicunque metropolitano tuo debitam obedientiam denegare, quam a tuis subditis etiam in his perniciosis tuis jussionibus exigis. Quapropter iterata commonitione, pro loci mei officio te convenire congruum duxi, suadens ut quod male ligasti dissolvas ; Dominus et Creator, ac Redemptor, atque Salvator noster dicit : *Si quis* A *mihi ministrat me sequatur* (*Joan.* XII), id est me imitetur ; de quo scriptum est : *Quæ cœpit Jesus facere, et docere* (*Act.* I), qui fecit et docuit, quæ tibi in tuarum injuriarum tribulatione agendum et jubendum fuerat : nam imminente suæ passionis articulo pro se et pro suis, sed et pro his qui credituri erant per verbum eorum in eum, Patrem oravit secundum humanitatem qui omnia donorum munera largitur cum Patre divinitatis æqualitate. Et qui præcepit discipulis suis dicens : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est* (*Matth.* V ; *Luc.* VI), in cruce non solum pro suis persecutoribus, verum et pro suis interfectoribus exoravit, et nunc sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis. Jussit etiam discipulis B suis antequam pateretur, cum tæderet et mœstus esset usque ad mortem, ut orarent ne in tentationem intrarent. Et sicut legimus, *Oratio fiebat ab ecclesia* (*Act.* XII) pro Petro recluso in carcere et vincto catenis duabus ; sed et Petrus oravit, sicut legimus, pro Ecclesia. Paulus quoque in persecutionibus, in carceribus, in vinculis atque catenis positus, sicut legimus, sæpe ab Ecclesia orari poposcit ut liberaretur ab infidelibus et importunis ac malis hominibus, sed et ipse oravit pro Ecclesia. Jacobus apostolus præcipitatus de pinnaculo templi, flexis genibus oravit pro suis occisoribus. Et beatus Stephanus positis genibus oravit pro se lapidantibus. Et apostolus de hujusmodi loquens dicit nobis : *Quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem* C (*Heb.* XIII). Et item Jacobus apostolus dicit : *Tristatur aliquis vestrum, oret animo æquo, et psallat;* et : *Orate pro invicem ut salvemini (Jac.* V) : genus est enim non contemnendum exauditionis cum cordis contritione ad Dominum clamare in tribulatione, sicut scriptum est : *Ad Dominum cum tribularer clamavi et exaudivit me* (*Psal.* CXIX).

Tu autem contra hæc novus doctor, imo novus præsumptor injuriatus, missam, ut audivi, non vis cantare, nec etiam audire, et quasi aliorum oratione non indigens vetuisti pro te, et pro se orare tibi commissam Ecclesiam, et causa tuæ injuriæ jussisti Christo in membris suis, qui sedens ad dexteram Patris dixit Paulo : *Quid me persequeris ?* (*Act.* IX *et* XXVI) injurias importare et mortem inferre. Paulus quoque et Silas quorum locum tenere debes, in ecD clesia cæsi virgis, et missi in interiorem carcerem, pedes habentes strictos in ligno, media nocte adorantes laudabant Deum, et audiebant eos qui in custodia erant. Subito vero terræmotus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris, et statim aperta sunt omnia ostia, et universorum vincula soluta sunt. Expergefactus autem custos et videns apertas januas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos : clamavit autem Paulus voce magna dicens, *Nihil feceris tibi mali universi enim hic sumus* (*Act.* XVI). Et tu tantam benignitatem Ecclesiæ tuæ filiis tibi commissis non es passus impendere, quantam idem Paulus suo ad

mortem custodi impendit. Unde, frater, moneo te iterum paterna et fraterna dilectione atque auctoritate metropolitana, resipisce ab hac prava intentione, et concordans præceptis evangelicis atque apostolicis, et sanctorum decretis, quæ tibi in altera rotula pridem misi, non dedigneris eis, et cum eis patrono tuo sancto Remigio, in cujus sede, licet indignus sedeo, dicere quod sanctus apostolus Paulus dixit etiam suis minoribus : *Si cui aliquid donastis, et ego* (*II Cor.* II). Obaudi, obsecro, illorum decreta salubria per quos locutus est Christus, ne, quod absit, tibit dicat : *Qui est ex Deo, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (*Joan.* VIII). Pertimesce, rogo, quia sanctus Innocentius, beatus Ambrosius, et cæteri catholici doctores hæc quæ jussisti de non suscipiendis pœnitentibus ad pœnitentiam hæresim dicunt esse Novati hæretici. Et non baptizare parvulos in mortis periculo constitutos schisma est maximum ab universali Ecclesia. Et in decretis apostolicæ sedis legimus quia sicut universalis Dei semper tenuit, et tenet Ecclesia, schismaticus et hæreticus nisi conversi fuerint ad sanctam matrem catholicam et apostolicam Ecclesiam, in regnum Dei intrare non possunt, sed pars eorum est in gehenna : et si de pane cœlesti, id est de suavitate divina gustant gehennæ participes, judicium sibi sumunt. Propterea, frater, ab hac secta, et ab hoc schismate revoca sensum tuum, et sequere quod sanctus Cœlestinus in decretis suis ad Galliarum episcopos scripsit dicens : Obsecrationum, inquit, sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab apostolis tradita in toto mundo, atque in omni catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, et legem credendi lex statuat supplicandi : cum enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione funguntur apud divinam clementiam, humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides; ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus; ut Judæis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat; ut hæretici ad catholicæ fidei perfectionem resipiscant; ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant; ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur; ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis cœlestis misericordiæ aula reseretur. Et hæc conferens in corde tuo noli pietatis viscera petentibus salutem claudere, sed pete Deum omnipotentem, ut et in te impleat quod per prophetam olim pollicitus est dicens : *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum, et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et operemini* (*Ezech.* XXXVI).

Cæterum fratres nostri quos ad te misi mihi renuntiaverunt te illis præcepisse, ut me precarentur propter Dei reverentiam, et sanctorum ejus et sedis apostolicæ auctoritatem ne cogerem te respondere quandiu in tali detineris custodia et absentia clericorum tuorum, nec judicium, nec præjudicium inferrem tibi, vel tuæ parochiæ. Quæ petitio partim non est justa, neque rationabilis : quod enim petisti ut præjudicium tibi vel parochiæ tuæ non inferam, obaudio. Quod petisti ut judicium tibi vel parochiæ tuæ non inferam, non obaudio : dicit enim Dominus per prophetam : *Si feceritis judicium inter virum et proximum ejus* (*Jerem.* VII), et reliqua. Et Sapientia per Salomonem : *Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses* (*Pr.* XXIV). Quod mihi a Domino, quem suo judicio in metropolitana sede Rhemorum provinciæ constituere voluit, præcepi audio de his qui tua præceptione ducuntur ad mortem, et trahuntur ad interitum. Et decreta Nicæna, sicut Africana synodus scribens ad Cœlestinum papam demonstrat, sive inferioris gradus clericos, sive episcopos ipsos suis metropolitanis apertissime commiserunt. Et sanctus Bonifacius capitulum Nicæni concilii exponens, post alia diffinivit quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. Et Antiochenum concilium : Per singulas, inquit, regiones episcopos convenit nosse metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere concurrant. Et cautum est sacris canonibus ut nullis liceat apud se celebrare concilia præter eos quibus metropolitana jura videntur esse commissa : in ipsis autem conciliis absint presbyteri et diaconi, et omnes qui se læsos existimant, et synodi experiantur examen. Propterea quod petisti ut judicium tuæ parochiæ non inferam, contra regulas sacras petisti, et dicendum est tibi ab Apostolo cum hujusmodi petitoribus : *Petitis, et non accipitis eo quod male petatis* (*Jac.* IV) : unusquisque enim episcopus, inquit Antiochenum concilium, habeat suæ parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem, et providentiam gerat omnis possessionis quæ sub ejus est potestate; ita ut presbyteros et diaconos ordinet, et singula suo in judicio comprehendat, amplius autem nihil agere tentet præter antistitem metropolitanum. Ex hoc capitulo quædam sunt quæ tibi in præmissa rotula scribenda dictavi, sed notarius angustia temporis coarctatus celeriter scribens intermisit; sed ea quæ tibi scripseram ad meum opus diligentius scribere jubens de tabulis relevari feci, videlicet diligenter attende quod dicitur, presbyteros et diaconos parochiæ suæ ordinet episcopus; ordinet autem, et non exordinet, nec contra regulas ab officio submoveat, vel suspendat, et ibidem subsequitur; singula suo judicio comprehendat : singula autem dicit ut suo judicio comprehendat, et non quæ ad generalem observantiam omnium Domini pertinent sacerdotum, quæ, ut Leo dicit, sine primatibus non oportet impleri. Et noli claudere aures cordis ad id quod ibidem diligentissime dicitur : Unusquisque, inquit, episcopus habeat suæ parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem.

Proinde cavere debueras ne concessa tibi tuæ parochiæ potestate contra hos sacros canones abutereris, qui dicunt ut regat quis episcopus suam paro-

chiam juxta reverentiam singulis competentem, et non subrigat, sicut tu fecisti quantum ex te fuit exitio juxta irreverentiam cunctis incompetentem : omnibus enim irreverentia quam exhibuisti in tua parochia noscitur esse incompetens, quæ ad omnium probatur pertinere exitium, cum de singulis, quanto magis de pluribus timendum Dominus dicat : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria collo ejus, ut demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVII; *Marc.* IX); quia, ut beatus monstrat Gregorius, ad sanctitatis speciem deducto, et verbo, vel exemplo cæteros destruendi melius profecto fuerat, ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam in sacro officio positus cæteris mortem verbo vel opere propinaret : quia nimirum si solus caderet, utcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. Quod mandasti ut non te cogerem respondere in absentia clericorum tuorum, demonstrasti te non recte intelligere sententiam canonum Carthaginensis concilii qua dicitur episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum, licet jam tibi dixerim qualiter sit intelligenda, et qua de re fuerit constituta. Quod autem mandasti ut, sicut mihi dominus apostolicus scriptis mandaverat, tibi licentiam Romam eundi impetrem, non mihi hoc dominus apostolicus mandavit : habeo enim illius epistolam salvam et incorruptam, in qua hoc quod mandasti non continetur. Quod mandasti quoniam in synodo nuper in Vermeria habita sedem apostolicam appellasti, manifestissime omnes illi episcopi amplius quam viginti qui adfuere in synodo regulariter te sedem apostolicam non appellasse cognoscunt. Quod mandasti quia sedem appellas apostolicam cum in judicio nostro idem in episcopali judicio secundum sacros canones sedem apostolicam appellaveris, habemus ordinem rei qualiter inde agere debeamus. Cæterum nec tibi, nec cuiquam alii Romam ire quantum ex me est contradico. Data VIII Kal. Jun. præsentis secundæ indictionis.

HINCMARI RHEMENSIS

AD PRESBYTEROS ET DIACONOS ECCLESIÆ LAUDUNENSIS.

HINCMARUS Rhemorum episcopus ac plebis Dei famulus, presbyteris, diaconibus ac reliquis ecclesiasticis ordinibus in Laudunensi Ecclesia consistentibus, salutem.

Sicut petitio mihi a vobis per quosdam comministros vestros vice omnium vestrum data continet, frater et coepiscopus noster Hincmarus causa injuriarum suarum vos ab officio ecclesiastico, et omnem parochiam sibi commissam a perceptione et communione vivificorum mysteriorum nostræ redemptionis excommunicavit. Qua de re, sicut a quibusdam dicitur, plurimi sine sacri baptismatis regeneratione, et sine ultima pœnitentia petita et non impetrata, atque sine viatico munere obierunt. Cum Daniel propheta de dictis Domini testimonium contra inique judicantes perhibeat dicens : *Innocentem et justum non interficies* (*Daniel.* VIII), id est quibus ligandi atque solvendi est a Deo collata potestas, non de supercilio Pharisæorum assumant ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed eorum vita quæratur. Legimus in Levitico (*cap.* XIV) de leprosis ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus, et si lepram habuerint tunc a sacerdote immundi fiant, non quod sacerdotes leprosos faciant et immundos, sed quod habeant notitiam leprosi et non leprosi, et possunt discernere qui mundus quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos immundum facit, sic et hic cui Dominus ligandi et solvendi potestatem dedit, alligat et solvit, videlicet episcopus et presbyter, id est, non eos qui insontes sunt alliget, vel qui noxii solvat, sed pro officio suo cum peccatorum ex veritate cognoverit varietates, sciat qui secundum auctoritatem ligandus sit, quive solvendus. Et sanctus Gregorius episcopo Nichoteranæ civitatis pro quibusdam culpis in pœnitentiam deputato de ejus ecclesia dicat valde esse durum, ut quousque causa ipsius episcopi subtiliter requiratur, non habeat Ecclesia illa presbyterum qui sacrum illic opus valeat celebrare.

Et ad Maximinianum archiepiscopum Syracusanum scribit, ut Venantii patritii, cujus homines in episcopium ejus irruerant, et diversa hostili more mala commiserant, et ob id ipse et sua domus ab eo excommunicati erant, ejusdem Venantii oblationes reciperet, et ipsi ac domui ejus missarum peragi mysteria permitteret, dicens : Quia ita terrena agi debet utilitas, ut nullum nos jurgium a charitatis valeat connexione disjungere ; et ita filiis nos sacerdotes oportet sacerdotalem affectum impendere, ut in causis, prout ratio suffragatur, jurisdictionem Ecclesiæ nostræ debeamus minime præterire. Sed et communicantes Maximo episcopo a se excommunicato isdem beatus Gregorius etiam non petentes absolvit hoc modo. Quosdam, inquiens, ad communicandum eidem prævaricatori violenter esse compressos : quosdam autem vestrum audivi ignorantia lapsos. Omnipotentem Dominum deprecor, ut eos qui huic pravitati minime consenserunt perpetua gratiæ suæ protectione custodiat, et optata eis largitate respondeat : et illos quos aut studium, aut ignorantia, aut quælibet alia causa traxit in culpam, ab omni reatu peccatorum, atque ab omnibus vinculis alienæ obligationis absolvat, omnibusque et in præsenti vita protectionis suæ gratiam tribuat et nos de vobis in æterna patria gaudere concedat. Quia vero isdem frater ac coepiscopus noster his quæ ipse commoverat benignitate principali, et meo ac fratrum et coepiscoporum nostrorum, quorumdam etiam aliorum Dei fidelium interventu prout rationabilius paci atque concordiæ convenire perspeximus, non sine magno labore sopitis pro quibusdam causis et redivivis contentionibus episcopali modestiæ inconvenientibus, sua contumacia exigente, ut auditu comperi, jussione domini nostri regis interim a sua est

ecclesia separatus, usque dum episcoporum consilio tractet qualiter ejus provincia corrigatur, metropolitana sollicitudine vestram commoneo dilectionem, ut quoniam illud nefandum vinculum præceptis evangelicis atque apostolicis contrarium, et decretis sanctorum adversum, quod visus fuerat alligasse, sicut jam vobis aliis litteris intimavi, secundum tramitem Scripturarum, traditionemque majorum auctoritate sedis metropolitanæ noscitur dissolutum devotis sanctæ religionis excubiis mancipati orationum et sacræ oblationis ac cæteris divinæ placationis studiis invigilare curetis.

Præpositus quoque ac decanus fratrum custodiæ tam in spirituali sollicitudine, quam in temporali administratione solerter curam adhibeant; Thesaurarius de luminaribus et de aliis omnibus, quæ ad ecclesiæ honestatem, utilitatem, atque salvationem, et ad suum ministerium pertinent, providentiam gerat. Archipresbyteri autem totuis parochiæ, ac presbyterorum sibi commissorum diligentiam summopere habeant, et rectores ac rectrices monasteriorum ipsius parochiæ sedulo moneant, quatenus et in spiritualibus et in temporalibus subministrationibus necessaria sibi commissis exhibeant. Presbyteros vero assidue decertare hortentur et faciant, ut vigilare super greges sibi commissos non negligant, ne ab eis flagitia perpetrentur, vel perpetrata sine correctione ecclesiastica non remaneant. Ne parvuli sine regenerationis sacramento moriantur. Ne sani homines absque prædicatione et ecclesiastico ministerio fiant. Ne infirmi sine pœnitentia et reconciliatione, ac sancti olei unctione et viatico munere de hoc sæculo exeant. Ne mortui sepeliendi officio, et pia commendatione secundum traditionem ecclesiasticam aliquomodo careant. Et omnes tam subditi quam prælati humilitatem invicem insinuantes, et per charitatem invicem servientes prælati subditos diligant, et verbo atque exemplo salubriter instruant, et ad viam salutis erudiendo et corrigendo dirigant: subditi prælatis sinceræ dilectionis et humilitatis affectu in Domino obedire procurent, donec aut præfatus frater noster, pastor scilicet vester respectu divino, et intelligentia principis vobis restituatur, aut fratrum et episcoporum nostrorum consilio ac consensu, atque salubri tractatu inveniam, et vestræ in Domino unanimitati renuntiem qualiter et vobis decreto secundum sacras regulas sit agendum. »

EJUSDEM HINCMARI

AD HINCMARUM LAUDUNENSEM.

Hincmarus Rhemorum episcopus Hincmaro dilecto fratri et venerabili coepiscopo nostro salutem.

Sicut oblata mihi a clericis tuis petitione suscepta jam non solum semel, sed et secundo litteris per comministros nostros tibi directis mandavi, causa tuæ injuriæ contra Scripturarum tramitem, traditionemque majorum in tua parochia excessisti et admonitus ut ea corigeres, mihi responsum inde congruum non remandasti: verum nec quando te coram domino nostro rege, et quibusdam confratribus, et coepiscopis nostris verbis Apostoli monui (*II Tim.* I) ut non negligeres gratiam Dei quæ data est tibi per manuum mearum impositionem, mihi ad rem pertinentia respondisti. Cogitans autem maturiori consilio inde mihi respondere te velle qualiter ea de quibus te monueram correxisti, cum secus tuam parochiam, et in vicinitate tibi commissæ ecclesiæ amplius quam per decem dies immoratus fueram, nullum mihi reddidisti responsum. Nunc vero quia sicut mihi domnus rex litteris suis mandavit, et te audisse jam credo pro utilitate sanctæ Ecclesiæ, et pace populi Christiani una cum eo in longiores partes a parochiis nostris pergemus, pro loci mei sollicitudine commonere te dignum duxi, ut et ea de quibus tibi scripseram, et si qua sunt alia in parochia tua pergere gesta, regulis sacris concordans debitam satisfactionem exhibere, atque ad tramitem Deo placitum stude reducere. Quatenus inordinata quæque in ea non remaneant, et ne quid contra disciplinam ecclesiasticam de cætero ibidem fiat, quibus valueris modis satagere cura: attendens quod nos omnes monet Apostolus; *Tentatio*, inquiens, *vos non apprehendat nisi humana* (*II Cor.* X): humanum quippe est tentari, sed dæmonicum est a tentatione superari, et ad correctionis satisfactionem pedem operis non revocare. Igitur juxta ejusdem beati Apostoli monita, *sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis; vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple, sectare justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem: certa bonum certamen fidei: apprehende vitam æternam in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus* (*II Tim.* II). Data Kal. x Septemb. præsentis secundæ indictionis.

EJUSDEM HINCMARI

AD EUMDEM.

Hincmarus Rhemorum episcopus Hincmaro Laudunensi episcopo.

Ea quæ mihi pridie per manus Wanilonis venerabilis archiepiscopi ex epistolis apostolicæ sedis pontificum aliis prætermissis de sacris regulis quibus sancta moderatur Ecclesia priusquam formareris in utero novi, et antequam exires de vulva in earumdem quas habeo epistolarum integritate, non, ut dicitur, usus pessimo præceptore me ipso, sed eorum traditione qui gratia sancti Spiritus illuminati resplenduerunt, percepi, qualiter sicut et in authenticis scripturis plura inveniuntur, quæ a quibusdam dissona esse videntur, contraria sibi invicem non habeantur, veluti per singula si tempus esset ac otium, et audire dignareris, ex eisdem et aliis sacris regulis possem ostendere, de quibus pauca numero, sed magna merito, et auctoritatis pondere omissa penitus a te qui vidisti, sed non perspicue illa quæ voluisti, et non vidisti quæ noluisti, vel neque vidisti, quæque

videre debuisti. Sed quoniam cum intentione tua non faciunt, nec digito movere sustinuisti. Ingeram ergo illa tibi, ut scias per ea quæ congessisti, intentionis tuæ affectum te non posse perducere ad effectum : decernit enim contra tuam intentionem mystica et sancta Nicæna synodus, quoniam sollicitudo omnium ecclesiarum pertinet ad primæ et sanctæ Romanæ sedis pontificem, ut Alexandrinus episcopus omnium sibi commissorum habeat potestatem ; similiter et apud Antiochiam, cæterasque provincias suis privilegia illis servantur ecclesiis : de quibus autem ecclesiis dicat, et quæ, ac qualiter privilegia illis servari debeant, Antiochenum demonstrat concilium. Per singulas, inquiens, regiones episcopos convenit nosse metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere ; propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere, concurrant. Et notis quibusdam interpositis : Amplius autem nihil agere tentet quin provincialis episcopus præter antistitem metropolitanum, nec metropolitanus cæterorum sine gerat consilio sacerdotum.

Et Africanum concilium : « Decreta, inquit, Nicæna sive inferioris gradus clericos, sive episcopos ipsos suis metropolitanis apertissime commiserunt, » et reliqua. Et sanctus Innocentius dicit : « Si quæ causæ vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundum synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ episcopis jurgium terminetur, » et reliqua. Et sanctus Bonifacius scribit : « Convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes : nulli etenim videtur incognita synodi constitutio Nicenæ quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus ; per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas. Quod illi quia aliter credendum non est, servandum sancto Spiritu suggerente sibimet censuerunt. » Et paulo post : « Quod idcirco dicimus ut advertat charitas tua adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. » Et sanctus Cœlestinus : « Juxta decreta canonum unaquæque provincia metropolitano suo contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem episcopum continent constituta. Nec usurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur injuria : sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus, alter in alterius provincia nihil præsumat. » Et Leo : « Secundum sanctorum Patrum canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, metropolitanos singularum provinciarum episcopos jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus. » De quibus canonibus idem sanctus Leo apostolicæ sedis pontifex non ignorans quæ sui decessores ac prædecessores scripserunt, ad Anatolium dicit : « Illa, inquiens, Nicænorum canonum per sanctum vere Spiritum ordinata conditio in nulla est parte solubilis, nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur. Neque trecentis illis decem atque octo episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum vel comparare se audeat vel præferre, cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit synodus constituta, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. » Et ad Maximum Antiochenum episcopum : « Etsi diversa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen jura permanent sedium, quibus præsunt. Æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem : quantumlibet enim amplior numerus sacerdotum aliquid per quorumdam subreptionem decernat, quod illis trecentorum decem et octo episcoporum constitutionibus invenitur adversum, justitiæ consideratione cassatur. » Et ad Theodorum Forojuliensem episcopum dicit : « Sollicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo de eo quod quærendum videbatur esse conferres, ac si id quod ignorabat dilectio tua etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis, quia in causis quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri. »

Et Hilarus papa : « Illud etiam non potuimus præterire, quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter metropolitanorum suorum litteras aliqui episcopi ad quamlibet provinciam audeant proficisci, quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet ecclesias custodiri. » Et sanctus Gregorius ad Innocentium et cæteros episcopos : « Hortamur, inquit, fraternitatem vestram, ut si quemquam vestrum pro causis propriis ubicunque longius compulerit ambulare necessitas, a metropolitano vestro, secundum inclytam a sanctis patribus regulam petere licentiam debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis, excepto si, quod non optamus, contra eumdem metropolitanum vestrum vos habere aliquid causæ contingat, ut hoc sedis apostolicæ judicium hi qui petere festinant, licentiam habeant. Quod scitis per canones etiam antiquorum patrum institutione permissum, » manifestum est enim de quibus canonibus, id es Sardicensis concilii : sicut et Innocentius ad Victoricium Rothomagensem episcopum dicit. Et Gelasius præfatis concordans exponendo psalmi versum dicit : *Deus in gradibus ejus cognoscetur* (*Psal.* XLVII). Et item : *Distribuite domus ejus* (*ibid.*) quin Ecclesiæ hic ordo procul dubio qui ecclesiasticarum narratur in altitudine dignitatum, gradibus utique distributis nobis cognoscibilem Deum fieri, et tribuit esse rectorem. Quod Leo ad Anastasium evidenter exponit : « Etsi ordo, inquiens, generalis est omnibus sacerdotibus, non tamen communis est dignitas omnibus. Quia et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio,

uni tamen datum est ut cæteris præemineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli quorum inter fratres haberetur prima sententia. » Et paulo post : « Qui ergo scit se quibusdam præpositum non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit etiam ipse dependat. »

Et Africanum concilium decrevit ut episcopus a primate suo vocatus ad synodum competenter occurrat : quod si non potuerit occurrere nisi rationem impedimenti sui apud suum primatem reddiderit, ecclesiæ suæ communione debere esse contentum ; et qui non fuerit concors circa metropolitanam ecclesiam, et circa sacerdotale consortium, sed inflatus et ab hoc consortio separatus putat propriæ plebi incubandum, et nonnunquam conventus ad concilium venire detractat, circa hunc non tantum diœcesim non esse servandam, verum et de propria ecclesia, quæ illi male faverit, omnimodo adnitendum ut etiam auctoritate publica rejiciatur, atque ab ipsa principali cathedra romoveatur. Et si accusatus, juxta Carthaginense concilium ad rationem reddendam venire refugerit, et excommunicatus a primate suo exstiterit, tempore quo non communicat, nec in sua ecclesia, vel parochia communicet. Percurre, frater, sacra concilia canonum, et decreta Romanorum pontificum, et a Siricio et in reliquum, ita ut præmissum est, invenies fuisse decretum ac conservatum, et corrige illorum sensibus sensum tuum, et dirige ad eorum doctrinam et præceptionem intentionem tuam. Et sic intellige sacras regulas sicut illi eas intellexerunt ; quia potest fieri ut ego et tu in multis erremus : non debet autem credi, vel etiam suspicari, ut ipsi erraverint. Quapropter velis nolis hæc statuta convulsa manebunt, a quibus si, quod absit, aliquis pertinaciter deviaverit non inter catholicos computabitur, sed cum schismaticis condemnabitur, quia, ut Hilarus papa dicit, non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in ipsius Domini injuria prosilitur. Et sicut in decretis apostolicæ sedis scriptum est, quisquis schismatico assenserit, schismaticus esse negari non poterit. Quod etsi omnes sacerdotes et mundus assentiat, damnatio consentientes involvit, non prævaricationem consensus absolvit : non enim crimen minuitur, sed accressit, cum generale fit ex privato : hoc enim Deus omnium indicavit qui peccantem mundum generali diluvio interemit.

HINCMARI RHEMENSIS

AD EUMDEM.

Hincmarus Rhemorum episcopus dilecto fratri et coepiscopo nostro Hincmaro salutem.

Homines de villa quæ vocatur Follanæbrayus, metropolis Ecclesiæ Rhemorum indignitati meæ commissæ, in tua parochia consistente ad me reclamaverunt quia in ecclesia ad quam a longo tempore
A meorum et tuorum prædecessorum sua vota et decimas ipsi et sui prædecessores contulerunt, et tibi obsequium sacerdotalis officii habuerunt usque ad præsentis anni 860 tertiæ indictionis prid. Non. Febr. nempe nec missam audire, nec in tempore necessitatis, sicut sacræ regulæ præfigunt eorum infantes baptismum accipere, nec etiam obeuntes confessiones et viatici muneris reconciliatione salvari possint : dicunt enim quia ex quo memorari ab his qui in carne sunt potest, quoniam ipsa ecclesia per se fuit semper, et nulli alteri ecclesiæ fuit subjecta. Nam tempore Tilpini Rhemorum archiepiscopi quando Rodulfus avus Parduli Laudunensis episcopi ipsam villam in beneficio habuit, fuit in præfata ecclesia Ferterus presbyter. Post obitum Ferteri fuit in ipsa
B ecclesia Dodo presbyter, quando Odelherus filius Rodulfi, pater Parduli episcopi ipsam villam in beneficio habuit. Post obitum Dodonis presbyteri fuit in ipsa ecclesia Agmeradus presbyter quando Odelgisus frater Parduli episcopi habuit ipsam villam in beneficio. Et isti tres presbyteri fuerunt in ipsa ecclesia per successiones tempore episcoporum Laudunensis Ecclesiæ, Genebaudi junioris, Berniconis et Gaufredi. Post obitum Agmeradi fuit in ea ordinatus Ottericus presbyter a Wenilone Laudunensi episcopo. Ipse Ottericus dum ipsam ecclesiam teneret cantavit in Noviante, et in Landrica curte et in Broeris : titulus autem ipsius in quo et residuus erat, fuit in Follanæbrayo. In ipso tempore fuit Nodalbertus presbyter in Codiciaco per annos viginti : obiit autem Wenilo, et successit Ostroldus episco-
C pus in Ecclesia Laudunensi. Obiit Nodalbertus presbyter de Codiciaco, et successit ei Gozmarus presbyter qui de canonica Rhemensi missus est ad Ecclesiam in Codiciaco, et fuit ibi per annos circiter triginta. Obiit Ostroldus et aliquandiu vacavit episcopatus in Follanæbrayo cum Odelharius beneficium illud habebat usque ad meum tempus quo fui ordinatus episcopus post plures annos ordinationis Simeonis episcopi. Et quia jam Gozmarus officium presbyterale agere non poterat, consensit ut alter presbyter illi in eadem ecclesia succederet, sicque consentiente Simeone episcopo missus est Haimeradus clericus Simeoni episcopo ad ordinandum in Codiciaco. Post obitum Simeonis episcopi in Laudunensi Ecclesia successit Pardulus episcopus,
D cujus tempore obiit Ottericus presbyter de Follannæbrayo, qui per annos circiter sexaginta in eadem ecclesia presbyter deguit. Post obitum Otterici venerunt homines de ipsa villa ante Pardulum episcopum reclamantes, quia non haberent presbyterum in sua ecclesia : Pardulus autem episcopus cum meo consensu suggerente mihi Osvero cui beneficium Odelharii filii Odelgisi nepotis de fratre Parduli episcopi commiseram Wlfegerum clericum in ipsa ecclesia ordinandum suscepit : ante vero quam ipse Wlfegerus fuisset ordinatus obiit Pardulus episcopus. Interea ante ordinationem tuam cantavit ibidem Haimeradus presbyter in Codiciacio ordinatus a Si-

meone episcopo, et reclamante ipso Haimerado apud me et ante te quia ipsa Ecclesia subjecta esse deberet Ecclesiæ de Codiciaco, cum meo consensu misisti vicarios tuos Ivonem, Luidonem archidiaconum, Hedenulfum, Angelrannum decanum presbyterum, qui inquisierunt inde rei veritatem, quique tibi renuntiaverunt quod tibi bene est notum, et sicut in nostris gestis habemus veracibus testibus, et evidentibus documentis invenerunt quod ipsa Ecclesia de Follanæbrayo nunquam Ecclesiæ in Codiciaco fuerit subjecta, sed presbyterum semper habuerit. Inde sicut ipsi homines dicunt per tuum consensum Bertfridus presbyter in eadem ecclesia, et in ecclesia tua apud Broeras per quinque per annos cantavit, qui Bertfridus apud te se reclamavit quod Haimeradus ipsam capellam destructam haberet; et inde pallium unum, et casulam unam, et schillam unam, et librum unum abstulerit, et, sicut homines ipsi dicunt, misisti missos tuos ad hanc causam inquirendam Hadulfum scilicet archidiaconem, Fainulfum et Angelrannum presbyteros, et sicut ipse Bertfridus dixerat invenerunt.

Quapropter et ea quæ repetita fuerant Haimeradus ipsi ecclesiæ coram missis tuis restituit. In ipsa ecclesia, ut prædixi, idem Bertfridus per annos quinque per tuam licentiam ministravit, donec fama de eo vulgata abscessit. Deinde Sigebertus cui illud beneficium de drame [*f.*, dedi a me] secundum antiquam consuetudinem clericum petiit, qui in ipsa ecclesia a te ordinaretur, cui secundum consuetudinem antecessorum meorum, et secundum regulas ecclesiasticas ac synodalia capitula clericum de potestate ecclesiæ nostræ ea conditione concessi, ut si tu illum probabilem judicares, ego illi libertatem ecclesiasticam darem; et sic demum tu illum regulariter ordinares. Qui clericus nomine Seminatus per quatuor annos te sciente ipsam ecclesiam tenuit, et secundum paupertatem suam, sicut simul sæpe vidimus, et adhuc paret, bene in ea laboravit, et ad illius vicem usque dum ad ordinationem venire per annum et dimidium commendatione ministrorum tuorum, scilicet Hadulfi archidiaconi et Angelranni decani presbyteri, Grimo presbyter tuæ parochiæ in ipsa ecclesia cantavit: deinde ipsorum consensione Heimericus presbyter tuæ parochiæ per duos et dimidium annos ibidem officium sacerdotale exhibuit, usque, ut supra dixi, pridie Nonas proxime præcedentis Februar, quando præfato clerico interdicta est ipsa ecclesia; et, nunc inde quæstio removetur, quasi non debeat sufficere ad sopiendam omnem remotionem antiquitas, et tanta longitudo temporum et numerositas episcoporum, ac presbyterorum sub quibus ipsa ecclesia per se nulli alteri ecclesiæ subjecta constitit, cum et leges publicæ tam apud Romanos, quam et apud nostrates, sed et canones, atque sedis Romanæ pontificum decreta præfigunt, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare quod legum tempus excludit; quasi etiam non debeant sufficere tuæ per ministros tuos requisitiones et diffinitiones, cum leges publicæ atque ecclesiasticæ decernant, ut quæ legaliter ac regulariter distincta sunt non evellantur neque removeantur: sed et leges publicæ atque ecclesiasticæ decretæ sunt de his qui diffinita causa removere præsumunt. Postea vero quam ipsa ecclesia eidem clerico, sicut quidam dixerunt, sine tua commendatione interdicta est, missa ibidem celebrata non fuit, nec aliquis de ipsa villa in confessione, vel in communione, vel in baptizatione sacerdotale obsequium habuit, et hac occasione duo ibidem homines sicut ad me parvenit sine confessione et communionis reconciliatione fuerunt mortui, quorum unus Erleherus, et alter Gislehardus vocabantur; nam ipsa ecclesia habet unde bene per se potest consistere; et hoc inter cætera habetur indicium, quoniam a longo tempore per se constitit, quia etiam terras habet, quas Ottericus presbyter in ea ordinatus comparavit, et secundum regulas ecclesiasticas moriens ibidem reliquit, et presbyteri qui per tanta tempora in ea fuerunt bene inde se conduxerunt.

Propterea, frater, moneo dilectionem tuam, ut deposita omni contra regulas irrationabili animositate, nobis contra salutem et ministerium tuum de eadem ecclesia agere, pro eo quod ex mihi commissa ecclesia et beneficio Sigeberti mihi fidelis, viri sororis tuæ, probatur existere, contra quos indebite es commotus. Præsertim cum neminem pastoris fungentem officio latere debeat, quia in exsequendo divino mysterio sicut nullius gratia ad indebita provocari, ita et debita nullius odio, vel privati studii zelo debeat retardare sive pervertere: scimus enim quia regulæ Aurelianensis concilii dicunt, quæ tempore Ludovici regis quem sanctus Remigius cum Francorum millibus baptizavit decretæ fuerunt, ut omnes basilicæ quæ per diversa constructæ sunt, vel quotidie construuntur secundum priorum canonum regulam in ejus episcopi in cujus territorio positæ sunt, potestate consistant. Et Toletanum concilium dicit, ut dotes ecclesiarum, et omnia secundum constitutionem antiquam ad episcopi ordinationem et potestatem pertineant, scilicet, ut Antiochenum concilium dicit, regat juxta reverentiam singulis competentem, et prudentiam gerat omnis possessionis quæ sub ejus est potestate: ita ut presbyteros et diaconos ordinet, et singula suo judicio comprehendat. Sed antequam ipsæ regulæ tempore Ludovici regis in synodo Aurelianensi fuerint constitutæ, antiquiores non refragatæ Arausici concilii regulæ statuerunt, ut si quis episcoporum in alienæ civitatis territorio ecclesiam ædificare disponit, vel pro fundi sui, aut ecclesiastici, vel pro quacunque suorum opportunitate, permissa licentia ædificandi, quia prohiberi hoc voto nefas est, non præsumat dedicationem, quæ illi omnimodis reservatur in cujus territorio ecclesia assurgit, et reservata ædificatori suo hac gratia, ut quos desiderat clericos in re sua videre, ipsos ordinet in cujus territorio est, vel si ordinati jam sunt, ipsos habere

acquiescat, et omnis ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum in cujus civitatis territorio ecclesia surrexerit pertinebit. Et hac auctoritate a temporibus sancti Remigii semper prædecessores mei in temporibus prædecessorum tuorum in ecclesiis ad Codiciacam villam Laudunensis parochiæ, sed et ad Juliacam villam in parochia Suessonica cum consensu ipsarum civitatum episcoporum ordinatos miserunt presbyteros. Unde et ego in Codiciaco, et in Juliaco inveni.

Sed quia mihi pro honore coepiscoporum nostrorum ipsarum sedium complacuit, ut illis decedentibus clericos ordinandos in eisdem ecclesiis episcopis propriarum parochiarum dirigerem cum libertate ecclesiastica et litteris meis ordinandos presbyteros in præfatis ecclesiis misi : et Simeon, ut prædixi missum a me sibi Haimeradum ordinavit presbyterum, et domnus Rothadus meæ missioni non resultans, jam in Juliaco duos a me sibi missos clericos ordinavit presbyteros, et ego ipsi, sed et aliis coepiscopis nostris in parochia nostra ecclesias habentibus, eumdem honorem sicut et prædecessores mei illorum prædecessoribus fecerunt, conservo. Et rectum est ut tu antiquæ auctoritati et consuetudini tuæ metropoli a tuis prædecessoribus conservatæ non deroges : præsertim cum sit constitutum in primo libro capitulorum synodalium tempore Augustorum nostrorum a nostris majoribus conservatorum, ut sine auctoritate, vel consensu episcoporum presbyteri in quibuslibet ecclesiis constituantur, nec expellantur ; et si laici clericos probabilis vitæ, et doctrinæ episcopis consecrandos, suisque in ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos rejiciant ; et exinde nuper in placito domni nostri regis Caroli apud Pistas constitutum est quod et tua consensione firmasti capitulum, quo dicitur ut si abbates, vel abbatissæ, aut comites, seu vassi nostri, aut cæteri laici clericos probabilis vitæ et doctrinæ episcopis canonice consecrandos, suisque in ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos episcopi vel ministri eorum rejiciant.

Propterea si ipse clericus criminosus non est, et docibilis est, quod etiam in episcopo canones sacri requirunt, quoniam a nobis tibi ordinandus offertur, non debes illum ab ordinatione in ecclesia ipsa rejicere, cui per tanta tempora eamdem ecclesiam consensisti : cum sanctus Innocentius in decretis suis ad Martianum Naisitanum episcopum de quibusdam presbyteris qui in parochia illius aliquandiu tenuerunt ecclesias, sed quadam occasione communionem illius mereri non poterant dicat : Frater, inquiens, charissime, si eorum assertio fidem recipit veri, suscipiendos esse ambigere non debes, quod tandiu ecclesias sibi creditas passus es retinere. Et si eumdem clericum in eadem ecclesia vis ordinare, scribe mihi secundum morem, et ego illi libertatem ecclesiasticam dabo. Si autem ipse clericus cui per tanta tempora ipsam ecclesiam in Follanæbrayo habere, et in ea laborare consensisti, non placet, et per rationem, aut pro crimine, aut pro indocibilitate illum rejeceris, quem contra regulas sine mea licentia, et sine libertate canonica ordinasti, ostende, et alterum inveniemus ; tantum ut præfata auctoritas regularum, et antiqua consuetudo de ipsa ecclesia nobis a te conservetur, sicut temporibus prædecessorum et decessorum tuorum Genebaudi, Berniconis, Gairfredi, Wenilonis, Ostroldi ; et quando episcopatus vacavit in Ailemaro, et tempore Simeonis, ac Parduli, sed et tuo tempore usque modo meis prædecessoribus ac decessoribus Tilpino, et quando post eum vacavit episcopatus, sed et Wlfario, Eboni, et quandiu ipsum episcopatum tenuit Fulco, et post eum Noto, sed et mihi jam per viginti quinque annos in Rhemorum sede ministranti hactenus est conservata amplius quam per centum annos, velut per veridicas chronicas computavi, et tibi possum ostendere, cum constet legibus, et sacris regulis cautum, quia sicut nobis pro nostro libitu non licet parochias rusticanas antiquitus constitutas sine ratione dividere : ita etiam non licet confundere. Quia vero ipsum clericum contra regulas ordinasti, regulæ sacræ demonstrant dicentes : Admittuntur, inquit Leo in epistola ad universos episcopos per universas provincias constitutos, passim ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur ; et quia dominis suis libertatem consequi minime potuerunt, ad fastigium sacerdotii, tanquam servilis vilitas hunc honorem capiat, provehuntur, et probari Deo posse creditur, qui domino suo necdum probare se potuit. Duplex itaque in hac parte reatus est, quod et sacrum ministerium talis consortii vilitate polluitur, et dominorum, quantum ad illicitæ usurpationis temeritatem pertinet jura solvuntur. Ab his itaque, fratres charissimi, omnes vestræ provinciæ abstineant sacerdotes, et non tantum ab his, sed et ab aliis etiam, qui originali, aut alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari, nisi forte eorum petitio aut voluntas accesserit qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis : debet enim esse immunis ab aliis qui divinæ militiæ fuerit aggregandus, ut a castris dominicis quibus nomen ejus ascribitur nullis necessitatis vinculis abstrahatur. Et post decretam natalium honestatem moresque ordinandorum describens, hanc conclusionem subjungit. Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Sciendum vero est hic non vacare a discretione, ex rationis specialitate *hæc* pronomen pluralis numeri, cum dicit ; si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, et reliqua, sicut secundum Domini dictum : *Iota unum aut apex unus a lege non præterit* (*Matth.* v).

Repetamus superiora hujus epistolæ in qua dicit : Admittuntur passim ad ordinem sacrum quibus nulla

natalium dignitas suffragatur. Si inter sacros ordines ordo acolythi non deputatur, de hoc nostro clerico nomine Senato a te acolytho sine nostra licentia, vel sine ecclesiastica libertate ordinato nil repeto. Et quia, ut dicit Innocentius, observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est, posteriores canones dicunt, ut nullus servilibus, colonariisque conditionibus obligatus juxta statuta sedis apostolicæ ad honores ecclesiasticos admittatur, nisi, prius aut testamento, aut per tabulas eum legitime constiterit absolutum. Quæ si quis episcoporum ejus qui ordinatur conditionem sciens transgredi per ordinationem inhibitam fortasse voluerit, anni spatio missas facere non præsumat. Hos autem Gallicanos canones, quibus sæpe in tuis scriptis uteris, et per quos te reclamas, scio quia non abjicies, cum Antiochenum concilium quod apostolica sedes, et universalis Ecclesia recipit dicat : Perfectum concilium est ubi interfuerit metropolitanus antistes. Et Leo ad Maximum Antiochenum episcopum : « Quidquid, inquit, propter speciales causas synodalium conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est a sanctis Patribus apud Nicæam diffinitum. Sacri denique canones manumissiones in Ecclesia fieri posse ab imperatoribus petierunt, quæ et ab eis concessa est, et a tempore ipsius concessionis regulæ, et mox ecclesiasticus hactenus eas servavit, et servat. » Unde scriptum est in libro capitulorum synodalium primo, quæ tempore Augustorum nostrorum Caroli et Ludovici fuerunt condita capitula quinquaginta quinque. Nullus, inquiunt, episcopus servum alterius ad clericatus officium sine domini sui voluntate promovere præsumat. Et hoc Gangrense concilium prohibet et capitulo 82 ad locum ; de ecclesiarum vero servis communi sententia decretum est ut archiepiscopi per singulas provincias constituti nostram auctoritatem, suffraganei vero illorum exemplar illius penes se habeant. Et quandocunque de familia ecclesiæ utilis inventus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas eorum populo legatur, et coram sacerdotibus, vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate libertatem consequatur : et tunc demum ad gradus ecclesiasticos provehatur. Similiter quoque de his agendum est quos laici de familia ecclesiarum ad sacros ordines promoveri voluerunt. Sed et de his quos præpositi canonicorum atque monachorum ordinandos expetierint, eadem forma servanda est. Ostende igitur nobis istam manumissionem ecclesiasticam de præfato clerico a te acolytho ordinato, et nihil repeto. Dictum est etiam mihi quod ter per tres presbyteros ipsum clericum ad tuam synodum vocari jussisti ut reddat rationem in tua synodo, cujus auctoritate ecclesiam in parochia tua accepit : unde tibi puto supra rationem reddidi, cujus auctoritate, et qua ratione prædictam ecclesiam in parochia tua suscepit, quam ei per tanta tempora

A habere consensisti, sicut plurimis est manifestum. Ipse autem nullam rationem spoliatus contra rationem, et auctoritatem tibi inde in synodo regulariter reddere debet : si autem ideo illum vis in synodum tuam venire, quoniam Chalcedonenses canones dicunt nullum absolute ordinare debere presbyterum aut diaconum, nec quemlibet in gradu ecclesiastico, et reliqua, ut forte oblitus per illum discas cujus suasione illum contra regulas ordinaveris ; quatenus si forte in synodo episcoporum inde compellatus fueris, habeas quid respondeas. Manda mihi, et ego illum quoniam nostræ ecclesiæ est mancipium nulla libertate donatum, per meos missos tibi in synodum tuam transmittam, ut dicas quod beatus Leo ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum scribit ;

B quia sicut in mala suasione delinquitur, ita et in mala consensione peccatur. Retractes etiam quoniam ut supra ostendi, illa quæ tempore antecessorum tuorum constiterant, et post mortem Otterici de ecclesia in Follanæbrayo præsumpta fuerunt per ministros tuos Ivonem, Luidonem, Angelrannum ; itemque per Hadulfum, per Famulfum, per eumdem Angelrannum destruxisti, et quæ statuta fuerunt tempore antecessorum tuorum reædificasti, quæque nunc iterum de ipsa ecclesia destructa sunt, sed et quæ prænotavi de regulis ecclesiasticis et synodalibus capitulis transtulisti. Sententiam beati Leonis ad Leonem Augustum deprompiam parvipendere nullo modo debes, quam in synodo apud Suessionis audisti ; et in illo libro quem tibi dedi ipse legere potes. Si, inquit, quæ destruxisti hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, et eis me ultionum

C conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmavi ; et sicut presbytero nostro parochiæ ad te misso respondisti, quia sicut tibi fecimus in nostra parochia de tua ecclesia, ita et tu nobis facies de nostra ecclesia in tua parochia non solum non consentio, verum et hortor ut facias, scilicet ut inquiras diligenter sub veritatis testificatione in suo sacerdotio per Angelrannum, per Grimonem, per Fraumarum presbyteros, sed et per ipsum Haimeradum quod de ipsa ecclesia testificatus est Pardulus decessor tuus coram ipsis ante obitum suum. Sed et per alios presbyteros, et vicinos ac idoneos laicos in ipsa villa commanentes, et circummanentes legaliter require, quod inde ex veritate cognoscunt de his quæ præscripsi, et sicut episcopus cum veritatem inveneris inde justum judicium judica, velut et ego coram missis tuis de capella episcopii tui in parochia nostra legaliter et regulariter inquisivi, et secundum leges et sacros canones ac decreta sedis Romanæ pontificum diffinivi, sicut tibi scripto veritate et auctoritate subnixo ostendam loco et tempore opportuno si necessitas fuerit. Nam plures ecclesiæ sunt in mea parochia de episcopio Laudunensi de quibus non tibi nec alicui tuorum ullum præjudicium intuli, neque inferre volo, quia non debeo ; et quia ex capella de qua mandasti tuæ intentioni non annui, ra-

tio mihi et auctoritas contradixit. Quod autem a quibusdam tuorum quod ipsa capella antiquior sit quam ecclesia in Viviniaca villa, etiamsi verum foret, tunc illi antiquitas sua suffragium afferret, si in antiquitate sua usque ad tempora moderna sicut ecclesia in Follanæbrayo mansit, persisteret : nam Atrabatis, Viromandis, et Bononia ex cujus territorio es nativus, antiquiores sedes cum episcopis propriis in Rhemorum provincia exstiterunt quam castrum montis Lauduni inter sedes computaretur in quo es ordinatus episcopus.

Sed quoniam a longo tempore certis eventuum ac necessitatum causis accidentibus illæ aliis subjectæ civitatibus suum privilegium perdiderunt quod non recuperant, et castrum montis Lauduni convaluit, quia secundum leges, ac sacros canones atque decreta sedis Romanæ pontificum pro id appellare, idque refragari non licet quod legum tempus excludit. De dicimis siquidem ecclesiæ episcopii Laudunensis, parochiæ vero meæ in Antenaco ex domini regis in dominicatu ordinationi meæ commissæ, non solum mihi et presbytero cui eam ad dispensandum commendavi, verum et domno regi contra leges et canones tuo tempore, quod ante actum non fuerat magnum præjudicium est a ministris tuis illatum, quod propter pacis charitatisque custodiam hactenus patienter sustinui : unde potes advertere quia tibi de illa capella justitiam non negarem, si ipsa justitia tuis votis concurreret. Propterea, frater, pro loci mei officio de præfata ecclesia juxta antiquam consuetudinem, ratione, veritate atque auctoritate subnixam, ut præmisi, exsequi te regulariter moneo, quo benigno animo te suscipere et implere exopto. Quid facies si beati Leonis præceptionem cordis aure obaudire curaveris ; qui scit, inquit, se quibusdam præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit etiam ipse dependat. Et quia non impune quis a sacris regulis deviare, et debitæ obedientiæ valeat obviare, scientiæ tuæ appone verba beati Gregorii, quibus ad Petrum Romanæ ecclesiæ subdiaconem et patrimonii magni Petri in Sicilia servantem dicit. De his, inquiens, quæ tibi pro servanda justitia scribo, ego absolvor. Et tu si negligis, obligaris : terribilem judicem venientem considera, et de adventu illius nunc tua consideratio contremiscat, ne tunc sine causa jam timeat, cum coram illo cœlum et terra tremuerit. Audisti quod volo. Vide quid agas. Datum v Kal. Maii præsentis tertiæ indictionis.

HINCMARI RHEMENSIS
AD EUMDEM.

Hincmarus Rhemorum episcopus Hincmaro Laudunensi episcopo salutem, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

Quod erga me volens dissolvere illa quæ tibi scribo per jactantiam rescribendo agis singulatium, sed non singulis, causa mihi non incerta quibusdam prætermissis, respondere me pro loci mei officio, ne tibi sapiens esse videaris, ad singula contumaci inobedientiæ, et inobedienti pervivaciæ tuæ exigis, qui laboras ut superior in cunctis appereas et victor existas, metropolitano privilegio nomine tantum ironice per antiphrasim inhonorando insalutes, et cum inhonoratione contumeliosa inobediendo resultes, mihique os adeo obtures, ut de his pro quibus ad me, cui per sacros canones divino judicio commissa est provinciæ totius in qua es ordinatus episcopus, sollicitudo, qui negotia videntur habere concurrant, te non audeam commonere, neque præsumam de his quæ ex te reprehensibiles ad me parveniunt redarguere, quin etiam nec tuis scriptis, vel verbis in aliquo respondere, et ut totum brevi perstringam cingulo, timeam quod displiceat tibi mutire. Sed ejusmodi non es sapientiæ et scientiæ atque religionis, seu loci episcopus, ut hæc valeas obtinere. Qui si veraciter sapiens et religiosus fores, talia obtinere non attentares : et quoniam veritate, ratione, et auctoritate non potes, anxiaris, æstuas, et anhelas, ut quoquomodo et per verisimilia, et quasi auctoritati, et rationi convenientia mihi possis resistere, meque possis comprimere atque revincere. Unde et recte dicta studes prave ad sensum tuum inflectere, et ea a suo sensu quantum ex te est cogis peregrinari. Et hoc perniciosum certamen sine ulla necessitate contra me assumpsisti, et sine ulla utilitate in eo satagis laborare, cum nihil aliud a te requiram, nisi ut scriptum est (*Deut.* XXVI) : *Timeas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et obedias ejus imperio:* et sicut episcopus, quod omni convenit Christiano : *Pacem sequaris et sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII), et loci tui contentus modestia te altioria ne quæras, et ut frater ac filius charissimus agas, quatenus nos invicem recognoscamus, ne antiquus hostis per scandalum duos movens, per nequissimam victoriam multos quæ non convenerant loqui faciat : ego enim ut aperte indicem qui per elationem a te nihil requiro quæ mihi de canonibus suppetunt, de quibus tibi ad recognoscentiam, et resipiscentiam tuam jam sæpius scripsi, tacere potiussem, si ea quæ familiari sermone monerem cum charitate et humilitate susciperes. Cæterum, ut beatus Gregorius ad Joannem Constantinopolitanum episcopum dicit, rixam inferre non volo, sed tamen a te venientem non devito, quia non valeo, nec etiam audeo pro loci mei officio : cum quasi me pulsando, egregius prædicator dicat : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (*II Tim.* III).Si enim, ut veraciter fatear, utinam non ad condemnationem meam, metropolitanus tuus judicio Dei non forem, et tu provincialis episcopus metropoli, cui disponente Deo deservio, subjectus et a me ordinatus non esses, sed in alia provincia alterius ordinatus existeres, et talia de te audirem, sicus audire cœpi, ex quo post concupiscentias sæculi, et elationem cordis tu ire cœpisti, et verbis, et scriptis te charitatis affectu monerem, et si non obaudirer, apostolicam sequens jussionem, qui de eo præcipit qui semel et secundo commonitus non convertitur, nec obaudit,

te devitarem : nunc autem quia non solum sapientibus et insipientibus, sed etiam provinciæ Rhemorum episcopis meis, scilicet melioribus et sapientioribus atque religiosioridus, debitor sum, locum effugiendi invenire non valeo, ut te opportune importune non moneam, cum prædicator fortissimus dicat : *Mundus sum a sanguine omnium : non enim subterfugi quominus adnuntiarem omne consilium Dei vobis* (*Act.* xx), si enim non annuntiasset, mundus a sanguine non esset ; sed quibus omne consilium Dei annuntiare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. In qua voce et ego peccator convenior, ego insipiens ut te moneam et arguam. Et quando necessitas exigit, increpem, valde constringor, ego reus esse ostendor, qui metropolitanus episcopus vocor, qui super ea mala quæ propria habeo, alienas quoque mortes addo, qui tot occido, ut timeo, quot ad mortem ire quotidie tepidus et tacens video, dicente Domino per prophetam de uno pereunte ; *Sanguinem ejus de manu tua requiram (Ezech.* xxxiii), quanto magis de multis ? Et etiam de his per quos multi debent salvari, mihi hæc terribilis invectio incutitur, qui ad speculandum, et etiam episcopis, peccatis meis exigentibus Dei judicio prælatus. Qua de re et archiepiscopus, unde non lætor, sed revereor, sum vocatus, qui reatu de morte animarum subjectorum constringor, quæ forte potuissent semper vivere si verba meæ correptionis audirent. Sanguis ergo morientis de manu speculatoris requiritur, quia peccatum subditi culpæ præpositi si tacuerit reputatur. Est ergo, ut beatus Gregorius dicit, quod mihi est faciendum, ut etiam moriente subdito me liberum reddam, surgam, invigilem, malis actibus contradicam, sicut scriptum est : *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ* (*Prov.* xxviii). Et si adhuc, ut cœpisti in resistendo persistis, audiam quid loquatur in me, et ad me de resistentibus Dominus Deus. *Ecce, inquiens, dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam* (*Ezech.* iii), scilicet ut sive ab auditoribus conculcer atque despiciar, nec per delatum honorem refrenetur lingua ex verecundia, nec per despectum taceat ex infirmitate. Unde iterum mihi dici exaudio : *Ne timeas eos, neque metuas a facie eorum, quia domus, exasperans est* (*Ezech.* ii). Itaque increpandus est frater et nunquam timendus qui est exasperans domus.

Propterea de eo quod jam tertio in præfatione tuarum litterarum mihi scribens mandasti debitam in Domino devotionem, quam non subsequeris prosequendo debitam, et in Domino devotinem tibi rescribo, quia quantum spectat ad humanos carnis oculos, debitam devotionem mihi non monstras : quantum vero spectat ad mentis humanos oculos, in Domino devotionem non exhibes. Quantum autem in divinis oculis superno consilio timeo trutinari, debitam devotionem mihi rependis, qui me tuis operibus, non adeo ut desideraveram laudabilibus, et tuis contradictionibus, et durissimis ac contra charitatem, quæ Deus est, responsionibus et impactionibus indebitis indesinenter excrucias. Sed utinam mihi contingat quod in Evangelio (*Luc.* xvi) voce Abrahæ de Lazaro per flagella expurgato a malis suis diviti ardenti responsum audimus. Recepit Lazarus similiter mala pro malis in vita sua ; sicut et dives bona pro bonis in vita sua. Et sic opto mihi per te fieri, ut si per inprovidentiam Deum in aliquo ex te offendi, qui in multis eum me offendisse et offendere humili et contrito corde confiteor, recipiam ex te per te purgationem in vita mea, ne inde crucier in vita futura, qui, ut dixi per improvidentiam, non autem per malevolentiæ conscientiam, tantorum gemitus qui sub manu tua, ut a multis dicitur, sicut revera sub falce gravissimo gemunt, in provectione tua excitavi, quotidie emitti ad Dominum ; et proinde quotidiano, imo continuo timore et dolore constrictus non solum gemo, sed et eis congemiscens Deo cujus permissionis judicio a te scandalizatus, et mente excruciatus verbis viri flagellis attriti corde contribulato dico, *qui cœpit ipse me conterat, solvat manum suam et succedat me, et hæc sit mihi consolatio ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti* (*Job* vi) : vellem enim si illi placeret, ut flagellis dignum me per alium quam per te flagellaret, sed quia ita sibi placet cui bona cuncta placent, verbis suis eum conveniam qui ex affectu nostræ humanitatis Patri dignatus est dicere : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste ; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis (Matth.* xxvi). Et item : spiritu suo de eo qui ejus esse videbatur, prædixit : *Si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem utique : tu vero homo unanimis dux meus, et notus meus, qui simul meum dulces capiebas cibos in domo Dei ambulavimus cum consensu* (*Psal.* liv). *Homo* scilicet *pacis meæ in quo sperabam, qui edebat panes meos, levavit contra me calcaneum suum* (*Joan.* xiii) : ac si aperte diceret, quod tanto gravius pertuli, quanto hæc ab eo qui meus esse videbatur sensi : sed licet hinc erga me pietas cor tuum non tangat, timor tamen illud debet compungere, quia contumacia et inobedientia tua qualicunque successori beati Remigii in metropolitana sede ipsius a te mihi illata in eum redundat, qui in me peccatore vicario suo totius Rhemorum provinciæ onera portat, quinimo, Christe Deus noster : orante apud eum pro nobis eodem sanctissimo prædecessore nostro, meas contumeliosas calumnias, et persecutiones derogationum tuarum in se dignatus suscipere, qui confidens Patri super omnes cœlos et super omnium angelorum verticem Saulo, ut legimus, et credimus dixit : *Saule, Saule, quid me persequeris ?* (*Act.* ix.) Non enim est discredendum in tanta turba credentium quos Saulus persequebatur aliquem fuisse, licet non ita ut ego sum imperfectum, in quo sicut et in reliquis, qui videlicet corpus

jus erant, si Dominus persequi dixit. Et ideo in me nperfecto, modo quolibet persecuto illum persequi redo, quia et voce sanctæ Ecclesiæ in qua ejus sum ltimum membrum per Psalmitam dicitur : *Imperectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes cribentur* (*Psal.* CXXXVIII). Et iterum Psalmista dicit : *Benedixit omnes timentes se Dominus pusillos cum najoribus* (*Psal.* CXIII) ; et qui in judicio dicet de beefactis benefactoribus : *Quandiu fecistis uni de his ninimis meis mihi fecistis* (*Matth.* XXV).

Veraciter credo quia quidquid mihi sive benignitatis, sive malignitatis pro ejus nomine exhibetur, ine dubio illi impenditur. Et quia beatus Joannes Baptista pro veritate, videlicet pro Christo sine duitatione occubuit, sicut ipse ostendens dicit : *Ego um veritas* (*Joan.* XIV). Et ego, ut Apostoli utar veris, inimicus factus sum tibi vera tibi dicens et suaens, sed persuadere non valens, ut, sicut ipsa Veitas per beatum Leonem dicit : Obedientiam quam tuis subditis exigis, prælatis tuis ipse dependas, t in ea vocatione qua vocatus es, in ea permaneas, uæ quia non suffers, non solum mihi, sed et mulis scandalum ingeris, et Veritas dicit : *Qui scandaizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, xpedit ut ei suspendatur mola asinaria in collo ejus, t demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII). Et tem idem Christus Dei virtus, et Dei sapientia dicit : *Viro qui corripientem dura cervice contemnit reentinus superveniet interitus, et eum sanitas non equetur* (*Prov.* XXIX). Et Moyses et Aaron dura ervice resistenti sibi populo dicunt : *Nec contra os est murmur vestrum, sed contra Deum* (*Exod.* XVI). Unde nec tuas inimicitias vereor, nec te moere in necessariis, quæ sine peccato non possum limittere, desinam, sciens pacem dilectione intera intrinsecus me tenere debere, quam per vectioem vocis mihi exstrinsecus non timeo perturbare. Quod utrumque provide David se perhibet servare, um dicit : *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus ; cum loquebar illis impugnabant me gratis* (*Psal.* CXIX). Ecce et loquens impugnabatur, et tamen immpugnatus erat pacificus, quoniam nec insanientes essabat reprehendere, nec reprehensos negligebat amare. Hinc etiam Paulus ait : *Si fieri potest quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII) ; hortatus enim Apostolus ut pacem cum omnibus haberent, præmisit dicens : Si fieri potest, atque subjunxit ; quod ex vobis est : difficile quippe erat ut si mala acta corriperent, habere pacem cum omnibus possent : sed cum temporalis pax in pravorum cordibus ex nostra increpatione confunditur, inviolata necesse est ut in nostro corde servetur.

Hinc iterum David cum se totum ad fœdera pacis internæ constringeret, testatur quod cum malis concordiam non teneret dicens : *Nonne qui te oderunt, Deus, oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam ? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi* (*Psal.* CXXXVIII). Inimicos enim perfecto odio odisse est, ad quod facti sunt diligere et quod faciunt increpare, mores pravorum premere, vitæ prodesse. Pensandum est igitur quando ab increpatione quiescitur, quanta culpa sit, si cum his qui increpandi sunt sine increpatione pax tenetur. Si propheta tantus hoc velut historiam Domino obtulit, quod contra se pravorum inimicitias excitavit. Unde Paulus discipulos admonet dicens : *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum illo ut confundatur* (*II Thes.* III). Atque illico subjunxit : *Et nolite ut inimicum existimare illum, sed corripite ut fratrem* (*ibid.*) ; ac si diceret : Pacem cum eo exteriorem solvite, sed interiorem contra illum medullitus custodite. Et qui amore tuo te credo refugere ad perfugia solita, scilicet ad excusanda excusationes in peccatis, ut dicas quia etiam de cogitatione te judico, cum dicat Apostolus : *Quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est ?* (*I Cor.* II) prævenio huic tuæ objectioni dicens, quia tunc spiritus hominis ignoratur ab altero, cum verbis, vel operibus non demonstratur : nam cum scriptum sit, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII), per hoc quod foris agitur quidquid intus latet aperitur. Unde recte quoque per Salomonem dicitur : *Quomodo in aquis resplendent vultus perspicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus* (*Prov.* XXVII). Cum dicis te scripsisse ad auferendam amphibologiam traditionis tuæ ex primitivo genitivi inter tradentem et traditum, grammaticam quam tibi insinuari feci ego et ipse satis, mihi in faciem expuis : quod gratias illi patienter portare possum, qui quod de se prædixit, pro me peccatore sustinuit : *Faciem*, inquit, *meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me* (*Isa.* L). Sed quia te traditum, et non tradentem designas ex nomine, de hoc tuo dicto non curo, testimonium inde perhibente mihi conscientia mea nihil me hinc tibi esse debitorem. Unde et *pro minimo est, ut ex hoc a te judicer vel ab humano die ; sed neque me ipsum inde dijudico* (*I Cor.* IV). Verumtamen si te ita mori gratum scirem, ut hoc ad utilitatem tuam, et ad mentis tuæ sanitatem posset proficere, vel mihi inde cognoscerem aliquam necessitatem incumbere, et scriptis meis ad regem, et ad episcopos, et ipsorum testimonio, ac per alios idoneos tester possem tibi ostendere me, sicut dixi, debitorem hinc tibi non esse : *Uniuscujusque enim opus quale sit dies Domini declarabit.* (*I Cor.* III). Quia vero de traditione tua quereris, et nihil fit in terra sine causa, nihilque quod aut non faciat Deus propitius, aut fieri non permittat iratus, et pluraliter fieri traditiones atque diversis modis diversos et pro diversis causis traditos legimus, necesse est tibi subtiliter mentem tuam discutere, ut meditatus cum corde tuo, et non dolosa, sed recta statera appendens mores, cogitationes, verba, et actus tuos, apud te invenias hæc traditio tua unde, et a quo processerit, et quem processum habeat, vel ad quem finem spectat : legimus enim quosdam a se traditos, ut Paulus ad Ephesios de

quibusdam dicit: *Qui desperantes semetipsos tradiderunt se impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in avaritia (Ephes.* IV): Tanto enim hinc, beatus inquit Gregorius, se quisque in malis præsentibus latius relaxat, quanto post hanc vitam se assequi bona æterna desperat, et Jacobus apostolus dicit: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus (Jac.* I), scilicet a recto itinere, et illectus in malum. Et item Paulus ad Romanos de quibusdam scribit: *Qui cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt (Rom,* I). Et paulo post: *Propter quod tradidit illos.* Tradidit, dixit, id est gratia non liberavit sicut cor Pharaonis induravit, quod gratia non emollivit. Et psalmus dicit: *Tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici (Psal.* LXXVII): in captivitatem enim virtus et pulchritudo quorumdam in manus inimici traditur, cum deceptæ menti antiquus hostis ex boni operis elatione dominatur. Et apostolos *expetivit Satanas ut cribraret eos sicut triticum (Luc.* XXII), qui jussi sunt orare ut non intrarent in tentationem. Et Paulus quemdam tradidit Satanæ, *ut spiritus ejus salvus fierit in die Domini (I Cor.* V). Et item: Quosdam tradidit Satanæ, ut discerent non blasphemare, et filiam Abrahæ incurvatam legimus a Satana, et plures propter peccata puniendа quæ cruciari meruerunt quasi quibusdam quæstionariis atque tortoribus traditos legimus refugis spiritibus, quia non solum homines ministri et ultores sunt iræ Dei in his qui malum operantur, quique non sine causa portant gladium, sed etiam contrariæ fortitudines, quæ appellantur furor et iræ Dei *(Rom.* XIII). Quapropter si moribus et factis tuis exigentibus justo Dei judicio permittente, aut a te ipso, vel per spiritum refugam in peccatum, quia legimus *immissiones per angelos malos (Psal.* LXXVII), vel hominem Dei ministrum ad pœnam peccati es traditus, si te non recognoscis, et non corrigendo resipiscis, non habes unde queraris, sed unde tribuleris; quia non dicit Dominus: *Beati qui persecutionem patiuntur* propter injustitiam, sed *propter justitiam (Matth.* V). Et Apostolus dicit: *Beatus qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ (Jac,* I), quia, sicut beatus Cyprianus ait, martyrem non facit pœna, sed causa: nam cum Christo crucem etiam periturus latro suscepit, sed quem reatus proprius tenuit, par crucifixio non absolvit. Et persecutio, vel traditio dum non rationabiliter sustinetur, ut beatus monstrat Gregorius, nequaquam proficit ad salutem. Nam nulli fas est retributionem præmiorum exspectare per culpam, quod et beatus Petrus apostolus demonstrat dicens: *Quæ est enim gratia si peccantes et colaphizati suffertis? (I Petr.* II.) Contra hos propheta Domino queritur dicens: *Attrivisti eos et renuerunt accipere disciplinam (Jerem.* III). Hinc est quod Dominus dicit: *Interfeci et perdidi populum istum, et tamen a viis suis non sunt* A *reversi (Jerem.* XV). Hinc rursus ait: *Populus non est reversus ad percutientem se (Isa.* IX). Hinc voce flagellantium propheta conqueritur dicens: *Curavimus Babylonem, et non est sanata (Jerem.* LI): Babylon quippe curatur, nec tamen ad sanitatem reducitur quando mens in prava actione confusa verba correptionis audit, flagella correctionis percipit, et tamen ad recta salutis itinera redire contemnit. Hinc captivo Israelitico populo, nec tamen ab iniquitate converso Dominus exprobrat dicens: *Versa est mihi domus Israel in scoriam: omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis (Ezech.* XXII); ac si aperte dicat: Purgare eos per ignem tribulationis volui, et argentum illos, vel aurum fieri quæsivi; sed in fornace mihi in æs, stannum, ferrum et B plumbum versi sunt, quia non ad virtutem, sed ad vitia etiam in tribulatione proruperunt; quoniam aut ad sonitum murmurationis eruperunt, aut simulationis vitio non carere decreverunt, aut in nocendi malitia proximis perseveraverunt, aut a desideriis terrenis pressi in tribulatione purgari non potuerunt.

Hinc rursus scriptum est: *Multo labore sudatum est, et non exivit de anima rubigo ejus, neque per ignem (Ezech.* XXIV), ignem quippe nobis tribulationis admovet, ut in nobis rubiginem vitiorum Dominus purget, sed nec per ignem amittimus quando et rubiginis inter flagella, vel per flagella vitio non caremus. Hinc propheta iterum dicit: *Frusta conflavit consolator, malitiæ eorum non sunt consumptæ (Jerem.* VI). Pœna inquit, Gregorius, præsens si afflicti animum convertit, finis est culpæ præcedentis: si autem ad C timorem Domini minime convertit, initium est pœnæ sequentis. Cavendum ergo nobis est et summopere in fletibus tota mentis conversione vigilandum, ne de tormento ad tormenta transeamus. Qui ergo justus patitur, si patienter ea quæ patitur sustinet, Christum imitatur. Qui in flagellis corrigitur, latronem qui in cruce Christum cognovit, et post crucem paradisum cum Christo intravit: qui nec inter flagella desistit a culpis, sinistrum imitamur latronem, qui propter peccata ascendit in crucem, et post crucem ruit in tartarum. Si ergo propter peccatum modo quolibet vel a quocunque traditus es, et per traditionis persecutionem correctus, ut audire merearis a Domino, et si non auribus corporis, vel auribus illis de quibus Psalmista dicit: *Audiam quid loquatur in me Domi-* D *nus Deus (Psal.* LXXXIV), quod audivit qui propter peccatum flagellatus, et per flagellum purgatus est, dicente Domino: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat (Joan.* V). Habes unde gaudeas, et quod cavendo custodias. Si autem ideo traditus, et traditione flagellatus es, non quia peccasti, sed ne peccares, sicut Paulus qui dixit: *Ne magnitudo revelationem extollat me datus est mihi stimulus carnis meæ, ut me colaphizet (II Cor.* XII). Libenter gloriare in infirmitatibus tuis, *ut inhabitet in te virtus Christi.* Si denique a quocunque, vel modo quocunque traditus es, vel non propter præcedens peccatum, vel ideo ut non

incurreres quod poterat accidere tibi peccatum, sed ut justus justificareris adhuc, sicut Tobias, et Job de quo Dominus dixit ad Satan : *Ecce in manu tua est, tantum animam illius serva (Job* I), custodire te oportet ut ne de flagello murmures, et animam tuam quam Dominus servare in Job jusserat, murmurando in potestatem illius tradas. *Neque murmuraveritis*, inquit Apostolus, *sicut quidam eorum murmuraverunt, et a serpentibus perierunt* (*I Cor*.X). Cavere etiam summopere debes ut aucta per flagellum merita de cætero peccando non inquines, sed juxta vocem Domini *corde bono et optimo verbum*, et purgationem ejus *retinens fructum afferas in patientia (Luc.* VIII), quoniam qui humiliter etiam pro peccatis suis flagella suscipiunt, post flagella ad requiem sublimiter suscipiuntur. Sic uva calcibus tunditur, et in vini saporem liquatur ; sic oliva contritionibus expressa amurcam suam deserit, et in olei liquorem pinguescit, sic per trituram areæ a paleis grana separantur, et ad horreum purgata perveniunt. Quisquis ergo appetit plene vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare, ut tanto post ad judicem mundior veniat, quanto nunc ejus rubiginem ignis tribulationis purgat. Quod dicis meis apicibus te solito more morderi, sed non te sensisse lædi, si ita quod dicis ita ut est intelligendum intelligis, non improbo, quia et erat unde morderi, sed ad sanitatem ; et idcirco te non lædi sentire debebas : sit enim ut in Evangelio legimus plaga sanatus, scilicet per acrem vini morsum, et per olei fomentum : cum enim tibi ostendi quod actum sit, rite ad morsum intellexisti, et cum ostendi quid agendum sit, si recte facis, pertinere ad olei fomentum intelligis. Si autem adeo intentionem tuam rebus transitoriis immoderatius implicas, ut quibus negligentiarum jaculis transfigaris, vel quibus monitionum medicamentis debeas curari ignores, quia nec læsum, nec sanabilem te sentis probabiliter improbo. Unde per Salomonem vox percussi et dormientis exprimitur qui ait : *Verberaverunt me, sed non dolui ; traxerunt me, et ego non sensi* (*Prov.* XXIII) : mens quippe a cura suæ sollicitudinis dormiens verberatur, et non dolet ; quia sicut imminentia mala non prospicit, sic nec perpetrata pertimescit : trahitur et nequaquam sentit quoniam per illecebras vitiorum ducitur nec tamen a sui custodia suscitatur. Quod dicis a me jaculis te impetitum, nævoque notatum, noli agere ut hoc mihi necesse sit facere, et me ab his senties conquiescere. Quod dicis te integro fugatum anno, et non dicis a quo fugatus existas, nescio quid inde tibi respondeam, nisi quod dicit Scriptura, quod in te Dominus cadere non permittat : *Fugit impius nemine persequente* (*Prov.* XXVIII). Quod dicis te ad instar Abner fugatum (*II Reg.* IV), et serris tritum, et ideo non tacere permissum, non convenienter sententiam beati Gregorii in persecutione Abner ab Asahel posuisti, quia non me furentem tuum persecutorem, sed ad corrigendum excessus tuos pro loci mei officio intelligere debueras monitorem : et tu non me aversa hasta, ut Abner Asahel persequentem feris, et tranquille ex quibusdam tangis, et quasi parcendo superas, sed invehendo, et resistendo in faciem quantum potes per contumacem contemptum si potes ad furorem provocando exaggerare non cessas ; et ideo responsionum ratione in intimis sub tranquillitate tactus ab eo quod me pro necessitate loci mei erexeram non cado, neque succumbo, sed validius semper clamo, clamavi, clamabo per ævum, *et sicut tuba exaltabo vocem meam* (*Isa.* LVIII), et annuntiabo tibi excessus tuos, et satagam te revocare pro viribus a contumaci elatione tua. Quod dicis te serris tritum ; improprie quantum audeo dicere hoc tua grammatica protulit : nemo enim serris teritur, sed secatur, quod bene Paulus intellexit scribens ad Hebræos cum passiones sanctorum descripsit dicens : *Sancti ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt* (*Hebr.* VII) : non enim dixit triti snnt : serra enim dentata fieri legitur, et ego quantum possum dentatis serris te ab accidentibus quæ episcopo non sunt propria secare laboro, et spiritalibus dentibus, mordere ac stimulis verborum monentium, et clavis increpationum configere non omittam ; quoniam, ut Scriptura dicit, *verba sapientum quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi* (*Eccli.* XII), quia videlicet, ut exponit beatus Gregorius, verba sapientum culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. Quia vero incomposite præteritum verbi *teror* serris composuisti, multis locis non solum in tua grammatica, sed etiam in Scripturis prævales invenire, sed et in illo loco ubi Dominus Moysi qualiter thymiama quod nostra lingua incensum dicitur facere jussit dicens : *Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis* (*Exod.* XXX). Unde sanctus Gregorius : in tenuissimum pulverem aromata universa conterimus. Et item, aromata in pulverem redigere, est virtutes recogitando terere. Hujus activi passivum est, sicut melius nosti, *tereor*, cujus est præteritum *tritus*, quod non rite serris, sed pilæ ac pilo potius applicari debet, sicut Salomon demonstrat dicens : *Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus* (*Prov.* XXVII). Quodque thymiama per Moysem a Domino jussum fieri quotidie nos sacri altaris ministerio addicti debemus componere, ut recte possimus Domino dicere : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL),

De eo quod dicis te mirari cur Hadulfum tandiu remorantem non remittam, præsertim cum super eo meæ, ut justum erat, annuisti interventioni, ideo pleniter non respondeo, quia sincera non est soliditate veritatis, et charitatis atque pacis tua mandatio, tantum hoc rescribo, quia quotiescunque ad me illum misisti, semper tibi illum remisi, et non sicut aliis litteris de eo mihi directis quantum ex me est, contumacem illum a me recepisti quasi contumax tibi existerit : non mea suasio, sed, ut æstimo, tua

factic hoc ab illo exegit, quia ut puto calice Babylonico quo vicissim ac singillatim gentes propinatas usque ad Sesag [*f.*, Sesach] novissimum legimus, a te ille etiam est propinatus, sicut et plures alii exstiterunt. Nam, ut scriptum est (*Jerem.* XXV), a sanctuario meo incipite, a me nutritore tuo, et ab his qui te mecum nutrierunt, vel inter quos nutritus fuisti, prius incœpisti derelinquens nos, et odio habere inchoans, atque aliorum familiaritates expetens, deinde per alios, et alios tam amicos quam et subditos, tam clericos quam et laicos hactenus discurrens, et viritim præcedentes relinquens usque ad hunc tibi familiarissimum cursus tuus pervenit, et cum tali gratia de scala vitrea tuæ familiaritatis decidit, sicut et nos priores, et illius de tuis subditis antecessores cecidimus, si tamen talis casus non potius ascensus quam casus dici debeat. Cum tibi Salomon dicat: *Amicum tuum, et amicum patris tui ne dimiseris* (*Prov.* XXVII). Et sanctus Hieronymus dicit : Proverbium, inquiens, est quod serviri nequeat qui nulli servivit, sicut tibi serviri non potest qui nulli servisti, quique non laborando, sed deliciando, et dormiendo alterius labore quod habes adeptus fuisti. Et quod Simonides cum interrogaretur quod inter homines celerrime consenesceret, beneficium, inquit, manifeste ostendis. Et Salomon dicit : *Qui reddit mala pro nobis, non recedet malum de domo ejus, et qui mentis est duræ, corruet in malum* (*Prov.* XXVIII).

De hoc quod dicis te nescire unde sciam te consensisse ecclesiam Sanato clerico nostro in Follanæbrayo, quoniam nec res nota est, nec per casus aut formas saltem verisimiles inflectitur, et ideo nec te consensisse scio, nec illud probare possum, tibi rescribo, quia indignum tibi esse debuerat, quoniam est utique indecorum ut pro illusione mea episcopus ad cunas infantilis grammaticæ redires : hoc enim quod mihi scribis respondere solebas in schola, quando nomina, vel pronomina, seu verba declinare, me jubente, insinuabaris : cum enim te conscholarius puerulus interrogabat hoc vel illud quæ pars est? Respondere solebas sicut tibi videbatur quæ pars erat; et inferente illo, unde hoc scires, dicebas, si rite remetior, quod mihi multis jam annis transactis non venit in memoriam, quia res nota est, et per casus, vel modos, seu formas inflectitur. Et talia frater et filius meus ad derisionem quasi pituita, scilicet flegma coagulatum et vetustum ac mucidum mihi in vultum excreas, et non attendis quantum Deum, qualiscunque ego sim in contemptu ministerii sacri sine reverentia ulla offendas. Jam ut antiquo proverbio dicitur, bos lassus fortius figit pedem; quia intelligere in præcedentibus litteris noluisti, vel potius dedignatus fuisti, aut si intellexisti dicere refugis, mihi non pigrum, licet non tibi necessarium, et iterare unde hoc scio, quia et res nota est, et a longo tempore per humaniter accidentes casus inflexa, et per formas non dicam verisimiles, sed et per veras ostenditur, videlicet quia sicut tibi ex ordine scripsi, tempore Tilpini, et quando post eum per annos circiter novem metropolis Rhemorum vacavit episcopo, et tempore Wolfarii, et tempore Ebonis, et quando Folco, et post eum Nottho ipsum episcopium tenuerunt, sed et tempore meo. Per tempora episcoporum Laudunensis ecclesiæ Genebaudi videlicet junioris, Berneconis, Gairfredi, Wanilonis, Ostroldi, et quando episcopatus vacavit in Ailemaro, et tempore Simeonis, ac Parduli, sed et tuo tempore per tempora quando Rodulfus tempore Tilpini habuit villam Follanæbrayum in beneficio, et post eum Odelharius, deinde Odalgisus, deinde Odelharius : deinde quando post eum idem beneficium comissum fuit Osvero, habuit ipsa ecclesia in Follanæbrayo semper presbyteros, ex quo memorari potest, Ferherum scilicet, et post eum Dodonem, deinde Haimbradum, deinde Ottericum, et post eum per quinque annos Bertfridum; et nunquam fuit ecclesiæ in Codiciaco subjecta. Et quando Ottericus presbyter ordinatus a Wanilone Laudunensi episcopo in ecclesia Follanæbrayo degebat, fuit presbyter in Codiciaco Nodalbertus per annos circiter viginti, et post Nodalbertum fuit ibi presbyter Gozmarus per annos circiter triginta. Et post Gozmarum, sicut ibi præscripsi, misi istum Haimeradum qui in Codiciaco nunc degit Simeoni ad ordinandum, quem in ecclesia, quæ est in Codiciaco, ordinavit. Et tempore Simeonis semper in Follanæbrayo Ottericus presbyter sicut in ea ordinatus mansit.

Sed et tempore Parduli usque circa finem ipsius, et tunc Wlfegerus clericus ipsam ecclesiam consentiente Pardulo tenuit usque ad obitum Parduli : post obitum autem Parduli, et post ordinationem tuam Bertfridus presbyter in tua ecclesia secus, Cadomum, et in ecclesia nostra in Follanæbrayo per quinque circiter annos officium sacerdotale exhibuit : utrum tu hoc consenseris, ut tuam ecclesiam, juxta quam ibas et redibas quando ad palatium ibas, vel de eo redibas, cum ecclesia in Follanæbrayo tenuerit, tu videris. Abscendente autem de parochia tua Bertfrido, pro fama de eo vulgata, concessi more prædecesuorum meorum Sigeberto, cui illud beneficium dedit, ut clericum nostrum Sanatum in eadem ecclesia ordinandum tibi offerret; et si tu illum probabilem judicares, ego illi libertatem ecclesiasticam darem. Et sic demum tu illum regulariter ordinares. Qui clericus per quatuor annos ipsam ecclesiam tenuit, et secundum paupertatem suam, sicut simul sæpe vidimus, et adhuc paret, bene in ea laboravit; et quando simul equitabamus juxta ipsam ecclesiam in qua idem clericus laborabat, euntes ad regem te audiente se reclamaverunt ad me ipsi homines pro ordinatione dilata ejusdem clerici, quia non habebant presbyterum; et tu me audiente, sed et multis aliis et meis et tuis audientibus respondisti quod verum non dicerent, quia nullam indigentiam de ministerio sacerdotali habebant : et ad tua verba te audiente, ego eisdem hominibus dixi quod tu habe-

bas dispositum ut nullam indigentiam de ministerio A sacerdotali haberent, donec ipse clericus ordinaretur. Et nihil contradixisti. Et per annum et dimidium ipso clerico eamdem ecclesiam tenente, Grimmo parochiæ tuæ presbyter ibi cantavit. Et per duos annos et dimidium ibidem Haimericus presbyter officium sacerdotale exhibuit usque pridie nonas proxime præcedentis Februarii.

Et quia quæris unde hoc scio, sic mihi quantum ex antiquitate per veraces homines didici, et per os Parduli audivi, et post eum per os tuum, sicut dixi, audivi, et oculis vidi, res mihi nota est ; et per has veras formas nota mihi ostenditur. Si autem illa negas quæ per teipsum cum auditu multorum scio, minus tibi credere potero, si te excusaveris ex his qui de te per alios audio : tamen me et te latere non potest quod nec tibi, sicut nec mihi, reputari posse ex veritate cupio quod scriptum est : *Os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I). Et : *Quod de ore procedit*, scilicet veritati contrarium, *hoc coinquinat hominem* (*Matth.* XV). Et Salomon dicit : *Testis falsus non erit impunitus* (*Prov.* XIX). Duobus inquiunt modis auctores fit falsus testis, scilicet aut falsa dicendo, aut vera reticendo. Nihil est, inquit beatus Gregorius, ad defendendum puritate tutius, nil ad dicendum veritate facilius : nam dum fallaciam suam tueri quis cogitur, duro cor labore fatigatur. Hinc namque scriptum est : Labor labiorum ipsorum operiet eos : qui enim nunc implet, tunc operit, quia cujus animum per blandam inquietudinem exerit, tunc per asperam retributionem premit. Hinc per Jeremiam dicitur : *Docuerunt linguam suam loqui mendacium, ut inique agerent laboraverunt* (*Jerem.* IX); ac si aperte diceretur : Qui amici esse veritatis sine labore poterant, ut peccent laborant: cumque vivere simpliciter renuunt, laboribus exigunt ut moriantur : nam plerumque in culpa deprehensi, dum quales sint cognosci refugiunt, sese sub fallaci velamine abscondunt : et hoc quod peccant, quodque jam aperte cernitur excusare moliuntur ; ita ut sæpe is qui eorum culpas corripere studet, aspersæ falsitatis nebulis seductus pene amisisse videat, quod de eis jam certum tenebat. Unde recte sub Judææ specie per prophetam contra peccantem animam, excusantemque se dicitur : *Ibi habuit foveam ericius* (*Isa.* XXXIV) : ericii quippe nomine impuræ mentis seseque callide defendentis duplicitas designatur : quia D videlicet ericius cum apprehenditur, ejus et caput cernitur, et pedes videntur, et corpus omne conspicitur : sed mox cum apprehensus fuerit semetipsum in sphæram colligit, pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, et intra tenentis manus totum simul amittitur, quod totum simul antea videbatur. Sic nimirum sic impuræ mentes sunt cum in suis excessibus comprehenduntur : caput enim ericii cernitur, quia quo initio ad culpam peccator accesserit, videtur. Pedes ericii conspiciuntur, quia quibus vestigiis nequitia sit perpetrata cognoscitur ; et tamen adductis repente excusationibus impura mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit. Caput subtrahit, quia miris defensionibus nec inchoasse se malum aliquod ostendit, et quasi sphæra in manu tenentis remanet ; quia is qui corripit cuncta quæ jam cognoverat subito amittens, involutum intra conscientiam peccatorem tenet. Et qui totum jam deprehendendo viderat, tergiversatione pravæ defensionis inclusus totum pariter ignorat. Foveam ergo ericius habet in reprobis, quia malitiosæ mentis duplicitas sese inter se colligens abscondit in tenebris defensionis. Audiant impuri quod scriptum est : *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter* (*Rom.* X *et* XXIII) : fiducia quippe magnæ securitatis est simplicitas actionis. Audiant quod sapientis ore dicitur : *Spiritus* B *sanctus disciplinæ effugiet fictum* (*Sap.* I). Audiant quod Scriptura rursum teste perhibetur : *Cum simplicibus sermocinatio ejus* (*Prov.* III). Deo enim sermocinari est per illustrationem suæ præsentiæ humanis mentibus arcana revelare. Cum simplicibus igitur sermocinari dicitur, quia de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat.

Est autem speciale duplicium malum ; quia dum perversa et duplici actione cæteros fallunt, quasi præstantius cæteris prudentes se esse gloriantur. Et quia districtione retributionis non considerant de damnis suis miseri exsultant, et cætera quæ in regula pastorali beati Gregorii ex ordine potes relegere, quam tibi una cum libro sacrorum canonum C in manu ante altare sanctæ Mariæ in die ordinationis tuæ misi, obtestans quæ ignorare non potes et oblivisci non debes. Verumtamen hanc negationem tuam, quam sine ulla necessitate assumpsisti ad injuriam meam pertinere non ducam, nec pro crimine reputabo, neque pro hac sola negatione tua me a communione tua separabo, sequens capitulum Africani concilii, quod tu detruncatum, et a suo sensu expositum mihi scripsisti, ultimam ejus particulam ad tuum sensum inflectendo, scripto tuo mihi directo imponere, quia nec pro crimine ducendum puto, si clerico ordinando usque ad ordinationem consensisti in ecclesia in qua ordinandus erat laborare, donec ad ordinandum perveniret, et si dignus atque idoneus inventus foret ordinaretur, quia nec sanctus Innocentius, sicut tibi præscripsi, pro crimine reputavit episcopo qui presbyteris quibusdam consensit in sua parochia ecclesias diutius retinere, qui communionem illius eatenus non poterant promereri, sed statuit ut quibus eadem ecclesias retinere diu in parochia sua consenserat, suam eis communionem nullatenus denegaret. Integritas autem ipsius capituli Africani concilii, cujus partem ultimam tuo scripto inseruisti, ista est : *Item placuit ut si quando episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget, non putet ad injuriam suam episcopus pertinere quod illi soli non creditur. Et si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle com-*

municare quandiu excommunicato non communicaverit suus episcopus, eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis, ut magis caveat episcopus ne dicat in quemquam quod aliis documentis convincere non potest.

Hæc documenta quæ tibi et prius, et nunc scribo qualiter didici et præcedenti, et hac subsequenti lectione potes cognoscere, ad quæ confirmanda, et ad te convincendum nullos testes producam, quia non debeo, nec de hac re secretam confessionem tuam, quam non accepit, promere volo, cum Scriptura dicat ei : *Qui revelat arcana, et ambulat fraudulenter, et dilatat labia sua, ne commiscearis* (*Prov.* xx). Quod ita exponunt doctores catholici : Ne commiscearis ejus amicitiis qui prioris amici secreta denudat, sed hunc velut perfidum cave. Ostendere autem et monere te debeo, ut secundum leges et regulas inde quod justum est exsequaris. De eo vero quod negas per multas ambages non verisimiles, quibus mihi et longum et inutile respondere videtur, te non consensisse, ut ipse clericus eamdem teneret ecclesiam si in contumacia et negatione tua perseverare decreveris, habeas illum conscientiæ et negationis tuæ judicem, quem habebis et testem. Et quoniam mihi scripsisti quod inde causam quam nescis investigare et mihi remandare debeas, timeo pro te ne sicut jam fecisti ut victor in contentione videreris quando contra sacram auctoritatem cuidam decreto pernicioso, ut dicitur, subscripsisti, et clericos ac presbyteros parochiæ tuæ subscribere fecisti, te de causa hujus ecclesiæ in aliquo naufrages, et alios tecum irregulariter colligans ut evincas, in naufragium ducas. Unde obtestor et moneo te per sanctam et inseparabilem unius divinitatis Trinitatem, et per Christum Jesum Redemptorem nostrum, et per gratiam Spiritus sancti, qui maxime in ordinationibus operatur, quem per impositionem manuum mearum accepisti ; et per gloriam sanctæ Dei genitricis et semper virginis Mariæ, ac per electos Dei angelos, et per beati Remigii merita, et metropolitanam auctoritatem eidem prædecessori meo, et in ejus successione divinitus mihi collatam, ut contra leges quas catholica et apostolica Ecclesia ex antiquo servandas suscepit, contraque sacros sanctorum conciliorum canones et decreta sedis Romanæ pontificum de sacris ordinibus, et canonum promulgata disciplinis de causa Ecclesiæ ipsius non facias, sed sine ullo præjudicio, quantum Deus tibi scire et posse dederit, quod juste et rationabiliter videris exsequaris, et non negligas vel parvipendas rogo hanc obtestationem justitia et ratione atque auctoritate plenam, quia si potui propter ministerium mihi collatum exorare Deum per humilitatem ut tu per impositionem manuum mearum fieres ordinatus episcopus, possum et debeo eodem ministerio te obtestari per auctoritatem ut facias quod facere debet episcopus, sicut et Paulus obtestatus est Timothæum a se ordinatum episcopum, *ut non declinans in aliam partem, sine*

A *præjudicio servaret mandatum* (*I Tim.* v). Et scias, certissime quoniam si secus egeris, Deo annuente et vita comite, opportuno tempore hoc non sine regulari discussione dimittam, non mei, quod absit, causa, sed sacrarum regularum contemptu. De eo quod in eodem tuo insulso scripto apposuisti : Item canon dicit : *Qui unum crimen probare non poterit ad alia admitti non debet,* tibi rescribo, Nescis quid dicis ; plenus indignatione et contumacia non potes oculis mentis videre quod verbis debeas promere, vel quod debeas reticere ; si sequereris beatum David, Dominum deprecareris ut *poneret custodiam ori tuo, et ostium circumstantiæ labiis tuis (Psal.* xxxviii). Canon dicit : Quotiescunque clericis multa crimina ab accusatoribus objiciuntur, et unum ex B ipsis de quo prius egerit probare non valuerit, ad cætera jam non admittatur ; dic quis est ille accusator ; dic apud quem te accusator accusat ; dic in quo regulari judicio te accusat ; dic de quibus criminibus te accusator accusat ; dic de quo crimine accusator egit, quod probare non valuit, ut ad cætera jam non admittatur : quotiescunque enim te metropolitana auctoritate monuero, cui per sacros canones commissa est sollicitudo totius provinciæ de his pro quibus ad me de tua parochia qui negotia videntur habere concurrunt, semper accusator tuus existam. Et cum longius a te separatus corpore fuero, et verbis vel litteris te monuero, pro accusatore tuo de criminibus in judicio regulari tenebor. Regulæ namque dicunt apud quem et qualiter accusandus episcopus debeat accusari, et ubi, et qualiter, vel C a quibus debeat judicari ; et quoties tibi ostendero per sanctarum Scripturarum tramitem, et sacrarum regularum auctoritatem in quibus excedis, semper te a me irregulariter, scilicet absque regulari videlicet synodali judicio, judicatum causaberis : Dominus enim dicit in Evangelio : *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides ; qui autem occiderit reus erit judicio : ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio* (*Matth.* v), etc.

Et sacri canones sæpenumero dicunt : Si quis præter hæc fecerit, quasi contra magnum concilium se efferens, ipse de clericatus honore periclitabitur. Et decreta sanctæ sedis Romanæ pontificum hoc sensu dicunt : Si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit au- D sus admittere, a suo se noverit officio submovendum. Et ut tibi ostendatur in quibus contra hæc agis, sustinere non potes, sed semper te irregulariter judicatum quereris, et laboras quærendo nodum in scirpo, et unde tuam sapientiam jactitas, inde magis stultitiam monstras, cum dicat Apostolus : *Si quis vult inter vos sapiens fieri, stultus fiat ut sit sapiens* (*I Cor.* iii). Et Salomon dicit : *Qui impatiens est exaltat stultitiam suam, et qui increpationes odit morietur* (*Prov.* xiv) ; et : *Non amat pestilens eum qui se corripit, nec cum sapientibus graditur* (*Prov.* xv) ; et : *Filius sapiens doctrina patris ; qui autem illusor est, non audit cum arguitur (Prov.* xiii); et *Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio sapien-*

tum commorabitur. Qui abjecit disciplinam, despicit animam suam; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis (*Prov.* xv); et: *Qui meditatur discordias, diligit rixas, et qui provocat iras, producit discordias* (*Prov.* xxx); et: *Qui exaltat os suum, quærit ruinam* (*Prov.* xvii); et: *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus* (*Prov.* xviii); et: *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit stultus* (*Prov.* xxvi); et: *Expedit magis ursæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo sibi confidenti in stultitia sua* (*Prov.* xvii); et: *Stultus irridet disciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes astutior fiet* (*Prov.* xv). Deinde post plurimum, non solum inutilia, sed et fatua adhuc pervenisti ut diceres; quia capitulum quod contra te scripsi de primo libro capitulorum synodalium pro te faceret, ut sine auctoritate, vel consensu episcoporum presbyteri in quibuslibet ecclesiis non constituantur, nec expellantur. Et quod conjunctim in eodem habetur capitulo, et tibi scripsi, propter quod et præcedentia, ut integrum illud monstrarent capitulum memorari noluisti; scilicet si laici clericos probabilis vitæ et doctrinæ episcopis consecrandos, suisque in ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet ratione eos rejiciant. Dic quis sine auctoritate, vel tuo consensu in Follanæbrayo constituit? Ego, ut prædixi, Sigeberto clericum nostrum concessi, ut tibi illum ad ordinandum offerret, et si illum ordinare velles, ego illi libertatem ecclesiasticam facerem. Quomodo ergo sine tua auctoritate Sigebertus ibi presbyterum constituit? et ubi est ille presbyter? Et Deo gratias quia sicut in subsequenti capitulo regio tuo scripto inserto dixisti, non adhuc habes illam potestatem de Sigeberto, ut bannum regium illum rewadiare cogas, ut per fidejussores ad palatium regium venire facias; quia nec tuus est parochianus, nec de tuo missatico divino, vel humano, nec in ipsa ecclesia presbyterum contra auctoritatem episcopalem constituit; sed forte impletur in te quod scriptum est: *Abominatio Domini est omnis arrogans, etiamsi manu ad manum fuerit, non erit innocens* (*Prov.* xvi), quia si cessat a perversitate quam explere non potest in operatione, non vacat a malitiosa voluntate quam desiderat si posset explere in opere.

Deinde ad me redis rodendum, dicens: « Perquiro cur a tanto tempore de sua, quin mei clerici irregulari ordinatione non requisistis. » Huc, respondeo tibi, certe quia antea illum a te ordinatum non audivi, nisi postquam ipsi homines de præfata villa se ad me reclamaverunt: nec in voluntate unquam habui ut de illicita ordinatione a te facta te unquam vel usquam impeterem. Denique dicis: « Prius erat modus ordinationis cognoscendus; et sic aut ordinator aut ordinatus jure judicandus, aut utrique canonico percellendi cauterio. » Dic, frater: Quis te judicavit? et in quo regulari judicio inde es judicatus, vel compellatus: sed non mirum est quod agis, facis enim ut soles quod diligis. Dicit Scriptura: A *Ephraim vitula docta diligere trituram* (*Osc.* x). Et item: *Ephraim panis subcinericius qui nunquam reversatur* (*Osc.* vii). Deinde dicis: « Ergo capitulum quod ex Augustorum nostrorum libro quasi contra me quod agit pro me detruncatum posuistis, integrum resumite, » non est verum; detruncatum illud capitulum regium tibi non misi: non enim ille clericus meus, aut tuus, vel alicujus est liberi hominis servus; et ideo quod capitulum illud de servis quorumlibet dicit, non posui, quia ad istum clericum non pertinebat. Quia vero mihi et non tibi commissæ ecclesiæ servus est, quod de ecclesiasticis servis illud capitulum dicit, hoc tibi scripsi, quia et hoc ad causam istius clerici pertinere cognovi. Et post ista persequeris: « Hujus autem B capituli tenore perspecto, responsum de ordinatione clerici vestri meum, si a me facta est tempore et loco cum congruo tunc canonico exspectate, et interea de mea irregulari ordinatione judicare desistite, quoniam accusator simul et judex non eritis. Et post capitulum canonum de scientia hujus clerici conditionis, et de transgressione per ordinationem inhibitam patet quid decerneretur, quæ prius si placet opponenda est, et aut confesso, aut convicto inculcandum erit judicium. Quod jam licet de me non convicto, nec confesso absque ulla synodo, sine ulla hujusmodi interrogatione, aut requisitione, aut præsenti interpellatione officium accusatoris simul et judicis, tam de absente, quam absenti scripto vobis judicantes exercueritis, ita pronuntiando. Quia vero ipsum clericum contra regulas ordinasti, C sacræ regulæ demonstrant dicentes. » Et tunc ponis capitulum beati Leonis quod tibi scripsi; in cujus fine solito more tuam ostentas scientiam, de qua ostentata scientia tua, quia non est utilis vel necessaria loqui nil curo; quia sicut de chamæleonte legimus, qui quemcunque colorem viderit, in eum convertitur, ita tu saliendo semper tuis ipsis dictis contraria vadis. Quandoquidem vero quia accusator simul et judex esse non possum, quandoquidem quia te absentem judico, interdum ut personam accusatoris induam, et tunc te accusem. Aliquando quod sine synodo te judicio, et aliquando quod sine synodo te judicare non possum; et quia nec intelligis nec intellexisti admittendos ad ordines sacros servituti obnoxios. Et D multis modis hac illac vadis fluctuando sicut arundo a vento agitata, videlicet animo fluctuante, quia nullius gravitatis pondere es stabilitus.

Dicis etiam me exponere capitulum Leonis sicut volo, sed non sicut tu, hoc promis, sed sicut se res habet verum dicis: sic enim illum expono ut volo, quia sic illum expono ut debeo, quia sic illum intelligo sicut illi eum intellexerunt qui in capitulis synodalibus de ecclesiarum servis, ut tibi scripsi, et mihi rescripsisti, decreverunt; et sicut in ipsa manumissione servi ecclesiastici demonstratur; non enim sacri canones manumissionem fieri in ecclesia de natura liberis ab imperatoribus petierunt,

nec quilibet natura liberi per manumissionem fiunt cives Romani, sed servi vel ecclesiastici, vel regii, vel quorumlibet liberorum hominum. Et ideo sanctus Leo in capitulo sui decreti ex canonibus promulgato constituit, ut alicui conditioni obligatus non ordinetur, nisi forte eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis. Quandiu enim fuero Rhemorum episcopus, in servis hujus ecclesiæ mihi potestatem debitam vindicabo, et sine libertate ecclesiastica per me sibi data quisquam eorum ordinari non debet. Unde breviter tibi dico quod Dominus ad Judæos dixit : *Non ego accuso vos, sed Moyses, in quem speratis, ipse vos accusat* (*Joan.* v), scilicet lex contra quam agitis. Et item Dominus dicit : *Ego non judicio quemquam, est qui quærat et judicet (Joan.* VIII). Videlicet quia si ordinasti contra decreta Leonis ipsum clericum, non ego peccator in terra, sed ille sanctus de cœlo te inde per suum decretum judicat ; et si confiteri vis a te illum irregulariter ordinatum, sicut nec de aliis, ita nec de isto tuam quæro, vel desidero damnationem, vel quemcunque ante oculos humanos ruborem. Si autem negas illum te ordinasse sicut jam præmisi, habeas illum conscientiæ ac negationis tuæ judicem, quem habebis et testem. Cæterum sacri canones dicunt ut episcopus sine concilio clericorum suorum clericos non ordinet, ita ut civium conhibentiam, et testimonium quærat : et secundum sacros canones et decreta sedis Romanæ pontificum mea interest, ut si ratio postulaverit me compellente ad delectorum de ordinatione ipsius clerici quam denegas, accedas judicium, et quidquid veritate cognita, mediantibus sacrosanctis Evangeliis per eos tam clericos quam cives, quorum consensu et in quorum præsentia ordinationes juberis facere, inventum fuerit, hoc statuatur. Sed si æquissimum judicem Deum, cui de omnibus factis et judiciis nostris sumus reddituri rationem timueris hoc agere, nulla erit necessitas. Neque ego hanc, vel aliam quamcunque causam volo exaggerare, quia de quibuscunque scandalum sine peccato propriæ conscientiæ vitare potero, nemini scandalum inferre volo. Si autem ipse clericus, quod non opto nec quæro, se in comprovinciali synodo reclamaverit, aut de ordinatione a te in eum exhibita, aut de quocunque præjudicio, quia sacri canones dicunt, præmissa sententia de presbyteris et diaconibus, ut reliquorum clericorum causas etiam solus episcopus loci agnoscat et finiat. Et si presbyteri, diaconi, vel cæteri inferioris gradus clerici in causis quas habuerint, de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos, cum consensu sui episcopi audiant, et inter eos diffiniant adhibiti ab eis episcopi. Quod etsi ab eis provocandum putaverint ad primates suarum provinciarum, sicut et de episcopis sæpe constitutum est provocent : et omnes qui se læsos existimant adsint conciliis, et synodi experiantur examen ; et plura quæ hinc canones dicunt, et mihi longum est scribere. Quidquid confratrum et coepiscoporum nostrorum consensu atque judicio invenerimus salva pace, et charitate inde secundum sacram auctoritatem exsequi procurabimus. De eo quod dicis, cum per singula de cæteris omnibus ; tunc de receptione Gallicanorum canonum pleniter respondebis, tibi rescribo, quia Dominus qui in se credentibus promisit : *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud ;* et : *Ego dabo vobis sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri,* et etiam brutos asinæ ruditus in humanas formavit loquelas, et siccam rupem fundere jussit aquas : et mihi dare poterit quæ tibi respondeam. Plurimis vero a te præmissis, et a me ut inutilibus prætermissis, in quibus quandoquidem est negatio, quandoquidem quod negaveras demonstratio continetur, ad hoc pervenisti ut diceres me obligare volens de sententiis apostolicæ sedis tibi a me litteris præcedentibus scriptis. *Ecce in mala suasione delictum, et in mala consensione peccatum depromitur ; et sicut vos sententiis quod mihi male suasum est, et a me male est sensum pariter vos consentire dignemini, dicentes quæ jam præmisi, ut scribam vobis si eum ordinare volo secundum morem, et vos illi libertatem ecclesiasticam dabatis, quem taliter ad gradus ecclesiasticos pervenisse divulgatis.* Unde tibi quod Salomon dicit scribo : *Qui erudit derisorem, ipse sibi facit injuriam* (*Prov.* IX). Non bene intelligis, quia non bene vis quod tibi bene et recte scripsi, scilicet ut si cujuscunque suasione, vel quacunque subreptione in hoc excessisti, et alias ipsum clericum utilem in ecclesiastico ministerio comprobaveris, quod defuit et tibi, et illi in ordinatione sua, et ad me pertinebat, ego supplerem. Lege decreta sedis Romanæ pontificum a beato Siricio, et deinceps, et invenies quomodo plures irregulariter ordinati per medicinam ecclesiasticam fuere sanati, supplente auctoritate in processu quod defuerat in ordinationis initio. Cogunt, inquit beatus Augustinus, multas invenire medicinas multorum experimenta morborum. Deinde, volens ostendere quod tui odio, et Sigeberti gratia, hæc de præfato clerico scripserim, nugas tibi noxias, et nænias bene volenti et scienti non ridendas, sed dolendas componis. Cum Sigeberto, quantum ex ipso et pro ipso est, cura non est ut nunquam in illa ecclesia sit presbyter ordinatus ; quia nullam inde necessitatem habet : et si fuerit ibi presbyter ordinatus, nullum lucrum inde terrenum habebit. Et si in ipsa ecclesia presbyter non fuerit ordinatus, nullum detrimentum vel incommodum spirituale aut temporale inde habebit. Sed et mihi nulla alia inde est cura, nisi ut leges ecclesiasticæ pro tua insolentia inde suum vigorem non perdant ; et homines exinde commoditatem, quam ipsi et sui antecessores a longo tempore habuerunt, amittant, et tu in hoc Deum offendas. Deinde minas præfato intentas clerico, cui si prejudicium intuleris, est justus judex qui inter te et illum judicabit : et si ad synodum venerit, quod nostrum erit, ut prædixi, exsequi procurabimus. Quod autem de missis meis ad synodum tuam mittendis subjungis, non missorum meorum ad synodum

tuam describis officium. Ego enim per me, vel per vicarios meos debeo retractare secundum sacros canones acta suæ synodi, si secus inde ad me quoddam pervenerit, et non ideo ad tuam synodum meos missos dirigere ut servum ecclesiæ nostræ in nulla rebellione stantem servituti obnoxium comprobent. Licet enim satis insipiens, scio qualiter, et ubi servus ecclesiasticus rebellans debet conquiri, et alibi oportet me de professione suæ servitutis requirere quam in tua provincialis episcopi synodo. Tandem quod scripsisti, ut, o utinam tibi servarem episcopo, carcerali sicut scio custodiæ tradito, ne inferrem tibi et parochiæ tuæ, contra apostolicorum omnium decreta, etiam ab apostolica sede vocato, et eam appellanti, præjudicium, et non exigerem a te responsum usque ad synodalem saltim conventum; et de sententiis apostolicæ sedis pontificum in eodem tuo scripto congestis, alterius temporis, et prolixiorem quam hæc sustineat epistola poscit responsionem. In clausula vero istius epistolæ verba beati Gregorii ad quemdam subjectum episcopum directa ponere dignum duxi; quia in tuis scriptis ad me directis contraria his suis monitionibus sæpe inveni, ut de cætero monitus per meam exiguttatem a beato Gregorio talia in tuis scriptis ad me, vel ad alios scientiam et auctoritatem habentes dirigendis ponere caveas. Primum, inquit, hoc me contristat, quia mihi fraternitas tua duplici corde scribit, et alia blandimenta in epistolis suis exhibet, alia in lingua sua sæculariter ostentat. Deinde grave mihi est, quod irrisiones illas, quas habere notarii adhuc pueri solent, usque hodie frater meus in lingua sua retinet, mordenter loquitur, et quasi de tali studio lætatur, amicis præsentibus blanditur, de absentibus obloquitur. Et vitium describens superbiæ dicit: Quisquis, inquiens ejus, in se tyrannidem captiva mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod clauso cordis oculo judicii æquitatem perdit. Nam cuncta quæ ab aliis vel bene geruntur displicent, et sola ei quæ ipse vel pravo egerit, placent, semper aliena opera despicit, semper miratur quod facit, quia et quidquid egerit, egisse se singulariter credit, atque in eo quod exhibet per gloriæ cupiditatem, sibimet ipsi per cogitationem favet; nec considerat quod alter boni amplius quam ipse, sed quod boni ipse amplius quam alter habeat: neque enim pensat quæ bona spiritus alter acceperit, ut ipsi desint, sed quæ bona ipsi, et quæ mala sint alteri. Et cum se in cunctis transcendere cæteros æstimat, per lata cogitationum spatia secum deambulans, laudes suas tacitus clamat; nonnunquam vero ad tantam elationem mens ducitur, ut in eo quod tumet etiam per ostentationem locutionis effrenetur: et tanto facilius ruina sequitur, quanto apud se quisque impudentius exaltatur: hinc enim scriptum est: *Ante ruinam exultabitur cor* (*Prov.* XVIII). Et sanctus Gregorius Nazianzenus Jluiani morem, quem in tuis litteris invenio, describens dicit: Consensus et negatio simul, ratio nulla ratione subsistens; interrogatio inordinata, atque responsio nulla convenientia sibi conveniens erat. Post hæc autem omnia et me, et te in mente continue habere moneo quod Dominus dicit: *Super quem requiescit Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI.) Quia sicut scriptum est: *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus sine intellectu, et non habitabit in corpore subdito peccatis* (*Sap.* I); et: *Juxta est Dominus his qui tribulato, sunt corde, et humiles spiritu salvabit; vultus autem Domini super facientes* perseveranter *mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Data V Idus Maii præsentis III indictionis.

SCHEDULA

sive

LIBELLUS EXPOSTULATIONIS HINCMAR

METROPOLITANI RHEMENSIS

Adversus HINCMARUM Laudunensen episcopum

In synodo Duziacensi recitatus.

(Ex consiliorum Labbei tomo VIII.)

PRÆFATIO.

Sanctus Cœlestinus synodo apud Ephesum scripsit: « Spiritus sancti præsentiam testificat congregatio sacerdotum. Certum est enim quod legimus, quia non potest Veritas nostra mentiri, cujus in Evangelio sententia ista est: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). » Quod certissimum retinens, vestræ sanctæ congregationi consilium, et auxilium, sicut et jam feci apud eos qui conventibus inter fuerunt, scilicet in Vermeria, deinde in Gundulfi villa, et postea in Attiniaco, porrecta in synodo schedula de fratre et coepiscopo nostro Hincmaro expostulo: quem multis epistolis, quarum habeo exemplaria, ut a pertinaci contumacia sua erga metropolis, suæ privilegium resipisceret, corripui; sed corrigere non prævalui. Nam post multas commonitiones, quibus ad eum nihil profeci, nuper IV Idus Junias præsentis IV indictionis, de his quæ in hac schedula breviter collecta sequuntur: sed et de petitione Bertharii diaconi Laudunensis, mihi adversus eum directa, cujus exemplar hic habeo: pro loci mei officio, illum ad proxime futuram synodum invitans, scripto commonui, volens illum statuere contra faciem suam: ut illa quæ coram Deo tecta, et coram hominibus oblita penitus cupiebam, alligata litteris, et ad memoriam ejus reducta legeret, ac se intelligeret, ne quando eum regulare judicium raperet, quod effugere non valeret. Et in indiculo quo ad hanc synodum eum vocavi, sicut et cæteros provinciæ Rhemorum episcopos, illi superaddidi: « Sciat etiam tua fraternitas, eos qui adversum te anno præterito apud me querelas suas deposuerunt, et de quibus in synodo fuisti apud Attiniacum impetitus,

quoniam quæ conventa ibi fuerant, non es regulariter prosecutus, nunc iterum suas querelas deponere. Unde moneo fraternitatem tuam, ut ita inde præcogitatus et præparatus ad denuntiatam synodum venias, quatenus querimoniæ indecentes episcopo sopiantur : ne nomen bonum quod apostolica regula jubet habere episcopum, in tua opinione notetur ; et, sicut idem dicit Apostolus, non vituperetur ministerium nostrum. Dat. prid. Id. Maii præsentis IV indictionis. »

Unde exardescens sicut ignis in spinis, mihi more suo prolixissimam rotulam XVI Kat. Julias præsentis IV indict. per hominem suum nomine Chunibertum, exprobrationibus repletam, et calumniis respersam direxit. Cui hoc modo per compresbyterum nostrum rescriptum direxi : « Domnus apostolicus Adrianus misit mihi epistolas de causis nostræ diœceseos, quas oportet in synodo legi. Propterea auctoritate ipsius domni apostolici, te ad proxime futuram synodum in Duziaco Rhemensis parochiæ, Non. Augusti præsentis IV indict. venire commoneo. Data III Non. Julias præsentis quartæ indict. » Igitur quoniam per me corrigere nequeo, vestram consultationem ac consolationem inde similiter adeo, si forte Spiritus sanctus, qui ubi vult spirat, et cujus præsentiam sancta congregatio vestra testificatur, vestris salubribus monitis, et Deo dignis orationibus, eum tandem aliquando corrigat, aut regulari medicamento insolentiam ejus compescat : quoniam diutius eum sine correctione, et propter Deum, et propter metropolitanam sollicitudinem indigno mihi commissam, sustinere non audeo. Præsertim cum et domnus papa Adrianus me nuper apostolicis suis litteris hinc commonuerit. Quæ ita se habent.

« Adrianus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo confratri nostro Hincmaro archiepiscopo, Fidelium relatione comperimus, etc. *Reliqua vide inter epistolas Adriani II, tomo CXXII, col. 70. Patrologiæ.* Ex hæc quidem, sed et alia quæ sequuntur, non de propriis et specialibus meis injuriis vice accusatoris, sed sollicitudine privilegium metropolis Rhemorum provinciæ, per sacros canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos decretum, et auctoritate apostolicæ sedis confirmatum, contra convellentem illud, evindicantis et contra professionem et subscriptionem suam erga sanctos sanctorum conciliorum canones, et decreta sedis apostolicæ, ex eisdem canonibus promulgata, ergaque sacras leges, quibus una cum canonibus moderatur Ecclesia, ejus contemptum monstrantis, et ei per scripturam falso illatas mihi calumnias refellentis, inculco. Quia ut beatus. Cœlestinus dicit (*epist.* 1 *et* 3), « merito nos causa respicit, si silentio faveamus errori. Quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretorum norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur. Non est agentium causa solorum : universalis Ecclesia quacunque novitate pulsatur. » Novum est enim quod provincialis episcopus qui non in civitate quæ ex antiquo inter provinciales sedes fuerit computata, sed in municipio Lauduni a Marcobrio prætore condito, ut produnt historiæ ; quod ab exordio sui nunquam inter sedes provinciales Rhemorum provinciæ in paganismo, vel in Christianismo nomen vel locum habuit, donec S. Remigius quintus decimus Rhemorum archiscopus, certis quibusdam accidentibus causis, primus ibidem ordinavit episcopum, et eidem municipio de rebus Rhemensis metropolis satis superque dilato, ipsum comitatum in quo consistit, partem scilicet ex Rhemensi parochia delegavit, sed semper fuit Rhemensis parochiæ municipium ; sicut hodieque et alia municipia in Rhemensi parochia, quæ in subjectionis loco ac nomine permanent, privilegium sibi arrogat, et contra privilegium metropolis suæ rebellat, Cum S. Leo diffiniat scribens ad Maximum Antiochenum episcopum (*epist.* 66) : « Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita præsulum, jura tamen permanent sedium ; quibus possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. » Quapropter non queror adversus hunc fratrem speciali causa mearum injuriarum, sed contempti privilegii Rhemorum metropolis, quod sacri canones mystici Nicæni concilii sedibus singularum provinciarum servari irrefragabiliter decreverunt. De quibus item Leo ad Anatolium diffinivit (idem *ep.* 53, *ad Anatol. Vid. et ep.* 55 *ad Pulcher Aug.*), « ut omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. »

CAPUT PRIMUM.

Quod palatii regii et abbatiæ administrationem contra canones obtinuit.

(Hincm., *lib.* LV *Cap.*, c. 2 ; *conc. Antioch.* c. 9.) Cum sacri Antiocheni canones præcipiant, ut præter metropolitanum nihil agere debeat, secundum antiquam a Patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum quæ ad suam parochiam pertinent, possessionesque subjectas : sine mea vel coepiscoporum conscientia administrationem in palatio domni regis obtinuit. Quam administrationem illi coram eodem domno rege, et aliis qui adfuerunt, ex sacris regulis interdixi. Postea iterum per exteras potestates, id est sæcularium interventione, contra Sardicences canones, eamdem administrationem in palatio cum abbatia in tertia provincia, ultra Rhemensem provinciam, sine mea conscientia impetravit, et per aliquot annos tenuit : donec contra domnum regem in tantum se, sine ratione, contumaciter erexit, ut et administrationem palatinam, et ipsam abbatiam illi auferret. Contra quæ Sardicenses canones dicunt :

« Scimus enim et ipsi sæpissime propter paucorum impudentiam religiosum sacerdotale nomen fuisse reprehensum. »

Et post aliquanta in hujusmodi litteris subscribi et talem in communione recipi vetant.

CAPUT II.

Quod ad eamdem abbatiam sine licentia metropolitani contra canones perrexit.

(Lib. LV *Cap.*, c. 2.) Ad quam abbatiam quoties sibi placuit, sine licentia mea perrexit : et quandiu illi placuit, ibidem commoratus fuit ; contra Hilari papæ decreta dicentis (*epist.* 8, *ad diversos episcopos Galliæ*) : « Illud non potuimus præterire, quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter metropolitanorum suorum litteras aliqui episcopi ad quamlibet provinciam audeant proficisci. Quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet ecclesias custodiri. » Et sic antea Zosimus (*epist.* 5, 6, 11), et postea S. Gregorius (*lib.* VII, *ind.* 2, *ep.* 8) decrevit, scribens ad Vincentium [*al.*, Innocentium] et cæteros episcopos : « Hortamur, inquit, fraternitatem vestram, ut si quemquam vestrum pro causis propriis ubicunque longius compulerit ambulare necessitas, a metropolitano vestro, secundum inditam a sanctis Patribus regulam, petere licentiam debeatis, nec eum postponere in aliquo debeatis. » Et reliqua.

CAPUT III.

Quod ad ordinationem episcopi Cameracensis vocatus venire, aut vicarium mittere, contempsit.

(Lib. LV *Cap.*, c. 2.) Præterea quoque litteris canonicis certum diem et locum designantibus, et ad ecclesiam suam ex more directis, quarum exemplar habeo, evocatus ad ordinationem episcopi in ecclesia Camaracensi provinciæ nostræ, pastore destituta, unde apostolica sedes, me suggerente non modice laboravit, nec ipse venit, nec pro se vicariam personam, vel litteras sui consensus ad me, sicut præcipiunt regulæ sacræ, direxit. Qua de re, ordinatio electi fuit dilata. Unde iterum istiusmodi litteras ad ecclesiam suam ex more direxi : « Hincmarus Rhemorum episcopus dilecto fratri Hincmaro et venerabili coepiscopo nostro, salutem. Sicut jam altera vice litteris dilectioni tuæ mandavi, clerus ac plebs Cameracensis ecclesiæ cum decreto canonico petierunt sibi ordinari episcopum Joannem presbyterum, virum boni testimonii : ad ejus ordinationem nonis Julii convenimus secus Belvacum. Sed quia tua fraternitas illuc non convenit, nec pro se personam aut litteras sui consensus direxit, ordinationem illius distulimus. Propterea, quoniam sicut ipse scis, eadem sedes, diu in multorum periculum vacat pastore, XII Kalendas Augusti conveni cum cæteris fratribus in monasterium quod dicitur Isla, in parochia Belvacensi ad eumdem fratrem nostrum ex more ordinandum episcopum. Data III. Id. Julii. » Et convenientibus nobis ad prædictum locum prædictis Kalendis, nec ipse venit, nec pro se vicariam personam, vel litteras sui consensus, ad me, sicut præcipiunt sacræ regulæ, direxit. Nos autem qui convenimus, auctoritate Nicæni concilii, decernentis (*can.* 6) ut in ordinando episcopo, si communi cunctorum decreto rationabili, et secundum regulam ecclesiasticam comprobato, duo aut tres propter con- A tentiones proprias contradicant, obtineat sententia plurimorum, eumdem venerabilem fratrem Joannem episcopum ordinavimus. De contemptu autem fratris Hincmari, ut ad ordinandum coepiscopum nostrum conveniret, et secundo litteris commonitus venire contempsit, Symmachus papa ad Æonium ita ex sacris regulis promulgavit (*epist.* 10, *ad Cæsarium*, non ad Æonium) : « Ut si quilibet episcopus metropolitano pontifici juxta canonicam diffinitionem vocatus obtemperare noluerit, noverit succidendum se, quod non optamus, ecclesiastica disciplina. » Sed dehinc a me conventus, nullam satisfactionem, nec etiam humile responsum, mihi ac coepiscopis nostris reddidit.

CAPUT IV.

B *Quod regem sine ratione vel necessitate offendit, et aliorum episcoporum parochianos excommunicavit.*

Postea intervenit diutinum scandalum inter domnum regem et illius pertinacem contumaciam : eo quod homines sui ad domnum regem se reclamaverunt, quia beneficia eorum ab eis injuste abstulerit. Unde domnus rex semel ac secundo me, una cum coepiscopis nostris, et aliis missis suis, inter eos habere audientiam jussit ; sed illum ad rationem et obedientiam debitam flectere non potuimus. Quapropter jussit domnus rex, ut ad Pontigonem palatium suum in Rhemensi provincia, quo plures episcopi, et alii fideles ejus conventuri erant, aut ipse veniret, aut ita personas pro se instructas dirigeret, ut ipsæ quærimoniæ finem acciperent. Ipse autem C illuc non venit, nec ita instructas pro se personas direxit, qui legalem finem eisdem querimoniis imponerent. Qua de re domnus rex ei mandavit, ut ipsis hominibus sua beneficia tenere permitteret, usque dum juste et rationabiliter causæ de quibus apud eum reclamabatur diffinirentur.

Isdem autem sine misso regis, vel metropolitani, absentibus illis qui contra eum querebantur, contra leges publicas et ecclesiasticas, septem homines quod sibi fuerat visum, interrogavit, et quod domnus rex ei mandaverat, non obaudivit. Et veniens demum ad domnum regem adeo illum commovit, ut et suprafatam, abbatiam, et administrationem palatinam ab eo auferret. Et post hæc, quia sicut ei præcepit ad domnum regem venire, non voluit, nec D advocatum suum qui de rebus pecuniariis, contra conquirentes adversus eum rationem redderet, misit, nec electorum judicium juxta leges et regulas expetere voluit, nec mihi suo metropolitano, ut ecclesiasticos judices, quorum judicio causæ finiuntur, sicut leges et regulæ jubent, illi delegarent, quiddam mandavit, domni regis erga se animum non mediocriter exaggeravit (*lib.* LV *Cap.*, c. 21). Cujus benignitatem ad eum veniens, adjunctis mecum nostris coepiscopis, sicut antea, et postea sæpius egi, placabilem ei feci. Sed frater Hincmarus more sueto iterum atque iterum domni regis animum sine ulla ratione vel necessitate contumaciter recommovit :

et sine ipsius licentia ab eo recedens, Laudunum per noctem aufugit. Quem domnus rex litteris et missis tam ecclesiasticis quam et sæcularibus ut ad eum veniret sæpe vocavit : qui ad eum venire contempsit. Et quoniam pervenit ad domnum regem, quia cum Lothario illi conveniret, ut ecclesiam et plebem sibi creditam desereret, et in regno ipsius honores acciperet. Qui et in litteris domno regi directis scripsit dicens : « Deo teste vobis loquor : potius eligo extra vestrum degere regnum, quam in vestro talis apparere, quosdam nosco susurrare. » Tunc domnus rex necessitate compulsus mandavit, ut quia ipse venire nolebat, liberi homines de episcopio Lauduni ad eum compendio palatio venirent. Quo aliqui ex eis venerunt : quibusdam vero, ut ad regem perventum est, Hincmarus venire non permisit. Et ideo domnus rex duos episcopos Rhemorum provinciæ, Odonem scilicet et Willebertum, ad eum misit, mandans ut jam tandem ad eum veniret. Et misit reipublicæ ministros, ut liberos homines, qui ad eum, sicut mandaverat, non venerunt, et cum Hincmaro degebant, aut voluntarios aut invitos ad eum venire facerent.

(Ibid., c. 3.) Hincmarus audiens eorum adventum, sicut etiam ipse in scripto suo dimonstrat, antequam reip. ministri ad eum directi Laudunum pervenirent, inauditam antea nostris temporibus excommunicationem in meos, et multorum archiepiscoporum et episcoporum parochianos, non de criminibus quibuscunque accusatos, vel confessos, sive convictos, sed nec evangelice vel regulariter commonitos, in parochia sua perpetratis, sine mea conscientia, contra sacras regulas jaculavit. Unde maximum scandalum et regi et regno, et istis Cisalpinis ecclesiis intulit. Excommunicatio vero, quin potius maledictio, quam furia exagitatus intorsit, hoc modo se habet : « Apostolica, imo divina auctoritate per virtutem hujus ligni (videlicet sanctæ crucis), cooperantibus meritis sanctæ hujus genitricis Mariæ, cum auctoritate beatissimi principis apostolorum Petri, tam omnes hujus loci invasores, quam parochiæ meæ, omnesque hujusmodi contaminatores cunctosque eis consentientes, anathemate damnamus, et a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ extorres virtute Spiritus sancti decernimus, atque ab omni Christianorum consortio alienos adjudicamus. » Et mox subsequitur in suo scripto. « Responditque omnis clerus : Anathema sint : tenentibus presbyteris in manibus sancta Evangelia, lignumque sanctæ crucis. »

Præfati vero episcopi ad eum venientes, nihil de obedientia erga regem, quam illi super sacrosancta juravit, obtinuerunt. Reip. autem ministri a rege directi, nullam ei aut cuiquam violentiam inferentes, homines liberos episcopii Laudunensis ad regis fidelitatem sacramento confirmaverunt, et sic ad regem redierunt. Ipse vero me postposito, in tali excommunicatione suis est libitibus usus : cum sacri Africæ provinciæ canones præcipiant (*can.* 86) ut posteriores episcopi anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Et lex prohibeat, ut per alienam messem transiens falcem non mittat, sed manu spicas conterat et manducet *(Deut.* XXIII). « Falcem, » inquit beatus Gregorius ad Augustinum *(lib.* XII, *epist.* 31, *ad Augustin.*) « judicii mittere in ea segete non potest, quæ alteri videtur esse commissa : sed per effectum boni operis frumenta Dominica vitiorum suorum paleis exspolia, et in ecclesiæ corpus monendo et persuadendo, quasi mandendo, converte. » Et item S. Gregorius ad Januarium episcopum, qui Isidorum V. Cl. causa suæ injuriæ excommunicaverat, scripsit, dicens (*lib.* II, *ind.* 10, *ep.* 34) : « Quia, si ita est, nihil te ostendis de cœlestibus cogitare, sed terrenam te habere conversationem significas, dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti. Unde de cætero omnino esto circumspectus, atque sollicitus, ne tale cuiquam pro defensione injuriæ tuæ inferre denuo præsumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum. » Et sanctus Augustinus in libro de Pœnitentia : « Auferte malum a vobis ipsis. Quibus verbis satis ostendit, non temere, et quomodolibet ; sed per judicium auferendos malos ab Ecclesiæ communione. Noluit enim Apostolus hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio : sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum. Alioquin illud cur dixit : Si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens, etc., nisi quia eam nominationem intelligi voluit quæ fit in quemquam, cum sententia ordine judiciario, atque integritate profertur. Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes ; quia falso sæpe in quoquam crimen nominatur. »

CAPUT V.

Quod ecclesiæ suæ presbyteros et ministros illicite excommunicavit.

(*Lib.* LV *Cap.*, c. 28.) De qua præsumptione coram coepiscopis nostris, quia publice illam admiserat, cum corripui : sed non acquievit ullo modo corrigi. Unde iterum causa suæ injuriæ, me inconsulto, et sine consensu coepiscoporum Rhemensis provinciæ, sicut petitio a clericis Laudunensis ecclesiæ mihi porrecta demonstrat, et in synodo apud Attiniacum habita demonstravi, presbyteros, et ministros ecclesiæ excommunicavit, ut nemo in eadem parochia missarum officia celebraret. Unde S. Augustinus doctor famosissimus, et ab apostolica sede receptissimus, qui Carthaginiensi concilio interfuit (*concil. Carthag.*, c. 19, 20), et constitutiones ipsius plenissime novit, in epistola ad clerum et plebem Hipponensium, inter alia dicit (*Aug.*, *epist.* 137) : « Nuper in concilio episcoporum constitutum est, nullum clericum qui nondum convictus est, suspendi a communione debere, nisi ad causam suam examinandam non se præsentarit. » Et S. Gregorius Augustino tempore posterior, et

loco prior, ex sacris legibus ad Martinum, et ad Sicilienses episcopos, promulgavit (*lib.* VII, *ind.* 2, *ep.* 61), « ut nemo sine cognitione damnetur. » Et de illicita excommunicandi ratione lex Justiniani catholici imperatoris, quam probat et servat Ecclesia catholica, constitutione 118, capitulo 441, decrevit ut nemo episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur, propter quam ecclesiastici canones hoc fieri jubent. Si quis autem adversus ea excommunicaverit aliquem, ille quidem qui excommunicatus est majoris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat; is autem qui non legitime excommunicavit, in tantum abstineat a sacra communione tempus, quantum majori sacerdoti visum fuerit, ut id quod injuste fecit, ipse juste patiatur. Et hinc S. Gregorius ad Joannem episcopum injuste excommunicantem, inter cætera scripsit, dicens, (*lib.* II, *ind.* 11, *ep.* 6): « Cassatis prius, atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri apostolorum principis auctoritate, decernimus triginta dierum spatio sacra te communione privatum, ab omnipotente Deo nostro tanti excessus veniam cum summa pœnitentia et lacrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram cognoverimus implesse remissius: non jam tantum injustitiam, sed et contumaciam fraternitatis tuæ cognosces, juvante Domino, severius puniendam. » Et item idem quosdam episcopos excedentes, post inquisitionem, utrum excessus exsilio, vel depositione cujusque sit dignis? in sex mensibus Dominici corporis et sanguinis communione privatos agere pœnitentiam in monasterio decrevit; ea conditione ut, si communione privatis mortis contigerit imminere periculum, benedictio eis viatici non negetur. « De qua causa, ut idem alibi, et aliunde dicit, ostensa est nobis ira quam sequamur, apposita forma cui imprimamur. »

CAPUT VI.

Quod infantes in sua parochia baptizari prohibuit.

(*Lib* LV *Cap.*, c. 31, 47.) Prohibuit quoque ut nemo parvulos in sua parochia, etiam in mortis urgentis periculo constitutos, baptizaret; sicut in petitione præfata continetur: cum Veritas dicat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* V); et *Non venit filius hominis animas perdere, sed salvare* (*Luc.* IX); et item: *Sinite parvulos venire ad me, et nolite prohibere eos* (*Matth.* XIX). Obviam etiam decretis Siricii, Leonis, Gelasii, et Africani concilii. Nam de infantibus baptizandis, qui nondum baptizati noscuntur, quoties necessitas exegerit, regula ecclesiastica per beatum Siricium est prolata; cujus regulæ conclusio constat hoc modo (Siric., *epist.* 1, *ad Himerium*): « Nunc præfatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab apostolicæ petræ, super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli. » Et S. Leo hujus salutis singulare præsidium nullo tempore unquam denegari decrevit (S. Leo, *epist.* 92, *ad Rustic.*).

A

CAPUT VII.

Quod pœnitentiam et viaticum morientibus dari vetuit.

(*Lib.* LV *Cap.*, c. 32.) Nullum siquidem etiam ad ultimam pœnitentiam suscipi, et nulli viatico munere subveniri, contra Nicænos et Africanos canones et decreta Siricii, et Innocentii atque Cœlestini, nec non et Leonis, vetuit, sicut in sæpefata petitione habetur. Cum per se Veritas dicat: *Venit Filius hominis quærere et salvere quod perierat* (*Luc.* XIX); *qui non venit justos, sed peccatores vocare in pœnitentiam* (*Matth.* IX). Multis voce Domini reclamantibus, et Ecclesiæ catholicæ doctoribus, ut præsidium regenerationis et pœnitentiæ, sacræque communionis in mortis periculo positis et petentibus, a B quoquam nullatenus denegetur. Et sacrum Nicænum concilium decrevit (*can.* 13): « Generaliter, inquiens, omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione dare dedebit. » Et præfatis apostolicorum pontificum ex hac causa decretis sanctus Leo papa judicium protulit (*ep.* 1, *ad episc.*), « ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. »

CAPUT VIII.

Quod sepulturam mortuis in parochia sua denegari præcipit.

(*Lib.* LV *Cap.*, c. 33.) Sepulturam etiam mortuis, sicut in memorata petitione continetur, nimia inhumanitate contra sacras Scripturas, sacrosque canones denegari præcepit, cum sicut in historia ve- C neranda libri Regum legimus (*II Reg.* XXI), etiam eorum corpora qui ad consultum Domini propter peccatum Saul, ob quod facta est fames in diebus David tribus annis jugiter, crucifixi fuerant, laudabiliter sunt custodita a concubina Saul, ne lacerarentur ab avibus per diem, neque a bestiis per noctem, donec stillaret aqua super eos de cœlo: sicque sepulta sunt cum ossibus Saul et Jonathæ. Et in Evangelio legimus quia, petente Joseph, Pilatus jussit reddi corpus Domini Jesu, quem quasi nefarium petentibus Judæis crucifigi adjudicavit (*Matth.* XXVII): unde *et cum iniquis*, secundum Scripturam, *deputatus est* (*Isa.* LIII). Et Judæi, ne remanerent etiam sceleratorum corpora in cruce die sabbati inhumata, obtinuerunt a Pilato (*Luc.* XXI) ut frange- D rentur eorum crura, et tollerentur. Et antiquorum Patrum regulæ, etiam eorum corpora qui sibi quolibet modo mortem intulerunt, vel qui pro suis sceleribus puniuntur, ad sepulturam, licet sine hymnis et psalmis, deferri præcipiunt, et non sepultura in vente matris omnium, id est terræ, carere etiam talium cadavera præceperunt.

CAPUT IX.

Quod de his excessibus monenti metropolitano suo obedire neglexit.

(Hinc., *ep.* 35.) Quæ audiens vehementer exhorrui, et proinde ad eum metropolitana sollicitudine semel et secundo litteras misi, monens et hortans illum ut

tam exitiabilem excommunicationem, et impietatis colligationem in suum et multorum periculum intentatam, quantocius solveret. Sed ad obediendum eum invitare non valui. Cum sanctus Bonifacius explanans capitulum Nicæni concilii (*can.* 13) ad Hilarium Narbonensem episcopum dicat (*epist.* 3) : « Advertat charitas, adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper expetat. » Et Leo ad Theodorum Forojuliensem episcopum : « Sollicitudinis, inquit, tuæ is ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo de eo quod quærendum esse videbatur, conferres : quia in causis quæ ad generalem observantiam pertinent, omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri. » Certum est enim quoniam illa quæ de baptizandis parvulis, et de ultima pœnitentia, et viatico munere ac mortuorum sepultura nulli deneganda, ex sacris regulis ad eum scripseram, ad generalem observantiam Domini sacerdotum pertinent. Contra quæ præsumere non debuerat, et inconsulto præsumens etiam ad primam commonitionem ex evangelica veritate, et apostolica atque canonica auctoritate, et ex decretis apostolicæ sedis pontificum promulgatam mihi qualicunque metropolitano suo suadenti, ut easdem colligationes impietatis dissolveret, obaudire debuerat, sancto Leone decernente : « Qui, inquiens, scit se quibusdam præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat. Et sicut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat alii importabile pondus imponere. » Et non debuerat oblivisci professionis et subscriptionis suæ, ante ordinationem episcopalem : qui coram altari sanctæ Mariæ, et cunctis qui adfuerunt, non solum de Rhemensi ecclesia, et de Laudunensi parochia, verum et de Rhemorum provincia episcopis, et aliis diversi ordinis viris, secundum morem Rhemensis ecclesiæ, sicut soliti erant episcopi ordinandi subscribere, post catholicæ fidei professionem, de obedientia sua secundum sacras regulas erga Rhemorum metropolim propria manu subscripsit ; unde sacri canones dicunt : « Si quis contra suam professionem ac subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit. »

CAPUT X.

Quod professioni cuidam subscripsit cum consensu episcoporum aliarum provinciarum, postposito metropolitano.

Deinde sine mea, et coepiscoporum Rhemensis provinciæ conscientia, in altera provincia consensu episcoporum aliarum provinciarum professioni subscripsit, et regi dedit : quæ ita se habet : « Ego Hincmarus Laudunensis episcopus de hora ista in antea fidelis ero seniori meo Karolo, sicut homo per rectum seniori suo debet esse, et episcopus regi suo : et sic obediens quomodo homo per rectum seniori suo debet esse, et episcopus Christi secundum meum sapere et posse ad Dei voluntatem, et ad regis salutem, et ad statum..... ad meam ipsius salutem H. » Cum Africæ provinciæ canones dicant (*can.* 86) : « Posteriores episcopi anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. » Et canones Antiocheni decerni metropolitanum et honore præcellere, et nihil amplius præter eum cæteros episcopos agere, secundum entiquam a Patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum quæ ad suam diœcesim pertinent, possessionesque subjectas. Et si pro aliqua erga se causa, vel contentione sedanda huic professioni subscripsit, sine metropolitani tamen et coepiscoporum Rhemensis provinciæ conscientia id agere non debuerat. Unde sanctus Innocentius ad Victricium episcopum decrevit dicens (*epist.* 1) : « Si quæ causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exorte, ut secundum synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ episcopis jurgium terminetur ; nec alicui liceat (sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debetur [*al.*, cujus in omnibus causis debet] reverentia custodiri], relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis forte præsumpserit, et ab ordine cleri submotus, et injurarium reus ab omnibus judicetur. »

Quid sit autem reum injuriarum judicari in lib. v Sententiarum Pauli ostenditur : « Qui per calumniam, inquit, injuriæ actionem instituit, extra ordinem puniatur. Omnes enim calumniatores, exsilii, vel insulæ relegatione, aut ordinis amissione puniri placuit. » Et in lib. I Sententiarum ejusdem Pauli : « Calumniator est, qui sciens prudensque per fraudem negotium alicui comparat ; et in præfatis [*f.*, privatis] et in publicis judiciis omnes calumniosi pro qualitate admissi plectantur. » *Interpretatio :* « Qui aut apud cinctos [*f.* civicos], aut apud privatos judices fuerit calumniæ objectione convinctus, non exspectate ordinis sententia, prout causa fuerit, supplicio subdatur. » Et in suprascripto capitulo beatus Innocentius dicit : « Si autem majores causæ in medio fuerint devolutæ : ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, et vetus consuetudo exigit, post judicium episcopale deferantur. » Et sanctus Gregorius ad Vincentium [*al.*, Innocentium] et cæteros episcopos, ait (*lib.* VII, *ind.*2, *epist.* 8) : « Ut nemo coepiscoporum metropolitanum suum postponere in aliquo præsumat : excepto si contra eumdem metropolitanum eos habere aliquid causæ non contigerit : ut ob hoc sedis apostolicæ judicium, si qui petere festinant, licentiam habeant, quod per canones etiam, antiquorum Patrum est institutione permissum. » Nam de quibus canonibus et Innocentius et Gregorius hoc dicant, manifestissime claret ; scilicet de Sardicensibus, de quibus et Gelasius (*Commonit. ad Faust*). « Ipsi sunt canones qui appellationem totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri : ac ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sensurunt. » Claret igitur

ex his sanctorum pontificum sententiis, quia, me postposito, judicio vel hortamento aliorum, et aliarum provinciarum episcoporum, Wenilonis Rothomagensis archiepiscopi, et Æneæ Parisiorum episcopi, sine mea et coepiscoporum Rhemensis provinciæ conscientia, præfatæ professioni subscribere, et regi dare non debuit. Nam etsi contra me aliquid habebat, aut apostolicam sedem adire, aut petitionem veritate sub.... [*leg. videtur* subnixam] debuerat mittere, et non me postposito, judicio vel consilio episcoporum aliarum provinciarum in altera provincia professionem et subscriptionem regi porrigere.

CAPUT XI.

Quod ineptam decretorum collectionem composuit, eidemque indebite subscripsit.

Post hæc quærens adinventiones ut se a metropolitana subjectione posset exuere, libellum de antiquorum Patrum scriptis ante sacros Nicænæ synodi, et aliorum sanctorum canones editis collegit : in quibus sententias inter se dissonas, et contra evangelicam, et apostolicam atque catholicam, et apostolicæ sedis auctoritatem immiscuit ; et eidem libello sine metropolitani, et coepiscoporum Rhemensis provinciæ conscientia et consensu subscripsit, et a clericis ecclesiæ suæ, nec non et a parochianis presbyteris subscribi fecit ; cum Africæ provinciæ canones dicant (*conc. Afr.*, c. 53 ; *Milevit.*, cap. 13. *Cod. can. eccl. Afric.* can. 86) : « Posteriores episcopi anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant : et qui putaverit, spretis majoribus, aliquid præsumendum, competenter esse ab omni concilio coercendum. » Et Antiochenum concilium decernit (*can.* 9) : « Metropolitanum et honore præcellere, et nihil amplius præter eum cæteros episcopos agere, secundum antiquam regulam a Patribus constitutam, nisi ea tantum quæ ad suam diœcesim pertinent, possessionesque subjectas. » Et S. Leo ad Theodorum Forojuliensem episcopum decrevit (*epist.* 91) : « Quia in causis quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri. »

In quo libello cum aliis diversis, et sibi adversis sententiis subscripsit, et a clericis parochiæ subscribi fecit, quia non possunt episcopi humano condemnari examine, quos Deus suo reservavit judicio. Et item, ut « vocata episcopo canonice in loco omnibus congruo, tempore synodali, ab omnibus comprovincialibus episcopis in sua provincia audiatur. Qui, concordem super eo proferre debebunt sententiam. » Quod et Antiocheni canones apertissime decreverunt (*can.* 14). Et item subscripsit et subscribi a clericis suis fecit, ut « delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. » Et subjungens Leonis sententiam qua dicit (*ep.* 1 *ad episc.*) : « Hæc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum : nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius noluit esse disciplinæ. Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis forte videatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. » Et ita subscripsit : « Hincmarus, Deo miserante, ecclesiæ Laudunensis episcopus, his sanctorum apostolicæ sedis Patrum decretis obtemperandum subscripsi. Qui quoque mihi eodem Deo auctore commissi sunt, et in his similiter sentiunt, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, hac mecum pace potiantur. Si vero aliqui secus, nolentes fieri socii hujusmodi disciplinæ, nec habeantur participes communionis nostræ. » Quæ præmissæ definitiones ab eo subscriptæ, quam sint contrariæ inter se, atque adversæ evangelicæ veritati, et apostolicæ auctoritati, nemo qui dubitet : cum sint de episcopis certa et manifesta in regulis sanctis judicia. Et *delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputari,* sicut hic potestis videre subscripsit, et qui ex suis secus, nolentes fieri socii hujus disciplinæ, non haberentur participes communionis suæ. Cum Cyprianus in abusionum gradibus, et Innocentius in decretis suis ex apostolica sententia judiciariæ potestati gladium legaliter vindicem doceant esse permissum, quem ecclesiasticis ministris vel in bello, vel in seditione corripere, vel etiam portare, a majoribus nostris legimus non esse concessum (*Vide* Anton. Augustin. *Jur. canon*, p. III, tit. 20). Et Dominus dicit : *Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Luc.* VI) ; et Petrus, *non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes* (*I Petr.* III) ; et Paulus : *Non vos defendentes, charissimi, sed date locum iræ* (*Rom.* XII). Et sanctus Gregorius in epistola ad Sabinianum diaconum Constantinopolitanum (*lib.* VII, *epist.* 1) : « Breviter suggeras serenissimis dominis nostris, quia si ego in mortem Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in summa confusione esset. Sed quia Deum timeo, in morte cujuslibet hominis miscere formido. » Et sanctus Augustinus ad Bonifacium Africæ proconsulem : « Fas, inquit, non est, ut reus episcopi suggestionibus occidatur, qui veniæ, si pœnituerit, reservatur. » Si non est fas ut reus episcopi suggestionibus occidatur, qui veniæ, si pœnituerit, reservatur ; nefas est ut reus, qui veniæ, si pœnituerit, reservatur, ab episcopo ad mortem adjudicetur, et in mortis ejus judicio subscribatur : et episcopus, qui contra ecclesiasticum ordinem, et regularem disciplinam subscripsit, ut sacri altaris ministri huic mortis disciplinæ nolentes fieri socii, non habeantur participes communionis suæ : videtur se hujus judicii subscriptione a communione ecclesiastica separasse, a cujus communione si se ministri altaris, subscribentes mortis judicio, separassent, solidius

in communione disciplinæ ecclesiasticæ perstitissent.

Unde beatus Ambrosius in epistola ad Valentinianum imperatorem, qui petebatur contra religionem Christianam legi subscribere : « Convenio iterum fidem tuam, convenio mentem tuam, ne vel respondendum secundum hujusmodi petitionem gentilium censeas, vel in ejusmodi responsa sacrilegium subscriptionis adjungas : vox enim tua, manus tua, et subscriptio tua opus est tuum. » Et antiquorum Patrum canones decreverunt dicentes : Sæpe principes contra quoslibet majestatis obnoxios sacerdotibus negotia sua committunt : et quia sacerdotes Christi ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant regibus judices, ubi jurejurando supplicii indulgentia committitur, non ubi discriminis sententia præparatur. Si quis etiam sacerdotum contra commune consultum discussor in alienis periculis exstiterit, ut reus effusi sanguinis apud Christum, et apud Ecclesiam perdat proprium gradum. » Hic autem nullo comminante neque jubente, gratis subscripsit, ut delatori aut lingua capuletur, aut caput amputetur, et qui noluerit fieri socius hujus disciplinæ, nec habeatur particeps communionis suæ. Et non suffecit illi ut subscriberet, quatenus convicto delatori caput amputetur ; verum et ministros ecclesiasticos suæ parochiæ, huic perversæ sententiæ fecit subscribere. Reclamante Gelasio in epistola ad Anastasium imperatorem (*epist.* 10) : « Dicit Apostolus, qui non solum non facienda faciunt, reos videri, etiam qui consentiunt facientibus. Legibus certe vestris criminum conscios, susceptoresque latrocinantium par judiciorum pœna constringit : nec expers facinoris æstimatur, qui licet ipse non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœdusque receperit. » Hic autem et fecit, et facientes ad agendum contra regulas quosdam impulit, quibusdam persuasit. Hinc Apostolus : *Sic enim peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis : et peribit infirmus in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est (I Cor.* VIII). Et beatus Gregorius in Regula pastorali : « Scire, inquit, prælatus debet, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava quæ faciunt, non soli moriuntur. » Et item Gelasius in decretis ad episcopos per Dardaniam constitutos, ac si de his loquatur quos secum fecit subscribere (Gelas., *epist.* 11, sub fin.) : « Sicut, inquit, in simili conditione constricti, non possunt complicem suum judicare non jure damnatum, neque rei [*al. om.* rei] reum possunt competenter absolvere : sic illo juste prævaricatore damnato, isti quoque pari jacent damnatione prostrati : neque inde nisi resipiscentes poterunt prorsus absolvi ; quia sicut per unum scribentem eorum omnium vulgata transgressio est, qui in eamdem perfidiæ ceciderant actionem ; sic in uno eodemque qui pro omnibus scripserat, vel scribendo omnium prodiderat voluntates, transgressio est punita cunctorum. »

Et quia sacrum Nicænum concilium metropolitanos singularum provinciarum episcopos privilegium habere decrevit. Unde Leo ad Anatolium dicit (*epist.* 55) : « Illa, inquiens, Nicænorum canonum per sanctum vere Spiritum ordinata conditio in nulla est parte solubilis. » Sed et alia catholica concilia ita ab omnibus teneri diffinierunt : quia eorum immobilibus decretis contraria subscripsit, se, sibique complices a catholica communione segregasse videtur. Sicut item Leo in epistola ad Pulcheriam Augustam (*epist.* 55) manifeste demonstrat dicens : « Contra statuta canonum Paternorum, quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur : ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat quam illa corrumpat. » Et quia, ut ipse beatus Leo, et ante illum Damasus, et Bonifacius, et post eum alii apostolicæ sedis pontifices scripserunt, iidem sacri canones, mansuræ scilicet usque in finem sæculi leges, Spiritu Dei sunt conditi. Qui scilicet Spiritus, juxta evangelicam et apostolicam veritatem Spiritus est Patris, Spiritus est Filii, quia æqualiter a Patre procedit et Filio, et totus est Patris, ac totus est Filii Spiritus ; et Pater, et Filius, et idem Spiritus sanctus, quorum est una substantia, una voluntas, et operatio ; scilicet ipsa sancta Trinitas unus est Deus, ac Dominus. Constat quia a Patre, et Filio, et Spiritu sancto, tota videlicet Trinitate, uno Deo et Domino ipsi canones sunt conditi : a quibus qui per contemptum pertinaciter deviat, in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum ac Dominum peccat. Et in hac subscriptione Apostoli est sententia Hincmarus, in qua sollicitus non fuit servare unitatem Spiritus in vinculo pacis : sed sollicitus fuit dissolvere unitatem Spiritus, contra vinculum pacis. Dicit enim Apostolus, cujus sententiam subscriptioni suæ perversæ inseruit : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; unum corpus, unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ* (*Ephes.* IV). Unde beatus Gregorius : « Ad unam igitur vocationis spem nequaquam pertingitur, si non ad eam unita cum proximis mente curratur. Est, inquit, Dominus ad Moysem, locus penes me, et stabis supra petram. » Locus quidem apud Dominum est sanctæ Ecclesiæ unitas, in qua super petram statur, dum confessionis ejus soliditas utiliter tenetur. Hi enim in loco qui penes Dominum est, et super petram stant, qui per hæreses, et per schismata ab unitate se Ecclesiæ non dividunt. Quia ut sanctus Hilarus papa dicit (*epist.* 4) : « Non minus in sanctarum traditionum sanctiones committitur, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur. » Et beati Leonis decernentis (S. Leo, *loc. cit.*), quia in causis quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri, non fuit socius disciplinæ : unde timendum est ut non sit etiam consors communionis

suæ : a cujus communione si fuerit alienus, cum his qui præfatis synodis interfuerunt, et quorum decreta convelli fecit, ac per hoc, cum Ecclesia catholica communionem habere non poterit. Et in edicto quinti concilii scriptum est : « Miramur eorum dementiam qui divinæ Scripturæ contraria agunt, evidenter dicenti, quia æqualiter horribilia sunt apud Deum impius et impietas ejus, Actio enim cum actore punietur. » Si autem similiter impietas horribilis est Deo, et ille qui impie agit, certe separatus est talis a Deo, et anathemati juste subjicitur. Anathema enim nihil aliud significat, nisi a Deo separationem : sicut in Veteri et in Novo Testamento judicium de anathemate significat.

CAPUT XII.

Quod in ea collectione sanctorum Patrum dicta sensusque corrupit.

Et in eo, de quo agitur, libello, sed et in illo, quem per Wenilonem quondam archiepiscopum mihi misit, quem paulo infra commemorabo (eum enim præ manibus habeo) verbis beati Gregorii, de quatuor errorum capitulis, de quibus ad Theoctistam patriciam scripsit (*lib.* IX, *epist.* 39, in fin.), quibus dicit : « Si qui vero sunt qui dicunt, quia compulsus quisquam necessitate se anathematizaverit, anathematis vinculo non tenetur ; » verbis suis imposuit, immittens, superadjiciens, « aut contra ea quæ sub anathemate prohibita sunt, præsumpserit. » In eodem loco, ubi dixit : « Si qui sunt igitur qui, sub nomine Christiano, hæc quæ prædiximus errorum capitula, aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere, » detruncavit, et pervertit ad suum sensum dicens : « Si qui sunt igitur qui sub nomine Christiano hæc qrædicare audent. » Non tinens sententiam sanctæ sextæ synodi in duodecima actione prolatam hoc modo : « Inveteratum Macarium in impietatis dogmatibus, et non solum universam Christo amabilem plebem, quæ hanc a Deo conservandam regiam urbem inhabitat eversione turbulenta potantem ; testimoniaque sanctorum et probabilium Patrum falsantem, et quædam quidem abscidentem, quædam vero addentem, et secundum quod ei videbatur, in devio mittentem, piissimum et a Deo coronatum principem per oblata ab eo codicia, sed et a solis ortu usque ad occasum per litteras suas, et per homines quos mittebat, universos pertubantem, et a fide vera segregantem, et juste atque rationabiliter pontificali habitu denudatum, nullatenus divina regula de cætero suscepit in doctoris sede residere : ne ex hoc propriæ suæ hæreseos musto jam recrudesceret faciat intelligentiam, et fiant, juxta quod scriptum est, novissima illius hominis deteriora prioribus. » Et Macedonius Constantinopolitanus episcopus ab imperatore Anastasio legitur expulsus, quoniam Evangelia falsasset, et maxime illud Apostoli dictum : *Quod apparuit in carne, justificatum est in spiritu* (*I Tim.* III) ; et pervertisse ut legeretur, *ut esset Deus, apparuit per carnem.* Quales redarguit Paulus apostolus de se et suis sociis dicens : *Non enim sumus*, inquit, *sicut plurimi, adulterantes verbum Dei* (*Cor.* II). « Adulterare est, inquit beatus Gregorius, verbum Dei, aut aliter sentire quam de illo est, aut ex eo non spiritales fructus, sed adulterino fœtus quærere laudis humanæ. » Unde Gelasius ad episcopos per Dardaniam constitutos, de hujusmodi prave sentientibus scripsit (*epist.* 13) : « Quia majores nostri [*al.*, Quæ majores nostri divina inspiratione cernentes] necessario præcaverunt, ut contra unamquamque hæresim quod acta semel synodus [coacta synodus] pro fidei communione et veritate catholica atque apostolica promulgasset, non sinerent novis post hæc retractationibus nubilari [mutilari] : ne pravis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi : sed auctore cujuslibet insaniæ ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisquis [quisque] aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus, quoniam manifeste quilibet vel professione sua, vel communione posset agnosci. » Et post aliquanta : « Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto, exsecrationem sui gestat et pœnam. »

Post præfati denique monstruoso libelli a se monstruose collecti suam suorumque subscriptionem, litteris quarum exemplar habeo, denuo illum commonui, ut ea quæ in parochia sua contra rationem, et auctoritatem egerat studeret, corrigere. Sed admonitioni meæ non paruit : cum dicat Apostolus : *Obedite præpositis vestris in Domino* (*Hebr.* XIII). Et sanctus Leo decernat, ut « qui scit se quibusdam præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum. »

CAPUT XIII.

Quod frequenter admonitus excusare culpas maluit quam corrigere, et accusatus in synodo, non exspectato fine judicii, fugam arripuit.

(*Lib.* LV *Cap.* præf.) Deinde ex epistolis Romanæ sedis pontificum ante Nicænam synodum scriptis libellum a se collectum, et 20 versiculis in nomine domni regis Caroli titulatum, per venerabilem quondam archiepiscopum Wenilonem, in Gundulfi villa coram archiepiscopis qui adfuerunt, mihi direxit. De quo, illi, scripto respondi, cujus exemplar hic habeo : monens illum, ut sacris canonibus et apostolicæ sedis decretis ex eisdem sacris canonibus promulgatis fidem accommodaret, et debitam obedientiam illis dependeret. Inde in Attiniaco Rhemensis parochiæ, illi coram episcopis, qui adfuerunt, dedi libellum in 55 capitulis, 44 versibus titulatum, auctoritates ecclesiasticas continentem, contra illa quæ in præfatis suis duobus libellis collegerat : monens ut a talibus hujusmodi reprehensionibus se cohiberet ; et se sacris regulis subdens, pacem et sanctimoniam, secundum Apostolum, sequi studeret. Is autem nullam inde meæ admonitionis satisfactionem exhibuit. Quin potius rotulam prolixissimam de quadam capella, unde eum sæpe litteris, pro recla-

matione ad me hominum ex sua parochia, monui : sed nihil profeci : et fabulis de Fimo presbyteri parochiæ suæ, et villæ Ecclesiæ nostræ ; sed et de aliis mendaciter compositis, de quibus se ipse presbyter ad me non reclamavit, nec in aliqua synodo comprovinciali ullam rationem inde commovit contextam, in eodem concilio mihi porrexit (*Non exstat*). De qua rotula loqui, in aliud tempus dignum duxi differe, ne vobis tædium deliramenta sua inferant, et ad necessariora vos deliberanda impediant. Sed et præfatum suum monstruosum libellum, a se et ea suis subscriptum, in eadem synodo protulit, quem ibidem accipiens, hactenus servo.

Et cum me vidi post tot admonitiones nihil apud eum posse proficere, schedulam porrexi in synodo decem provinciarum (*Non exstat hæc schedula*), ab eisdem venerandis episcopis quærens consilium quid contra suam pertinacem contumaciam agere possem : et quæ illi . . . suæ contra colligationes suæ impietatis direxeram, contra illis nota feci. Unde et ab eadem synodo conventus, quoniam injuste ac irregulariter tantas et tales excommunicationes facere præsumpsit, dedit mihi in eadem synodo professionis suæ libellum de regulari obedientia sua, quem habeo, qui ita se habet : *Privilegio Hincmari metropolitani provinciæ Rhemorum ecclesiæ secundum sacros canones et decreta sedis apostolicæ ex sacris canonibus promulgata, pro scire et posse me obediturum profiteor, subscribo.* Et ex eo quod sui homines se ad regem reclamaverunt, quoniam ab eis sua, beneficia, quæ apud antecessores suos, et apud eum proservierunt, injuste et irrationabiliter abstulisset, post datum mihi libellum in synodo de regulari obedientia sua, electos judices episcopos apud me expetivit : et tres, secundum Africanum concilium, scilicet Actardum, Ragenelmum, atque Joannem a me sibi designatos suscepit ; et eorum, atque aliorum Deum timentium, judicio, in domni regis, sicut postulavit, præsentia, de quibusdam decretum fuit, ut beneficia sua quæ irrationabiliter perdiderunt, recuperare deberent. Tota autem eorum causa, usque ac alium tractatum, certis intervenientibus causis non diffinita, sed die alia diffinienda, remansit. Et ante diffinitionem contra sacros canones, sine ulla necessitate vel ratione, noctu fuga lapsus, regularem diffinitionem exspectare contempsit. Unde sacri canones Africani concilii de Quodvultdeo, qui antequam aut judices electos expeteret, aut etiam in rationem contra conquirentem adversum se introisset, rationem subterfugiens discessit, decreverunt dicentes *(conc. Afric.*, c. 54 ; *cod. can. Eccl. Afric.*, can. 87) : « De Quodvultdeo, inquiunt, episcopo Centuriensi, quoniam [*al.*, quomodo] adversarius ipsius cum se petisset, introduci ad concilium nostrum, interrogatus vellet cum eo apud episcopos experiri, primo promiserat ; et alia die respondit, hoc sibi non placere, atque discessit. Placuit omnibus episcopis, ut nullus eidem Quodvultdeo communicet, donec causa ejus qualem potuerit terminum sumat.

A Nam adimi ei episcopatum, antequam causæ ejus exitus appareret, nulli Christiano videri jure potuit [*al.*, potuisset]. » Et item dicit (*conc. Milev.*, c. 21 ; *conc. Afric.*, c. 87 ; *Cod. can. Eccl. Afric.*, can. 121 et 22) : « Ut per episcopos judices causa finiatur, sive quos eis [quin inter se conquirentibus] primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint. Si autem ex communi placito vicinos judices elegerint, aut unus eligatur, aut tres : aut si tres elegerint, aut omnium sententiam sequantur, aut duorum. A judicibus autem, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare : et quisquis probatus fuerit pro controversio nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ sedis episcopo fuerit probatum, det litteras ut nullus ei communicet episcoporum, donec B obtemperet. » Et Carthaginense dicit concilium (*conc. Carthag.* III, c. 7 ; *Cod. can. Eccl. Afr.*, can. 19) : « Ut quisquis episcoporum accusatur, ad primates provinciæ ipsius causam deferat accusator. » Et post aliquanta : « Verum tandiu post mensem secundum non communicet, donec purgetur. Si autem ad concilium universale anniversarium occurrere noluerit, ut vel ibi causa ejus terminetur, ipse in se damnationis sententiam dixisse judicetur. Tempore sane quo non communicat, nec in sua ecclesia, vel parochia communicet. » Et jam transactus est annus ex quo a me, suo metropolitano, præfatos judices electos expetiit, et accepit ; et causam suæ accusationis regulariter exsecutus non fuit. Et dilata est hactenus ex eo sententia Africani concilii, de C Maximino episcopo promulgata (*conc. Afric.*, c. 55 ; *Cod. can. Eccl. Afric.*, can. 88) : « De Maximino, inquit, Bacagensi [*al.*, Maximiano Bagaiensi], et ad eum, et ad ipsam plebem placuit de concilio litteras dari, ut et ipse ab episcopatu discedat, et illi sibi alium requirant. »

CAPUT XIV.

Quod fugam illam infirmis rationibus excusare conatur.

Et cum hæc ita se habeant, idem frater mihi rescribens, multis allegationibus se necessitate compulsum, et persecutionem declinantem fugisse asseverat, sicut sua scriptura, quam hic habeo, prodit. Videlicet, quia omnes homines sui banniti fuerunt ad causas, ita ut nec unus, dum rediret ad mansionem, illum sequi permissus sit : Nortmanno hoc agente D pro villa Pauliaco, eo quod illam concessione regia, et apostolica etiam, ut scirem, auctoritate recipiens, illum iidem sui homines in eamdem villam secuti sunt. Et in eisdem suis allegationibus ponit testimonia ex epistola Julii papæ in Athanasii pro fuga defensione *(epist.* 2, *ad Orientales*) : « Quia Dominus quando Pharisæi consilium fecerunt adversus eum ut eum occiderent. Sciens autem Jesus discessit inde. Et discipuli propter metum Judæorum recesserunt, celantes seipsos. » Et Paulus in Damasco a principe gentis quæsitus, de muro in sporta depositus est, et manus quærentis effugit (*II Cor.* XI). Sed utrum pro eo si Franci homines ad judicia suis legi-

bus vocabantur, ut quod contra legem fecisse quærebantur, aut legibus emendarent, aut legaliter defenderent, fugere illum oportuit, an non, causa in promptu est. Et utrum præmissa testimonia, suæ quam dicit persecutioni, suæque causæ ac personæ, vel persecutoris sui personæ, quam specialiter signant sed et aliis personis se persequentibus a se designatis conveniant, an non, ratio manifeste demonstrat. De fuga vero Athanasii, et quando, ac qualiter, vel pro quibus, episcopis vel ministris Ecclesiasticis fugiendum sit, beatus Augustinus in epistola ad Honoratum episcopum inter alia dicit: « Fortasse quis dicat ideo debere fugere Dei ministros talibus imminentibus malis, ut se pro utilitate Ecclesiæ temporibus tranquillioribus servent. Recte hoc fiet a quibusdam, quando non desunt alii, per quos suppleatur ecclesiasticum ministrerium, ne ab omnibus deseratur, Quod fecisse Athanasium supra diximus. Nam quantum necessarius fuerit Ecclesiæ, quantumque profuerit quod vir ille mansit in carne, catholica fides novit, quæ adversus Arianos hæreticos oro illius et amore defensa est. Sed quando est commune periculum, magis timendum est ne quisquam id facere credatur non consulendi voluntate, sed timore moriendi: magisque fugiendi obstet exemplo, quam vivendi prosit officio: nulla ratione fugiendum est. » Et item post aliquanta: « Quicunque igitur isto modo fugit, ut Ecclesiæ necessarium ministerium non desit, facit quod Dominus præcepit, sive permissit (*Matth.* x). Qui autem sic fugit, ut gregi Christi ea quibus spiritualiter vivit alimenta subtrahantur, mercenarius ille est, qui videt lupum venientem et fugit, quoniam non est ei cura de ovibus (*Joan.* x). »

CAPUT XV.

Quod res Ecclesiæ quæ controvertuntur, regi concessit Nortmanno tradendas

De eo quod scripsit, me scire eamdem villam ille concessione regia, et apostolica etiam auctoritate sibi redditam, quod in ejus litteris legi, hoc me scire non denego. Dicit enim ibi, ad petitionem virorum venerabilis memoriæ Conradi, et Rodolfi, se eamdem villam concessisse regi, ut eam Nortmanno, qui antea illam tenuerat, benificiaret. Superadjiciens in responsione sua, quia si ipsam villam in alodem haberet, quidquid regis esset voluntatis ex ea facere gauderet; quia illud voto regis non obviabat, nec inde ei periculum animæ imminebat. Cæterum quando illam concessionem de rebus Ecclesiæ suæ fecit, nec mea conscientia, vel coepiscoporum Rhemensis provinciæ; sed nec cum consensu presbyterorum ac diaconorum Laudunensis Ecclesiæ, sicut præcipiunt canones, fecit. Sed et hoc inde, scio, quod in domni apostolici epistola exinde legi. Et quia quando Nortmanno ipsam epistolam ostendam, dicens illi, quia nisi ab ipsis rebus Laudunensis Ecclesiæ quas invaserat, se mox exueret, illum secundum jussionem domni apostolici excommunicarem: coram plurimus episcopis mihi respondit, ut pro amore, et honore Dei, et sancti Petri, ac domni apostolici illum non excommunicarem, quia nec meus parochianus erat, et ipsas res non invaserat; et habebat inde auctorem, qui illi eas beneficiavit: et si ipse suus auctor eas illi contradiceret, nihil postea se inde præsumeret.

CAPUT XVI.

Quod falso dicit se detentum fuisse ne Romam, quo appellabat, adiret.

Dicit etiam in eodem scripto suo Hincmarus, ideo se ab Attiniaco fugisse, quia « Silvaci memor fuerat, ubi et ego adfui, quod illi nihil profuit, sed obfuit: quia pro eo solummodo retentus fuit, ne Romam domni apostolici præceptis obediens iret: quod a sæculo non est de episcopo ab episcopis auditum. » Unde respondi, quia nec tunc sicut pro certo scio, et illi mecum sciunt qui adfuerunt, nec unquam, prout reminisci valeo illum Romam appellasse pro quacunque causa audivi. Tunc autem ad synodum, quæ in proximo futura erat, invitatum audivi. Sed et multorum divulgabatur, oribus, quia cum Lothario agebat, quatenus Ecclesiam sibi commissam, et oves sibi creditas desereret, ut ad Lotharium iret, et in regno illius honores obtineret. Verumtamen, ex hac causa nullam rationem tunc cum domno rege habui; sed et domnus rex nihil inde tunc mihi dixit.

CAPUT XVII.

Quod post fugam Hincmaro Rhemensi per litteras significavit se Romam evocare a pontifice, quibus ab eodem Rhemensi responsum est. Et quod contra suam professionem venit.

Is autem frater Hincmarus postquam electos judices, a me regulariter, ut scripsi, datos sibi suscepit, et incaute ac inhoneste noctu fuga lapsus abscessit, pitaciolum irrationabiliter confectum, et manu sua subscriptum, ac præfatæ professioni suæ usquequaque contrarium, per Ermenoldum diaconum suum VI Non. Jul. III indict. mihi transmissit, quod ita se habet: « Reverendissimo Rhemorum archiepiscopo Hincmaro, sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Hincmarus Deo miserante episcopus, debitam in Christo devotionem. Vos scitis quia ab universali sanctæ Romanæ Ecclesiæ papa, patre quoque nostro et magistro Adriano bis vocatus existo. Et vos ipsi in quaternionibus mihi a vobis in Attiniaco palatio coram archiepiscopis, et episcopis qui affuerunt datis, quod ad eamdem sedem venire totidem vocatus detractem, me reprehendistis: si vitio scriptoris pro detractem, quod est dissimilem, vel differam, detractem, quod valde tractem non ab re accipi potest, intercharaxatum non fuit. Unde vos nunc pro amore Dei omnipotentis, et reverentia sancti Petri exposco, sicut et in eadem synodo in Attiniaco a vobis convocata, quod impetrare non valui, expostulavi; ac jam etiam per integrum efflagitavi annum: et præcipue in synodo apud Vermeriam palatium olim ab horno habita obsecrando declamavi. » Et quæ sequuntur. « Ego Hincmarus sancti Laudunensis Ecclesiæ episcopus sponte subscripsi. »

De quo pitacio latius in quaterniunculis, ut supra dixi, ei datis respondi : et quia nunquam vel nusquam apostolicam sedem eum adire prohibui. Insuper etiam illum, sicut et ipse scripsit, cur jussionem invitationis domni apostolici prosecutus non fuerit, reprehendi. Qui undicunque sibi visum fuit, cum de suis insolentiis increpatus est, licentiam eundi Romam petit, vel sedem apostolicam appellat. Quando vero rex, et episcopi sunt sibi placabiles, de ipsa licentia nihil dicit, nec sedem apostolicam appellat : cum sacri præfigant canones qualiter, et unde, et ubi appellare debeat episcopus apostolicam sedem. Et anno præterito, postquam in Attiniaco libellum de sua regulari obedientia mihi porrexit in synodo, sedem apostolicam non appellavit, nec de licentia illuc eundi aliquid dixit. Sed cum commotus inhoneste inde discessit, præmissum pitaciolum de licentia Romam eundi, circa Kalend. Julias mihi direxit. Postea vero nihil mihi inde mandavit, nec quando mecum locutus fuit, inde aliquid dixit. Sed et cum domno rege in subsequenti mense Septembrio in Silvaco, et in mense Octobrio Rhemi, ubi et ego fui, et domni apostolici missi ibi fuerunt, et inde nihil dixit. Deinde mense Februario in Compendio cum domno rege per aliquot dies fuit, et ego etiam illic fui. Postea vero mense Aprili apud Silvanectis cum domno rege fuit. Et demum in Silvaco per aliquot dies cum domno rege fuit, et ego etiam ibi fui, et nihil inde dixit. Et jam plures Kalendæ mensis Augusti pertransierunt ultra placitum quod et domnus apostolicus misit, mandans ut ultra illas Kalendas non remoraretur quin Romam pergeret. Scripsi etiam illi, quia insulse scripserit, quoniam si licentiam ei eundi Romam apud regem non impetrarem : *Abhinc ut archiepiscopo coepiscopus obtemperare debet, canonice mihi obsequi non posset.* Et quia contra rationem hoc dixit, ei ex epistolis beati Leonis ostendi ; et ut decretales epistolas quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum patrum consolatione dederunt, de quibus (ut a metropolitano privilegio contra canones et decreta sedis apostolicæ ex eisdem sacris canonibus promulgata se possit exuere, contumacia pertinaci contendit) illum commonui, ut secundum dictum beati Gelasii venerabiliter susciperet, et sacra concilia, ut Gelasius, et cæteri catholici videlicet, doctique pontifices decreverunt, inviolabiliter conservaret, illi suasi.

Et de eo quod scripsit, quia « quod apostolica sedes de eo voluit, ac disposuit, Remigio et Arduico archiepiscopis committere, commisit : » scilicet ut per eos domni apostolici epistola, unde illi mandavi, ad domnum regem perveniret, et ipsi ejus causam agerent : illi non credo, quoniam epistola domni apostolici mihi directa aperte demonstrat, illam de qua oblique sategit, mihi misisse, ut ego illius, videlicet suffraganei mei, causam agerem apud regem : quatenus et apostolica sedes vigorem proprium retineret, et a se concessa aliis jura sua non demeret.

Et his, ut præmisi, subscribens, illi professioni et subscriptioni quam coram episcopis decem provinciarum in synodo apud Attiniacum professus fuerat, et manu propria subscripserat ; scilicet, quia privilegio metropolitano provinciæ Rhemorum Ecclesiæ secundum sacros canones, et decreta sedis apostolicæ ex sacris canonibus promulgata pro scire et posse se obediturum, contraria profitendo subscripsit. De qua professione atque subscriptione in eadem synodo mihi data, sanctus Leo in epistola ad Septimum episcopum dicit (*epist.* 85) : « Saluberrimum est, inquit, et spiritalis medicenæ utilitate plenissimum, ut sive presbyteri, sive diaconi, vel cujuslibet [*al.*, sive alii] ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, errorem suum, et ipsos erroris auctores damnari a se sine ambiguitate fateantur ; ut sensibus pravis, et dudum peremptis nulla aspirante [*al.*, nulla sperandi] supersit occasio, nec ullum membrum Ecclesiæ talium possit societate violari, cum per omnia illis professio propria cœperit obviare. » In qua professione et subscriptione sua confratres et venerabiles coepiscopi nostri, consulentes duritiæ animi sui, et supportantes eum in charitate, noluerunt eum exaggerare de præteritis ; sed tantum futuram correctionem profitendo et subscribendo promitteret. Attendentes quod B. Gregorius in pastorali Regula dicit ; « Quia plerumque quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad salutem pristinam atque tepens reduxit : et nonnulla vulnera quæ curari incisione ferri nequeunt, fomentis olei sanantur : et durus adamas incisionem ferri minime recipit, sed leni hircorum sanguine mollescit. »

Et hac professione quam subscripsit, quia si ei licentiam eundi Romam, quo illum vel quenquam nunquam vel nusquam volentem ire prohibui, apud domnum regem Carolum non impetrarem, mihi ex tunc, ut archiepiscopo coepiscopus obtemperare debet, canonice scirem illum obsequi non posse : subjungens : « Ego Hincmarus S. Laudunensis Ecclesiæ episcopus sponte subscripsi : » illam quam in synodo decem provinciarum apud Attiniacum habitam mihi dedit, quantum in ipso fuit, destruxit. Sicut B. Leo in epistola ad Leonem Augustum (*epist.* 78), etiam tantus pontifex de se dicens, ostendit : « Secundum apostolum (*Galat.* 2) si quæ destruxi, hæc ædificio, prævaricatorem me constituo, et eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmavi. » Destruxit enim in præfata synodo inobedientiæ præteritatæ insolentiam, ædificans profitendo et subscribendo futuram secundum sacros canones erga suæ metropolis privilegium obedientiam. Quam iterum hac prævaricationis suæ professione atque subscriptione destruere, et annullare sategit, et pristinam suam insolentiam, redivivo furore resuscitavit, ac per hoc se prævaricatorum constituit.

Quas omnes professiones et subscriptiones suas

sapientia vestra insimul conferat, et quod de subscriptione vel professione subscribentis ac profitentis, et negligentis atque refragantis sanctus Spiritus, per eos in quibus locutus est, et qui cum Deo in cœlo regnant, et in terris miraculis coruscant, decreverit, sollicita mente recogitet atque dijudicet. Ait enim sacrum Carthaginense concilium (*conc. Carthag.* II, can. 13) : « Si quis contra suam professionem vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit. » Quid enim in hac novissima subscriptione sua sacris canonibus et suprascriptis professionibus et subscriptionibus suis contraria, congruentius referri potest, qua dixit : Ego Hincmarus contra meam professionem, vel subscriptionem veniens, sponte me honore privavi ?

Sed forte dicet, alias subscriptiones se invitum, B atque coactum fecisse. Et quid dicet de illa subscriptione, qua libello compilationum suarum, nullo petente, vel sperante, subscripsit, et ab aliis quibusdam invitis subscribi fecit ? Illi nempe qui de verborum differentiis loquuntur, sicut Nonius Marcellus Peripateticus, in libello de compendiosa doctrina (*cap.* 5), dicit : « Hoc distare inter confiteri et profiteri autumant, quod confiteri voluntatis est, profiteri necessitatis, et coacti. » Sed non illi hoc ad voluntatem suam succurrit, qui contra suam professionem et subscriptionem venit. Cum sanctus Leo, sicut multoties in illius invenitur epistolis, ab unanimitate catholicæ pacis exorbitantes, professionem cum absolutissima subscriptione coram omni clero, et universa plebe, dare præcipiat. Et sanctus C Gregorius in epistola ad Theoctistam patriciam (*lib.* IX, *epist.* 39), de his qui dicebant, quia si compulsi aliqui de quibus juste reprehendebantur, anathematizare se, dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri, manifestissime dicat : « Et si sunt, inquiens, qui certissime talia sentiunt vel tenent, quia Christiani non sunt, dubium non est : eosque et ego, et omnes catholici episcopi, atque universa Ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, et contraria loquuntur. »

CAPUT XVIII.

Quod schedulam fictam quasi ab episcopis concilii Tullensis conscriptam obtulit, cui rescripsit Rhemensis adhortans ad patientiam, et maturam rerum cognitionem.

Denique ad hæc XV Kalend. August., indictio- D nis 3, misit ad me apud Pontigonem, Heddonem Ecclesiæ suæ præpositum, et per eum schedulam quamdam mihi direxit, quam habeo sub chirographo : cujus partem coram episcopis qui adfuerunt, Remigio scilicet, Harduico, Francone, Odone atque Willeberto, et aliis ecclesiasticis viris referendam illi donavi ; ne postea mihi eamdem schedulam, si vellet, misisse negare valeret. Quæ confecta est quasi ex nomine synodi apud Tusiacum : quam antequam per Heddonem clericum suum acceperim, nunquam vidi, et nunquam vel nusquam audivi ; sed nec qui adfuerunt episcopi, eam se vidisse et audisse

A dixerunt. Cui schedulæ ab episcopis qui præfatæ synodo interfuerunt, multifarie multisque modis : sed et a se asserit esse subscriptum ; quæ in quibusdam, sacris regulis contraria, et suæ excommunicationi quam fecerat in parochia sua, est consona. Dicitur enim ibi de damnato, ut « dum vivit, ita a cœtu et societate fidelium remotus, a corpore et sanguine Domini separatus, ut nec in finem communionem accipiat, neque corpus ipsius more fidelium cum oblationibus et psalmis atque hymnis ad sepulturam deducatur. » Et aliquanto inferius : « Habeantque principes et judices hanc in populo Dei diligentiam, ut ubicunque tales in potestate eorum ab episcopis requisiti fuerint, absque mora eis exhibeant, ne forte si dissimulaverint, aut mandatum episcopi contempserint, ab Ecclesia Dei projecti, nec sepulturam cum fidelibus recipiant. » Et aliquanto supra istam sententiam : « Si clericus tanti cupiditate sacrilegii corruptus, aut laicus quicunque hac iniquitate deceptus fuerit, et cognoscens damnationem suam pœnitentiæ remediis secundum ordinem et dispositionem sui episcopi se submiserit, volumus ut pervasa et præsumpta secundum qualitatem in simplum, aut in duplum, aut in triplum, aut in quadruplum ecclesiæ cui damnum illatum est, primum restituat. Inde pro sacrilegio ab episcopo suo consilium salutis, et pœnitentiæ modum suscipiat. » Quæ constitutio restitutionis, salvo legum jure contraria esse dignoscitur decretis beati Gregorii ad Augustinum Anglorum episcopum interrogantem (*epist. ult. l.* XII, *ad August.*, interrog. 4) : « Obsecro quid pati debeat, si quis aliquid de ecclesia furto abstulerit ? » Responsio beati Gregorii hinc post aliquanta : « Addis etiam quomodo ea quæ furto de ecclesiis abstulerint, reddere debeant ? Sed absit ut ecclesia cum augmento recipiat, quod de rebus terrenis videtur amittere, et lucra de vanis quærat. »

Quæ schedula, ut ostendi, ecclesiasticis ordinationibus contraria, etiam et ex hoc mendax esse patenter ostenditur, quia eorum episcoporum nomina ibi habentur subscripta, qui nondum erant episcopi : et etiam duorum episcoporum nomina ex una civitate, et uno tempore ibi sunt posita : et eorumdem episcoporum nomina qui successerunt ante nomina suorum decessorum ibi ponuntur. Habetur enim ibi nomen Christiani Autissiodorensium, et longe post Abbonis item Autissiodorensium, cui Christianus successit. Et inscribitur ibi nomen Rainelmi Noviomagensium, qui nondum erat episcopus : deinde longe post, nomen Immonis Noviomagorum inscribitur, cui Rainelmus successit. Et aliorum episcoporum ibi habentur nomina, qui eidem synodo non interfuerunt. Et nos qui interfuimus, sed et se nobiscum his subscripsisse mendaciter dicit, quibus non subscripsimus. Unde videndum est si illi conveniat, quod Africanum decrevit concilium de episcopo qui Donatistis se communicasse mentitus fuerit (*cod. can. eccl. Afric.*, can. 124) : ut « si probatum fuerit eum de communione illorum fuisse menti-

tum, dicendo eos communicasse, quos, eo sciente, non communicasse constiterit, etiam episcopatum amittat. »

Et postquam idem præpositus Heddo mihi præfatam schedulam dedit, dixit inter cætera, seniorem suum mihi mandasse, quia non posset dimittere, ut homines suos qui res de sua ecclesia tenebant per potestatem et verbum regis, non excommunicaret. Quoniam altera vice quando domno apostolico mandavit de Nortmanno, hoc ei remandavit domnus apostolicus, ut prius inde fecisset suum ministerium, et tunc se reclamasset. Et hoc ideo hactenus dimiserat, donec hoc mihi mandaret, ut scirem quia nunc inde suum ministerium faceret unde inter cætera ei scripsi : « Age, frater charissime, quod episcopalem condecet gravitatem, exspectans donec provincialem synodum, cujus jam tempus in proximo est, conveniamus ; in qua favente ac cooperante Domino, secundum decreta beati Gregorii, et de indecentibus [*al.*, incidentibus] causis disceptatio, et sit salubris de ecclesiastica observatione collatio, quatenus dum per hoc et præterita corrigentur. » Et quæ sequuntur in epistola Hincmari ad Heddonem usque ad finem.

CAPUT XIX.

Quod post fugam ab Attiniaco, relicto Ecclesiæ judicio sæculares judices a rege expetiit, et judicata retractari fecit.

Et evoluto duorum circiter mensium spatio, postquam noctu aufugit ab Attiniaco, ante diffinitionem causarum, de quibus apud metropolitanam auctoritatem electos judices expetivit : quibusdam machinationibus exquisitis ab eo jussio est principalis elicita, ut de quibus electos judices, secundum sacros canones accepit, non solum eorum querela, quorum causa usque ad alium tractatum diffinienda remansit, verum, et quæ, ut dixi, in domni regis præsentia electorum judicium sententia decisa fuerunt, sine metropolitani conscientia, sineque canonico et episcopali judicio, per judices sæculares, Helmigarium scilicet mercati palatii te lonearium, et Flotarium, ac Ursionem villarum regiarum majores refricarentur, contra canones, qui ab ecclesiasticis ad majoris auctoritatis ecclesiasticos judices, et non a majoribus ad minores, nec ab ecclesiasticis ad sæculares ; neque a consensu partium electis provocari permittunt. A quibus sæcularibus judicibus a se petitis, quædam ex diffinitis refricata et immutata, quædam vero ex diffiniendis sunt diffinita, adinventitia reputatione, sicut ab ipsis qui in eodem placito fuerunt, dicitur de non necessariis et inconvenientibus juramentis reperta : et ab eo, coram prædictis judicibus ipsis, sive accusatoribus, quos contra electos judices, sicut expetierat, suscepit, proposita : quatenus et is, de quo legaliter ac regulariter diffinitum fuerat, ut beneficium suum haberet, quod contra rationem et æquitatem perdiderat, eadem adinventione dimitteret : et illi quibus judicatum fuerat, ut quoniam is post expetitum electorum judicium, idem judicium subterfugit, beneficia sua usque ad legalem diffinitionem tenerent, beneficia ipsa desererent, et ipse quod incœperat, evindicaret. Cum sicut ei non licet, de accusatione sive criminalis, sive civilis causæ, relicto ecclesiastico, publico purgari judicio ; ita etiam non licet illi postposito, vel contempto ecclesiastico judicio, ad sæcularia judicia convolare : vel quemcunque, vel etiam laicam personam pertrahere ; neque ad forum suum sequi, si ipsa persona laica consenserit ecclesiastico subire judicio. Sicut lex Valentiniani, quam probat, Ecclesia, demonstrat dicens : « Clericus si aliquem lite pulsaverit, in foro illius quem ad judicium provocat, audiatur. Si tamen pulsatus non acquieverit ad presbyteri et episcopi venire judicium. » Et sanctus Leo [*imo Leo Bitur.* A.] ac Romana synodus in epistola Sarmationi, Caratoni, Desiderio, episcopis et presbyteris omnium ecclesiarum intra provinciam Tertiam [*al.*, Thraciam] constitutis directa, dicit : « Si clerus laicum pulsat, prius se audiri ab episcopis poscat : tum si petitioni suæ laicum viderit obviare, ex permisso episcopi sui in sæculi moderatoris [moderatores] disceptatione confligat. » Videlicet, non per se, sed per advocatum, sicut leges et regulæ sacræ decernunt. Et quod non licet cuiquam clerico, minime autem licet episcopo. Quoniam ut sanctus Hilarus papa in suis decretis dicit (*in synodo Rom. cit.*) : « Reatu majore delinquit qui potiore honore perfruitur : et graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum. » Et Africanum concilium decrevit (*conc. Afric.* c. 71 ; *cod.* can. *Eccl. Afr.*, *can.* 104) : « Placuit, inquiens, ut quicunque, » scilicet clericorum, cum quibus et episcopalis ordo connumeratur, « ab imperatore cognitionem judicum publicorum petierit, honore proprio privetur. Si autem episcopale judicium ab imperatore postulaverit, nihil ei obsit. » Et Carthaginenses canones in tertio concilio (*can.* 9) : « Cui, inquiunt, ad eligendos judices undique Ecclesiæ patet auctoritas, ipse se indignum Ecclesiæ consortio judicat, qui de universa Ecclesia male sentiendo, de judicio sæculari poscit auxilium : cum privatorum Christianorum causas Apostolus etiam ad Ecclesiam deferri, atque ibidem terminari præcipiat. » Et item Carthaginenses canones præcipiunt, « ut quisquis episcoporum, presbyterorum, et diaconorum seu clericorum, cum in Ecclesia ei fuerit crimen institutum [*al.*, intentatum], vel civilis causa fuerit commota, si relicto ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat ; et hoc in criminali [*al.*, criminali judicio] : in civili vero, perdat quod evicit, si locum suum obtinere maluerit. »

Unde sanctus Leo cum synodo Romæ habita prædictis episcopis Sarmationi, Caratoni, Desiderio, et presbyteris omnium ecclesiarum intra provinciam Tertiam [Thraciam] constitutis, suis subscriptionibus hæc quæ sequuntur misit : « Tantam sæculi potestates circa sacerdotalem ordinem reverentiam

prævalare voluerunt, etiam hi [*al.*, tanta reverentia prævalere, etiam hi] quos sub imperiali nomine terris divina potentia præesse præcepit, ut jus distringendorum [*al.*, distinguendorum] negotiorum episcopis sanctis juxta Divalia constituta permiserint. Quod cum et juris antiqui edictis, et illatis [*al.*, illibatis] frequentius sit legibus confirmatum, præsenti tempore a plerisque invenimus fuisse calcatum. Nam prætermisso sacerdotali judicio, passim ad examen sæcularium [*al.*, sæculare] transierunt. Quocirca nobis visum est, ut hanc et sacrarum legum [*al.*, sacræ legis], et nostri ordinis contumeliam, et ad præsens ulcisceretur plena districtio, et observandam formulam constitueret in futurum. Censemus itaque, ut quicunque prætermisso sacerdote ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit sæcularium, sacris liminibus expulsus, a cœlesti arceatur altario; neque nullus post hanc diffinitionem, quæ communi sedit arbitrio, quidquam sibi ultra præscriptum vindicare nitatur. Ita fieri [*al.*, et ita fiet], ut et hi qui ante erraverunt, congrua emendatione ise corrigant, et qui sub observatione clericali, cœlesti probatur servire officio, ex clerico habendum [*al.*, ex clero abjiciendum], si prætermisso sacerdotum judicio, sæcularium adierit potestatem. Quod ideo singulos universosque volumus agnoscere, ut quod pleno justitiæ et juris ordine constitutum est, effectum totius firmitatis ex omnibus [*al.*, in omnibus] clericorum negotiis sortiatur. » Et paulo post: « Leo episcopus subscripsi. Victorius episcopus subscripsi. Eustachius episcopus subscripsi [*al.*, Leo episc. scribit. Victorius episc. scribit. Eustach. episc. scribit]. » Sic et cæteri qui adfuerunt episcopi subscripserunt.

De his autem quæ, ut præmisi, diffinita fuerunt, et irregulariter sunt retractata, sanctus Leo in epistola ad Leonem Augustum per Philoxenum agentem in rebus directa dicit *(epist.* 78): « Quæ patefacta sunt, quærere; et quæ perfecta sunt, retractare; et quæ diffinita sunt, convellere, quid aliud est, quam de adeptis gratiam non referre, et ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? » Unde attendendum est de tanta exaggeratione, quam sit grave quod admisit, in obtentis, quæ patefacta sunt, quærere, et quæ perfacta sunt, retractare, et quæ diffinita sunt, convellere. Quod tantæ sapientiæ, et sanctitatis atque auctoritatis vir apostolicæ sedis pontifex reatui comparavit, qui, ut docet Apostolus, *in omnes homines pertransivit* (*Rom.* v), et non nisi morte Filii Dei potuit expiari. Et videndum si tale commissum sine ultione delata, absque periculo eorum quorum interest, valeat pertransire.

CAPUT XX.

Quod excommunicationi complicum Carlomanni post quartam admonitionem non subscripsit.

(Aimoinus, l. v *Hist.*, c. 24 et seq.) Denique postquam Carlomannus a domno nostro Carolo rege glorioso inconvenienter ac perniciose discessit, et multis filiis Belial sibi consociatis, regnum ejusdem domni nostri est deprædatus: unde quantum potuimus, fideles illius qui in hoc regno commorabamur, sategimus. Sed et domnus noster rex postquam huc rediit, promissionibus paternis ac blanditiis, atque indulgentiarum largitione non modice laboravit, quatenus eumdem filium suum Deo et sibi restitui, et complices ejus salvare valeret. Sed cum ipse et nos episcopi regni ejus qui adfuimus, nec terrores divini judicii, nec promissiones regni æterni ac temporalium honorum, apud eum et complices ejus proficere vidimus: episcopale ministerium, quia ipse de Rhemorum diœcesi non erat, sed diaconus provinciæ Senonum existebat, in complices ejus qui de nostris parochiis erant (Flodoard., *lib.* III, *c.* 26); sed et in eos qui in iisdem parochiis nostris multa scelera perpetrarunt, sententiam excommunicationis ecclesiasticæ, usquedum resipiscerent, jaculavimus. Quam sententiam ad archiepiscopos diversarum provinciarum dirigendam decrevimus, quæ ita se habet:

« Hincmarus Rhemorum episcopus, etc. Carlomannus domni nostri Caroli regis gloriosi carne filius in diœcesi Rhemorum ex aqua et Spiritu sancto regeneratus, etc. » *Vide supra inter epistolas Hincmari Rhemensis.*

Et quia frater Hincmarus Compendio fuerat, quando adhuc de Carlomanni et complicum ejus conversione tractabatur: et sine conscientia mea inde recessit: consilio et consensu coepiscoporum nostrorum, qui ibidem mecum fuerunt, istiusmodi litteras ei, sed et aliis episcopis Rhemorum provinciæ, qui corpore tunc nobiscum non erant, direxi. « Hincmarus, etc. Te latere non potest quanta mala Carlomanni complices in Rhemorum, » etc. *Vide epistolas Hincmari.* Et direxi ei præfatam huic subjunctam epistolam (Flodoard., *l.* III, *c.* 21). Deinde v Non. Februarias, venit ad me Heddo præpositus suus, et quia sicut ei mandaveram, litteras sui consensus in hac excommunicatione canonica non direxit, per eum illi easdem litteras mihi dirigendas verbo mandavi. Et evolutis plusquam triginta diebus, ex quo inde litteras accepit, remisi ad eum iterum litteras, mandans, ut veluti anteriores, et ordinatione posteriores sui, et etiam de longinquioribus partibus litteras sui consensus obedienter miserunt, diutius et ipse mittere non differret: aut certam et regularem rationem mihi rescriberet, cur jam tertio commonitus eas mihi mittere detrectaret. Ad quas mihi rescripsit hoc modo:

« Venerabili Rhemorum archiepiscopo Hincmaro, etc. Quia adeo litteras mei consensus in excommunicatione a vobis facta requiritis, » etc. *Reliqua habes inter epistolas Hincmari Laudunensis, tom. CXXIV.*

Unde inter cætera illi rescripsi hoc modo: « Frater Heddo, » etc. *Vide epistolas Hincmari Rhemensis.*

CAPUT XXI.

Quod deinde semel ac iteram eadem de re monitus obedire contempsit, et concilii Antiocheni canonem indiscrete exponit.

Postea III Nonas Maii venit ad me clericus suus, nomine Teutlandus, quædam mihi de parte illius referens, quæ hic causa brevitatis omitto. Et dixi ei, ut episcopo suo diceret, quatenus sicut et litteris et verbis jam illi mandaveram, litteras sui consensus in excommunicatione complicum Carlomanni mihi mittere diutius non differret : unde tunc quinta vice eum commonebam. Postea sexta vice litteris, quarum exemplar habeo (*non exstant*), illum commonui, quatenus consensus sui litteras in excommunicatione canonica complicum Carlomanni mihi mittere diutius non differret, qui obedire mihi more suo dedignatus fuit. Insuper in memorata rotula sua inter alia hinc mihi rescripsit : « Cujus couti dedignamini concilio, petere non operæ pretium habetis consensum. Et miror cur in hoc meum requiritis consensum, cujus non quæsistis; imo sprevistis consilium. Dum Antiochenum decernat concilium : nec archiepiscopus sine cæterorum agat consilio sacerdotum : quod nullum excludit coepiscopum. »

Non attendens quam indiscrete sententiam ipsius exponat concilii; quam discrete idem decrevit concilium, dicens (*can.* 9) : « Placuit præter metropolitanum cæteros episcopos nihil amplius agere secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam, » et reliqua. Quæ sit autem antiqua regula a nostris patribus constituta, sancta Nicæna synodus patenter ostendit (*can.* 6, *al.* 8), decernens, ut quoniam primatus et sollicitudo omnium Ecclesiarum in principatu beati Petri domini ore percepto, pertinet ad primæ et sanctæ Romanæ sedis pontificem, ut Alexandrinus episcopus omnium sibi commissorum habeat potestatem (*vide lib.* LV, *cap.* 4). Similiter et apud Antiochiam, cæterasque provincias sua privilegia serventur Ecclesiis. De quibus autem Ecclesiis dicat, et quæ, et qualiter privilegia illis servari debeant, præfatum Antiochenum demonstrat concilium (*can.* 6 *cit.*) : « Per singulas, inquit, regiones episcopos convenit nosse, metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere : propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere, concurrant. » Et Africanum concilium (*concil. Afric.*, c. 105, *et cod. can. Eccl. Afr.*, can. 138) : « Decreta, inquit, Nicæna sive inferioris gradus clericos, sive episcopos ipsos suis metropolitanis apertissime commiserunt, » et reliqua. Et sanctus Bonifacius scribit (*epist.* 3) : « Convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita synodi constitutio Nicænæ, quæ ita incipit [*al.*, præcipit], (ut eadem proprie verba ponamus). Per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere ; nec cuiquam duas esse subjectas. Quod illi (quia aliter credendum non est) servandum sancto Spiritu suggerente, sibimet censuerunt. » Et paulo post : « Quod idcirco dicimus, ut advertat charitas tua, adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. » Distincte igitur Antiochenum decrevit concilium, ut « præter metropolitanum cæteri episcopi nihil amplius agant, nisi ea tantum quæ ad suam diœcesim pertinent, possessionesque subjectas. » Hic diœcesis pro parochia, sicut et alibi, ponitur. Et post aliquanta : « Nec metropolitanus sine cæterorum gerat consilio sacerdotum. » Et non addidit in hac sententia, quod in præcedenti præposuit : nihil amplius sine cæterorum gerat consilio sacerdotum : quoniam sacrum Nicænum concilium (*can.* 6) noverat decrevisse, ut si duo aut tres provinciales episcopi propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum.

Claret igitur fratrem Hincmarum aliter quam debuerat, ad suum sensum inflexisse sententiam Antiocheni concilii, quam idem concilium, sed et sanctus Bonifacius papa intellexerunt, sententiam sacri Nicæni concilii : cum idem sanctus Bonifacius in eodem concilio promulgaverit, « quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. » Et non decrevit, quia non debuit, contra Nicænum et Antiochenum concilium, ut in omnibus rebus metropolitanus omnium coepiscoporum provinciæ consilium semper exspectet : quoniam de omnium negotiis, qui de provincia ad metropolitanum undique concurrunt, semper omnium coepiscoporum consilium expetere vel exspectare metropolitanus non potest, verum nec debet. Sed sicut sanctus Leo ad Anastasium Thessalonicensem scribens (*epis.* 85) : « Secundum sanctorum Patrum canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, metropolitano singularum provinciarum episcopos jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decrevit, ita ut a regulis præstitutis nulla aut negligentia aut præsumptione discedant. » Privilegium suæ sedis metropolitanus eo modo debet exercere, ut ea singulis servari præcipiat ; sicut item Leo ad Hilarium Narbonensem episcopum scribit (*ep.* 92, *ad Rusticum Narbon.*) : « Quæ [Quod] nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inveniatur adversum. » Et hoc est a præstitutis regulis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedere : videlicet ut præstituta pro viribus exsequi metropolitani non negligant, neque præsumptione convellant. Quæ autem secundum præstitutas regulas singulis pro negotiis convenientibus præcipiens, quorumcunque rebellionem vel præsumptionem non potuerit corrigere, sua præceptione debet aut per judices a se datos, aut ex consensu partium electos, corrigere : aut in comprovinciali synodo, secundum sacras regulas, quæ neglecta vel præsumpta sunt, cum consilio episcoporum provinciæ emendare.

Quas sententias sacrorum canonum ab omnibus omnium provinciarum episcopis, præter eum, in istis

regionibus observatas, ante mentis oculos habens, non sæpe memoratam excommunicationem canonicam in Carlomanni complices, sine cæterorum qui adfuerunt, et adesse voluerunt, vel adesse potuerunt consilio vel consensu exerui; et aliorum qui tunc adesse non potuerunt, consensum et consilium requisivi, et obedienter ab illis datum, et missum recepi. Ab eo autem qui adesse potuit, et adesse non voluit, quique de tractatu ex causa Carlomanni et complicum ejus sine conscientia mea discessit, consensum requisivi : et sicut ab antecessoribus et successoribus ejus in ordinatione obtinui, apud illius contumaciam hactenus obtinere non potui.

CAPUT XXII.

Quod in quibusdam Rhemensem ipsum male reprehendit, et de pœna inobedienti irroganda.

Scripsit etiam mihi se miratum valde fuisse, si eum per suum clericum commonere potuissem. Non attendens quia si ipsius metropolitanus est qui sedet in Rhemorum metropoli, et clerici sui est metropolitanus, ad quem secundum sacros canones, totius provinciæ debent convenire omnes qui videntur habere negotia : et ipse præcipere singulis, et in commune omnibus quæ nec præceptis evangelicis contraria, nec decretis sanctorum inveniantur adversa ; et corrigere in singulis singula si quæ fortassis emerserint. Quibus constat etiam per clericum suum metropolitanus eum prævalet commonere, et apud quem, juxta Carthaginenses canones, si est utile, debet et prævalet provincialis episcopus accusari. Et presbyteri, et diaconi, et cæteri inferiores clerici in causis quas habuerint, si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, et ab eis atque a vicinis episcopis ad primatem provinciæ appellaverint, ejus auctoritate suos episcopos regulariter commonere valebunt. Nam et coepiscopi Rhemensis provinciæ in longinquioribus partibus constituti, ex antiquo, metropolitanis litteris per vicinorum episcoporum missos ad synodum vel ordinationem regulariter et jure, sed et de allis quibusqne monentur.

Et subsequitur (*non exstat hæc epistola Laudun.)*: « Quod tamen synodali agendum erat tempore, et judicio, si esset digna ratio unde commoneret. Nam istæ tales vestræ præceptiones non illiusmodi commonitiones sunt : neque mihi aut alicui episcopo per loca diversa, quæ pro vestra commoditate aditis, si impetiar respondendum est, sed in synodo. » Non videns, vel potius arrogantia cæcus videre non valens, quia aliud est, si a quoquam impetitur vel accusatur ; et aliud est, si pro reclamatione alicujus ex sua parochia a metropolitano commonetur, ut ea quæ propere [*legendum videtur* perpere] egit, provincialis episcopus emendare monetur, aut pro causis necessariis consensus illius requiritur. Nam pro omnibus omnium negotiis, qui undique juxta canones ad metropolim suam conveniunt, ad eum commonendum non debet, nec valet metropolitanus synodum convocare.

Reprehendit etiam me, quia Carlomanno, et suis, quibus excommunicationem intentaverat, sed adhuc eam, sicut et ipse scribit, in illios non protulerat, et qui se profitebantur velle corrigere, in sua parochia publice sine suo consensu, benedictionem petentibus dedi. Dicit de quibusdam Scriptura: *Docuerunt linguam suam loqui mendacium : ut inique agerent, laboraverunt (Jer.*, IX, 5); *sed labor labiorum illorum operiet eos* (*Ps.* CXXXIX, 10). Quando fideles senioris nostri qui convenimus tam episcopi quam abbates, et comites, et cæteri ejus fideles ad collocutionem Carlomanni, atque suorum, et persuasimus eis, ut datis et acceptis utrinque obsidibus, a malis quæ perpetrabant in regno senioris nostri, quiescerent, et pacifice ibi degerent, quousque ad senioris nostri indulgentiam pervenirent : cum solvenda erat collocutio, et quique nostrum ad sua redire pararent, tam senioris nostri fideles, quam et Carlomannus et sui, profitentes de correctione sua, benedictionem sibi dari a me, sed et ab aliis qui adfuerunt episcopis, petierunt. Et præmissa sententia Domini, qua præcepit discipulis suis, dicens : *In quamcunque domum intraveritis, dicite : Pax huic domui ; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra : sin autem, pax vestra ad vos revertetur* (*Luc.* X) ; orando, ut confirmaret hoc Deus, quod operatus erat in nobis, et per nos in illis : benedictionem, ut fidelibus, et voluntatem ac devotionem fidelitatis habere profitentibus, dedimus. Docente sancto Gregorio ex legali sententia (*lib.* XII, *ep. ult. interrog.* 9) ut « per alienam messem transiens, manu spicas conterat et manducet ; ut de segete quæ alteri videtur esse subjecta, per effectum boni operis, frumenta Dominica vitiorum suorum paleis exspolietur [*exspoliet*] (*Deut.* XXIII), et in ecclesiæ corpus monendo, et persuadendo, quasi mandendo convertat. « Et canones sacri dicunt (*concil. Antioch.*, can. 22 ; *vide* Anton. August., *lib.* IV *Jur. pontif.*, tit. 50), ut episcopus alienam civitatem quæ non est illi subjecta, non adeat, nec ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet super ordinatione cujusquam ; quod nec me fecisse intelligo ; cum iidem sacri canones dicant : Per singulas regiones episcopos convenit nosse, metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere. Unde in quacunque parochia totius provinciæ visum mihi fuerit, sicut et in Laudunensi parochia sæpe jam egi, secundum Chalcedonenses canones et decreta sedis Romanæ pontificum, libere possum synodum convocare, et corrigere singula, si quæ fortassis emerserint. Non ergo alienam civitatem, quæ non est mihi subdita, adii ; nec ad possessionem quæ ad me non pertinet super ordinatione cujusquam accessi. Quæ etsi Laudunensis parochia mihi in privilegio metropolitanæ sedis non esset subjecta ; de segete quæ alteri videbatur esse commissa, per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis exspoliare, et in Ecclesiæ corpus monendo et persuadendo, quasi mandendo, libere possem convertere.

Sed et quod scripsimus in epistola de excommu-

nicatione complicum Carlomanni, per diversos archiepiscopos dirigenda, dicentes : « Ea videlicet conditione, ut secundum formam mystici Nicæni concilii, et Africæ provinciæ canonum, juxtaque apostolicæ sedis decreta pontificum Siricii, Innocentii, Cœlestini, Leonis, ubicunque fuerint, ultima pœnitentia, et necessarii viatici communio petentibus non negetur. » Secundum suam singularem sapientiam corrigit, scribens in sua rotula : « De viatico autem illis concedendo, non nisi per professionem, etiamsi in ultimo sint positi, videlicet ut si postea convaluerit, quisquis eorum vitiaticum in infirmitate positus petierit, profiteatur non ulterius se talia acturum, neque talia agentibus se participaturum. Quoniam in suis ita sanctus papa Gelasius instituit constitutis ; sententia præfigitur, vel præfixa est semper errori. Quæ sententia huic errori præfixa, nunquam omnino resolvetur. » Qua de re quid est nobis agendum, nisi intremus apud illum in scholam, et nos magistrali ferula doceat, quod Patres qui in Nicænum concilium convenerunt, et canones spiritu Dei conditos, mansurasque usque in finem sæculi leges præfixerunt ? Sed et episcopi Africæ provinciæ, inter quos et famosissimus Augustinus, non parva Christi portio, et Ecclesiæ catholicæ institutio, atque defensio, exstitit, nescierunt, vel obliti fuerunt ? Sed et Siricius, Innocentius, Cœlestinus, et Leo percipere non potuerunt ? Verumtamen quia nobis de hac causa sufficit tantorum, quorum formam præmisimus, catholica et salutaris doctrina ; cui ex superfluo, vel potius ex angustia quiddam, quasi dissimulando, superaddere voluit ac præsumpsit ; quoniam eum repercussit, contra quam in sua perniciosa excommunicatione agere non pertimuit : et ideo sui consensus litteras in præscriptis canonum et decretorum apostolicæ sedis pontificum diffinitionibus mittere mihi ausus non fuit. Et accidit illud quod scriptum est : Qui fugerit arma ferrea, irruet in arcum æreum. Dum enim vitare voluit, ne contra suæ perniciosæ excommunicationis præsumptionem in consensu sibi mandato a me, scriberet, et de ipsa præsumptione illicitæ excommunicationis, et de contempto privilegio suæ metropolis, et de inobedientia contra suam professionem et subscriptionem, in judicium sacrarum legum, et canonum et decretorum apostolicæ sedis pontificum irruit. Et ut statueret suam sententiam, posuit in eodem suo scripto testimonium contra se beati Augustini ex libro de fide et operibus, de discretione correptionis et excommunicationis ; et quasi fugiens a facie leonis, irruit ursum ; et in domo innisus parieti, momordit eum coluber. Id est, testimonium contra se a se ipso in scripto suo positum ex scripturis illius, qui exaltatus et in cruce, sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto. « Non est, inquit Augustinus in testimonio ab Hincmaro posito *(lib. de Fide et operibus)*, contrarius apostolus Domino, quia dixit : Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant : cum ille dicat, corripe eum in-

A ter et ipsum solum. Utrumque enim faciendum est, sicut infirmitatis diversitas admonet eorum, quos utique non perdendos, sed corrigendos curandosque suscepimus. » Quæ verba testimonii a se in scripto suo positi si attenderet, illam perniciosam excommunicationem ad perditionem multorum, quos non perdendos, sed corrigendos curandosque suscepit, intentare nequaquam præsumeret. Quo contra Salomon dicit : *Sicut spina in manu temulenti : sic et in ore stulti parabola* (*Prov.* IX). Ut enim temulentus spinam in manu gerens seipsum vulnerat ; ita qui incautus est ad loquendum, sententia sua se percutit. Et item in eodem testimonio beatus Augustinus dicit : « Ita etiam est ratio dissimulandi, et tolerandi malos in Ecclesia : et est rursus ratio casti-

B gandi, corrigendi, non admittendi, vel a communione removendi. Errant autem homines non servantes modum ; et cum in unam partem proclives ire cœperint, non respiciunt divinæ auctoritatis alia testimonia, quibus possunt ab illa intentione revocari, et in ea quæ ex utrisque temperata est, veritate et moderatione consistere. » Et si hanc discretionem corripiendi et excommunicandi, aut dissimulandi et tolerandi malos in Ecclesia, quam beatus Augustinus dixit, et ex verbis sacri eloquii ratissimam demonstravit, frater Hincmarus attendens a metropolitano suo semel et secundo ex evangelica veritate, et apostolica atque canonica auctoritate, et decretis apostolicæ sedis commonitus, ut eamdem perniciosam excommunicationem resolveret, in pertinaci contumacia sua in suum periculum non persisteret.

C Contra cujus inobedientiam, qui mihi, suo metropolitano, litteras sui ex hac causa consensus contumaciter mittere recusavit, quid sacræ leges et regulæ dicant, subjungam : Honorius et Theodosius Augg. in legali edito suo, directo Aurelio Carthaginensi archiepiscopo, decreverunt, dicentes : « Religio itaque tua competentibus scriptos universos episcopos faciat admoneri, scituros diffinitione sanctimonii tui hanc sibi diffinitionem esse procriptam, ut quicunque damnationi supra memoratorum, quo pateat mens pura, subscribere impia obstinatione neglexerint, episcopatus amissione multati, interdicta in perpetuum, expulsi civitatibus, communione priventur. » Et paulo post : « Una enim eademque culpa est eorum qui aut dissimulando cohibentiam, aut

D non damnando favorem noxium præstiterunt. » Et hinc S. Gregorius ad Felicem episcopum in Sardica (*lib.* IV, *epist.* 7) : « Qualiter, inquit, obedientia, vel sit reverentia præpositis exhibenda, ex tuis quoque subjectis ipse non ambigis. In qua re valde est utile, si id quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente humilitas laudanda servaverit. Pervenit ad nos itaque quod fraternitas tua Joanni fratri nostro, primæ Justinianæ episcopo secundum morem constitutum [*al. abest* constitutum] parere despiciat, et nec decreto ejus, nec relatione [*al.*, relationi quam ad no direxit] juxta consuetudinem, voluisset subscribere Quod si ita est, contristamur, quia superbiæ de t

manifeste præbes indicium : quod quam sit, præsertim in sacerdote, culpabile, divinæ clementia monitionis eloquitur [*al.*, divinæ admonitionis clamant eloquia]. Propterea hortamur, ut mentis tumore deposito, antedicto fratri et coepiscopo nostro humilem te exhibeas, et parere non desinas : quatenus et Deus gaudeat in fraternitatis vestræ concordia, et alii de te sumant bonitatis exemplum. Nam si, quod non credimus, te in superbia permanere contigerit, districtam canonicamque disciplinæ correctionem contumaciæ tuæ scito sacros canones ulciscenter imponere [*al.*, nos scito ulciscenter imponere]. Bene ergo facis talem te sponte salubri consideratione præbere, qualis esse canonica coercitione [*al.*, coerctione exigente] compelleris. Nam nec tibi denuo post hanc nostram admonitionem licebit ad tuæ voluntatis arbitrium, contra morem, majoribus tuis inobedientem existere : nec nos tantæ indisciplinationi ecclesiasticam cognoscas dissimulare vel differre vindictam. » Unde attendentes judicii comminationem beati Gregorii, contra inobedientiam archiepiscopo suo, qua dicit : « Denuo post hanc nostram admonitionem nec tibi licebit ad tuæ voluntatis arbitrium, contra morem, majoribus tuis inobedientem existere : nec nos tantæ indisciplinationi ecclesiasticam cognoscas dissimulare, vel differre vindictam. » Discernite utrum quod in terris consistens, et conversatione in cœlis habitans intentavit ; et adhuc nobiscum in suis constitutionibus vivens, de cœlo in hujusmodi creditur intentare, post tot commonitiones, vindictam tantæ indisciplinationi istius regularum contemptoris dissimulare, vel differre diutius debeamus, nos qui per Dei gratiam ad cœlestia suspiramus.

CAPUT XXIII.

Quod Hincmaro eidem Rhemensi traditionis crimen per calumniam imponit.

Post tantas denique, et alias plures, quas vitando prolixitatem prætereo, commonitiones et sacras auctoritates a me illi prolatas ; sicut Dominus de rebellante adversum se populo queritur : *Curavimus Babylonem, et non est sanata*. Et : *Versa est mihi domus Israel in scoriam* (*Jerem.* LI) ; accidit mihi ab illo, quod Salomon dicit : *Acetum in nitro ei qui cantat carmina corde pessimo* (*Prov.* V). « Acetum, inquit Gregorius, si mittatur in nitrum, fervescit nitrum protinus, et ebullit : et perversa mens quando per increpationem corripitur, nec per prædicationis dulcedinem ad bona suadetur, et correptione fit deterior, et inde in murmurationis iniquitatem succenditur, unde debuit ab iniquitate compesci. » Unde subsequitur in rotula nuper IV Kal. Julias præsentis indictionis 4 mihi directa.

« Nulla, inquiens, consanguinitatis pietate restricti, sed neque aliqua archiepiscopalitatis præstabilitate aut probitate, ab orgis (*f.* ὀργῇ) justitiam non operante retenti, suadentes, ac imo compellentes me tradendo, ut a regia potestate mancipärer custodiæ, scribentes litteris vestris ad eum ita : Et cum Silva- A nectis venerit, habe tales homines strenuos ac peritos, sicut opus est ad talem bestiam capiendam. Et ad Odonem complicem vestrum, sic, ut quando ad synodum venerimus, Deus poterit dare nobis quid loquamur : usquedum de isto indomabili unicornio et inquieto animali nos liberabit. Hæc autem perficere laborare non cessastis, a tempore quo synodum in Suessionica civitate pro depositione Rothaldi habuistis : eo quod renitebar substitui contra sacras regulas in ejus loco episcopum, antequam universalis papa pro tanto consuleretur, ut auctoritas se habet, negotio. Quod dum ante efficere non valuistis, quia nondum venerat hora mea, in Silvaco compote estis potiti voto. Et hoc vos egisse Rhemi mihi negastis ; quod tamen tunc vobis aperte dicere B nolui. »

De quibus scribo. Lex Justiniani dicit, ut « metropolitanus vel primas provinciæ, de ecclesiastico jure, vel de aliis negotiis inter conquirentes audiat : et quod ecclesiasticis canonibus et legibus nostris consentaneum sit, hoc diffiniat, et nulla pars valeat calculo ejus contradicere. » Et hinc beatus Gregorius sæpe numero in suis ex Regesto decretis præcipit, ut « secundum leges et canones ecclesiastica judicia terminentur. » Et sacra leges, quas Ecclesia catholica recipit, dicunt : « Quoniam confiteri quisque in judicio, non tantum sua voce, sed et litteris, et quocunque modo potest : convinci autem non nisi Scriptura aut testibus potest. » Et de clericis, in posteriori lege Majoriani abrogatum demonstrant, ut *clerici per compromissi vinculum non adeant episcopale* C judicium. Et item leges sacræ dicunt, ut in criminalibus causis nec accusator, nec accusatus per procuratorem, aut aliam personam defensare se permittantur, nisi ingratum libertum patronus accuset. Et in causa capitali nemo damnatur, neque absens per alium accusare aut accusari potest ; nisi forte accusatus legaliter ac regulariter evocatus (quia, ut scribit Gelasius : « Ita vocatur ad judicium certa quæcunque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis ») ad purgandum se, contra evocationis regulam venire distulerit, ut secundum leges, et decreta Gregorii, in eum, quasi in contumacem proferatur sententia. Et secundum leges et canones, ut dicit Felix, « respondere diffidens, objecta confirmat : » quatenus ut Bonifacius papa decrevit, « dilaD tionem sententiæ de absentia non lucretur. » Cujusmodi judicio et accusator secundum leges et canones subjacebit, si accusationem suam legalem, ac regularem prosecutus non fuerit ; ut aut quæ objecit, legaliter ac regulariter comprobet, aut falsitatis reus judicio legali ac regulari subjaceat. Sicut in legis Theodosianæ lib. IX, c. 26 et 27, in Carthaginensis concilii c. 19, et Africani concilii c. 27, evidenter ostenditur. Sed et conspirans cum propria plebe, et nonnunquam vocatus ad concilium venire detractans, putans sibimet plebem suam posse sufficere, fraterna dilectione contempta ; non tantum diœcesim amittere, verum et auctoritate publica ab

ipsa principali cathedra removeri, et propriis carere, ut rebellis, præcipitur : sicut in vigesimo capitulo Africani concilii continetur.

Cæterum, quia gravissima ex hoc crimine judicia et in legibus sacris, et in ecclesiasticis regulis demonstrantur, tam in accusatum, quam in per calumniam accusantem, et non probantem ; sive præsens in judicio Hincmarus a se objecta prosequatur ; vel objectis sibi respondeat ; sive sæpius regulariter evocatus adesse neglexerit : necesse erit ex utrisque partibus veritatem inquiri, et quæ inventa fuerint, juste et rationabiliter diffiniri. Dicit namque suum me traditorem, id est proditorem, videlicet episcopum episcopi delatorem. Et historiæ, ac chronicæ ecclesiasticæ adstruunt, præcipue chronica Prosperi, Cæciliano Ecclesiæ Carthaginensis episcopo objecta crimina non probata fuisse ; maxime quod a traditoribus divinarum Scripturarum fuerit ordinatus. Et non leve crimen est, si ego qualiscunque archiepiscopus per me Domino consecratum episcopum tradidi. Unde et signa litterarum mearum, quibus recognoscerem me suum traditorem mihi isdem frater noster ad comprobationem producere [*deest* debet]. Sicut et de traditore domini nostri scriptum est : quia traditor eis, quibus eum tradebat, dedit signum, ut quemcunque osculatus fuisset, ipsum tenerent (*Matth.* XXVI). De quo idem Dominus ad Pilatum dicit : *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet* (*Joan.* XIX). Duarum quoque epistolarum mearum verba mendose, ac si duos testes adversum me in testimonium protulit : ut et in accusatione summi capitis nostri factum fuisse legimus. « Omnes, inquit Gregorius, electi, quia summi capitis membra sunt, caput quoque suum in passione sequuntur, ut ipsos adversarios in sua morte sentiant, de quorum vita præsumebant ; et tanto eis crescat merces operis, quanto eis virtutis lucrum proficit et ex alienæ damno charitatis. »

Sanctus autem Zosimus papa ad Aurelium, et ad universos episcopos per diversas provincias constitutos scribens (*epist.* 6), ostendit quantum scelus sit traditionis, dicens : « Lazarus dudum in Taurinensi concilio præmissorum [*al.*, gravissimorum] episcoporum sententiis pro calumniatore damnatus, cum Briccii [*al.*, Brissi] innocentis episcopi vitam falsis objectionibus appetisset. Post vero indebite [*al.*, indebitum] ab eodem Proculo, qui inter cæteros in synodo damnationi ejus assenserat [*al.*, synodo damnationis ejus accesserat], sacerdotium consecutus est, a quo se ipse vitæ suæ conscientia datis litteris in abdicatione [*al.*, abdicationem] sui sua sponte submovit. » Et in lib. VIII Theodosianæ legis, c. 29, de calumniatoribus scriptum est : « Gratianus, Valentinianus, Theodosius AAA. Hellibico comiti, et ministro utriusque militiæ. Non est ratio qua manifesti calumniatoris supplicium differatur. Non enim patimur frequenter iterari, quæ consistere prima accusatione non quiverint ; atque alienam innocentiam securitatemque sine crimine, damnabili appetitione terreri. Data III Kal. Jun. Merobaude et Saturnino Conss. » Iidem Augusti Menandro Vicario Asiæ : « Nostris et parentum nostrorum constitutionibus comprehensum est, eos qui accusationem alienis nominibus præsumpsissent, delatorum numero esse ducendos. Atque ideo calumniosissimum caput et personam judico irritæ delationis infamem deportatio sequatur : quo posthac singuli universique cognoscant, non licere in eo principum animos commoveri, quod non possit ostendi. Data Idus Maias, Arcadio et Bautone Conss. » Et item Arcadius et Honorius AA. Victuro proconsuli Africæ : « Innocentes sub specie falsæ criminationis non patimur callidorum impugnatione subverti : qui si tentaverint, intelligant sibimet severitatem legum pro commissis facinoribus incumbere. Data IV Id. Mart. Mediolano. Honorio August. III et Eutychiano Conss. » Et item ibi post alia : « Calumniatores etiam sunt, qui falsa deferentes contra cujusque innocentis personam, principum animos ad iracundiam commovere præsumunt ; qui omnes infames effecti, in exsilio detrudentur. » Et in lib. X, c. 5, de delatoribus lex promitur, quam idem frater in suis compilatis quaterniunculis synodo apud Attiniacum præsentatis subscripsit, et subscribi a suis clericis fecit. Quæ quia ecclesiasticis judiciis de ministris ecclesiasticis non convenit, hic eam mittere supersedi.

CAPUT XXIV.

Illa calumnia tabulis testibusque productis a Rhemensi dissipatur.

(*Lib.* LV, *cap.* 40.) Et quia dixit, « suadente, ac imo compellente me tradendo, ut a regia potestate manciparetur custodiæ, » domnus rex præsens, si dignatus fuerit, veritatem coram vobis hinc dicere potest, quia nullus eo melius scit, si ipsum fratrem nostrum tradidi, et ei suasi, vel consilium illi dedi, sive consensum præbui, ut eum regia potestas manciparet custodiæ. Nam quando suis jussionibus resultabat, et adversus eum rebellabat, domno regi misit litteras suas, quas mihi dominatio sua direxit, mandans ut apud Silvacum ad eum venirem ; et antequam illuc venirem, litterariam responsionem de litteris Hincmari remandarem. Et quoniam mihi contra fidem, et bonos mores nihil mandavit, et apostolica regula nobis præcipit, ut « subjecti simus regi, tanquam præcellenti, » feci de jussione illius ut potui, et istiusmodi litteras exinde illi direxi.

« Domino glorioso, etc. Charissima et reverentissima dominatio vestra, » etc. *Hanc item habes inter epistolas Hincmari nostri.*

Ego ita sicut hic posui, me scripsisse non denego Quo contra ipse scribit, me scripsisse domno regi cum Silvanectis venerit, habere tales homines strenuos et peritos, sicut opus est ad talem bestiam capiendam. Et quomodo ad tradendum eum Scriptura mea conveniat, quæ salutem illius, et non traditionem quæsivit ? vos judicate. Et alteram domno regi

ex eo direxi prolixam epistolam, cujus exemplar hic habeo; in qua continetur ad locum :

« Ego autem sic hæc quæ acta sunt, progredi timeo, et sic doleo; licet isdem Hincmarus sicut ad me pro certo per eos qui ab ipso audierunt, et ejus frendentes motus cum de me loquitur, vident, perventum est, mihi hoc totum reputat, quod vos a me provocati, quidquid contra eum egistis et agitis, dicens quod hæc omnia meo consilio et instinctu agatis. Quod non esse verum, melius ipsi scitis. » Et item ad locum in eadem epistola : Quod autem jussistis ut consilium qualiter contra contumaciam Hincmari vobis agendum sit remandare procurem, cum venia vestræ dominationis respondeo, hoc mihi non modo difficile, verum etiam mihi videtur impossibile. » Et paulo post : « Sicut vobis sufficienter est cognitum, sacros præcipere canones de causa episcopi, maxime unde regia vestra potestas læsam se queritur : et apostolicæ sedis auctoritas contentiose, sicut mihi relatum est, in medium devocatur, sine coepiscoporum tractatu atque consensu sententiæ consilium dare, vel quiddam diffinire non valeo. »

Odoni autem epistolam pro eo, misi, interroganti quid vellem, ut Hincmaro daret consilium : unde illi prolixas litteras misi (*non exstant*), quarum exemplar hic habeo alteram autem eidem fratri Odoni pro Hincmaro misi epistolam, cujus exemplar et hic habeo, in qua continetur : « Quantum potes animum domni regis modifica, » etc. *Reliqua habes inter easdem epistolas.*

Tertiam quoque eidem fratri pro eo misi epistolam, cujus exemplar hic habeo, in qua continetur : « Multum timeo ac doleo, » etc. *Vide ubi supra.*

Ego sic scripsi. Et Hincmarus dicit me ad complicem meum Odonem scripsisse, ut « quando ad synodum venerimus, Deus poterit nobis dare quid loquamur, usque dum de isto indomabili unicornio, et iniquieto animali nos liberabit. » Quæ Scripturæ quantum inter se discordent, ratio manifesta demonstrat. Nam etsi ita, ut dicit Hincmarus, ad Odonem scripsissem : non tamen ibi colligere poterat illius traditorem me fore : cum etiam in litteris suis me dicat dixisse : « Quando ad synodum venerimus, Deus poterit nobis dare quid loquamur. » Quæsivi enim inter exemplaria litterarum exemplar epistolæ in qua hæc verba quæ dicit, contineantur, sed invenire non potui. Et licet eum unicornem, scilicet indomabilem bestiam in meis litteris appellarem, non criminaliter peccatum committerem. Cum B. Gregorius exponens sententiam Domini ad Job dicentis : *Nunquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo?* (*Job* XXXIX.) de suo imperatore dicat : « Sæpe, inquiens, vidisse me memini quod cum se ad feriendum graviter hic rhinoceros accenderet, quasi elevato cornu bestiolis minimis mortis exsilia, damnationemque subjectis immensis terroribus intentaret, repente fronti signo crucis impresso, omne in se

A incendium furoris exstinxit. » Et utinam hic rhinoceros noster signum crucis fronti et cordi imprimeret, et e suæ contumaciæ ferocitate semetipsum exstingueret, et se alterum faceret : ut cum Apostolo dicere possit : *Vivo ego, jam non ego; vivit autem in me Christus* (*Galat.* II). Unde Gregorius : « Exstinctus quippe fuerat sævus ille persecutor, et vivere cœperat pius prædicator. » Afferat autem litteras meas de quibus hic scripsit, et proferat eum qui eas illi dedit, et cognoscatur inde veritas. Nam quod dicit, mihi restitisse de Rothado : subscriptiones manus suæ, quas habeo, inde mendacii eum redarguunt, ostendentes, quia nihil de Rothado decrevi, val de ordinando alium in locum ejus feci, quod mecum ipse non fecerit : sicut et synodalia

B gesta apostolicæ sedi directa, quibus ipse subscripsit, patenter ostendunt.

Cæterum veni ad domnum regem ad Solarium in Cippido (*Suyppe)*, et ei litterarum responsionem de suis et Hincmari litteris detuli. Quam responsionem coram me, et Odone episcopo, et Ottulfo, atque Hildeboldo tunc presbyteris, sed et coram Eirico comite, et non recordor aliorum nomina qui ibidem adfuerunt, Hincmaro dedit, et locum super noctem [*f.* noctem super locum] ad legendum concessit. Et in crastina ad regem reversus, quia in solita contumacia pertinaciter perstitit, ut nec ego, nec frater Odo, nec etiam qui adfuerunt alii quiddam rationis, vel humilitatis, aut episcopalis gravitatis obtinere apud eum potuimus : licentiam apud domnum regem petii : et quia satis infirmus eram, ad mansionem secessi. Si

C autem quiddam de traditione illius, vel de custodiæ mancipatione cum domno rege aliquid locutus fui, non solum domnus rex hoc melius sapit : verum et isti religiosi episcopi Odo, et Ottulfus, et Hildeboldus, veritatem nobis pro amore ipsius veritatis possunt edicere, et me aut noxium, aut innoxium de hac calumnia pronuntiare. Scriptum est enim : *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum* (*Matth.* XVI; *I Tim.* 5). Et Apostolus accusationem sub duobus, vel tribus testibus adversus presbyteros, recipi posse ostendit. Et Nicænum concilium (*can.* 2), Neophytum episcopum a duobus vel tribus testibus redargutum, abstinere a clero præcipit, si aliquod delictum animæ circa personam reperiatur hujusmodi. Sed et quia, ut supra posui, sacræ leges di-

D cunt, quia convinci nemo potest, nisi scriptura vel testibus : audistis scripturas et suas, et meas, de quarum certitudine cum domni regis, et istorum episcoporum attestatione legaliter ac regulariter potestis discernere, atque decernere, si præfata judicia legum, et Zosimi, in eum qui me falso est calumniatus, recidere debeant; quæ in me procederent, si me per calumniam delatorem suum probare valeret.

Quæ, et alia, de aliis mihi ab eo illatis, non causa mearum injuriarum dico : sed zelo Dei et ecclesiasticarum regularum, atque divinæ ordinationis, secundum paternas constitutiones : ne pro loci mei

officio damnari ex negligentia debeam; sed, sicut B. Gregorius in regula pastorali demonstrat, eumdem zelum postmodum, inter me et illum, fortem munitionem habeam, ne tunc ad vindictam sim destitutus, si nunc in correctiones fuero dissolutus. Nec non ut et de me veritas, et litterarum illius falsitas, cunctis ejus accusationes et meas excusationes legentibus liqueat. Et si fortassis idem frater Hincmarus ideo subscripsit, et subscribi ab ecclesiasticis Ecclesiæ suæ ministris fecit, ut delatori, juxta forenses leges, aut lingua capuletur, aut caput amputetur, quatenus in me, quem suum delatorem postea scripsit, hæc vindicta procederet: egit præpropere, et contra ecclesiasticam disciplinam, ut antequam me confessum, vel ordine regulari convictum videret: judiciali me sententia, et illa maxime, quam non recepit censura ecclesiastica, condemnaret.

CAPUT XXV.

Aliam nepotis calumniam de contemptu pontificiæ excommunicationis dissipat avunculus.

Aliam quoque rotulam nimis prolixam præterito anno, Idibus Novembris, 4 indictionis, per Clarentium presbyterum suum direxit, in qua contra me scriptum habetur. « Non mihi, inquit Hincmarus, videtur dignum excellentia vestra fuisse, ut diceretis Berthario quod mihi renuntiavit vos dixisse: Si eos præsignatos meos excommunicassem homines, qui talia agerent, et adhuc agunt, non eos excommunicatione teneri, videlicet anathematis vinculo non ligari. Sed non est mirum, si parvitatis mea excommunicationem parvipenditis, ac forte irrationabilem judicatis, quando apostolicæ sedis excommunicationem et pro nihilo ducitis, et pro nihilo ducendam, ut pote absurdam, judicatis. »

De qua calumnia mihi illata, quia S. Gregorius in libro ex Regesto frequentissime dicit, secundum leges et canones, causas investigari debere, et judicia terminari, legantur leges et canones. Dicunt enim antiquorum Patrum nostrorum regulæ (*concil. Tolet.* III, c. 9, q. *Dignum est)*: « Dignum est, ut vita innocentis nulla maculetur pernicie accusatoris. Ideo quisquis a quolibet criminetur, non ante accusatus supplicio detur, quam accusator præsentetur, atque legum et canonum sententiæ exquirantur. Quod si indigna ad accusandum persona invenitur, ad ejus accusationem non admittatur. Et, quod si episcopus aliquem de crimine putat esse damnandum, accusatoris vice discutiendum se sciat. Fas est enim ut, quæ uni probantur, probentur et omnibus. » Quos canones si, ut solet ea quæ contra illum faciunt, refutare voluerit, audiat, quid hinc Leo papa ad Maximum Antiochenum episcopum dicat (*epist.* 62): « Quidquid, inquiens, propter [*al.*, præter] speciales causas sydonalium conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est a sanctis Patribus apud Nicæam diffinitum. Nam quod ab illorum regulis et constitutionibus (*al.* constitutionisque] discordat, apostolicæ sedis nunquam poterit obtinere [*obtinebit*]

A consensum. » Et Antiochena synodus (*can.* 20), perfectum illud esse concilium, ubi interfuerit metropolitanus antistes. Et Zosimus papa in epistola ad universos episcopos per diversas provincias constitutos, provincialem Gallicanorum episcoporum synodum approbat, dicens: « Lazarus, inquit, dudum in Taurinensi concilio gravissimorum episcoporum sententiis pro calumniatore damnatus, cum Briccii innocentis episcopi vitam falsis objectionibus appetisset. » Et Africæ provinciæ canones (*conc. Afr.* c. 97, *Cod. can. Eccl. Afric.*, can. 130): « Causæ, inquiunt, quæ communes non sunt, in suis provinciis judicentur. » Et Africanum concilium decrevit, ut « quotiescunque clericis, cum quibus et episcopi numerantur, ab accusatoribus multa crimina objiB ciuntur, et unum ex ipsis, de quo prius egerit, probare non valuerint, ad cætera non admittantur. » Et sacræ leges dicunt, quia nemo convinci nisi scriptura aut testibus potest. Et Gelasius in Commonitorio Fausto legatione fungenti dato, de episcopis prævaricatoribus: « Quid tamen dicerent, si non chartis suis in omnibus vincerentur? » Et Africanum dicit concilium (*can.* 131): « Testes ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt: vel etiam quos ipse accusator de domo sua produxerit. » Et item sacræ leges dicunt: Unius testimonium, quamlibet splendida e[t] idonea videatur esse persona, nullatenus audiendum.

Unde quia scriptura quam frater Hincmarus calumniatus est impræsentiarum habetur: aut produC cantur ab accusatore adversum me legales et regulares testes, vel scriptura, qua me de hac calumnia qua dicit excommunicationem apostolicæ sedis e[t] pro nihilo me ducere, et pro nihilo ducendam, utpote absurdam, prædicare. Quod si agi ab eo, vel quoquam nequiverit: leges et regulæ de calumniator[e] sententiam proferent. Et veniet frater Berthariu[s] diaconus, in præsentiam vestram, quem sibi Hincmarus renuntiasse dixit, me illi dixisse, quod s[i] præsignatos suos homines excommunicasset, qu[i] talia scillicet contra leges ecclesiasticas egerunt, [et] adhuc agunt, non eos excommunicatione teneri, vi[de]licet anathematis vinculo ligari. Et quia discre[pat] est ista Hincmari in scriptura sua sententia, quia [de] sua excommunicatione a me annullata ad Berthariu[m] D se reclamat (*lib.* LV *cap.*, c. 29), liceat mihi legalit[er] ac regulariter in præsentia vestra confligere cu[m] eodem Berthario.

CAPUT XXVI.

Sensum suum catholicum de summa sedis apostolicæ in solvendo ligandoque potestate publi[ce] profitetur Hincmarus.

De eo autem quod dicit idem Hincmarus: « S[ed] non est mirum, si parvitatis meæ excommunicatione[m] parvipenditis, ac forte irrationabilem judicat[is] quando apostolicæ sedis excommunicationem et p[ro] nihilo ducendam, utpote absurdam, prædicatis » cum eo legaliter, ac regulariter est mihi, consilio

auxilio vestro agendum. Qualiter autem de apostolicæ sedis, quæ est omnium Ecclesiarum in toto orbe terrarum mater et magistra, et cujus pontifex, patriarcha est patriarcharum, et primas primatum cunctarum provinciarum, ligatione atque solutione sentiam atque teneam, ut sciatis mandaciter hinc me ab Hincmaro calumniatum; quanquam decernat Africanum concilium, « ut quotiescunque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, et unum ex ipsis, de quo prius egerit, probare non valuerint, ad cætera jam non admitantur : » coram vobis expono, sicut corde credo ad justitiam, et ore confiteor ad salutem.

Et sicut ex doctrina beati Leonis, ejusdem sanctæ et primæ sedis pontificis didici, qui in sermone sui natalis (*serm.* 3), inter cætera dicit : « Quod dicitur beatissimo Petro : Tibi dabo claves regni cœlorum, et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis, et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis; transivit quidem etiam in alios apostolos jus istius potestatis, et in omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit : sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur. » Manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur æquitate judicium : nec nimia est vel severitas vel remissio, ubi nihil est ligatum, nihil solutum, nisi quod B. Petrus aut ligarit, aut solverit : qui regem cœlorum ut Augustinus et cæteri doctores exponunt, majore præ cæteris devotione confessus est; merito præ cæteris ipse collatis clavibus regni cœlestis munere donatus est : ut constaret omnibus, quia absque ea confessione ac fide regnum cœlorum nullus possit intrare. Claves autem regni cœlorum, ipsam discernendi scientiam, potentiamque judiciariæ potestatis nominat, qua dignos recipere in regnum, indignos secludere debet a regno. Unde Dominus manifeste subjunxit : *Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis (Matth.* XVI).

Quæ solvendi ac ligandi potestas, quamvis soli Petro data videatur a Domino; absque ulla tamen dubietate noscendum est, quia et cæteris apostolis datur, ipso teste, qui post passionis resurrectionisque suæ triumphum apparens eis *insufflavit et dixit* omnibus : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis retenta sunt* (*Joan.* XX). Nam sicut interrogatis generaliter omnibus, Petrus respondit unus pro omnibus; ita et quod Petro Dominus respondit, in Petro omnibus respondit : Necnon etiamnunc in episcopis ac presbyteris omni Ecclesiæ officium idem committitur, ut videlicet agnitis peccantium causis, quoscunque humiles ac vere pœnitentes respexerit, hos jam a timore perpetuæ mortis miserans absolvat : quos vero in peccatis quæ egerunt persistere cognoverit, illos per [*deest* eam] omnibus suppliciis obligandos insinuet. Unde alias Dominus, de correpto semel et iterum, ac tertio, sed non pœnitente fratre, præcepit dicens : *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus (Matth.* XVIII). Et ne leve quisque putaret Ecclesiæ se judicio condemnari, mox terribiliter adjunxit : « Amen dico vobis : Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo *(Matth.* XVIII). » Omni igitur electorum Ecclesiæ, juxta modum culparum, vel pœnitentiæ, ligandi ac solvendi datur auctoritas. Sed idem beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claves regni cœlorum, et primatum judiciariæ potestatis, et curam pascendarum ovium Dominici ovilis accepit; et in primatu illius successores ipsius in sede ejus acceperunt : ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab unitate fidei, vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possunt regni cœlestis ingredi.

De qua obligatione vel solutione episcopali, quod nobis apostolicæ sedis filiis ac discipulis, satis tremendum, et cavendum, atque observandum est, S. Gregorius in homilia Evangelii dicit : « Sæpe in ligandis ac solvendis subditis pastor suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Unde fit, ut ipsa hac ligandi et solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, et non pro subjectorum moribus exercet. Unde recte per prophetam dicitur : *Mortificabant animas, quæ non moriuntur : et vivificabant animas, quæ non vivunt (Ezech.*XIII). « Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat; et non victurum vivificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur : ac sæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatos solvat. Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda.

Cæterum sicut B. Augustinus, et cæteri catholici doctores dicunt, non sunt ligamenta vel solutiones sanctæ Ecclesiæ, quæ contra sanctam Ecclesiam fiunt; vel ab his fiunt, qui contra dogmata catholicæ Ecclesiæ sentientes, contraria ipsi Ecclesiæ ligant, vel solvunt. Sancta quippe Ecclesia dicit : *Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Ovidi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo. Lavabo inter innocentes manus meas* (*Psal.* XXV). In cujus solius catholicæ Ecclesiæ unitate, quæ per hæreses et schismata non est divisa, ut vera sunt sacramenta, ita vera sunt ligamenta atque solutiones; quæ ædificata est super petram : quæ unica columba appellatur : quæ sponsa pulchra sine macula et ruga : et hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum, locus penes Deum in quo solide statur, et locus auro in quo confletur; et domus Dei quæ claves regni cœlorum accepit, ac potestatem ligandi et solvendi. Hanc domum si quis corrigentem corripientemque contempserit, præcipitur a Domino ut *sit sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII).

Ita de ligatione et solutione sanctæ catholicæ Ecclesiæ, et apostolicæ sedis pontificis, sed et subjectorum sibi episcoporum ex ejusdem apostolicæ sedis doctrina credendum, et tenendum, atque sequendum accepi : et ita credo, teneo, et sequor. Et qui aliter de me dixit atque dixerit, ostendet se esse malivolum, et me probare non poterit non esse catholicum : se autem comprobabit mendacem criminatorem, et non criminis esse me reum. Quæ autem mihi discenda sunt, et libenter et obedienter ab illius summæ sedis catholica doctrina paratus sum discere, tenere, et loqui; quæ in primatu B. Petri, cui Dominus trina repetitione pascendas suas oves commisit (*Joan.* XXI), et ut confirmaret fratres suos præcepit (*Luc.* XXII), privilegium primatus omnium Ecclesiarum in toto orbe terrarum accepit.

CAPUT XXVII.

Quod plura falso narrat de litteris apostolicis secum non communicatis.

Isdem etiam frater noster Hincmarus, mihi litteris suis impegit noxam non levem : si verum diceret, me commisisse contra eamdem sanctam et apostolicam sedem, dicens : « Vocastis me litteris vestræ auctoritatis Attiniacum ad synodum, intimantes quia litteræ domni apostolici domno regi Carolo, et regni ipsius episcopis directæ fuerunt, de quibus sine synodali consultu responderi non poterat. Quamvis has litteras in Gundulfi villa (*Houdilcourt*) suscepissetis, ubi et præsens adfui : quas mihi ibidem nullatenus ostendistis. Cum autem Attiniacum veni, dedistis mihi quasi exemplar earumdem, legere me rogantes, et sic statim inde me respondere, et ut perlegens idipsum exemplar vobis protinus redderem, præcepistis. Sicut autem postea per aliud dedici exemplar, plura indiculo vestro mihi ostenso defuerunt. »

Quæ dicta illius non sunt vera. Nam ipsa die quando missi domni apostolici, in Gundulfi villa ejus epistolas in præsentia regis et episcoporum, et cæterorum fidelium qui ibi aderant, mihi dederunt : sicut et domnus rex scit, et episcopi, ac cæteri in quorum præsentia epistolas illas accepi, antequam de ipsa domo exirem, audiente rege, et audientibus episcopis, et cæteris qui ibidem fuerunt, eas relegi. Et si Hincmarus ibi fuit, et audire eas voluit, sicut et cæteri eas audierunt, audire modis omnibus potuit. Quod dicit, quoniam quasi exemplar earumdem, quando Attiniacum venit, illi dedi, et legere rogavi, et sic statim respondere, non dicit verum. Exemplar secundum tenorem authenticum epistolæ illi ad legendum dedi, sicut et Erardo [Turonensi], et Waniloni [Rothomagensi], et Vulfado [Bituricensi], et cæteris archiepiscopis domni Caroli ex integro misi, et eamdem epistolam in synodo apud Attiniacum relegi. Quod dicit, me jussisse illum ut statim responderet : non sic dixi : sed ut legeret illud exemplar, et videret quid inde responderet. Quod dicit, quia per aliud exemplar didicit plura in indiculo meo sibi ostensa defuisse : integrum exemplar epistolæ illi legendum dedi. In indiculo autem a me collecto, et regibus, et episcopis relecto et dato, quantum de ipsa epistola, sed et de illa quam domnus apostolicus misit (*nihil istorum exstat*), necessarium admittendum vidi, misi, et exemplar ipsius indiculi domno apostolico ex epistola mea direxi. Et ipsam epistolam domni apostolici, sed et memoratum indiculum, sed et scripta ipsius fratris Hincmari, hic habeo : quibus probari potest me verum dicere, et illum a vero deviare.

CAPUT XXVIII.

Quod vane gloriatur, excommunicationem a se factam a sede apostolica probatum iri.

Scribit etiam in rotula quam per Clarentium presbyterum suum mihi transmisit hoc modo : « Tam intentative in Attiniaco de excommunicatione a me in parochia mea facta interrogatus sum. Tantummodo hoc interea pando, eo quod vos inauditam illam, ac contra apostolicam doctrinam, et contra ecclesiasticam veritatem fuisse asseratis factam. Non aliam illam feci, quam a vestra vivæ vocis doctrina faciendam didici, et vos ea quæ jure destruxistis, ab re ædificare non debetis. Imo et quam in Romana sede apostolica auctoritate cognovi præinditam, et de qua eamdem mihi sedem declamo fore auctricem : cujus interest et de illa a me facta excommunicatione judicare, et de vestra resolutione decernere. »

Ad quæ rescribo. Majores ad doctores nostri dixerunt, quædam esse nomina, quæ in femininum flecti non possunt, ut auctor, cursor. Et iste novus doctor, qui noviter adinvenit quod diceret de ipsa excommunicatione, apostolicam sedem se reclamat fore *auctricem*. Sed me auctorem non habebit, se eo quod super me dicit, « quia non aliam illam excommunicationem parochia sua fecit, quam a mea vivæ vocis doctrina faciendam didicit. » Et quod mox subsequitur : « Quoniam ea quæ jure dextruxi, ab re ædificare non debeo, » verum esse confirmo. Nam per evangelicam veritatem, et apostolicam atque canonicam auctoritatem; necnon et per apostolicæ sedis doctrinam atque decreta, suam perniciosam excommunicationem destruxi : quam ab re ædificare non debeo, nec volo, nec valeo.

In eo vero quod dicit, quia non aliam illam excommunicationem fecit, « quam in Romana sede apostolica auctoritate cognovit præinditam, » id est ante insertam, ante impositam, ante immissam : nimis audacter posuit in cœlum os suum. Et ideo non est mirum si lingua ejus transivit in terram, ut de me peccatore diceret : « Non aliam illam feci, quam a vestra vivæ vocis doctrina faciendam didici. » Sed sicut apostolica sedes a nobis accusari non debet, nec valet : ita excusatione nostræ humilitatis non indiget. Verumtamen quod non ab incertis relatoribus inde audivimus, cum venia ipsius sedis libere dicere possumus. Audivimus namque, quia sanctæ memoriæ Nicolaus papa, sancta Romana Ecclesia in afflictione posita, auctoritate Veteris et Novi Testa-

nenti, in jejunio, et fletu, ac planctu, in cinere et cilicio litanias indixerit. Sed a nullo audivimus, quia causa suarum injuriarum et ipsius sedis apostolicæ, parvulos in discrimine mortis positos baptizari, et obeuntibus atque petentibus ultimam pœnitentiam, et viatici muneris communionem, et mortuis sepulturam negari præceperit. Et quod illa excommunicatione perniciosa quam fecit, eamdem sibi sedem *fore*, sermone vitioso, atque calumnioso dicit *auctricem*, non credimus. Absit enim ut, sicut hic frater Hincmarus in pernicioso scripto suo improprie dicens declamat, suæ colligationibus impietatis apostolica sedes consentiat ; minime autem *auctrix* existat. Quæ per B. Cœlestinum universo mundo apostolice intonat : « Obsecrationum, inquiens, sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab apostolis tradita, et in toto mundo, atque in omni catholica Ecclesia uniformiter celebrantur : ut legem credendi, lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione funguntur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam ; et tota secum Ecclesia congemiscente postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides. « Et sic pro omnibus exorare Dominum catholicam Ecclesiam debere demonstrat, ut erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum filii charitatis suæ (*Col.* I) : et ex vasis iræ, faciat vasa misericordiæ (*Rom.* IX) : qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII) : et qui vult omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire ; et neminem vult perire (*II Tim.* II). Absit, inquam, ut auctor sit sancta sedes apostolica istius pertinacis crudelitatis tantorum hominum, qui per baptismum, vel per sacerdotalis ministerii reconciliationem salvari, et per viatici muneris communionem ab æterno poterant liberari interitu mortibus reo (*aliquid deest*) ; quia non poterat fieri ut in tam ampla parochia, sicut illa est, quæ specialiter subjacet Lauduni municipio, per quinque circiter dies, quibus eo modo, sicut præmisi, fuerat colligata, quia eam antea metropolitana sollicitudine, evangelica, et apostolica, atque canonica, et apostolicæ sedis auctoritate absolvere non cucurri, plures sine baptismo, et absque communionis gratia, non obierint : de quibus quicunque salvati sunt, salvantis est donum ; qui autem perierunt, perditoris et pereuntium fuit meritum.

Attamen licet, velut sanctus Ambrosius in fidei devotione Valentiniani (*lib. de obitu Valentin.*), et beatus Augustinus disputando demonstrat, ut sicut in illo latrone cum Domino crucifixo et credente, et confitente, quod ei ex baptismi sacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas : ita forte parvulis quibus baptismum denegari jussit, parentum vel patronorum corde credentium, et etiam parvulis fideli confessionis verbo baptisma expetentium, sed non impetrantium fides, et fidelis postulatio prodesse potuerit : donante eo, cujus spiritus, quo regeneratio fit, ubi vult spirat ; et etiam ante baptismum se baptizandis infudit, sicut in sacra historia legitur. Similiter et de his qui ultimam pœnitentiam, et viatici muneris communionem petierunt, et impetrare pro sua interdictione non potuerunt, gratia ejus, cui ab omni fideli dicitur : *Gemitus meus a te non est absconditus (Psal.* XXXVII) : et quibus singulis Dominus dicit : Mox ut ingemueris, salvus eris, ad salutem prodesse valuerit. Ipse tamen de eorum perditione securus esse non potest, si aliqui sine eisdem sacramentis per suam jussionem abierunt, ut non districte inde judicetur.

Et si vult dicere de excommunicatione Nortmanni, quam mendaciter per subreptionem a sede apostolica elicuit, suggerens Nortmannum res suæ ecclesiæ invasisse, quas ipse aut regi, aut Nortmanno beneficiandas concessit, aut filio Nortmanni beneficiavit, sicut scripta sua demonstrant : respondendum ab eadem sancta et discretissima sede credimus : *Fiat tibi secundum fidem tuam* (*Matth.* IX). Et : *Ex verbis tuis condemnaberis* (*Matth.* XII). Et quod B. Augustinus in serm. 7 Evangelii Joannis dicit : « Juris, inquiens, forensis est, ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit quod impetravit. Dixisti enim quod voluisti : et cui dixisti, nescivit an verum sit. Dimisit te adversario tuo convincendum, ut si ante judicem convictus fueris de mendacio, quia non potuit ille nisi præstare, nesciens an fueris mentitus, ibi careas beneficio rescripti, quo perduxisti rescriptum. » Et hoc jus in corpore libri Theodosianæ legis haberi legimus. Cæterum, sicut de Deo omnipotente, cum omnia possit, scilicet quæ omnipotentiæ illius conveniunt, recte dicit Apostolus : *Seipsum negare non potest* (*II Tim.* II) : ita et nos de illa sancta sede dicimus, quia sibi ipsi, præsertim in tam manifestissimis et maximis causis, et humanæ redemptionis atque salutis singularibus præsidiis, contraria nullo modo esse potest : et quæ secundum evangelicam veritatem, et apostolicam traditionem, atque canonicam auctoritatem, per Siricium, Innocentium, Cœlestinum, Leonem irrefragabiliter constituit, refragari a quoquam impune nulla ratione dimittet. Cujus interest, sicut isdem frater Hincmarus scribit, « de illa a se facta excommunicatione judicare, et de mea resolutione decernere. »

Verumtamen, sicut ex concilii Sardicensis canonibus SS. Innocentius, Bonifacius, et Leo promulgaverunt, prius majores causas, quæ ad statum Ecclesiarum, et ad concordiam pertinent sacerdotum, apud nos, sub timore Domini, convenit ventilari ; et de componendis, quæ forte nostro nequiverint sopiri judicio ; et de judicio nostro compositis post judicium oportet ad sedem apostolicam plenam rationem transmitti : ut ea quæ juxta ecclesiasticum morem juste et rationabiliter apud nos fuerint diffinita, ipsius apostolicæ sedis sententia roborentur. Sic enim et sanctus Ambrosius scribens ad Theophilum Alexandrinum episcopum, sacras leges, et canones, ut post judicium ad sedem apostolicam relatio

referatur, et qui legaliter evocatus, judicio adesse neglexerit, dilationem sententiæ proferendæ, sicut in contumacem, de absentia non lucretur, se intellexisse demonstrat, dicens : « Cum sancta synodus cognitionis jus unanimitati tuæ, cæterisque ex Ægypto consacerdotibus nostris commiserit, iterum oportet fratrem nostrum Flavianum convenias, ut si in eo perseveraverit, quo veniendum non putet, salvis concilii Nicæni, etiam synodi Capuensis statutis, illibata pace universorum ita consulas, ut non videamur destruere quod ædificatum est. Si enim quod ædificavi destruo, prævaricatorem me ipse constituo; ac si quæ destruxi, iterum ædificem. Servetur ergo impertitæ pacis gratia inter universos, et nihilominus declinatio partis alterius frustrandi effectum habere non possit. Sane referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ ; quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere non queant. Ita enim utile erit consultum sententiæ, ita pacis et quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod communioni nostræ dissensionem non afferat ; ut nos quoque accepta vestrorum serie statutorum, cum id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubie comprobaverit, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur. »

CAPUT XXIX.

Quod similem excommunicationem ab ipso Rhemensi factam esse falso criminatur.

De hac etiam excommunicatione mihi in Gundulfi villa per venerabilem quondam archiepiscopum Wenilonem mihi mandavit sicut domnus Adventius, et cæteri qui adfuerunt episcopi, sciunt, quia quod de illa excommunicatione fecit, ego illi insinuavi, dicens se habere quamdam villam in mea parochia, et quia homines ejusdem villæ rogavit, ad illam ecclesiam dare illorum decimam, ad quam eam dare debebant, excommunicaverim illos : et habebat imbreviatos, quot infantes sine baptismate, et quot homines sine communione inde obierint : quæ mihi in publicum objicere nollet, et postea illi improperarem. Quod si alia mala de me sciret, illa etiam diceret. Unde illi statim per eumdem Wenilonem remandavi, quia et inde, et de quibuscunque vellet, quæ illi viderentur, objiceret. Sed de hac causa verum non diceret, et contra canones se confitebatur egisse, qui me postposito ordinationem decimæ in mea parochia usurpavit.

Et postea inde illi scripto respondi, cujus exemplar hic habeo : in quo continetur, tria me considerasse in hoc quod dixit, me illi insinuasse quod de illa excommunicatione fecit. Primum quidem, quoniam si ratio inter illum et clericos Laudunensis Ecclesiæ agitanda foret, de petitione ex causis in eo continentibus ab eisdem mihi porrecta, utrum esset an non veritate subnixa, nullam quæstionem deberet recipere, postquam suæ confessionis attestatione firmatur. Aliud vero, quia silentio suppressis bonis quæ illi insinuavi, atque insinuari feci, imputando

A mihi quod male illi de hac excommunicatione quam perpetravit, insinuaverim, reum se confessus est, quia scienter male fecit. Ac per hoc, secundum decreta Hilari papæ, suum contra regulas factum deberet ipse dissolvere. Quod si nollet, per sententias canonum, et apostolicæ sedis decreta, quæ nulla possunt ratione convelli, auctoritas metropolitana illud deberet annihilare. Tertium, quia ut secum me posset illaqueare, si forte, ut assolet improvisæ menti accidere, illi statim hæc falsa de me rejiciendo imparatus et ira commotus non responderem, et se jactare valeret, me in aliquo inde concredidisse ; voluntarie sibi de tali confessione laqueum studuit injicere. Et pro bonis mala retribuens, non ut quondam proditorum primicerius simulando pa-B cem osculo, quam non habebat in pectore, sed exerto linguæ gladio me aperte, ac impudenter decrevit impetere : et quasi me qualicunque patrono, ac benefactore, atque ordinatore suo tradito, talis confessionis de tantis impietatibus laqueo se suspendere. Sed benedictus Dominus, qui secundum promissionem suam, qua dixit : *A flagello linguæ absconderis* (*Job* v), liberando animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa, adjuvit me, et consolatus est me : mox telum falsitatis, scuto veritatis, respondendo rejeci.

Quæ animi dolore compunctus, non animi livore stimulatus, dixi, sciens capiti ac Salvatori nostro mendaciter multa fuisse objecta : sed et productos adversus eum falsos testes fuisse. Nam et Romanæ sedis pontificibus Damaso, Sixto et Leoni III, verum C et aliarum insignium Ecclesiarum pontificibus, Athanasio scilicet Alexandrino, Joanni Constantinopolitano, Cæciliano Carthaginensi, sanctitate fidei et operationis atque scientiæ doctrinæ præclaris : necnon et quamplurimis aliis venerandis episcopis, ab hominibus invidis, et eorum locum, ac bonæ opinionis famam obtinere volentibus ; sed non habere meritum illorum studentibus, mortalia et nefaria crimina falso impacta, et usque ad ecclesiastica judicia, et cognitionem publicam fuisse perducta legimus. Sunt enim hujusmodi vipereæ nequitiæ homines, qui licet prius eorum mentes propria rodat invidia, in hoc tamen suas tegere posse iniquitates putant, si alios infamia modo quolibet maculare curaverint : quorum criminationes iidem viri sancti pa-D tientissime toleraverunt, et constantissime, adjuvante Domino, revicerunt. Et horum, sicut scriptum est, intuens exitum, conversationis fidem mihi necesse est imitari : et ita compertus, et de illo in me prorsus expertus, quia phreneticus sæpe nulli majorem alapam dare solet, quam ipsi medico, qui eum curare volet. Sed et multum me miratum scripsi illi, ubi sensum suum habuit, quando de me, tantæ auctoritatis, et sapientiæ, atque religionis viro, sicut domnus erat Wenilo, dixit, et ad plurimorum episcoporum notitiam pervenire fecit, quod si in judicio regulari dixisset, probare non posset : præsertim se reum de hoc ipso confessus, et confitendo se talia

egisse, quæ etsi non confiteretur perpetrasse, negare non posset, seipsum illaqueasse videre non potuit. Et quia mendacium erat quod dixit, me excommunicasse homines villæ de ipsa rusticana parochia, et infantes sine baptismate, et homines sine communione in ea excommunicatione inde obiisse; mox illi remandavi, quoniam nulli unquam in mea parochia, postquam fui ordinatus episcopus, baptismum, vel viatici muneris communio, a me, vel a quoquam comministro meo denegata fuere : sicut omnes in parochia mea tam ecclesiastici quam et sæculares, tam viri quam et feminæ sciunt.

CAPUT XXX.

Quod postulavit ut avunculus sua adversus ipsum scripta igni absumeret. Iterum de superiore calumnia, propter quam non debet ad accusationem admitti.

(*Lib.* LV *cap.*, c. 4.) Mandavit etiam mihi per præfatum venerabilem quondam archiepiscopum Wenilonem, ut si scripta quæ illi et ecclesiæ sibi commissæ, de excommunicatione qua agitur ab eo intentata suæ parochiæ, transmisi, quæque ibi secum habebat, coram aliis incenderem, et annullanda dicerem, meque contra rationem et auctoritatem fecisse profiterer, mecum pacem habere vellet. Unde illi pro tempore, cum aliis quæ mihi occurrerunt, per eumdem archiepiscopum, et Adventium gloriosum episcopum remandavi. Et postea illa ipsa, et alia, scriptis, quorum hic habeo exemplaria, inculcavi, quoniam in quocunque conventu me adire, mihique pacis osculum, sicut et domnus rex, et episcopi ac cæteri illustres, ac mediocres qui conveniebant, dare nolebat, nec etiam ullo verbo me alloqui dignabatur, de quibus hic quædam studui replicare. Scripsi nempe inter cætera illi, quomodo ei in sensum suum venire potuerit, ut talia mihi mandaret? *(Epistola hæc non exstat.)* Nam diabolus loquens ad primos parentes nostros, sed et ad Redemptorem ac Salvatorem nostrum, non ex dejectione, sed ex provectu, et ex sublimitatis avaritia eos tentavit. Isdem autem supergressus, sic dici fas est, diaboli malignitatem, oblitus scriptum esse, quod *Malignitates exterminabuntur (Psal.* XXXVI), me stultissime ex dejectione tentavit : sciens quia quæ illi, et ecclesiæ sibi commissæ in eisdem scriptis direxi, de evangelica veritate, et apostolica atque prophetica, necnon et canonica auctoritate, sed et de apostolicæ sedis constitutione, sicut acceperat eadem sancta sedes, beatissimorum apostolorum traditione constaret esse conscripta. Et sanctarum Scripturarum traditores et incensores inter sacrilegos legimus computatos. Si ergo illa quæ de Evangelio, et apostolis, atque prophetis, necnon et de sacris regulis spiritu Dei conditis, sine admistione alicujus hæreseos, vel schismatis, conscripsi, videlicet mensuram tritici a comburendis paleis et zizania puri, revera de horreo Dominico in tempore illi ac ecclesiæ sibi commissæ, et sollicitudine meæ subjectæ prolata incenderem, et vera negarem : sine dubio Christum qui in eis prænuntiatus et ostensus est, et per quæ Christum cognovimus, quique illa locutus est, me nosse, et in eum credere, ac per hoc me Christianum negarem. Et si sacros canones, et decreta catholicæ Ecclesiæ incenderem et abdicarem : me procul dubio ab episcopatu non solum ipse dejicerem, verum et ab Ecclesia catholica divisum, et alienum, id est schismaticum et anathematizatum, publicis et ecclesiasticis legibus efficerem. Sicut sanctus Leo papa scribens ad Leonem Augustum etiam de se dicit (*epist.* 78) : « Si secundum Apostolum, inquit, quæ destruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, et eis me conditionum ultionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ principis Marciani, sed etiam ego mea consensione firmavi. »

Quapropter etsi me infirmum ac fragilem, atque imbecillem, ut revera sum, adeo æstimavit, ut minis vel promissionum blanditiis ad hæc agenda trahi, vel invitari valerem non tamen episcopus dubitare debuerat verum esse, quod ab eo qui perficit in infirmitate virtutem, ore veridico promittitur : *Dominus*, inquit, *dabit virtutem multam evangelizantibus verbum* (*Psal.* LXVII) : et episcopus mihi qualicunque episcopo mortiferum ad bibendum non debuerat propinare; scilicet, ut eloquia sacra, gratia sui incenderem. Et licet hinc me Deus gratia sua servaverit, qui in se credentibus repromisit, dicens : *Et si mortiferum quid biberint, non eis nocel it* (*Marc* XVI). » Dum pestiferas, inquit B. Gregorius (*homil.* 29 *in Evang.*), suasiones audiunt, et tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt; sed non eis nocebit. » Ipse tamen nisi pœnituerit ex hac perniciosissima suasione studii sui luet judicium. « Tardius, inquit B. Gregorius (*Pastor.* I. III, admon, 33), peccatum solvitur, quod et per consilium solidatur. Nisi enim mens omnimodo æterna despiceret, in culpa ex judicio non periret. »

Et quia dicit Apostolus : *Avaritia, quæ est idolorum servitus* (*Col.* III) : et B. Gregorius, ex provectu avaritiæ primos parentes nostros tentatos et superatos demonstrat, ostendens avaritiam, non solum pecuniæ, sed etiam altitudinis esse ; et quia recte avaritia dicitur, cum super modum sublimitas ambitur : scripsi ei ex verbis beati Augustini de Scripturæ sacræ auctoritate dicentis, contra Donatistas schismaticos, qui se sine causa a compage unitatis catholicæ separaverunt, dicentes quod probare non potuerunt, Cæcilianum a traditoribus sacrarum Scripturarum fuisse ordinatum ; ut cognosceret quam grave peccatum sit idololatria, quod ex ambitu altitudinis admisisse videtur, dum nulli subjectus esse velit, qui cunctis præesse non valet. Et quia gravius est peccatum incensio divinorum eloquiorum, ad quod me traducere voluit : et quoniam gravissimum sit peccatum schisma, quo se a fraterna nostra unanimitate per suam perniciosam subscriptionem separavit : sicut scripto ostendi in libello suo monstruoso a se, et a clericis parochiæ suæ subscripto :

ubi quibusdam subscriptis quæ evangelicæ veritati, A et apostolicæ auctoritati, et decretis sanctorum conciliorum, quæ universalis Ecclesiæ probavit assensus, et apostolicæ sedis confirmavit auctoritas, inveniuntur adversa. Ait enim beatus Augustinus loquens ad Donatistas de his tribus capitulis (August., l. II *de Bapt.*, c. 6) : Non afferamus, inquit, stateram dolosam, ubi appendamus quod volumus, et quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes, hoc grave, hoc leve est ; sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris divinis, et in illa quid sit gravius, appendamus : imo non appendamus, sed a Domino appendente recognoscamus. Tempore illo, quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cavenda monstravit, et idolum fabricatum, atque adoratum est, et prophe- B ticus liber ira regis contemptoris incensus (*Jer.* XXXVI), et schisma attentatum, idololatria gladio punita est ; exustio libri, bellica cæde et peregrina captivitate ; schisma, hiatu terræ sepultis auctoribus vivis, et cæteris cœlesti igne consumptis : quis jam dubitaverit hoc esse sceleratius commissum, quod est gravius vindicatum? »

Sed quia illi non suffecit me calumniari, quod tam nefariam et exitiabilem excommunicationem illi agendam exemplo docuerim, nisi etiam nunc me scripto calumniaretur, non aliam illam excommunicationem se fecisse, quam a mea vivæ vocis doctrina faciendam didicerit : respondendum mihi contra mendacem illius calumniationem ex sacris auctoritatibus necessarium video ; ne quasi C tacendo consentiens, reus pariter cum illo dijudicer. Sicut in petitione, quam clerici Laudunensis Ecclesiæ mihi dederunt, continetur, et sicut in synodo coram illo apud Attiniacum habita demonstravi, omnes sacerdotes totius parochiæ suæ colligavit, ut nemo eorum in ea sacerdotali ministerio tandiu uteretur, usquedum ille ipse iterum cum eis viva voce loqueretur, aut litteræ a sede B. Petri apostoli eis mitterentur : et ne baptizarent pueros, ne visitarent infirmos, ne reconciliarent cum viatico munere pœnitentiam petentes, ne sepelirent mortuos, penitus ab his omnes eos prohibuit. Et in sua rotula mihi scripsit, non aliam illam fecisse, quam a mea vivæ vocis doctrina faciendam didicit. Quod mendacium esse profiteor. Et quia manifestun est, eum illas colligationes impietatis admisisse : quæ si D crimina esse possunt, sicut S. Gregorius esse ostendit, criminaliter illas admisit : ostendendum et ex sacris auctoritatibus si criminosus alium criminari, et reum criminis facere possit. Sacræ quippe leges, quas Ecclesia catholica recipit, dicunt, quia jure et legibus constitutum est (Jul. *epist.* II, c. 28), ut « spontanea professione reus, reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui se criminosum esse confessus est. » Et item : « Non credendum est contra alios eorum confessioni (3, q. 5, c. *Accusatores*), qui in criminibus accusantur, nisi se prius probaverint innocentes : quia periculosa est, et admitti non debet rei adversus quemcunque professio. » Et sacri canones dicunt (*conc. Afric.* cap. 130), ut « ad accusationem non admittantur, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. » Et quotiescunque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, et unum ex ipsis de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cætera non admittantur. Et item sacræ leges Theodosianæ dicunt (2, q. 7, c. *Si quis episcopus*) : « Si episcopus, vel presbyter, diaconus, et quicunque inferioris loci Christianæ legis ministri, apud episcopos, siquidem alibi non oportet, a qualibet persona fuerint accusati, sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, noverit docenda documentis se debere inferre. Si quis ergo contra hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat se jacturæ famæ propriæ subjacere : ut damno pudoris, existimationisque dispendio discat sibi alienæ verecundiæ impune insidiari, saltem dicere non licere. » Et Africanum dicit concilium (*conc. Afr.*, cap. 129) : « Omnes infamiæ maculis aspersos ad accusationem non admitti, nisi in causis propriis. » Et de episcopo qui Donatistis se communicasse mentitus fuerat, idem decrevit concilium (*ibid.*, c. 124) : ut « si probatum fuerit eum de communione illorum fuisse mentitum, dicendo eis se communicasse, quos eo sciente non communicasse constiterit, etiam episcopatum amittat. »

Unde vestra fraternitas inter me et illum discernat, atque decernat, ut si ego, licet mendaciter me talia illum docuisse vel hortatum fuisse, sicut ipse dicit, confiterer, reus criminis episcopatum deberem amittere : quid ille mereatur qui mendaciter me calumniatur, non solum participem, verum et auctorem in his suis impiis excomunicationibus esse. Unde etiam antiquorum Patrum canones sanxerunt, scribentes ad episcopos per Gallias et quascunque provincias constitutos, hoc modo : « Nec illud, fratres, scribere alienum ab Ecclesiæ utilitate censuimus, ut sciretis, quicunque sub ordinatione vel diaconatus, vel presbyterii, vel episcopatus mortali crimine dixerint se esse pollutos, a supradictis ordinationibus submovendos : reos scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neque enim obsolvi potest, qui in seipso dixerit mortis causam, quæ dicta in alium puniretur ; cum omnis qui sibi fuerit mortis causa, major homicida sit. » Quod enim in hac sententia canonum dicitur : « Quicunque sub ordinatione vel diaconatus, vel presbyterii, vel episcopatus, mortali crimine dixerunt se esse pollutos a supradictis ordinationibus submovendos, » nemo sanum sapiens hæc de sola luxuria, et immunditia, vel pollutione carnis dictum intelligit, cum scriptum sit : *Dispersit superbos mente cordis sui* (*Luc.* I). *Deus qui superbis resistit* (*I Petr.* V). Et in Evangelio dicit: *Quæ de corde exeunt, hæc coinquinant hominem* (*Matth.* XV). Et S. Gregorius dicit,

quia « per humilitatis custodiam servanda semper est munditia castitatis, » Et item dicit, quia « aliquando minus est in corporis corruptionem cadere quam in cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare. Neque enim rex Babyloniæ tum reus de elatione exstitit, cum ad elationis verba pervenit. Quippe qui ore prophetico et ante, cum ab elatione tacuit, sententiam exprobationis audivit. Nam districtus judex prius invisibiliter vidit, quod post publice feriendo, reprehendit. Unde et in irrationabile hunc animal vertit, ab humana societate separavit, agri bestiis mutata mente conjunxit (*Dan.* IV), ut districto videlicet, justoque judicio homo quoque esse perderet, qui magnum se ultra homines æstimasset. » Et item Scriptura dicit : *Initium omnis* peccati superbia (*Eccli.* X) ; quæ mater est inobedientiæ, et regina omnium vitiorum , qua de cœlo cecidit archangelus, et factus est diabolus, *qui est rex super universos filios superbiæ* (*Job* XLI). Mortale igitur peccatum esse superbiam, nemo qui nesciat. Sed et inobedientiam , propter quam homo est ejectus de paradiso, et de qua hic frater arguitur, omnes mortale peccatum novimus. De qua etiam Scriptura dicit : *Quasi peccatum hariolandi est repugnare ; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere* (*Reg.* XV). Unde S. Gregorius : « Sola est, inquit, qua fidei meritum possidet obedientia, sine qua quisque infidelis convincitur, etsi fidelis esse videatur. »

CAPUT XXXI.

Quod excommunicationem a se factam frustra excusare conatur.

Et frater Hincmarus, excommunicationem, de qua agitur, se egisse in suis rotulis confitetur. Quam mortalem fuisse, et in plurimorum perditionem, in nullius autem salvationem a se absque ulla discretione intentatam denegare non potest. De qua satis egit, ut se valeret contegere tam de apostolicæ sedis calumnia, dicendo ab eadem sancta sede illam excommunicationem præinditam, et sibi fore auctricem : quam et dicendo super me falsa : quasi ego illi et exemplo faciendam ostenderim, et verbo agendam docuerim ; quatenus exitiabiliter egisse a me non posset redargui. Sed quo fructu, ac cujus mercedis intuitu illam fecerit, in rotula per Clarentium mihi directa manifeste denudat, dicens, ad excusandas excusationes in peccatis, ut impleat peccata sua semper. « Docet quidem papa Alexander in fine suæ epistolæ, quod non tantum attendenda sunt quæ fiunt, quantum quo animo fiunt. Nempe cum hoc examussim tam in vobis, quam in me fuerit perscrutatum, patebit illico inde æquitatis emolumentum. » Et quæ sequuntur usque ad hanc sententiam : « Quod non me, pro me dicere reamini, quasi propria instigatum injuria. Quia, Deo teste, pro cavendo potius ecclesiastici ordinis, detrimento, vobis scribo , uti scriptum est : *Nolite locum dare diabolo* (*Ephes.* IV). »

Quibus verbis aperte ostendit, se sustinere non A velle, ut auctoritas metropolitana , secundum regulas, excessus illius corrigendi ullam habeat potestatem : et quem violatorem apostolicæ sedis decreta, et delinquentem contra omnes leges tam divinas quam humanas significet, qui legit, vel audit, intelligat : et cui væ propheticum imminere ea docenti, per quæ hæc fieri quoquomodo a quibuscunque præsumantur : et quem in ipso sacrosanctam religionem prævaricatum fuisse convictum dicat, aperte in superiori capite demonstravit, in quo me suum traditorem vocavit. Verba quoque S. Alexandri corrupte interpretatus est. Ubi enim idem sanctus dicit. « Non tantum attendenda sunt quæ fiunt, quantum quo animo fiant. » Paulo post subsequitur, inquiens : « Unde et illud est, quod Dominus ad B munera Abel respexit, et non ad Cain ; quia magis intendit ad offerentis animum, quam ad ea quæ offeruntur. » Hinc B. Gregorius : « Ab omnipotente Deo munus non accipitur, quod corde obligato in malitia offertur : quia omne quod Deo datur, ex dantis mente pensatur, quia in his quoquo animo gerantur, ignoratur a proximis. Apud Deum igitur bona vera commendat intentio pura : quoniam non est arbor mala faciens fructum bonum. Arbor namque homo, fructus autem opera sunt ipsius. » In apertis autem malis non est necesse intentionem requirere cordis : quia non est arbor bona, quæ facit fructus malos. Dicit enim Apostolus : *Manifesta autem sunt opera carnis* (*Gal.* V) ; post quorum enumerationem subdit spiritus fructus. Inconve- C nientem ergo interpretationem præcepti Domini ad primos parentes nostros, non humilitatem quacunque similatione collectam ; sed nudam superbiam frater Hincmarus se excusando de sua perniciosa excommunicatione ostendit : quia, ut beatus dicit Gregorius (*in psal. pœnit.*, ps. III) : « Veræ humilitatis testimonia sunt , et iniquitatem suam quemque cognoscere, et cognitam voce confessionis aperire [*al.*, et nunciatam satisfactione pœnitentiæ delere]. At contra , usitatum humani generis vitium est, et labendo peccatum committere , et commissum negando defendere, et convictum defendendo multiplicare [*al.* et vulgatum defend. multiplic.]. »

Similiter et Apostoli sententiam ad suum sensum violenter inflectens, dicit : *Lex propter transgressores posita est.* Quæ juxta ipsius sensum ad D quem illam retorsit, ita exponi potest, ac si diceret : Trangressus sine timore legem contra legem, excommunicationis posui legem, quam rex timeret, et me contingere non auderet : et prædicans non furandum, furari non timui ; et abominans idola, sacrilegium feci. Deinde ponens Gregorii verba dicentis (*lib.* VII, *epist.* 6) : « Qui non corrigit resecanda, in multos excommunicando commisi, ut hoc facto nemo in me resecanda auderet corrigere. Demum subsequitur : Deo teste, pro cavendo potius ecclesiastici ordinis detrimento vobis scribo. » Quibus verbis evidenter ostendit, qua intentione

illam excommunicationem fecerit : videlicet suæ irrationabilitatis castigationem, vocans ecclesiastici ordinis detrimentum, ut rex illam excommuaicationem pertimesceret, et illum rebellantem contra se contingere non auderet : et ipse, qui pro Dei timore se non cohibebat, nec distringi a quoquam hominum revereretur, et propriæ voluntatis motus ut libenter, ita etiam exsequi posset licenter. Tandem addidit : « Pro cavendo ecclesiastici ordinis detrimento vobis scribo, ut scriptum est : *Nolite locum dare diabolo.* » Quod Apostoli testimonium, dum non apostolico, sed apostatico sensu in alium jaculare voluit, in seipsum retorsit. Sicut ipse Apostolus ad Ephesios aperte demonstrat, dicens : *Irascimini et nolite peccare* (*Psal.* IV). *Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo* (*Ephes.* IV). « Per iram, inquit Gregorius, lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit, » Ipse ergo in se locum diabolo principi tenebrarum, scilicet iniquitatum, donavit, qui radium cognitionis Dei, qui lux est, per iracundiam menti suæ confusionis tenebras incussit, ut videre non posset, quam magnum malum in sua perniciosa excommunicatione, de qua se excusando accusat, perpetrare non metuit : ille ecclesiasticas, imo divinas leges transgressus est, et locum diabolo dedit, ut sine baptismo et communione mortuos homines raperet ; ne locum contingendi eum contra suam voluntatem quis habere auderet. Verumtamen secundum suam intelligentiam, eamdem Apostoli sententiam adulterino sensu hic posuit : qua de causa in synodis plures fuisse damnati leguntur.

CAPUT XXXII.

Refertur magna pars epistolæ Hincmari Laudunensis de subscriptione quam fecit in synodo apud Attiniacum.

Et in rotula quam mihi XVI Kalend. Julias misit, ita scribit : « Quia me sæpe de subscriptione redarguitis, » *et cætera quæ habes inter epistolas Hincmari Laudunensis, tomo* CXXIV, *usque ad* « Deo propitiante nunquam acturus ero » *Pergit Hincmarus Rhemensis :*

Contra quæ scriptum est : « Filius stultus dicit se esse justum, sed exitum suum abluit. » Et aliis interpositis ad hanc suam subscriptionem resilivit, dicens :

« Ac si etiam in subscriptione illa aliquid haberetur quod forte intolerabile foret. » ... *Reliqua item lector habet ubi supra*

CAPUT XXXIII.

Hincmarus archiepiscopus superiores objectiones vera rerum gestarum narratione dissolvit.

Cujus verba singillatim recenseamus. Dicit in eadem synodo, primo violenter per regiam potestatem, et postea fraudulenter a me fuisse ab illo ipsam, subscriptionem extortam. Domnus rex, Deo gratias, et ætatem, et sapientiam, et virtutem, et locum pro se respondendi habet : et de hoc facto plures habet

A et archiepiscopos, et episcopos veridicos testes.

Quod dicit postea, illam a me fuisse ab eo fraudulenter extortam, non est verum. Nam soluta synodo illa die, in crastinum convenienda, postquam domnus rex ab ea domo abcesserat, et quidam episcopi in eadem domo, sicut cuique convenit, cum suo fratre loquebatur : et ego juxta quamdam fenestram stans cum fratre Odone loquebar, venit ad me Frotarius archiepiscopus, et Æneas episcopus, et dixerunt mihi coram Odone, quia frater Hincmarus vellet professionis libello subscribere, et de domni regis obedientia : et essemus inter nos pacifici sicut pater et filius, ac archiepiscopus et episcopus esse debent. Quod ego gratanter recepi ; et ab alia fenestra, juxta quam stabat Hincmarus cum B aliis episcopis, adduxerunt eum ad me : et ipse Hincmarus petiit, ut liceret illi loqui solo mecum solo. Et secessi cum ex juxta parietem domus ; et dixit mihi, quod pro me nihil dubitaret in illa subscriptione, sed pro eo qui post me erit in illa sede metropoli. Et ego ei respondi, ut ille ipse libellum dictaret sicut vellet ; et petiit ut ego illum dictarem. Et reversi sumus simul ad fenestram juxta quam Æneas et Odo stabant : et dixi Odoni ut acciperet suas tabulas, et exciperet in illis libellum cui Hincmarus deberet subscribere. Et excepit Odo, sicut tunc simul dictavimus. Et dixi illi, ut quidquid ibi vellet aut mutare, aut subtrahere, aut addere, faceret : sicut et factum est. Et dixi ego Odoni, ut in crastino illum apportaret scriptum, et in synodo ei Hincmarus subscriberet. Hincmarus autem respon-C dit, quia febris illum tangebat, et statim se inde vellet deliberare, ut sanguinem posset minuere. Ego autem jussi Odonem ire ad Cancellarium regis, et accipere ab illo pergamenum, et atramentarium, et scriberet illum cito. Interea dixi Æneæ, cui tunc auscultabat Hincmarus, quod melius esset ut in crastina exspectaret ; et persuadente Ænea acquievit ita Hincmarus. Et in crastina veniens in synodo professus est secundum quod in illo libello continetur. Et porrigente sibi Odone pennam, coram omnibus, sicut tunc paruit, eidem libello sponte subscripsit ; et regi, et mihi manu sua porrexit. Et tunc domnus rex pacem illi dedit : et ego post illum. In crastino autem antequam in domum intrarem, in quam episcopi convenire debebant, Harduicus epi-D scopus in alia domo mecum loquens, secretissime dixit mihi, quod Hincmarus mihi mittebat unum parvulum scriptum, petens ut ei subscriberem. Et occulte illum mihi dedit ; ego autem illum suscepi, et in sinum meum misi. Quem postea non legi, antequam in via essem, qua ad mansionem meam redibam. Et coram Odulfo episcopo qui mecum ibat, primum idem scriptum relegi ; postea nec Hincmarus, nec aliquis alius inde mecum rationem habuit. Verum et Fredericus presbyter Harduici, unquam de illo libello mecum ullam rationem non habuit. Et per talem fraudem, sicut auditis, eamdem subscriptionem ab eo extorsi.

Quod dicit illam professionem, antequam ei subscriberet, suam domum portasse, non est verum. Quia postquam Odo episcopus eam in tabulis suis excepit, scriptam Hincmarus illam non vidit; usquequo XVI Kal. Jul. 3 indictionis eidem professioni in synodo coram omnibus qui adfuerunt episcopis, et coram domno rege subscripsit: et domno regi, ac mihi porrexit, et ei in synodo exemplar illius donavi. In crastino autem, id est XV Kal. Julias, domnus Harduicus archiepiscopus, tali modo sicut præmisi, libellum ab eo mihi directum dedit. Et nihil postea, quandiu in Attiniaco fuimus, inde Hincmarus vel verbo, vel scripto quiddam mihi dixit. Qui etiamsi mihi aliquid inde dixisset, responderem illi ex Jacobo: *Petis, et non accipis, eo quod male petis* (*Jac.* IV). Quia injustum atque irrationabile est, ut archiepiscopus a sacris canonibus exorbitans excedenti episcopo suffraganeo, et a se ordinato, professionis ac subscriptionis suæ libello satisfaciat. Sicut enim secundum Scripturam, minor a majore benedicitur: ita prorsus minor a majore, et non major a minore judicatur, ligatur, et solvitur: sicut et in decretis B. Gelasii demonstratur.

De eo quod subsequitur: « Nam sicut jam vobis rescripsi, ad illam synodum pro responsione ad litteras domni apostolici me vocasti: ad quam veniens, non illam me intrare permisistis; sed extra fores, ut privilegio vestræ sedis subscriberem mandastis. » Dicat, per quem hoc illi extra fores mandavi; et ostendat, quomodo verum esse possit, quoniam ad synodum veniens, non illum eam ego intrare permiserim. Nam postquam ad Attiniacum venit, quandocunque in synodo fuimus, et ipse interfuit: et coram illo in synodo ea quæ semel et secundo pro dissolvendis ipsius impiis colligationibus ad eum ex evangelica veritate, et ex decretis apostolicæ sedis decreveram, relecta fuerunt. Et in synodo coram illo, omnibus audientibus, Otulfus episcopus dixit, eum sæpe dicere, sicut et alii cum eo audiebant episcopi, quod plenam buccam de aqua non valerent illa quæ legebantur.

Quod dicit se respondisse, quia nunquam contra privilegium meum, quod in metropolis civitatis dignitate accepi, fecisset: vos judicate, si contra privilegium metropolitanum in his quæ audistis quoquomodo fecerit.

Quod dicit se sedem apostolicam appellasse: dicat quis ei contradixit, ut suam appellationem non prosequeretur.

Quod dicit, qua domnus rex mea factione instigatus, qui priori die dixerat, se nihil illi ex sua parte discredere; et postea illum minatus est: domni regis responsio valebit sufficere.

Quod dicit, quia sui homines cogerentur rewadiare, quod illum in villam Pauliacum secuti fuerant: si rewadiabant, quia irrationabiliter eum in Pauliacum secuti erant, negare non potest se esse auctorem ipsius irrationabilitatis.

Quod dicit, si etiam in subscriptione illa haberetur aliquid, quod forte intolerabile foret, B. papa Alexander illi manum porrigeret. Videamus quomodo illi conveniat, et manum illi porrigat quod S. Alexander decrevit. Ait enim in epistola omnibus orthodoxis per diversas provincias Domino famulantibus (*epist.* 1): « Est etiam et hoc ad hanc sanctam perlatum sedem quod pudet dicere; et non solum sacerdotali, sed etiam omni Christiano nomini est inimicum. Id est, quod nonnullos episcopos aut sacerdotes aut metu compellunt, aut vi extorquent, aut fraude decipiunt, aliquos confessionis suæ in alteram partem quam debeant, aut pro suarum non requisitione rerum; aut, quod deterius est, alieni erroris sectas [*al.*, pro alieni erroris secta], scripturas facere, et propriis manibus roborare, et coram populis recitare atque confiteri. Aliquos dicunt carceribus et ergastulis recludi, ut saltem his territi insidiis devient Domini sacerdotes, et suis faveant voluntatibus. » Et plurimis capitulis interpositis iterum hinc dicit ad locum, quæ Hincmarus adulterantium modo in rotula sua posuit: « Similiter si hujusmodi personis quædam scripturæ quoquomodo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ, fuerint, vel ut se liberare possent, quocunque ab eis conscriptæ vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis prajudicium aut nocumentum provenire censemus: neque ullam eos infamiam, aut calumniam, aut a suis sequestrationem bonis, unquam auctore domno, et sanctis apostolis eorumque successoribus, sustinere permittemus. Confessio vero in talibus non compulsa sed spontanea fieri debet: ipso attestante qui ait: *Ex corde enim procedunt homicidia, adulteria, fornicationes, blasphemiæ* (*Matth.* XV), et cætera, quæ sunt ad hæc pertinentia. Nec tantum attendenda sunt quæ fiunt, quantum quo animo fiant. » Et paulo post: « Unde et illud est, quod Dominus ad munera Abel respexit, et non ad Cain; quia magis attendit ad offerentis animum, quam ad ea quæ offeruntur. »

Conferamus verba B. Alexandri cum professione, ac subscriptione Hincmari. Alexander dicit nonnullos episcopos vel sacerdotes, aut metu compelli, aut vi extorqueri, aut fraude decipi, aliquas confessionis suæ in alteram partem quam debeant, aut pro suarum non requisitione rerum, aut, quod deterius est, alieni erroris sectas, scripturas facere, et propriis manibus roborare, et coram populis recitare atque confiteri. Et Hincmarus professus est, atque subscripsit hoc modo: « Ego Hincmarus Laudunensis Ecclesiæ episcopus amodo et deinceps domno seniori meo Carolo regi sic fidelis et obediens secundum ministerium meum ero, sicut homo suo seniori, et episcopus per rectum suo regi esse debet. Ac privilegio Hincmari metropolitani provinciæ Rhemorum Ecclesiæ, secundum sacros canones et decreta sedis apostolicæ ex sacris canonibus promulgata, pro scire et posse me obediturum profiteor, et subscribo. » In qua professione et subscriptione nihil continetur de his quæ servari non

debent : nec aliquid ibi sonat de confessione in alteram partem quam debeat, neque pro suarum non requisitione rerum, neque de sectis alieni erroris : nec eum quisquam, ut subscriberet, aut in carcere, aut in ergastulo reclusit, ut his territus insidiis, Domini deviaret sacerdos, et voluntatibus alienis faveret.

CAPUT XXXIV.

Ejusdem refutationis continuatio.

De eo quod ibidem subsequitur : « Si non sunt tantum attendenda quæ fiunt, quantum quo animo fiant ; quo animo ego illud fecerim, neque parum sciens poterit ignorare : qui etiam multo plura tunc essem facturus, ut meos qui innoxii erant, et causa mei opprimebantur, possem liberare. » Paulus apostolus dicit : *Lex non est posita justis, sed injustis* (*I Tim.* I). Et hinc S. Leo dicit scribens ad Ravennium (*epist.* 90) : « Justo quippe ideo dicitur lex non esse posita, quia normam præceptionis implet judicio voluntatis. » Si sui qui eum ad Pauliacum secuti fuerunt, rewadiaverunt per legem, quod contra legem commiserunt, innoxii non erant ; et domnus rex ut noxios distringere jussit : quantum audemus dicere, contra regium ministerium fecit. Si judices regii contra legem innoxios, velut noxios, distrinxerunt, prævaricatores legis fuerunt : si arbitros [arbitri] innoxios, velut noxios judicaverunt, auctoritatem et locum judicii amittere meruerunt. Quia vero nec ipse, nec aliquis suorum, se tunc in judicio pati præjudicium reclamavit : et S. Gregorius sæpe juxta leges et canones terminari decrevit judicia : et ex interpretatione legis Honorii et Theodosii dicitur, quoniam « quicunque quod in judicio adversario præsente non repetiit, postea de eadem re litem aliam non poterit inchoare. Legem conculcat, qui contra legem, legaliter judicata, etiam scripto, rediviva lite condemnat. » Et quia personas privatas suos homines contra legem distrinxisse, vel judicasse Hincmarus probare non potest : constat, si sui homines legaliter rewadiarunt, quod contra legem commiserunt, innoxii non fuerunt. Et qui [*supple* dicit] se conduxisse illos, ut eum ad commissum illud quod rewadiaverunt, sequerentur, qui noxii fuere probati : innoxius rite dici non potest, et noxius innoxios facere suo testimonio nequit.

De hoc quod dicit, S. Gregorium scripsisse a Pompeio episcopo « cruciato, crematoque fame extorta confessione [extortam confessionem] : » nos in illa synodo satis superque illum vidimus corpulentum, atque confessum ; et non cruciatum neque necatum fame ut profiteretur ac subscriberet, vidimus vel audivimus.

De hoc quod dicit : « Certe si non nocet extorta confessio, non obest extorta subscriptio. » Puto clamare nunc contra illum de cœlo, et clamaturos in divino judicio ducentos quatuordecim sanctos episcopos, qui in Carthaginensi concilio decreverunt, ut « si quis contra suam professionem, vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit. » Et

A dicentum ex sua persona : « Certe si non nocet extorta confessio, non obest extorta subscriptio : » nisi pœnitentiam egerit, credo illum inter alia de hoc mendacio ab eisdem sanctis episcopis judicandum. Sed et a beato Gregorio condemnandum, qui scripsit ad Theoctistam patriciam (*l.* III, *ep.* 39) : » Si qui sunt qui dicunt, quia compulsus quispiam necessitate se anathematizaverit, anathematis vinculo non teneri, ipsi sibi testes sunt, quia Christiani non sunt : quia ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere : ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia per omnia despiciendi et anathematizandi sunt, et unde se fallere veritatem
B credunt, inde in peccatis suis veracius ligantur. » Et aliquanto superius : « Et quia si compulsi aliqui de quibus reprehendebantur. anathematizare se dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri. Et si sunt qui certissime talia sentiunt, vel tenent, quia Christiani non sunt, dubium non est : eosque et ego, et omnes catholici episcopi, atque universa Ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, et contraria loquuntur. » Sed et mihi alia mendaciter impingit : sed et super scriptum quædam dicit, contra quæ longum est mihi scribere, et vobis audire.

CAPUT XXXV.

Quod tertio vocatus ad synodum non respondit, et ideo tractari debet ut contumax.

Ecce audivit vestra fraternitas, quomodo et in
C quantis scriptura fratris Hincmari sit mendax. Et sicut sacræ leges dicunt, quia hoc in omnibus causis statutum est, ut scripturam prolator affirmet : nam si is qui scripturam protulit, ejus non astruxerit veritatem, ut falsitatis reum esse retinendum. Et in concilio Ephesino, et Chalcedonensi, sed et in quinta, ac sexta synodo, propriis scripturis et subscriptionibus suis convictos, nullorumque aliorum accusationem vel testificationem requisitam, secundum sacras leges, dicentes quoscunque convinci scriptura vel testibus, legimus damnatos fuisse.

Sed et tertio vocatos, et venire detractantes, (quanto magis post tot ac tantas commonitiones ?) omni sacerdotali officio etiam absentes invenimus fore privatos. Sed et Joannem Antiochiæ tertiæ sedis episcopum, quia blasphemias contra Cyrillum secun-
D dæ sedis archiepiscopum per libellos emisit, tertio vocatum, et non adeuntem Ephesinam synodum legimus ibidem fuisse excommunicatum. Necnon et Dioscorum secundæ sedis Alexandrinæ episcopum inter cætera, quoniam adversus regularem ordinem et ecclesiasticam egerit disciplinam : insuper etiam quia multos libellos plenos iniquitatibus contra archiepiscopum suum primæ sedis magnæ Romæ sanctissimum et sapientissimum Leonem, sæpius ecclesiasticos conculcans canones in concilio obtulit ; privatum omni sacerdotali ministerio, ab eodem beatissimo Leone per vicarios suos in eadem magna synodo Chalcedonensi ; et tertio vocatum, quia sy-

modo se præsentare contempsit, absentem legimus fuisse damnatum. Verum de trina commonitione sacræ leges dicunt, quicunque tribus auctoritatibus judicis conventus, vel tribus edictis ad judicem fuerit provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id est quod causam exstinguit, fuerit evocatus, et præsentiam suam apud eum judicem, a quo ei denuntiatum est, exhibere noluerit, adversus eum quasi in contumacem judicari potest. Quinimo nec retractari per appellationem negotia possunt, quoties in contumacem fuerit judicatum ab ea sententia quæ adversus contumaces data est; neque appellari, neque in duplum revocari potest. Et hinc S. Gregorius ad Maximum Salonitanum episcopum (*l.* v, *epist.* 103): « Ita, inquit, fac, ut ad veniendum amplius jam moras non ingeras: ne ipsa te magis absentia obnoxium his quæ dicuntur, assignet: et nos inter hæc reo [*al.*, in te hæc res] non solum propter dicta crimina quæ purgare subterfugis, sed etiam propter inobedientiæ culpam, durius, scilicet ut in contumacem cogat ex concilio ferre judicium. » Et S. Cœlestinus de trina vocatione ad Nestorium ita scripsit (*epist.* 5): « Itaque quamvis jam frater Cyrillus secundis te epistolis [*al.*, epistolis suis] asserat esse conventum, intelligas volo post primam et secundam illius, et hanc correptionem nostram, quam constat esse jam tertiam, ab universitate collegii et conventu Christianorum te prorsus esse sejunctum; nisi mox ea quæ male dicta sunt corrigantur, nisi in eam viam redeas, quam Christus esse [*al.*, se Christus esse] testatur. » Et item in eadem epistola: « Persequar plane Domini mei [*al.*, boni Domini] fidelis servus inimicos: cum Propheta asserat, eos odio se odisse perfecto (*Psal.* CXXXVIII). Moneor rursus altero loquente, ne parcam. Quem vis ergo respiciam [*al.*, quem hic ego respic.], cui honoris aliquid servem, quando agitur ut mihi totius spei meæ causa tollatur? » Ipsius in Evangelio verba sunt Domini, quibus ait non sibi patrem, non matrem, non filios, non aliquam necessitudinem debere præponi (*Matth.* X). Est enim frequenter talis pietas ex qua nascatur impietas: cum vincente earum affectu carnis charitati illi quæ Deus est, charitas præponitur corporalis. Et S. Ambrosius in psalmo CXVIII: « Est justa misericordia, et est etiam injusta misericordia. Denique in lege scriptum est de quodam. Non miserebitur illius. Et in libro Regnorum legis, quia Saul propterea contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium regem, quem prohibuerat sententia divina servari (*I Reg.* XV). Et si quis latronis filiis deprecantibus motus, et lacrymis conjugis ejus flexus, absolvendum putet, cui adsit latrocinandi affectus, nonne innocentes tradit exitio, qui liberet multorum exitia cogitantem? Certe si gladium reprimit, vincla dissolvit; cur laxat exsilia, cur latrocinandi qua potest clementiore via non eripit facultatem, qui voluntatem extorquere non potuit? Deinde inter duos, hoc est, accusatorem et reum, pari periculo de capite decernentes, alterum si rem probasset, alterum si non esset ab accusatore convictus, non id quod justitiæ est judex sequatur; sed dum miseretur rei, damnet probantem, aut dum accusatori favet qui probare non possit, addicat innoxium. Non potest igitur hæc dici justa misericordia: in ipsa Ecclesia ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma justitiæ, ne quis a consortio communionis abstentus, brevi lacrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitati sacerdotis extorqueat. Nonne cum uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? facilitas enim veniæ, incentivum tribuit delinquendi. Hoc eo dictum est, ut sciamus secundum verbum Dei, secundum rationem, dispensandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse si serpentis interius vulneris inveniat cicatricem, cum debeat resecare ulceris vitium, ne latius serpat, tamen a secandi urendique proposito lacrymis inflexus ægroti medicamentis tegat, quod ferro aperiendum erat: nonne ista inutilis misericordia est, si propter brevem incisionis vel ustionis dolorem corpus omnino tabescat, vitæ usus intereat? Recte igitur et sacerdos vulnus, ne latius serpat, a toto corpore Ecclesiæ, quasi bonus medicus, debet abscidere, et prodere virus criminis quod lateat, non fovere: ne dum unum excludendum non putat, plures dignos faciat, quos excludat ab ecclesia. Jure ergo Apostolus divino nos hortatur exemplo, dicens: *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt, severitatem in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate (Rom.* XI). » Et sanctus Gregorius in Regula pastorali (*parte* III, *cap.* 1, *admon.* 23): « Malorum, inquit, cum incaute amicitiis cingimur, culpis ligamur. Unde Josaphat qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab regis amicitiis pene periturus increpatur: cui a Domino per prophetam dicitur: *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris; et idcirco iram quidem Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda. (II Par.* XIX). » Et in homilia Evangelii: « Multum, inquit, est, quod carnales affectus intentionem mentis diverberant, ejusque aciem obscurant; sed non declinant a recto itineris, qui arcam Dei portant in mente. »

Et ne quis dicat, beatum Cœlestinum de tertia commonitione scripsisse ad Nestorium hæreticum: attendendum est quod Hilarus papa dicit (*epist.* 2): « Quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur. » Et hujusmodi præsumptor, qui in sanctarum traditionum pertinaciter sanctiones delinquit, non inter catholicos et computandus, sed cum schismatis est condemnandus: quia sicut in decretis apostolicæ sedis scriptum est, quisquis schismatico assenserit, schismaticus esse negari non poterit. Quod etsi omnes sarcerdotes, et mundus assentiat, damnatio consentientes involvit, non prævaricationem con-

sensus absolvit. Non enim crimen minuitur, sed roborescit, cum generale fit ex privato. Hoc enim Deus omnium judicavit, qui peccatorem mundum generali diluvio interemit. Et his beatus Gelasius concinit in decretis suis : sicut manifeste ex ejus verbis hic possem ostendere, si prolixitatem non devitarem.

Conclusio qua monstratur non obstante appellatione ferri posse sententiam.

Hæc omnia suprascripta, ut sæpe commemoravi, non causa mearum injuriarum, sed evindicatione dignitatis mihi commissæ metropolis, contra fratrem Hincmarum contexui : nec sacras leges et regulas collegi adversus eum in causis propriis intentando judicium, sed ostendendo qualitatem, ac quantitatem suorum excessuum, et mearum commonitionuum ; et quibus ac quantis constitutionibus pertinacem objecit contemptum. Vestra vero Deo placita unanimitas, coram se recitata vigilanti discernat libramine : quia licet sacerdotibus canones ignorare non liceat ; levior tamen fuerat error, si per ignorantiam deliquisset, quam nunc, quia sciens et prudens ex consilio et studio sacrarum regularum per contumaciam transgressor existit, quarum custodiam et observationem professione ac subscriptione sua firmavit. Duplici ergo reatu tenetur astrictus ; qui non solum contra venerabilium Patrum, sed etiam contra sua venisse decreta temere comprobatur. Utrum igitur Deo medio prolata sententia, eum debeat percellere ; an veraciter recognoscentem, et humiliter supplicantem absolvere, salvis sanctorum conciliorum statutis, et apostolicæ sedis pontificum ex eisdem sacris canonibus promulgatis, et reservato per omnia primæ et apostolicæ sedis privilegio, ac Rhemorum metropolis jure : quod ex me est, consilio, et judicio vestræ unanimitatis committo : pro modulo meo sequens dicta B. Cœlestini ad Cyrillum episcopum de Nestorio (Cœlestin., *ep.* 10, apud Baron. *an.* 431) : « Studeo, inquit, quieti catholicæ, studeo pereuntis saluti, si tamen voluerit ægritudinem confiteri. Quod ideo dicimus, ne volenti corrigere [*al.* se corrigere], forsitan deesse videamur. Nam si et nobis [*al.*, etsi et nobis] sustinentibus uvam, spinas sibi addiderit, impleatur manentibus, statutis prioribus sui fructu judicii, colligat quod sulco diabolico seminavit, non nostro consilio, sed se periturus auctore. Probat [*al.*, probet] nos veloces pedes ad effundendum sanguinem non habere, quando sibi etiam remedium cognoscat oblatum. » Et hæc dico non præjudicans vestræ deliberationi, utrum juxta hæc B. Cœlestini verba veraciter recognoscens, et humiliter supplicans, absolvi ; an pro tam diutina pertinaci in contemptu sanctarum regularum permansione debeat percelli. Quia sicut a regulis præstitutis de certis et manifestis causis quæ in nullo nobis sunt dubia vel obscura nulla aut negligentia aut præsumptione debemus discedere, sicut Leo ad Anastasium scribens (*epist.* 84) decrevit : ita de quibus diffinitivas sententias, quæ nulla possunt ratione convelli, a sanctis Patribus promulgatas habemus, non debemus novum inire tractatum, vel novum exspectare consilium.

(*Lib.* LV *cap.*, c. 34.) Nec etiam sedem apostolicam in requirendo inquietare, sicut S. Innocentius scribens ad Macedones episcopos dicit (*epist.* 27) : « Cum sæpius, inquit, repeti fecissem (quin scripta vestra) adverti sedi apostolicæ, ad quam relatio, quasi ad caput Ecclesiarum, missa currebat, fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur. » Et ad Felicem Nucerianum episcopum (*epist.* 3) : « Stupuimus prudentem virum de his voluisse consulere, quæ omnibus sunt certa ratione comperta. » Et S. Zosimus (*epist.* 1) : « Sciat quisquis hoc, postposita Patrum, et apostolicæ sedis auctoritate neglexerit, a nobis districtius judicandum, et loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impune posse tentari. Contumeliæ enim studio fit, quidquid interdictum toties usurpatur. » Et S. Cœlestinus (*epist.* 11) : « Quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permissa frangatur ? » Et item (*ibid.*) : « Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus. » Et (Leo, *ep.* 1) : « Ideo omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum quæ de ecclesiasticis ordinibus, et, canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus : ut, si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. » Et Gelasius *ep.* 11) : « Satis indignum est, quemquam vel pontificem, vel ordinum subsequentium, hanc observantiam refutare, quam B. Petri sedem videat edocere : satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. » Et item : « Non opus fuit nova synodo ; cum veteris constituti sufficienter hæc forma præscriberet. » Et item : « Nunquam cessisse manifestum est, qualibet necessitate cogente, noviter, quæ fuerant salubriter constituta, temerasse. » Et S. Gregorius ad Sergium defensorem (*epist.* 10) : « Si homo esses, aut aliquam districtionem [*al.*, discretionem] habuisses, ita regularis disciplinæ debuisses custos existere, ut ea quæ illic illicita committuntur, ante vindicta corrigeret, quam ad nos eorum nuntius perveniret. » Et post pauca : « Nam si quolibet modo in hac re negligens, vel lentus exstiteris, ita in te districtissime noveris vindicandum, ut quod ex te nescis, pœna possis secante [*al.*, reserante] cognoscere. » Et domnus Adrianus papa in epistola, sicut audistis, nuperrime directa : « Fidelium, inquit, relatione comperimus, quod tua fraternitas debitum vigorem in provincia Rhemensi non agitans, multa reprehensione dignissima a tuis comprovincialibus convalescant. Cujus rei gratia negligentiam vestram his apostolicis affa-

tibus excitamus, ut secundum venerandorum canonum regulas, ita omnium omnimo comprovincialium tuorum synodice, salvo sanctæ Romanæ Ecclesiæ privilegio, reseces vitia, ut privilegii tui coram Deo, nostroque judicio non merearis sustinere jacturam. » Et quia frater Hincmarus sæpe non in canonico judicio, nec pro certis causis, sed pro animi sui motibus irregulariter sedem apostolicam appellavit, et prosequi appellationem suam, etiam irregularem neglexit : si regulariter nunc appellare voluerit, sic submisse et temperate legum et canonum sunt exsequendæ sententiæ, ut et ipse comedat fructus viæ suæ, suisque consiliis saturetur, et sedes apostolica secundum sacros canones, ut dignum est, honoretur; et nos pro dissolutione regularis disciplinæ redargui non mereamur. Nam de appellatione Constantinus Aug. ad Catulinum decrevit hoc modo. « Moratorias dilationes, frustratoriasque non tam appellationes quam ludificationes admitti non convenit. Nam sicut bene appellantibus negari auxilium non oportet; ita his contra quos merito judicatum est, inaniter provocantibus differri bene gesta non decet. » Et ex interpretatione legis Valentiniani, Valentis, et Gratiani Aug. ad Claudium : Lex ista hoc dicit : Cronopium episcopum a multis episcopis fuisse damnatum, et studuisse eum, ante judicium, sententiam quæ proferebatur, appellatione suspendere : a qua sententia, quia juste prolata fuerat, appellare minime debuisset. In qua eum gravi mulcta, id est quinquaginta libras argenti addictum fuisse dicit. Quæ tamen summa ipsius mulctæ, non fisco prodesse jussa est, sed pauperibus erogari. Unde apostolica sedes discernet, si appellans episcopus bonam causam habebit, velut decrevit Sardicense concilium (*can.* 3) : « Si, inquiens, aliquis episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur, si vobis placeat, sancti Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt, Julio Romano episcopo : et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, et det judices. Si autem probaverit talem esse causam, ut non refricentur ea quæ acta sunt : quæ decreverit, confirmata erunt. » Et hinc in can. 4 et 7 ordo appellationis episcopi post episcopale judicium ad apostolicam sedem describitur. Quem eodem modo exsequendum Innocentius, Bonifacius, et Leo ie decretis suis ex eisdem sacris canonibus apertissime promulgaverunt. Unde et Gelasius scribit (*epist.* 11) : « Confidimus quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus nullam [*al.*, non aliquam] magis exsequi sedem oportere [*al.*, præ cæteris oportere], quam primam quæ et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper, et retinet. » Quam synodum Sardicensem apostolica sedes per Osium Cordubensem, et Gentium Capuensem, et Calepodium Neapolitanum episcopos, suos vicarios cenfirmavit : et Ecclesia nihilominus subsequente confirmatam tenuit semper, et retinet.

SENTENTIA DEPOSITIONIS

HINCMARI LAUDUNENSIS

Ab Hincmaro metropolitano Rhemensi in concilio Duziacensi pronuntiata.

(Apud Labb., Concil. tom. VIII.)

Hincmarus Rhemorum episcopus dixit : Nunquam vellem in eum me judicare oporteret; et utinam nec ordinare contigisset, de quo semper timui, quod nunc video, postquam eum sibi sæculum rapuit, et ei frequenter scriptum prædixi : *Qui mentis est duræ, corruet in malum* (*Pro.* XXVIII). Sed quia ipse sibi judicium ferri exegit : vestra unanimitas dicat, si ego pro præmissis causis eum judicavero, utrum vos illum mecum unanimiter judicabitis, an non ? Et singillatim episcopis respondentibus, se illum una cum eo judicaturos. Hincmarus Rhemorum episcopus dixit : Et postquam ego judicio secundum morem ecclesiasticum subscripsero, subscribetis mecum eidem judicio ? Responderunt, quia quod cum eo judicaverint, se juxta morem ecclesiasticum fore subscripturos. Et tunc lectæ sunt in synodo ab Adalgario diacono sententiæ canonum, ita eo dicente. Sardicenses canones decreverunt (*can.* 3) : « Ut si aliquis episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, et putet se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur, si vobis placet sancti Petri memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt, Julio Romano episcopo, et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, et det judices : si contra probaverit talem esse causam, ut non refricentur ea quæ acta sunt; quæ decreverit, confirmata erunt. » Et Innocentius papa decrevit (*epist.* 1), ut « Si majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, et vetus consuetudo [*al.*, beata consuet.] exigit, post judicium episcopale referatur. » Et Bonifacius papa dicit (*epist.* 2) : Nos per omnes provincias litteras dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis jure Maximus obtendat, ut ad provinciam venire cogatur, et illic se constituto præsentare judicio. Quidquid autem vestra charitas de hac causa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur. » Et S. Leo papa decrevit (*epist.* 87) : « Si quæ, inquiens, aliæ emerserint causæ, quæ ad statum Ecclesiarum, et ad concordiam pertineant sacerdotum, illic sub timore Domini volumus ventilentur; et de componendis atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur : ut ea quæ juxta Ecclesiarum morem juste et rationabiliter fuerint diffinita, nostra [*al.*, mea] quoque sententia roborentur. »

Tunc Hincmarus metropolitanus Rhemorum episcopus legens, dixit : Hincmarus Rhemorum episcopus Hincmarum hactenus Ecclesiæ Laudunensis episcopum evangelicæ veritati, atque apostolicæ auctoritati in pertinacia præsumptionis illicitæ excommunicationis repugnatorem ; et sanctorum canonum venerandorum conciliorum, et decretorum sedis apostolicæ, ex eisdem sacris canonibus promulgatorum, transgressorem ; et ecclesiastici ordinis ac regularis disciplinæ in contemptu privilegii suæ metropolis contra sacram Ninænam synodum, contraque cætera sancta concilia, et decreta sedis apostolicæ novum impugnatorem : veternosis fæcibus corruptum, seditionis scilicet Choræ, ac post Nicænæ synodi constitutionem, quorumdam subjectorum rebellionis contra potiores suos resuscitatorem ; et contra ordinem ecclesiasticum ac regularem disciplinam professorem ac subscriptorem ; necnon et canonicæ professionis ac subscriptionis suæ prævaricatorem ; sacræque Scripturæ adulteratorem, et verborum catholicorum interversorem, et imposturatorem. Regiæ siquidem subjectioni, et honorificentiæ contra regulam apostolicam resultatorem ; perjurum quoque, seditiosum, et rerum alienarum ac facultatum pervasorem, calumniatorem, ac injuriarum reum ; et post tertiam vocationem a metropolitano suo ad synodum evocatum ; itemque ab ipsa synodo per ter, ternis episcopis, ternisque presbyteris, ac ternis diaconibus iterum evocatum, in diutina contumacia sua pertinaciter persistentem, et non resipiscentem ; et ad objecta sibi regulariter respondere contemnentem. Per Dominum nostrum Jesum Christum, cujus evangelicæ veritati, pertinaci præsumptione perniciosæ excommunicationis repugnavit, judicio sancti Spiritus, qui locutus est in beatissimis apostolis, et apostolicæ sedis pontificibus, quorum doctrinæ, atque decretis causa suæ injuriæ crudeliter et contumaciter obviavit, secundum sacros sanctorum conciliorum canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, quibus sæpe correptus, et non correctus, multoties resultavit : et ideo ipse contra se elicuit canonicam damnationis proferri sententiam : episcopali honore ac dignitate privatum judico, et omni sacerdotali officio spoliatum decerno : reservato per omnia juris privilegio domni et Patris nostri Adriani, apostolicæ ac primæ sedis papæ : sicut sacri Sardicenses canones decreverunt, et ejusdem apostolicæ sedis pontifices Innocentius, Bonifacius, Leo, ex eisdem sacris canonibus promulgaverunt.

EPISTOLA SYNODALIS

AD ADRIANUM PAPAM

Suo nomine concilii Duziacensis ab Hincmaro Rhemensi scripta.

(Apud Labb., ibid.)

Domino sanctissimo ac reverentissimo Patri Adriano, sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ primæ A sedis papæ, Hincmarus, Harduicus, Remigius, Frotarius, Walfadus, Bertulfus, Adalardus, Ansegisus, Franco, Hildegarius, Adventius, Gislebertus, Hodo, Rainelmus, Engenoldus, Joannes, Waltharius, Willebertus, Hildeboldus, Berardus, Ingilwinus, episcopi, qui cum diversarum ecclesiarum legatis in synodum apud Duziacum Rhemensis parochiæ in nomine Christi convenimus.

Diutinis, ac multis, gravissimisque, atque frequentibus ab insolentiis Hincmari Laudunensis, vexationibus fatigati, quem nec metropolitanus suus, qui orphanum benigne illum nutrivit, in clericum totondit, litteris erudivit, per singulos gradus, electione cleri et plebis Laudunensis Ecclesiæ, cum favore domni regis Caroli, ad apicem episcopatus provexit, B multifarie multisque modis et verbis, et scriptis commonitum, corrigere non potuit. Quem domni nostri regis Caroli benignitas multorum beneficiorum largitionibus, et castigationibus, ad episcopalem mansuetudinem, et gravitatem attrahere non prævaluit : et nec ipse, neque metropolitanus suus ad hoc eum compellere potuerunt, ut clericis ac laicis, quibus injuste fecerat, quod lex, et justitia dictabat, restitueret. Sed potius quicunque ad regem, vel ad metropolitanum suum se contra cum reclamavit, nequaquam cessavit, donec eos penitus exterminavit. Cui etiam synodales invectiones, ut a contumacia et levitate sua resipisceret, bonum nomen, quod apostolica regula episcopum etiam ab his qui foris sunt, habere jubet (*I Tim.* III), morum probitate, et C ordinis sui religione obtinere, et bonorum operum exemplum demonstrare studeret, persuadere non potuerunt. Quem etiam humana verecundia a suis reprehensibilibus, et improbabilibus actibus, ut non vituperaretur ministerium nostrum extrahere nequiverunt. Quem vestræ postremo apostolicæ epistolæ, obtestationes, et commonitiones corrigere, et ad obedientiam debitam flectere non potuerunt.

Tandem quod non sine gemitu et cordis dolore dicimus, quoniam aliud medicamentum quo sanaretur, reperire nequivimus, ab ordine sacerdotali removimus : sicut in gestorum serie sanctitas vestra inveniet, quam per hunc fratrem, et venerabilem coepiscopum nostrum Actardum, qui nobiscum resedit in synodo, auctoritati vestræ dirigimus. Quia diutius nec sibi commissa Ecclesia, quæ sub eo veD luti sub gravissimo fasce gemebat, illum portare ; nec aliarum Ecclesiarum rectores, sine reprehensione insolentias ejus ferre ; nec regiæ dignitatis potestas, vel regni unanimitas, ejus inquietudinem ac dehonorationem sustinere valebat. De quibus quædam, et juxta pluralitatem aliorum excessuum, in præfata gestorum serie pauca invenietis : quia et pro temporis brevitate, quoniam isdem Hincmarus constituta sibi die noluit venire ad synodum ; et domnus rex cum quibusdam episcopis ad colloquium fratris sui, pro reconciliatione filiorum ejus, ad patrem illorum et fratrem suum festinare accelerabat ; ne commota editione carne propinquos inter se compugnantes

Christianornm parricidalis sanguis effunderetur [*leg.*, effunderet]; et hac de causa ecclesiarum Dei res scinderetur, et sacerdotum ac servorum Dei facultates diriperentur, et pauperes depopularentur. Verum et ipsum Hincmarum ad hoc perducere multum laborantes non potuimus, ut secundum rationem et auctoritatem ad objecta sibi redderet rationem. Sed obstrependo clamoribus, et inconditis vocibus, ea quæ verbis confitebatur, et in scriptis suis professus fuerat, iterum denegabat, et ea quæ negaverat, iterum fatebatur.

Propterea præmissis [prætermissis] aliis, quæ in gestorum serie invenietis, et quæ in plurimis sui metropolitani epistolis, et quæ in ipsius Hincmari scriptis habentur : intermissis etiam quamplurimis plurimorum querelis, qui datis petitionibus in synodo adversus eum querebantur, tam de clericis et laicis ecclesiæ suæ, quam et de parochianis presbyteris, et liberis hominibus, non solum suæ parochiæ, verum et aliarum parochiarum. Intermissa nihilominus ratione de auro, et gemmis quamplurimis et pretiosis ; et multis ac variis ornamentis ex auro et gemmis compositis, quibus Pardulus episcopus decessor illius altare sanctæ Mariæ Laudunensis Ecclesiæ pulchre satis ornavit : quod iste defabricavit : et sicut ministeriales ipsius ecclesiæ dicunt, inde umgas ad spatas, et balteos, et calcaria, atque ligaturas hosarum, quas hosobindas dicunt, fieri jussit ; et suo fratri, et quibus sibi placuit dedit. Sed et de auro purissimo ex calice, quod præfatus decessor suus eidem ecclesiæ contulit. Necnon et de alio auro, verum et de argento ipsius ecclesiæ; sed et de casulis pretiosis, quas dedit quibus sibi visum fuit. Necnon et de sacrato panno optimo ex altare sanctæ Mariæ, quem ad sæculares usus dedit : et alia plurima, quæ ad rationem et judicationem mittere non concurrimus.

Sicut nec de seditionibus aliis, præter eam de qua rex eum accusavit per scripturam, præsens præsentem in synodo : in quarum una ipse fuit et veniens cum pluribus armatis hominibus, et permista vulgi multitudine, cum gladiis et fustibus ad mansum ubi mulier comitis regis, nomine Nortmanni, de partu [more femineo jacebat, ejecit eam inde, et omnia quæ ibi habuit, aurum, argentum, vestimenta, pannos plurimos, annonam, vinum, et generis diversi ac sexus pecuniam, sine misso, vel litteris, aut verbo regis, in sua parochia, et missatico, illi per violentiam abstulit : sicut in petitione ipsius Nortmanni nobis porrecta in synodo continetur. In altera vero seditione quæ ipsius jussione fuit concitata, sicut illi dicunt qui in ea fuerunt, unus homo fuit occisus. Nam quia domnus rex cuidam vassallo de Laudunensi episcopio, nomine Amalberto, cui beneficium reddere jussit, quod ab eo injuste tulerat, præcepit hominibus suis et familiæ episcopii Laudunensis illuc ire cum armis et fustibus, et inde illum ejicere : sicut et factum est ; et fugato eo, unus homo ibi fuit occisus.

A Sed et plura sunt alia, quæ nobis longum est scribere : tantum de his quæ in petitione domni regis contra cum in synodo data continentur, judicia terminavimus : reservato per omnia juris privilegio apostolicæ sedis, ac vestro judicio : sicut sacri Sardicenses canones, et decreta sedis apostolicæ pontificum, Innocenti, Bonifacii, et Leonis, ex eisdem sacris canonibus promulgata decernunt. Ea vero quæ metropolitanus suus et jam in altera. (*Non exstat schedula oblata synodo apud Attiniacum*), et nuper in ista synodo ad correctionem illius, quem per se non valebat corrigere, legenda obtulit, idciro auctoritati vestræ dirigimus, ut expressius et certius, seu plenius, fastum et animi ejus duritiam, et irrevocabilem ipsius Hincmari pertinaciam cognoscatis ; et B non præpropere, vel immutare, ac inconsulte, sed satis coacte nos in eum, ipso compellente, damnationis sententiam protulisse.

Unde obnixe precamur vestram auctoritatem, ut a tanto hujus incorrigibilis pestis tædio, nos etiam suo judicio, quem longius supportare nequivimus, liberet : secundum decreta Bonifacii et Leonis, ea quæ juxta ecclesiasticum morem, prout intelleximus, non inimico animo, vel aliqua cupiditate, aut gratia depravati, juste et rationabiliter diffinivimus, vestra quoque sententia roborando. Et si forte, quod non putamus, visum vobis necessario fuerit, ut secundum Sardicenses eanones renovetis judicium, et detis judices, scribendo episcopis qui in finitimis et vicinis provinciis sunt, ut et ipsi diligenter omnino requirant, et juxta fidem veritatis diffiniant. Vel si decre- C veritis mittere a latere vestro habentes auctoritatem vestram, qui cum episcopis judicent, eo in gradu adhuc non restituto, sicut sacri Sardicenses canones præcipiunt, non abnuimus. Licet, quantum possumus, redire ad laborem quo diu vexati sumus, refugere cupiamus : et ea quæ propter verecundiam sacerdotalis reverentiæ tegi potius, quam publicari optamus, si valuerimus, ad plurimorum notitiam deferri modis omnibus resultemus. Verumtamen quanta possumus devotionis humilitate deposcimus, ut etiam in hac causa nobis canonicam diffinitionem servetis. Videlicet ut si, quod non credimus, ea quæ regulariter diffinivimus prout sacras regulas intelleximus, vobis præsentaliter non placuerit vestra sententia roborare, non antea communione sacerdotali, D a qua separatus est restituatur, antequam, secundum regulas et leges, in provincia, in qua causæ gestæ, et judicatæ sunt, requirantur. Quia usque ad nostra tempora nulla Patrum diffinitione hoc Ecclesiis Gallicanis et Belgicis est derogatum : præsertim quia decreta Nicæna, sive inferioris gradus clericos, sive episcopos ipsos, ut Africanum scribit concilium, suis metropolitanis aptissime commiserunt. Sicut et S. Bonifacius exponit, scribens ad Hilarium Narbonensem episcopum (*epist.* 3) : « Convenit nos, inquit, paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita synodi constitutio Nicænæ, quæ

ita præcepit, ut eadem proprie verba ponamus. Per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere; nec cuiquam duas esse [*al.*, posse esse] subjectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, sancto Spiritu suggerente sibimet, censuerunt. » Et paulo post : « Quod idcirco dicimus, ut advertat charitas tua, adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. Prudentissime enim sancti Patres nostri justissimeque viderunt, » ut Africanum concilium ad Cœlestinum papam scripsit [*conc.* Af. ep. *ad* Cœlest.] « Quicunque negotia in suis locis urbi orta sunt, finienda : nec unicuique provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, quæ æquitas a Christi sacerdotibus et prudenter videatur, et constantissime teneatur. » Maxime autem cum diffinitione ac patrocinio sanctæ et apostolicæ sedis secundum leges et Africæ provinciæ canones, illud ratum haberi posse ostendatur judicatum, « ubi testium necessariæ personæ absque sexus, vel senectutis, seu infirmitatis, vel multorum aliorum excusatione impedimentorum, possunt adduci. » Quoniam nemo nisi aut scriptura, aut testibus, legaliter ac regulariter potest convinci : sicut Hincmarus suis scriptis, ac subscriptionibus, et idoneis testibus est in synodo coram nobis convictus.

Quia ergos nos, quantum scimus et possumus privilegium sanctæ ac primæ sedis Romanæ, et conservare, et obaudire, et extollere cupimus, atque satagimus, « pro suo scilicet principatu, quem B. Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente et tenuit semper et retinet : » servet vestra paternitas, et a Deo in prima sede constituta auctoritas, nobis, filiis et subjectis sibi episcopis ecclesiastica privilegia, a sacris canonibus, et vestris decessoribus, ac prædecessoribus conservata. Quatenus et apostolica sedes proprium vigorem retineat, et a se concessa aliis sua jura non minuat. Sicut B. Gregorius scribens ad Dominicum Carthaginensem episcopum [*epist.* 39.] : « De ecclesiasticis, inquit, privilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus : nec cuilibet favente gratia, ultra quam meretur impertior ; nec ulli hoc quod sui juris est, ambitu stimulante derogabo [*al.*, derogo] ; sed fratres meos honorare per omnia cupio, sicque studeo eos in honores subvehi [*al.*, honore singulos subvehi], dummodo non sit, quod alteri jure ab altero possit apponi. » Et ad Natalem Salonitanum episcopum : [*indict.* 10. *ep.* 37.] « Quod vero dicitis vestris temporibus [*al.*, nostris temporibus] debere servari, quæ a decessoribus quoque [*al.*, a meis quoque decess.] tradita et custodita sunt : absit a me ne statuta majorum consacerdotibus meis in qualibet ecclesia infringam : quia mihi injuriam jacio, si fratrum meorum jura perturbo. »

Et si forte, quod absit, cujuscunque suggestione A vel postulatione, apostolicæ sedi subreptum fuerit, ut idem contemptor et conculcator sacrorum canonum in gradu restitutus, aut in nostras provincias ad audientiam remittatur, aut sine audientia in restitutione manere jubeatur, ut cum venia vestra dicamus, ulterius quod isdem ab ipsis ordinationis suæ primordiis semper quæsivit, ut in nostris provinciis, nullius coercitionis respectu quidquid vellet, licenter agere posset, sciens nos de singulis Romam mittere non posse : usquequo iidem sancti Patres nostri, qui adhuc nobiscum in suis constitutionibus vivunt, et secundum tramitem sanctarum Scriturarum, traditionemque apostolorum, præventi, ac inspiritati gratia sancti Spiritus, de hujusmondi factis, quæ insolens, et transgressor sacrarum legum, ac re- B gularum Laudunensis Hincmarus noscitur perpetrasse, certa præfixere judicia, cum domino inde judicaturi adveniant, de ipsius in episcopali cum ma... ordine perpetratis, ac perpetrandis excessibus, sicut hactenus actibus ejus conhibendo non communicavimus ; ita in postmodum nulla de eo judicia decernemus, vel quamcunque proclamationem apud quemcunque faciemus. Vivat si sibi sicut vult, consolante nobis ac consulente Apostolo, qui dicit : *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis et redarguite* (*Ephes.* v.). Egimus enim de illo pro modulo nostro. Quia sicut B. Augustinus exponit, « duobus modis nos non maculat malus, scilicet, si non consentiamus ejus operibus malis ; et si ea redarguamus. » Non consensimus quidem : imo et ejus opera redarguimus ; et quem corrigere non po- C tuimus, judicatum a nobis Dei mediante sententia, diffinitionis vestræ judicio reservavimus : et sub gestorum serie, quæ acta sunt per venerabilem episcopum nostrum Actardum, qui synodalibus diffinitionibus nostris interfuit, paternitati vestræ dirigimus [*Locus corruptus*]. Quod et de Rothado faceremus, si legatis nostris facultas transeundi Alpes in illis temporibus concederetur. Credite ergo fidei nostræ, quia non inimico animo, vel aliqua cupiditate, aut gratia depravati eum judicavimus : sed ipso multis et maximis, atque diutinis excessibus nos compellente : ac per hoc credite, juxta Sardicenses canones, posse sufficere, sicut regulariter negotio terminum imposuimus, nostrum judicium vestra roborante sententia.

D (Flodoard., *l.* III, *c.* 21.) Venerabilem denique fratrem, et coepiscopum nostrum Actardum, quem clerus et plebs metropolis Ecclesiæ Turonensis, in eadem ecclesia baptizatum, tonsum, et nutritum, ac per singulos gradus ad ordinem episcopatus provectum, sibi incardinari deposcit : quemque vestra paternitas nobis incardinandum, etiam si locus eveniret in nostris regionibus in metropoli recommendavit, auctoritati vestræ remittimus. Quatenus illum in præfata metropoli, eo, si vobis placet, tenore archiepiscopum incardinetis, ut post decessum illius præfatæ metropoli ecclesiæ cleri ac plebis electione, sicut regulæ sacræ præcipiunt, et vetus consuetudo

exigit, a suffraganeis et provincialibus episcopis ibidem metropolitanis ordinetur episcopus (Adrian., *ep.* 2 *ad episc, synod. Suession.*) Quem licet, juxta Antiochenos canones perfecto concilio, atque secundum apostolicas vestras litteras vacanti Ecclesiæ incardinare possemus : quia tamen Turonensis Ecclesia ex antiquo metropolis, et beati Martini meritis famosissima et honorabilis semper exstitit, et præfatus frater noster Actardus venerabilis episcopus genio pallii [a] a benignitate vestra est honoratus : rationabilius vidimus, ut petitione cleri ac plebis ipsius ecclesiæ, et consensu nostræ unanimitatis, ac fovore domni nostri Caroli regis gloriosi (Adrian., *epist.* 28, *ad Carol.*), ac vestra auctoritate eidem incardinetur Ecclesiæ. Deus noster sanctitatem vestram ævo longiore orantem pro nobis custodiat, domine reverentissime Pater in Domino. Data VIII Idus Septembr. præsentis quartæ indictionis.

EPISTOLA HINCMARI RHEMENSIS

AD ADRIANUM PAPAM.

(Apud Labbeum ubi supra.)

Domino sanctissimo et reverentissimo Patrum Patri Adriano, primæ sedis apostolicæ et universalis Ecclesiæ papæ, Hincmarus, nomine non merito Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus.

Venerabilem fratrem, et coepiscopum nostrum Actardum, sicut vestra dignatio exiguitati meæ litteris suis præcepit (Adrian. *epist.* 4, *ad Hincm.*), in gremio dilectionis suscepi, et a paganis Nortmannis, necnon et a pseudochristianis Brittonibus de sua sede expulsum, consensu coepiscoporum Rhemensis provinciæ, ac favore domni nostri Caroli regis gloriosi, in vacante ecclesia [Morinensi] diœceseos nostræ locum sacrificandi, et episcopale ministerium peragendi concessi : et secundum Sardicenses canones (*can.* 3, 12, 21) immorandi licentiam dedi : et de rebus ac facultatibus ejusdem ecclesiæ, larga benevolentia humanitatem exhiberi præcepi : usque dum aptus et conveniens sibi locus eveniret, ubi secundum præceptionem vestram posset incardinari. In qua vacante ecclesia diœceseos nostræ secundum apostolicas litteras vestras, incardinari non potuit; quia res Ecclesiæ Namnetensis a paganis residuæ, longe ab Ecclesia Morinensi Rhemorum provinciæ distant, et in duabus provinciis regulariter conscribi non poterat. Nunc autem quia clerus et plebs metropolis Ecclesiæ Turonensis, in eadem ecclesia baptizatum, tonsum, et nutritum, ac per singulos gradus ad ordinem episcopatus provectum, sibi eum incardinari deposcit, quem vestra paternitas nobis incardinandum, etiam si locus eveniret in nostris regionibus in metropoli, commendavit, auctoritati vestræ remittimus : quatenus illum in præfata me-A tropoli, eo, si vobis placet, tenore archiepiscopum incardinetis, ut post decessum illius, præfatæ metropoli ecclesiæ, cleri et plebis electione, sicut regulæ sacræ præcipiunt, et vetus consuetudo exigit, a suffraganeis et provincialibus episcopis, ibidem metropolitanus ordinetur episcopus. Quem licet juxta Antiochenos canones perfecto concilio, atque secundum apostolicas vestras litteras vacanti ecclesiæ incardinare possemus : tamen quia Turonensis Ecclesia ex antiquo metropolis, et beati Martini meritis famosissima, et honorabilis semper exstitit ; et præfatus frater noster Actardus venerabilis episcopus, genio pallii, a benignitate vestra est honoratus : rationabilius vidimus, ut petitione cleri ac plebis ipsius ecclesiæ, et consensu nostræ unanimitatis, ac B favore domni nostri Caroli regis gloriosi, a vestra auctoritate eidem incardinetur ecclesiæ.

De causa vero fratris Hincmari, sufficienter vobis gestorum series, quam per hunc venerabilem fratrem et coepiscopum nostrum Actardum, synodus in parochia Rhemensi nuper habita, vestræ auctoritati transmittit, plenam notitiam intimabit. Cui post omnia gesta, quæ de illo gerenda fuere, cum aliis episcopis et confratribus nostris, apud domnum regem obtinuit [*leg. videtur* obtinui], ut quicunque de clero, vel de familia Laudunensis Ecclesiæ cum illo pergere vellet, licentiam haberet. Quem utinam non vidissem, minime autem illum me ordinare in episcopum contigisset, per quem tantum scandalum in nostrarum provinciarum ecclesiis, et in regno in quo degimus, sine ulla nécessitate commotum, et C diutino tempore hactenus est perduratum. Adeo ut non inconvenienter de eo dicere possem : Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille : qui pro eo ut ad episcopalem gradum provectus in religione proficeret, sub qua nutritus fuerat, pompas et illecebras sæculi cœpit sequi, et familiaritates, ac contubernia sæcularium delectari ; de negotiis sæcularibus sermocinationes fréquentare ; cupiditatem et avaritiam, non solum pecuniæ, sed et altitudinis, ac turpis lucri emolumenta sectari ; meas, et quorumcunque correptiones aspernanter et indignanter accipere, et in sensu ac sapientia sua confidere ; sicut multi, proh dolor! in nostris regionibus sciunt. Et ut alia plurima specialiter computare omittam, quæ per plures annos in timore, et cordis dolore, D de illius moribus et improbabilibus actibus, et etiam humana verecundia de insolentiis ejus sustinui : sæpissime illum et verbis, et scriptis, familiariter et per me, et per communes familiares nostros corripiens, et ad recognitionem, vel correctionem adducere non valens ; de his pauca commemorabo, quæ ante quadriennium in pejus proficiens, et excrescens, cum virtute laborare cœpit, ut caderet.

Cœpit enim clericos et laicos, qui eum elegerant, per varias occasiones affligere ; et ab eis, quæ habebant, vel acquirere poterant, per diversa ingenia

[a] Genium pallii vocavit Gregorius (*lib.* VI, *epist.* 131) dotes ejus et significationes.

subripere, et, ut dicam apertius, rapere : indeque illos de loco, in quo nutriti fuerant, exterminare, et alios pravæ opinionis ex diversis provinciis recipere. Unde afflicti tam clerici, quam laici de sibi commissa ecclesia, cœperunt se reclamare ad domnum regem, et ad meam exiguitatem : pro quibus satis superque laboravi; sed aut parum, aut nihil profeci. Isdem autem pro reclamatione suorum hominum contra domnum regem commotus, de rebus a Nortmanno invasis, quas ipse regi sine meo ac coepiscoporum meorum consensu concesserat, ut eas Nortmanno beneficiaret, sicut et ipse in suis scriptis fatetur : misit illum apud vestram auctoritatem, me inscio, sine ulla necessitate accusare, per missum suum Celsanum. Et mandavit mihi, quod domnus rex eum, et omne episcopium Laudunensis Ecclesiæ, exceptis principali ecclesia, et episcopii domo, et claustro fratrum, proscripserit et confiscaverit, quia ipse sæculare judicium adire noluerit. Ego autem illi ut episcopo credens, scripsi inde domno regi plura, et minus caute, reprehendens illum de injusto judicio. Et quia non ita se res habebat, sicut idem Hincmarus mihi mandaverat, et postea ipse dixerat : assumpto eo mecum, veni ad domnum regem, et una cum coepiscopis nostris, sicut antea, et postea sæpius egi, domnum regem ei placabilem feci. Postea vero sine mea conscientia, vel consensu, misit iterum ad vestram auctoritatem, non solum regem, sed et me accusare, sicut in sanctitatis vestræ litteris inveni. In quibus inter cætera continetur : « Quare ministerio juris episcopalis in regionibus istis abutar, et Hincmarus nepos, et æquivocus meus, venerabilis duntaxat episcopus, sicut audistis, non minima in ecclesia sua sustinet detrimenta : si me tepescente nullam potuit consolationem invenire. » Unde jure vestræ auctoritati rescripsi (*non exstat hæc epist.*), quod non est modo necesse repetere.

Sed ipse Hincmarus unde cautior et humilior esse debuerat, scilicet de mea intercessione, et domni regis benignitate, inde elatus in superbiam, et amarus animo effectus, non solum se non correxit, sed malis pejora semper adjecit. Et quia suis pravis actibus et improbabilibus moribus consentire non volui, et incaute suis mendaciis fidem accommodare vitavi ; imo et illum redarguere cœpi : etiam contra me irremediabiliter se commovit; et plura et majora scandala et regi, et regno, et mihi, ac coepiscopis nostris, et ecclesiæ suæ tam clericis quam laicis semper accumulavit.

Et horum scandalorum, licet non apertis vocibus, scandalizati ab eo, ut audivi, me auctorem esse dicebant : quoniam eum scilicet nepotem meum episcopum ordinaveram. Non attendentes, quia non ut Judam electum præsenti justitia apostolum, et Saul regem postea reprobatum, de quo scriptum est : *Erat vir electus et bonus, et non erat vir de filiis Israel melior illo (I Reg.* IX). Deus omnia sciens ordinavit, et nihil culpæ contraxit, quia peccare non

A potuit : sed ut homo nesciens quod futurum erat, istum per improvidentiam ordinavi, et divini judicii non injusti minister exstiti : quia, sicut timeo, aliis peccatis meis hoc esse promerui. Quanquam et sancti apostoli cum B. Stephano, et aliis diaconibus, Nicolaum ordinaverint, nec tamen dictis et factis illius improbabilibus postea manifestis, per manuum suarum impositionem communicaverunt (*Act.* VI). Sicut nec Samuel culpam contraxit in ordinatione Saul : quem divina jussione a se ordinatum, et a Domino postea abjectum diutissime flevit, veluti sacra narrat historia (*I Reg.* XV). Quia autem dicebant quod nepotem meum episcopum ordinaverim, non attendebant quia et alii per me sunt episcopi ordinati, qui non sunt mihi carne propinqui : et quia B non impedit ad quemquam ordinandum carnis propinquitas, si ordinandus fuerit electus, et petitus secundum ecclesiasticas regulas. Nam et Dominum a quo, et per quem cœpit episcopatus, carne sibi propinquos legimus ordinasse episcopos.

Sed licet in isto nepote meo egerim unde gemo, quia nescio qualiter de hoc, et de aliis meis factis *terribilis in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV) in occulto suo judicio, *qui posuit tenebras latibulum suum* (*Psal.* XVII) disponet : scio tamen omnipotentem advocatum, et misericordem judicem, « ante quem est omne desiderium meum et gemitus meus non est absconditus (*Psal.* XXXVII). » Consolatur enim me, quia recepi pro illo et per illum duplicia. Quoniam sicut sanctus dicit Gregorius : « Quos plus cæteris diligimus, cum ab eis adversa patimur, ma- C jorem dolorem mala nobis ingerunt, quam quæ ab externis inferuntur : et plus in nobis ea tormenta sæviunt quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præsumebamus ; quia cum damno corporis mala nos cruciant amissæ charitatis. Hinc est enim quod de Juda traditore suo per psalmistam Dominus dicit : *Et quidem si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique*; *et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus, qui et notus meus, simul mecum dulces capiebas cibos : in domo Domini ambulavimus cum consensu* (*Psal.* LIV), Et rursum : *Homo pacis meæ in quo sperabam, et qui edebat panes meos, magnificavit adversum me supplantationem* (*Psal.* XL). » Ac si de traditore suo D apertis vocibus dicat : transgressionem ejus tanto gravius pertuli, quanto hanc ab eo qui meus esse videbatur, sensi.

Cui multa et multipliciter ut se corrigeret, scripsi : quæ si in unum corpus fuerint congregata, non puto minoris fore voluminis, quam quinque sunt libri Moysi. Et ideo ad scribendum illi me contuli, quia sufferre non poterat, quæ illi a me dicebantur. Sed nec de ullo homine patienter aliquid potest audire, ut semper non ipse loquatur ; nisi ea illi quis dixerit, quæ in suo corde versantur. Contra quæ etiam scripta ipse multa multipliciter, et irrationabiliter mihi rescripsit : nolens ea quæ illi scribebam sic intelligere, sicut scripta erant : sed me, et ipsa scripta

reprehendere, et calumniari, atque refellere laborabat.

Per quæ intelligens illum esse incorrigibilem, statui in corde meo, ulterius me apud illum non inaniter laboraturum : videns in eo impleri, quod de Domino psalmista dicit : *Immissiones per angelos malos, viam fecit semitæ iræ suæ* (*Psal.* LXXVII). « Cor, inquit Gregorius, Dominus prioribus meritis aggravatum, juste permittit etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli : quod dum digne in culpa trahitur, reatus jam in pœna cumulatur. Unde et iræ suæ Domino viam facere ; est in eos qui punire in se causas recte noluerunt, districte judicando dilatare : ut qui illuminati agere recta noluerunt, juste cæcati adhuc faciant unde amplius puniri mereantur. De quibus dicit Apostolus : *Ut impleant peccata sua semper* (*I Thess.* II). Et hinc voce angeli ad Joannem dicitur : *Qui nocet, noceat adhuc ; et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII). Et hinc David ait : *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in justitia tua* (*Psal.* LXVIII). Et hinc per Moysen dicitur : *Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum* (*Gen.* XV). Hinc per eumdem Moysen Dominus dicit : *Ex vinea enim Sodomorum, vitis eorum ; et propago eorum ex Gomorrha. Uva eorum uva fellis, et botrus amaritudinis ipsis. Furor draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis ? In die ultionis reddam eis* (*Deut.* XXXII). Et quia multa eorum mala narravit, tamen illico adjunxit. *In tempore quo lapsus fuerit pes eorum* (*ibid.*). Et atrocissima peccata illorum describuntur : et tamen ad ultionis diem adhuc subsequens lapsus adipiscitur, quo eorum culpæ cumulentur. Habent jam quidem, unde feriri mereantur : sed sustinetur tamen adhuc peccatum crescens, ut peccantes possit acrior culpa cumulare. Jam meretur supplicium peccatum, et causa peccati : sed exspectatur adhuc, ut augmentum supplicii subroget peccatum et pœna peccati. Quæ in illo compleri videns, pro modulo meo sequi decrevi quod Dominus dicit : *Non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi : et dimisi eos secundum desideria cordis eorum : ibunt in adinventionibus suis* (*Psal.* LXXX). Et : *Vocavi et renuistis, et despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Comedent igitur* hujusmodi, *fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur* (*Prov.* I). »

Et quia ipse Dominus dicit : *Si oculus tuus dexter, vel manus tua dextera scandalizat te, projice ea abs te* (*Matth.* V) : et odire nos proximos nostros præcipit, adhuc autem et animam nostram (*Luc.* XIV). Unde beatus dicit Gregorius (*homil.* 57 *in Evang.*) quia amandus quilibet in hoc mundo nobis est adversarius : sed in via Dei contrarius non amandus est nobis, etiam proximus. Quia licet amandi sint proximi, et impendenda charitas omnibus, et propinquis et extrancis ; non tamen pro eadem charitate in Dei est amore flectendum. Quia pro affectu carnali, sicut nec vaccæ quondam portantes arcam Bethsames, non declinant a recto itinere (*I Reg.* VI), qui arcam Dei portant in mente : cognoscentes quia compassio proximis, et rectitudo debetur vitiis. Quæ idcirco vestræ sanctissimæ auctoritati scribens, dolore cordis constrictus, de illo per vocem luctus emitto : ut sciatis, quanta non solum ego, sed et ecclesiæ Cisalpinarum regionum, et rex, ac regnum nostrarum partium per illum hactenus sustinuerunt. Suggero enim paternitati vestræ, quia quandiu in hac mortali carne vixero, sicut metropolitanus cum episcopo rationem habere debet, quantum ex me est, nec de parochia, nec de quacunque causa, metropolitana sollicitudine, cum illo ullam rationem habebo : quem diutius insolentem sufferre non valeo. Et tolerabilius mihi est, etiam corporaliter, oculum, aut manum, aut pedem abscisione amittere, quam cum illo, quem spe gaudens dilexi, et ea gemens diligo propter Deum, de suis insolentiis contentiones sine ulla utilitate conserere. Jam enim in multis, et per plures ab eo vexato, necesse est mihi, ut non rixas, sed quietem exquiram. Quatenus qui jam terminum meum exspecto, vel in eodem termino, per Dei misericordiam dicere possim : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace* (*Luc.* I).

Cæterum vestræ paternitatis auctoritas nuper mihi litteras misit de presbytero parochiæ nostræ, nomine Trisingo, præcipiens ut plenariis scriptis remitterem vobis notitiam de causa ipsius. De quo sicut se rei veritas habet, vestræ auctoritati rescribo.

Quædam libera femina, soror hominis nomine Livulfi, de ipsa in qua præfatus Trisingus presbyter fuerat ordinatus, accepit maritum fratrem ipsius Trisingi presbyteri : et hac familiaritate idem Trisingus cœpit frequentare domum fratris sui. Et, sicut idem Livulfus, qui in ipsa villa manebat, et parochiani atque vicini ejusdem presbyteri dicebant, cum filia uxoris fratris sui, quam de altero marito susceperat, cœpit concumbere. Et quadam die ipse presbyter, atque præfatus Livulfus perrexerunt ad castellum, quod Mosomus dicitur, et inebriaverunt se in quadam taberna contra nostrum episcopale interdictum : qui presbyteris nostris in omnibus synodis interdicimus, ut sicut canones Africani diffiniunt (*conc. Afric.*, c. 40) : « Clerici edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. » Et iste presbyter, gulæ non peregrinationis necessitate, ad inebriandum se tabernam intravit : quia idem castellum non amplius quam quatuor milliaria a mansione ipsius presbyteri distat. Revertentes autem idem presbyter et Livulfus, ebrii, de præfato castello, cœperunt verbosare inter se [a], sicut ebrii

[a] *Se prendre de paroles.* Dixit Augustinus Juliano : *Inaniter verbosaris*, hoc est, multis nugaris, lib. III, contra Jul., n. 46.

solent facere, et illorum verbosatio eo usque processit, ut de ipsa sua nepte improperaret presbytero ; et e contra ipse presbyter opprobria quæ invenire potuit, eidem Livulfo retulit. Idem autem Livulfus fuste, quem in manu portabat, bis percussit Trisingum presbyterum. Tunc ipse presbyter irruens super filium Livulfi, qui spatam ad collum portabat, extraxit eamdem spatam ; et volens percutere eum per medium caput, ut illum occideret, levavit idem Livulfus manum contra spatam, et suscepit spatæ ictum, et abscissi sunt illi duo digiti de eadem manu : et cadente illo de caballo, putavit pesbyter illum esse mortuum, et saliens in caballum illius perrexit domum suam.

Ego vero per multos hoc audiens, vocavi eum ad me, in præsentia clericorum ac comministrorum nostrorum, et interrogavi eum, ac veritatem. Qui de femina de qua reputabatur, negavit quod cum ea non concubuerit. De voluntate autem, quia eo ordine sicut præmisi, ipsum hominem occidere voluerit, confessus fuit : qui juxta vocem Joannis apostoli homicida convincitur. Ego autem, sicut beatus Augustinus de presbytero suæ parochiæ Xantippo primati suo scripsit, quæ negavit, Deo dimisi ; quæ occultare permissus non est, judicavi ; et eum ab officio sacerdotali removi, donec ad synodum comprovincialem veniret, et ibi cum certo episcoporum numero, sicut Carthaginenses præcipiunt canones (*canon. Afric.* c. 95 ; *conc. Carthag.* III, can. 8), causa ipsius certum finem acciperet. Isdem autem, cum plures synodos in provincia nostra babuerimus, ad synodum postea nullam venit. Quem per annum et sex menses exspectavi, et pro se in synodo nihil sategit. Et decernentibus sacris canonibus (*conc. Carthag.* v. can. 12) : ut *quoties clerici convicti, et confessi in aliquo crimine, si forte causæ adesse voluerint, et innocentiam suam asserere intra annum excommunicationis hoc faciant. Si vero intra annum causam purgare contempserint, nulla eorum vox postea penitus audiatur.* Post annum et sex menses reclamantibus parochianis ecclesiæ ipsius, in qua idem presbyter fuerat ordinatus, se non habere presbyterum (*deest aliquid ad sensum*) : nam quia Romam perrexerit, ignoravi, donec post tres menses, quam in loco ejus fuit presbyter ordinatus, Roma veniens mihi litteras vestræ sanctitatis attulit.

In canonibus autem Africæ provinciæ concilii quarti capitulo 67, de seditionariis et usurariis, ne clerici fiant scriptum est ita (*conc. Carth.* VI, can. 66) : « *Seditionarios nunquam ordinandos* [*al.*, ordin. clericos], *vel injuriarum suarum ultores.* » Et si tales ordinandi non sunt, colligendum est. quid mereantur qui post ordinationem, admittere talia non formidant. Et antiqui Patrum canones in synodo, cui plurimi metropolitani cum suis suffraganeis interfuerunt, decernente Antiocheno concilio perfectum illud esse concilium, ubi interfuerit metropolitanus antistes, manifesta sententia decreverunt (*conc. Tolet.* IV, can. 45. Habetur 23, q. 8, *Clerici qui*) : « ut clerici, qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint reperti, amisso ordinis sui gradu in monasterio pœnitentiæ detrudantur. » Et Zacharias papa Bonifacio episcopo Moguntino scripsit, ut episcopos, presbyteros, aut diaconos sanguinem Christianorum seu paganorum effudisse repertos, ab eisdem ecclesiasticis gradibus removeret. Et jam plusquam duo sunt anni, ex quo præfatus Trisingus suprascriptum Livulfum volens occidere, demembravit, quando hanc relationem, ut jussistis, vestræ auctoritati transmitto. Et quia populus sine presbytero tandiu manere sine periculo dimitti non potest, vestra sapientia sufficientissime novit. Deus omnipotens sanctitatem vestram ad doctrinam et correctionem sanctæ suæ Ecclesiæ in suo cœpto servitio per annorum multa curricula conservare dignetur, domine sanctissime, et reverendissime Patrum Pater in Domino.

ANNO DOMINI DCCCLXXXII.

JOANNES VIII

PONTIFEX ROMANUS.

NOTITIA HISTORICA IN JOANNEM VIII

Auctore, ut creditur, PANDULFO *Pisana.*

(Apud Muratori, Rer. Ital. Script., tom. III, ex codice ms. Vaticano.)

Joannes VIII, natione Romanus, ex patre Gundo, sedit annos decem, menses duos. Hic beatissimus pro utilitate omnium Ecclesiarum Dei, et præcipue pro Gallicanæ Ecclesiæ, Arelatem maritimali itinere deductus est ; ubi Leo abbas in præsentia ejus veniens, contra Gisbertum [*Baluz., t. VII Miscell.*, Gilbertum, *hic et infra*] Nemausensem episcopum conquestus est. Monasterium enim sancti Petri in quo quiescit corpus beati Ægidii in finibus Gothiæ in Valle Flaviana, quam vallem Flavius quondam rex beato Ægidio donaverat, et sanctus Ægidius exinde donationem integriter Romanæ Ecclesiæ et domno papæ Benedicto fecerat, et ibi in veneratione apostolorum principum Petri et Pauli monasterium

ædificaverat, præfatus Gisbertus Nemausensis antistes prædictum monasterium quadam temeritate invadens, eidem Leoni abbati abstulerat. Deinde præceptum ex rege Francorum exceperat, in quo nec firmitatem credens, Romanum pontificem adiit, super hoc auctoritatem furtim quasi de suis apostolicam exquisivit. Sed sanctæ recordationis domnus Nicolaus papa, licet hujus fraudis esset ignarus, divino tamen Spiritu plenus, omnes de hoc legem quærentes excusare sategit. Sed domnus Joannes papa cum munimentum chartarum ejusdem monasterii requireret, privilegium, quod Romæ [*id.*, quod Romanus] venerabilis papa Benedictus sancto Ægidio corporaliter tradiderat, ei oblatum est. Tunc domnus papa Joannes per Deus dedit ducem Ravennatem, advocatum suum, contra Gisbertum Nemausensem episcopum, ipsum monasterium quæsivit. Tunc ambarum partium advocatis per fidejussorem legatis, exsecutionem [*id.*, exsecutore] duntaxat Gregorio scriniario, et Deusdedit agente, voluit idem Gisbertus episcopus per præceptum domni Nicolai piæ memoriæ ibi relectum, quod furtim quasi de suis ex apostolica sede fraudaverat, et per præceptum quod ex quodam rege Francorum falsum exceperat, in quo nec ulla firmitas subsistebat, defendere. Sed domnus papa omnes episcopos et judices Romæ, vel provinciales sub anathemate excommunicationis admonuit, de hoc rectam legem dicturos et facturos. Tunc Rostagnus Arelatensis archiepiscopus, et Aribertus (*a*) Ebredunensis archiepiscopus, Waldbertus Portuensis episcopus, Paschalis Amerinus episcopus, Radbertus Valentiæ episcopus, Litiduinus [*Baluz.*, Lituinus] Massiliensis episcopus, Ictarius Vivariensis A episcopus, et alii episcopi provinciæ et judices, Joannes dux, et Dativus [*id.*, Daturus] Ravennæ, Ardus, Adbertus, Guisalfredus, Arderardus, Codulfus [*id.*, Gondalfus], et alii nonnulli provinciales judices, ut præceptum lectum audierunt, mox cognoverunt apostolicam domni Nicolai censuram, excusare de hoc legem quærentes. Et dixerunt per illud præceptum hoc monasterium non posse defendi, judicantes statim ut præfatum monasterium Gisbertus episcopus domno papæ redderet, et pœnam invasionis sibi componeret. Tunc ipsum advocatum Deusdedit ducem Ravennatem domnus papa illuc transmisit, qui super hoc corporalem traditionem de omnibus rebus prædicti monasterii tam intus quam extra a præfato Gisberto episcopo recepit. Deinde in Galliam transitum faciens anno Incarnationis Dominicæ 879, xv Kalendas Septembris (*b*), indictione xi, anno pontificatus sui in sanctissima [*id.*, sacratissima] sede beati Petri apostoli sexto, B apud Trecas civitatem [*Id.*, sexto, mense Augusto, Trecas civitatem], in præsentia domni Ludovici serenissimi regis concilium permaximum celebravit (*c*). Hujus etiam temporibus floruit Anastasius Romanæ Ecclesiæ bibliothecarius, qui, tam Græco quam Latino eloquio pollens, septimam universalem synodum de Græco in Latinum transtulit. Transtulit etiam de Græco in Latinum Hierarchiam Dionysii Areopagitæ Athenarum episcopi, scriptam ad Timotheum episcopum Ephesi, et direxit Carolo imperatori filio Ludovico. Transtulit etiam de Græco in Latinum Passionem sancti Petri Alexandrini archiepiscopi, et Passionem sancti Acacii, sociorumque ejus, et Vitam sancti Joannis Eleemosynarii.

(*a*) Nomen Ariberti Ebredunensis episcopi deest apud Baluzium.

(*b*) Apud Baluz., *an.* 878, xv *Kal. Sept.* Hæc idem adnotat : « In veteri codice legitur ea acta esse anno C 879, indict. ix, et concilium Trecense fuisse celebratum mense Aprili. Quod cum constare non possit cum veritate historiæ, notas illas correximus, ut in re certa. »

(*c*) Cætera quæ sequuntur desiderantur apud Baluzium.

ALTERA DE JOANNE VIII NOTITIA.

(Ex Conciliis Mansi.)

Joannes (*a*) sedit annos decem, dies duos. Hic decreto suo statuit ut nulli ducum liceat quemlibet episcopum in præsentiam Romani præsulis introducere, vel census ab eo ad sumptus publicos seu dona quælibet exigere, sed nec coram laicis episcopum concessit. Clericos et sanctimoniales, pupillos et

(*a*) *Joannes.* Anno Redemptoris 872, decimo nono Kalendas Januarii, teste Aimoino, Joannes, patria et natione Romanus, ex archidiacono factus est pontifex hujus nominis octavus, electione, unctione et coronatione Caroli Calvi, Ludovici Balbi et Caroli Crassi trium imperatorum, post obitum Ludovici II, ordine prædicto succedentium celeberrimus.

Hic, cum Saraceni totam fere Italiam depopularentur, omni auxilio hominum, in quibus spem expellendorum Saracenorum collocaverat, plane destitutus, a barbaris et infidelibus pacem et quietem annuo censu ac tributo redimere coactus fuit : idque justo Dei permissu contigisse videtur, ut scilicet hoc exemplo suo instructus agnosceret se post obitum Ludovici imperatoris II, suasu malesuadæ carnalis prudentiæ, Carolum, a quo contra Saracenos majora quam a Ludovico fratre subsidia exspectabat, male elegisse, creasse et coronasse imperatorem (*errat hic in multis Binius*), quem propter alieni regni invasionem, exemplo prædecessoris sui Adriani II ecclesiasticis censuris merito exagitasse debebat. Photium, qui per fraudem et imposturam admirabilem, quam idem Nicetes prolixius enarrat, cuique Ignatius adhuc vivens D reditum ad Ecclesiam, prout octava synodo constitutum fuerat, juste denegaverat, Joannes papa, petentibus illud Basilii imperatoris et Hierosolymitani patriarchæ legatis, post obitum Ignatii ad communionem Ecclesiæ recepit, ejusque reditum ad sedem patriarchalem non sine gravi existimationis suæ jactura notaque cathedræ pontificiæ turpissima approbavit. Ne Photius ante finem vitæ ad pœnitentiam reciperetur, in concilio œcumenico viii non tantum constitutum, verum etiam singulorum juramento firmatum erat. Non ignarus hujus constitutionis sacratissimæ, neque immemor fortasse sui ipsius juramenti pontifex, contumacem hæreticum nulla ratione ad pœnitentiam, multo minus ad dignitatem patriarchalem recepisse, sed potius anathematis sententia perculisse debebat. Impetraverat ista Photius sine dubio per intercessionem Basilii, per unionis, pacis et concordiæ ecclesiasticæ, auxiliique contra Saracenos ferendi promissionem, perque falsorum plurium enarrationem, quasi omnes orthodoxi pro sui restitutione intercederent : verum ista ratione non tam Joannes excusatur, quam majore ignominia afficitur, ut qui ab eunucho et semiviro omni robore enervatus, se feminam potius quam virum esse declaravit. Si quis

viduas sub tutela episcoporum esse decrevit, et eos ad sæcularia judicia trahi modis omnibus interdixit. Quemlibet autem ducem vel alium contra hæc agentem, excommunicandum esse decrevit; perseverantem vero anathematis vinculo innodandum.

Idem inter cætera de decimis sacerdotibus dandis ita præcepit. Quas scilicet decimas unumquemque fidelem illi sacerdoti dare censuimus, in cujus parochia eum procul dubio constat sub episcopi proprii ditione (*a*), quia ad hoc recipiendum ab episcopo suo est constitutus, manere, et ideo nullum alterius diœceseos sacerdotem aut Levitam alteri jure ea novum (*b*) debita hujusmodi audire impudenter, vel temere quærere, aut accipere damnationem vel donationem (*c*). Eum vero qui aliter A dare vel accipere præsumpserit, ecclesiastica communione tandiu judicamus manere privatum, donec secundum hoc nostræ apostolicæ auctoritatis capitulum studuerit agere.

Hujus temporibus Ludovicus imperator, ab Adalgiso Beneventano duce constrictus, timore vitæ, jurejurando firmavit, nunquam se Beneventi fines ultra intraturum, neque ex periculo injuriæ tunc sibi illatæ vindictam aliquando exacturum. Ab hoc autem juramento postmodum prædictus papa eum Romæ absolvit auctoritate Dei et sancti Petri, affirmans nihil sibi obesse, quod ob mortis periculum evadendum coactus fecerat, nec sacramentum esse dicendum quod contra salutem reipublicæ, quamvis cum multis exsecrationibus, fuerit prolatum.

cum Baronio crederet ex hoc facto fabulam de Joanne VIII, non papa, sed papissa, originem sumpsisse, non male fortasse sentiret. Hæc ex Niceta et Aimoino Baron. tom. X in Vite Joannis. Sev. BIN.

(*a*) Locus mendosus.

(*b*) *Ea novum.* Forte *canonum.*

(*c*) Forte tantum *donationem.*

JOANNIS PAPÆ VIII
EPISTOLÆ ET DECRETA

ORDINE CHRONOLOGICO DIGESTA.

(Epistolas seu decreta quibus fontem unde hausimus non inscribimus, Conciliis Mansi ascribas.)

PHILIPPI JAFFE MONITUM.

(Regesta Pontificum Romanorum.)

Quanticunque merito habetur amplum et grande, quod superest, Registri Joannis VIII fragmentum, epistolas 308 *comprehendens, dolendum tamen est, quod non meliore conditione ad nos pervenit. Incuria enim sive ipsius notarii, sive. ut probabilius est, eorum qui transcripserunt, non modo corruptæ magnopere et truncatæ haud paucæ epistolæ sunt, sed ne temporis quidem in iis disponendis ubique habita ratio est; quin etiam eo usque chronologiæ quasi contemptio quædam haud raro processit, ut in permultis iisque continuis litteris, quas plane manifesto ex interioribus indiciis apparet scriptas temporibus diversis fuisse, chronicis signis omnino abjectis eodem modo substitueretur :* Data ut supra. *Quæ verba ab incepto quodam ætatis posterioris librariolo pro :* Data et Cætera, *apposita putem, cum præsertim quo ex codice expressum Registrum est, eum undecimo demum sæculo confectum esse testetur Pertzius in* Archiv für altere deutsche Geschichtskunde, V, 32. *Sed quoquomodo sese res habeat, de epistolarum diebus nihil debuit usquam ex prava illa formula extricari.*

I.

AD ANNONEM FRISINGUENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUM.

Fragm. (Anno 873.)

Ut Ecclesiæ Romanæ debitos redditus transmittat.

Efficaciam tuæ fidelitatis circa sedem apostolicam, quam nimirum litteris tuis extuleras, operibus te approbare velle satis devotissime promittentem et gratanter accepimus et pro commendatione rerum Romanæ Ecclesiæ provisioni tuæ, ut asseris, commissarum. Noveris itaque nuperrime nos litteras dilecto filio nostro Ludovico regi, sed et episcopis et comitibus Italici regni qui earum redditus nobis deferri salvos faciant, transmisisse, nihilque aliudsuperesse cognoscimus nisi ut aurum aliasque species quas te collegisse fateris simul cum præteritæ indictionis qui minus fuerunt redditibus sub omni plenitudine nobis per totum Septembrem futuræ VII B indictionis, aut per temetipsum deferas aut transmittas, sciens quia si hoc condicto tempore redditus nobis non venerint, nullius alterius nisi tuæ morosæ negligentiæ specialiter imputandum. Precamur autem ut optimum organum cum artifice, qui hoc moderari et facere ad omnem modulationis efficaciam possit, ad instructionem musicæ disciplinæ, nobis aut deferas, aut cum eisdem redditibus mittas, quatenus dum vile metallum beato Petro conferre festinas, ab eo aurea regni cœlestis munera capessas.

II.

AD WILIBERTUM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Fragm. — (Anno 873.)

Pallium, nisi post consuetam fidei professionem, dari non debet.

C Optatum tibi pallium nunc conferre nequivimus, quia fidei tuæ paginam minus quam oporteat continere reperimus : cum videlicet in ea nullam sancta-

rum universalium synodorum, in quibus fidei nostræ symbolum continetur, nec decretalium pontificum Romanorum constitutorum, secundum morem, feceris mentionem; sed nec illam propria subscriptione munieris, nec aliquem qui hanc jurejurando firmaret miseris.

III.

AD LUDOVICUM II IMPERATOREM.

Fragm. — (An. 874.)

Asseruntur quædam Ecclesiæ Ravennatensi prædia.

Nam monasterium sanctæ Mariæ in Comaclo, quod Pomposia dicitur, et monasterium sancti Salvatoris in monte Feretri, aliudque monasterium quod vocatur sancto Probo, atque colonos in territorio Ferrariensi et Adriensi et Gallicata et Fanventillam Ravennati archiepiscopo non abstulimus, sed ea monasteria et loca ab antecessoribus nostris possessa reperientes possedimus hactenusque jure proprio retinemus. Alia quoque loca et villas et prædia de quibus aliquam functionem per D jam annos Ecclesiæ Ravennas recepit, volumus ut pristinam functionem et dationem eadem Ecclesia deinceps recipiat. Et quia eidem Ecclesiæ alia loca nec tulimus nec occupari fecimus, habeat quæ hactenus habuit absque prædictis locis, id est Gallicata et massa Faventilla, et absque præfatis monasteriis, quousque in præsentia nostra et ipsa loca quæ sua esse putat, nostræ potius Ecclesiæ lege et ratione pertinere omnimodis cognoscetis. Datum IV Kal. Febr., indictione VII.

IV.

AD ANSBERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

Fragm. — (Anno 874.)

Vir spectabilis Rudolphus nomine, imperatorius homo, nos nuper adierat, queritans et asseverans se uxorem suam nomine Bavam zelo pudoris fervente, obscenæ suspicionis macula denotasse, ac sinistra crebrescente fama carnalis accusatione criminis impetisse. Qui cum hanc ad purgandum secundum legis propriæ tenorem parentibus ejus et consanguineis tradidisset, ultra spatium anni fuerit sub criminalium reatu calumniarum retenta. Qua de re nos, æquitatis amore succensi, apostolica parentibus ejus auctoritate præcipimus quatenus mediante mense Augusto præteritæ septimæ indictionis sive purgatam, sive aliter eamdem feminam viro proprio reddidissent, haud dubium quin subituram si non sæcularis legis, saltem ecclesiasticæ pietatis medelam. Alioquin corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi se noscent cum ea communione privandos, qui nec mundanarum vel divinarum legum censuram, nec apostolicæ sedis reverentes decretum. Horum nihil, ut prædictus vir ad nos iterato veniens retulit et ipsius rei exitus innuit, agere curaverunt. Quamobrem in sacro communionis munere secundum quod illis intentando comminati fueramus, eos merito privaremus nisi alteram partem audiendam fore

A judicaremus. Unde quia non esse justos mediatores oportet, unius autem mediator non est, eosdem vexare longius proficiscendo nolumus, sanctitati tuæ super hujuscemodi controversiæ circumstantia, vice nostra delegata hortamur, ut statuto et indicto tempore venerabiles Lintfridum Ficinensem, Paulum Placentinum antistites ad certum accersias, et uxore jam memorati Radulphi missis vestris et litteris advocata, quæ legis sive mundanæ sive divinæ sunt, super utroque conjuge incunctanter exerceas, secundum præstitutam vobis sacerdotalis mensuram duntaxat officii. Quæ si post vocationem vestram, quam tertiam esse post secundam nostram procul dubio constat, ad virum proprium, collata sibi legali et indubitabili se libertate purgandi, minime redire B delegerit, examenque sanctitatis vestræ subterfugiens declinaverit, a sacris et sanguinis Domini nostri Jesu Christi communione in idipsum una cum spiritu nostro convenientes, tam ipsam quam nequiter eam tuentes et defendentes consanguineos, quinimo fautores ejus et omnino communicatores, donec obediant, sequestrate.

V.

AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

(Anno 874.)

Privilegia Romanæ Ecclesiæ non nisi centum annorum præscriptiones tolluntur.

(Apud Grat., *Decr.*, caus. 16, q. 3, c. 17.)

Nemo de annorum numero resultandi sumat C fomentum, quia sanctæ Romanæ, cui Deo auctore servimus, Ecclesiæ privilegia, quæ in firma Petri stabilitatis petra suscepit, nullis temporibus anguslantur, nullis regnorum portionibus præjudicantur. Sed venerandæ Romanæ leges, divinitus per ora piorum principum promulgatæ, rerum ejus præscriptionem non nisi per centum annos admittunt.

VI.

AD PAULUM EPISCOPUM.

(Anno 874.)

Commonitorium Paulo episcopo fungenti legatione in Germaniam et Pannoniam.

Non enim solum inter Italiam ac cæteras Hesperiæ provincias, verum etiam intra totius Illyrici fines consecrationes, ordinationes et dispositiones D apostolica sedes antiquitus patrare consuevit. Porro si de annorum numero forte causatur sciat quia inter Christianos et eos qui sunt unius fidei numerus certus affixus est. Cum tamen ubi paganorum et incredulorum furor est in causa, quantalibet pertranseant tempora juri [non] præjudicant Ecclesiarum, quæ corporalia nescientes arma, solum Dominum propugnatorem suum, quomodo ei placuerit misereri patientem, exspectant. Verum, si annorum prolixitas in talibus impedit, ergo Deus ipse reprehendendus, qui post quadringentos et triginta annos filios Israel de servitute Pharaonis e fornace ferrea liberavit, et qui hominum genus

post longa tempora de claustris inferni et dæmonum potentia eripuit.

VII.

AD LUDOVICUM IMPERATOREM.

Fragm. — (An. 875.)

Excommunicatur Rainaldus Castri Felicitatis episcopus.

Qualiter Rainaldus Castri Felicitatis episcopus super homicidio tam penes apostolicam quam penes imperatoriam sedem publico murmure fuerit denotatus, et Gregorio dilecto filio nomenclatore misso et apocrisiario sanctæ sedis nostræ cum Gregorio illustri magistro militum ac vestiario sacri nostri patriarchii apud dilectissimam filiam nostram imperatricem Augustam consistente, a matre perempti juvenis aliisque parentibus fuerint impetitus, et ad purificandum se a nobis per frequentes excommunicatorias epistolas accesserit Romam coactus, serenitati vestræ credimus manifestum. Sed quia idem Romam veniens purgationis suæ tempus præripuit, et indicta pro se synodo deputatum sibi a nobis locum, fraudulentus excedens more furis per Urbis se muros dejecit, et vera fuisse crimina, quæ sibi illata sunt, indicium subterfugiens propalavit, hinc auctoritate Dei omnipotentis sanctorumque apostolorum principum et nostræ mediocritatis ab omni ecclesiastica simul et Christiana communione penitus sequestramus.

VIII.

AD LUDOVICUM II IMPERATOREM.

(Fragm. — An. 875.)

Legis auctoritate dissolvitur quod contra eam fit.

(Apud Grat., *Decr.* 1, dist. 10, cap. 9.)

Vides, fili charissime, quia quod contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur.

IX.

AD NEAPOLITANOS, SALERNITANOS ET AMALPHITANOS

Fragm. — (An. 875.)

Conscientia vestræ in Christo dilectionis juste dijudicet, quantum Christo aversi sunt hi qui cum ejus infidelibus contra prohibitionem Pauli tanti apostoli pollutam fœderis ineunt unitatem. Cum enim regis rebellionibus quocunque participio conjunguntur, pariter majestatis criminibus obnoxii judicantur parique sententia condemnantur : quantum a corpore Christi probantur extranei, qui ejus hostibus fœderati, membra ipsius tanto perniciosius lacerant, quanto vicinius Ecclesiæ Dei colliminant? *Item.*

Quantum autem Deo sit exsecrabile cum impio fœdera pangere, luculenter ex hoc deprehenditur, quod Josaphat rex Juda, qui tot de anteacta vita præconiis extollitur, de Achab amicitiis increpatur, cum ei per Jehu prophetam dicitur : *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris. Et idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te eo quod abstuleris* A *lucos de terra Juda* (*II Par.* XIX). Quantum præterea sit Deo delectabile ab inimicorum Dei pace desistere, noster Psalmographus manifestat cum dicit : *Nonne qui oderant te, Domine, oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi (Psal.* CXXXVII). Ex quo, dilectissimi filii, patenter ostenditur quanto crimine cum pessimis pax tenetur, si propheta tantus hoc velut in hostiam Deo obtulit quod contra pravos pro Deo inimicitias excitavit. Hinc Levi tribus, assumptis gladiis per castrorum media transiens quia feriendis noluit peccatoribus parcere, Deo manus suas dicta est consecrasse : hinc Phinees peccantium civium gratiam spernens, coeuntes cum Madianitis perculit, et iram Dei iratus placavit.

B Quia fidelibus et mysterium Christianitatis scientibus loqui nos credimus, per sacrarum Scripturarum testimonia longius tendere devitamus, dilectioni vestræ Donatum venerabilem episcopum, cujus laus est in sancta octava synodo, et Eugenium religiosum presbyterum, dilectos filios et consiliarios nostros, ecce dirigimus.

X.

AD CLERUM SALERNITANUM.

(Anno 875.)

JOANNES VIII clero et ordini Salernitano.

De illis presbyteris qui tempore sanctissimi decessoris nostri domini papæ Nicolai excommunicati sacrum ministerium contingere præsumpserint, ipsi in se damnationis sicuti sancti canones C statuunt, sententiam incurrerunt. Tamen quia miseratio apostolica veniam solet præstare correctis, ob multitudinem misericordiæ illis hanc indulgentiam exhibemus, ut sancta communione saginati studeant tribus continuis annis per hebdomadam omni secunda et sexta feria, aut a vino, aut a cibo [cocto *ut alibi legitur*] penitus jejunare, et ultra lugenda nequaquam committere.

XI.

Excommunicantur qui de morte Romani clerici suspecti erant.

Fragm. — (An. 875.)

Qui de homicidio Romani religiosi clerici suspecti, a nobisque canonicæ suæ excommunicationis intentione, mediante Junio præsentis octavæ indi- D ctionis, vocati venire contempserunt, et ob hoc per nostras litteras secundo et tertio advocati, extremum vero per Joannem, Leonem episcopos omnimoda communione privati, quia apostolatus judicium hactenus subterfugisse et neque venisse neque misisse probantur : auctoritate sancti Spiritus anathematizatos esse decernimus quousque futuris Kalendis Octobribus, futuræ nonæ indictionis purificari canonice mereantur. Si autem neque tunc plenissimam nobis satisfactionem ostenderint, perpetuo anathemate teneantur innexi, ita ut quicunque amodo eis in cibo, potu vel oratione communicaverint, pari cum eis anathematis sententia colligentur.

XII.

PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO FULDENSI.

(Anno 875.)

Monasterium Fuldense cum universis cellis, ecclesiis, decimis, curtibus, aliisque rebus ad idem pertinentibus exemptum ac liberum iterato declarat.

(Apud Schannat., Hist. diœcesis Fuldensis, pag. 238.)

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, SIGAHARDO religioso abbati venerabilis monasterii Domini Salvatoris, et per te in eodem venerabili monasterio successoribus tuis abbatibus in perpetuum.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni conditoris piæ constructionis auctoritas in privilegiis præstandis minime denegetur : igitur quia postulasti a nobis quatenus monasterium Salvatoris a sancto Bonifacio archiepiscopo constructum in loco qui vocatur Boconia erga ripam fluminis Fuldaha privilegii sedis apostolicæ adminiculis decoretur ut sub jurisdictione sanctæ nostræ cui Deo auctore deservimus Ecclesiæ constitutum nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur; pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus, et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere aut auctoritatem præter sedem apostolicam, prohibemus : insuper locum Fuldensem cum omnibus cellis, ecclesiis, decimis, curtibus, ac cunctis rebus suis, tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet, quam quæ futuris temporibus in jure ipsius loci divina pietas augere voluerit privilegii nostri præceptione firmamus : hoc vero deliberantes decernimus, ut congruis temporibus nostræ sollicitudini ecclesiasticæ intimetur, qualiter religio monastica regulari habitu dirigatur, concordiaque convenienti ecclesiastico studio mancipetur, ne forte, quod absit, sub hujus privilegii obtentu, animus gressusque rectitudinis vestræ a norma justitiæ aliquo modo retorqueatur, constituimus quoque per hujus decreti nostri paginam ut quicunque cujuslibet Ecclesiæ præsul vel quacunque dignitate prædicta persona hanc nostri privilegii chartam, quam auctoritate principis apostolorum firmamus temerare tentaverit, anathema sit, et iram Dei incurrens, a cœtu omnium sanctorum extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat, apostolica auctoritate subnixa. Scriptum per manum Pauli notarii, scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Octobris, indictione VI. Bene valete. Datum V Non. Octobrias per manum Gregorii nomencimissi et apocrisiarii sanctæ sedis apostolicæ; regnante imperatore Domino Jesu Christo, anno pontificatus domini Joannis summi pontificis et universalis papæ et episcopi primo, indict. sexta.

A

XIII.

AD MONACHOS S. VEDASTI ATREBATENSIS.

(Anno 875.)

Confirmat omnia contenta in diplomate Caroli imperatoris.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, fratribus monasterii B. Vedasti, quod vocatur Nobiliacus, vel Atrebas, ubi ipse S. Vedastus confessor Christi corpore quiescit in perpetuum.

Si utilitatibus servorum Dei pie consuluimus locaque Christo dicata apostolicis fulsimus sanctionibus, quo divini cultus servitores, inibi Deo vacantes, a turbinibus, et variis tempestatibus sæcularium muniantur excursibus, nihil hoc holocausto gratius Redemptori nostro credimus offe-
B rendum. Qua de re luce clarius patet omnibus Ecclesiæ filiis, quia charissimus filius noster Carolus rex, adiens limina beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, honorifice a nobis exceptus, postquam solemniter vota regia persolvisset ad sepulcrum B. Petri, die nativitatis Domini, in ecclesia ipsius B. Petri apostolorum principis dignitatem imperialem per impositionem manuum nostrarum adeptus est. Dehinc non minus sincere quam devote a nobis expetiit ut B. Petri apostolorum principis, simulque apostolatus nostri auctoritate decerneremus privilegium Romanæ atque apostolicæ sedis astipulatione roboratum, fratribus jam dicti monasterii confessoris Christi Vedasti, per quod stabili jure ac sine perturbatione possiderent claustrum ac prædictum mo-
C nasterium et omne quod eis per suum præceptum concesserat ac Gallicanorum episcoporum decreto muniri fecerat. Hujus rei gratia, quia eumdem Augustum divino contactum amore id fecisse perspeximus, gratanter ejus petitionibus assensum præbuimus, decernentes apostolica auctoritate ea quæ hic inserta habentur inconvulsa manere. Ad matriculam scilicet ecclesiæ Maisbodvillum, Bais, Senous, Herbodcisternam, Pomerias, Herlincurtem, et in Boninicurtem mansos, et cum Longobragium, Manium, Morsele, et Sceldogotheim, Juventiacum, et in Dominica curte mansum I et in Farreolo mansum I. Ad necessaria vero fratrum, victus scilicet et potus, medietatem vici qui vocatur Hovavilla, et tabernam unam, Filcia-
D cum dominicam curtem, Theuludum, Bigartium, Hecnam-curtem, Bernevillam, Mediolanas, Puteas aquas, Angeli-curtem, valiis cum camba una, et duobus molendinis, Stagras Saltiacum, Atiamentarius, Mast, Marcheim, Seringe-him, precariam Emmonis, et Tangigarii. Ad cameram vero villas sitas in pago Batua, quæ circumfluit Rhenus bicornis fluvius, his nominibus Rehxnam, Wulfrum, una cum capella ibidem posita, Rotheim super fluvium Versiam sitam. Item in altera Rotheim mansos VI, præterea etiam ultra Rhenum prælibatum fluvium mansos numero XXXVI, pariter cum silvis appendentibus. Deinde in pago Atrebatensi

Athejas, Saltiacum, Liniacum, Campanias, et in Fontanido mansos III, et in Lambras mansum I, et alterum in Hadas, et tabernam I in vico monasterii. Ad portam Bernejam villam, et in Anzinio mansum I, cum molendino et in Enez mansos V, cum molendino et decimam omnis abbatiæ. Ad hospitale pauperum in Daginvilla mansos VII, in Bonejam villam, et Lentsales mansos III et quintam partem omnis decimæ. Ad domum vero infirmorum omne telonium ex mercato, et has villas quas pro remedio animæ suæ dedit vel reddidit S. Vedasto, Frontellicurte, Cilliacum, Lutosum montem, atque Tilgidum. Has ergo villas cum omnibus appenditiis, et redditibus et mancipiis, quemadmodum per præcepti paginam ordinata sunt atque tradita, per nostri apostolatus auctoritatem sancimus, ut nulli mortalium liceat aliter ordinare, mutare, vel aliud quid quoquomodo exinde, vel parum agere, præter quod a sæpedicto filio nostro piissimo Augusto constitutum est; sed omnis ordinatio in arbitrio abbatis pendeat. Qui ergo ea quæ sancta atque apostolica sedes stabilivit pro nihilo duxerit, temerarioque ausu avaritiæ diabolicæque cupiditatis instinctu qualitercunque violare tentaverit, si ex toto aut ex parte transgressor apparuerit, B. Petri apostolorum principis nostrique apostolatus auctoritate anathematis nexibus, ut fur et sacrilegus astrictus, atque ab unitate matris Ecclesiæ et participatione corporis et sanguinis Christi sequestratus, cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, et diabolo ejusque atrocissimis pompis in tremendo die magni examinis sententiam damnationis accipiat. At qui his apostolicis constitutionibus sincero amore observator exstiterit, benedictionem et misericordiam a Domino Jesu Christo percipiat, et partem et societatem cum eis quorum nomina sunt scripta in libro vitæ Agni a constitutione mundi. Amen.

Data per manus Anastasii primiscrinii anno primo imperii Caroli serenissimi Augusti, et post consulatum ejus anno I, indictione VIII.

XIV.

AD CAROLOMANNUM [*al.*, LUDOVICUM REGEM.]

(Anno 875.)

Quod Pannonica diœcesis deputata est privilegiis apostolicæ sedis.

(Apud Timonem, Imago ant. Hung., pag. 161.)

JOANNES episcopus dilecto filio CAROLOMANNO glorioso regi.

Multis ac variis manifestisque prudentia tua poterit indiciis deprehendere, Pannonicam diœcesim ab olim apostolicæ sedis fuisse privilegiis deputatam si apud excellentiam tuam justitia Dei locum, sicut decet, invenerit : Hoc enim synodalia gesta indicant; historiæ conscriptæ demonstrant. Verum quia a quibusdam hostilium turbationum simultatibus impedientibus, illuc ab apostolica sede non est diu directus antistes, hoc apud ignaros venit in dubium.....

XV.

AD EPISCOPOS GALLIÆ ET GERMANIÆ.

(Anno 876.)

Vices suas in Gallia et Germania committit Ansegiso archiepiscopo Senonensi.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, omnibus sanctissimis episcopis per Gallias et Germanias constitutis.

Vestræ omnium innotescimus sanctitati quia pro alleviandis multiplicibus oneribus ecclesiasticis, quibus quotidie satis abundeque deprimimur quibus maxime super negotiis ex Galliarum et Germaniarum partibus nobis assidue destinatis arctamus, Ansegisum fratrem [a] et coepiscopum nostrum Senonensis Ecclesiæ præsulem, qui quoties utilitas ecclesiastica dictaverit, sive in vocanda synodo, sive in aliis negotiis exercendis per Gallias et Germanias vice nostra fruatur. Et volumus ut decreta sedis apostolicæ per ipsum vobis manifesta efficiantur, et rursus quæ gesta fuerint, ejus nobis relatione, si necesse fuerit, pandantur : ut majora negotia ac difficiliora quæque suggestione ipsius a nobis disponenda et enucleanda quærantur. Quapropter vos huic piæ sanctioni omnimodis intendentes, quæ super hoc apostolica auctoritate decernimus unanimes admittite. Talem quippe illum agnovimus, talemque circa sedem apostolicam devotum et in commisso fidelem reperimus, ut merito ei talia committi posse ducamus : quin et his majora conferri debere illi sine cunctatione credamus, pro sua scilicet sanctitate, et fidei merito, atque divinitus sapientiæ dono concesso. Optamus vos benere valere. Data IV Nonas Januarias, indictione IX

Recitata in synodo Pontigonensi.

XVI.

BULLA JOANNIS PAPÆ AD CONGREGATIONEM S. MEDARDI SUESSIONENSIS.

(Anno 876.)

Confirmatur partitio monachorum S. Medardi Suessionensis.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, venerandæ congregationi religiosorum monachorum venerabilis monasterii sancti et confessoris Christi Medardi, necnon et beati martyris Christi Sebastiani in perpetuum.

Quoties illa a nobis tribui pro desiderio postulantis quæ omni rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere et pie petentibus impartiri suffragium. Igitur omnium Christi fidelium co-

[a] *Ansegisum fratrem.* Quem ex abbate S. Michaelis in episcopatu Bellovacensi ad Senonensem cathedram evectum didicimus anno 871. Romanæ ejus legationis cum adhuc abbas esset, meminit Aimoinus lib. V, c. 27. Perverse autem faciunt qui hunc cum altero antiquiore Ansegiso confundunt abbate Lobiensi, qui Caroli Magni et Ludovici Pii capitula in quatuor libros digessit anno 827. SIRM.

gnoscat solertia quoniam dilectissimus filius noster Carolus imperator Augustus, beatorum Petri et Pauli apostolorum principum adiens limina, nobis mente devota suggessit quatenus eidem prædicto venerabili monasterio ad utilitatem et usum tam nominatorum monachorum, ibidem Domino servientium, per apostolatus nostri privilegium confirmaremus, et immobilia loca, quæ idem Christianissimus Cæsar, tam pro veneratione eorumdem sanctorum quamque pro mercedis suæ augmento per regale præceptum contulisse dignoscitur, quorum nomina inferius scripta leguntur, Berneium scilicet, Croviacum, Domno regium, Sodoleum, Berziacum una cum molendino, Berziso, mariziacos duos, atque spicarium et propter has Murocinetum, Cerniacum-vadum, sicut Hilduinus anterior abbas ad suum tenuit dominicatum, superaddens in Murocincto mansum unum, Malcas etiam et piscinas super mare et Cubonimaci cultæ terræ bonaria XXIV et Ruminiaco mansos quinque, et partem prati de loco Geigio, et mansos duos in villa, quæ dicitur Lentegere vicinium; decernens, ut camera vestimentorum monachorum habeat tres villas, Capram, Abiacum, et Solmam; et hospitalis nobilium accipiat nonam ex villis ipsius abbatiæ secundum priscam consuetudinem, et habeat Cauciacum simul cum lignariis de Pivone: et hospitalis peregrinorum accipiat decimam, et habeat Hatoniscurtem. Thesaurarius autem et portarius, atque hospitalarius, necnon et camerarius intra octo dierum Dominicæ nativitatis, et resurectionis Dominicæ spatia, bis in anno plenariam refectionem habeant; insuper ex præfatis aliis villis terminum nativitatis dilecti filii sui Carolomanni plenariam refectionem habeant, et post ejus obitum diem nativitatis transferant in diem depositionis, similiter ex villa Bernoilo decrevit refectionem abundanter fieri eisdem monachis in anniversario Bertæ amitæ suæ, et luminaria exhibeat ecclesiæ sanctæ Sophiæ inferiori, et sanctæ Trinitatis superiori, sicut in privilegio ejusdem pii augusti de his omnibus facto continetur: ut quidquid ab eodem illustrissimo Cæsare tam de nobilibus, et immobilibus rebus, quam de thesauro collatum est et in futuro conferetur, pro animæ suæ remediis firmum et inviolabile in perpetuum omnino consistat. Hujus rei gratia, quia eumdem sublimem imperatorem divino amore contactum pia egisse confidimus, congruis suggestionibus ejus favere volentes, decernimus, stabilimus, et apostolica auctoritate omnimodis confirmamus cuncta superius dicta immobilia loca cum nobilibus, seu famulis utriusque sexus, una cum thesauro ad usum et utilitatem supradictorum monachorum, utpote idem præstantissimus imperator augustali præcepto eidem monasterio ob salutem animæ suæ concessit, vel concessurus erit. Statuimus autem sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdicto, ut nemini mortalium liceat quoquo modo aliquid dare de his omnibus a jure venerabilis nostri monasterii, vel utilitate monachorum auferre, alienare, subripere, aut per qualemcunque modum, vel argumentum subtrahere: sed omnia hæc, et quæ adhuc in thesauro ab ipso pio Cæsare vel ab aliis Deum timentibus in jus, dominium, vel utilitatem nostri venerabilis monasterii ac monachorum ibidem morantium conferentur, perennibus consistat omnino temporibus. Si quis autem, quod nunquam optamus, contra hoc nostræ confirmationis præceptum, aliter agere non formidans, aliquid inde alienare, minuere, subtrahere, vel temerario ausu mutare præsumpserit, aut aliter ordinare, præter quod jam ordinatum est tantaverit, vel in toto, vel in parte transgressor apparuerit, Dei omnipotentis judicio sciat se esse anathematis vinculis innodatum, et cum Diabolo, et ejus atrocissimis pompis; atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi; et cum impiis omnibus portionem habeat, et a regno Dei alienus existat. Qui vero pio in omnibus intuitu verus observator, et curator exstiterit benedictionem, gratiam, et cœlestem misericordiam, sive veniam delictorum suorum a justo judice Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Benedicti notarii regionarii, et sacrosantæ Romanæ ecclesiæ in mense Januarii, indictione nona. Bene valete, Quarto nonas Januarii, per manum Anastasii bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ anno Deo propitio pontificatus domini Joannis quarto, imperatore domino piissimo perpetuo Augusto Carolo a Deo coronato magno imperatore anno primo, et post consulatum ejus anno primo, indictione nona.

XVII.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 876.)

Ut in locum Hincmari ordinetur episcopus in Ecclesia Laudunensis.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, HINCMARO archiepiscopo Rhemensi.

Quamvis [a] de sanctitatis tuæ judicio nihil dubitassemus, quia tamen charissimus filius noster Carolus invictissimus imperator, a nobis diligentissime percunctatus, circumstantiam judicii a beatitudine tua coepiscopisque suis in Hincmarum dudum Laudunensem episcopum prolati apostolatui nostro retulit, agnovimus justum fuisse omnino judicium. Neque enim tantus princeps nisi veritate fultum quidquam poterat affirmare. Unde nefas esse duximus ejus relationi non præbere incunctanter auditum. Noli ergo jam nunc Ecclesiam Laudunensem viduatam et sine regimine pastorali dimittere; sed indifferentur electum, et de Laudunensis Ecclesiæ clero, virum idoneum, et in quo omnium vota consentiant, eidem Ecclesiæ præfice prorsus episcopum. Cui electioni volumus etiam missum præfati piissimi impe-

[a] *Quamvis*, etc. Superstite Hincmaro Laudunensi alium in ejus locum subrogari jubet, Carolo imperatori de illius depositione assentiens, quam Adrianus improbarat. Itaque tertio post mense electus est Hedenulfus. SIRM.

ratoris interesse, ut sine sæcularium strepitu omni latere talis eligatur, qui aptus sacris canonibus esse modis omnibus approbetur. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. *Data est Romæ Theodorico, jussu papæ Joannis et domni Caroli novi imperatoris, per manus Anastasii bibliothecarii, in secretario ecclesiæ sancti Petri, anno incarnationis Dominicæ* 876. *Nonis Januaris, indictione* IX. *Et delata est ab eodem Theodorico in civitate Rhemis Hincmaro Rhemorum archiepiscopo, eodem anno et eadem indictione*, V *Idus Martii.*

XVIII.

AD ALDFONSUM REGEM.

(Anno 876.)

Ovetensis Ecclesia Gallæciæ metropolitana efficitur.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, ALDEFONSO regi Christianissimo, seu cunctis venerabilius episcopis, abbatibus, vel orthodoxis Christianis.

Quia igitur in cura nos totius Christianitatis B. Petri apostolorum principis sempiterna providentia efficit successores, ea Domini nostri Jesu Christi constringimur adhortatione, qua beatum Petrum apostolum monuit, dicens quadam voce [vice privilegii] : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cœlorum*, et reliqua (*Matth.* XVI). Hinc rursus imminente Domini nostri articulo gloriosæ passionis, inquit : *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc* XXII). Ideoque quia vestræ notitiæ fama per hos fratres limina apostolorum lustrantes, per Severum et Desiderium presbyteros [*al.* presbyterum et Synderendum] nobis miro odore bonitatis est revelata, paterna vos adhortatione commoneo, in cœptis bonis operibus, gratia duce, perseverare, quatenus copiosa vos beati Petri protectoris vestri et nostra protegat benedictio. Et quotiescunque, filii charissimi, ad nos venire quilibet vestrum aut transmittere voluerit, tota cordis exsultatione et animi gaudio de ultimis Gallæciæ finibus, cui vos præter me Dominus rectores constituit, tanquam jure filios nostros vos colligimus : et ecclesiæ Ovetensi, quam nestro consensu et assidua petitione metropolitanam constituimus, omnes vos subditos esse mandamus. Et concedimus etiam prædictæ sedi ut ea quæ reges seu fideles [*al.* quilibet fidelis] juste obtulerunt, vel in futurum, Domino opitulante, contulerint, rata firma et inconcussa manere in perpetuum præcipimus. Hos quoque lateros litterarum nostrarum omnes hortor ut habeatis commendatos. Bene valete.

XIX.

[a] AD EUMDEM.

(Anno 876.)

Monet ecclesiam sancti Jacobi consecrari.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio ALDEFONSO glorioso regi Gallæciarum.

[a] Hæc et superior epistola habentur in historia Sampiti.

Litteras devotionis vestræ suscipientes, quia devotum vos esse cognoscimus erga vestram sanctam Ecclesiam gratias vobis multiplices referimus, Dominum exorantes ut vigor regni vestri abundet [*al.*, abunde], de inimicis vestris victoriam vobis concedat. Nam nos, fili charissime, sicut petistis, sedulas preces Domino fundimus, ut regnum vestrum gubernet, vos salvos faciat, custodiat et protegat, et super inimicos vestros erigat : ecclesiam autem B. Jacobi ab Hispanis episcopis consecrari facite, et cum eis concilium celebrate. Et nos quidem, gloriose rex, sicuti vos, a paganis jam constringimur, die ac nocte cum illis bella committimus ; sed omnipotens Deus dat [*al.*, det,] nobis de illis triumphum. Hujus rei gratia rogamus dilectionem vestram, et animum [nimium] deprecamur, ut quia, ut diximus, valde a paganis opprimitur aliquantos utiles et optimos Mauriscos cum armis, quos Hispani cavallos Alpharaces vocant, ad nos dirigere non omittatis. Qualiter nos recipientes, Dominum collaudemus, vobis gratias referamus, et per eorum portatorem de benedictionibus S. Petri vos remuneremus. Bene vale, dilectissime fili et clarissime rex.

XX,

AD EPISCOPOS ET COMITES IN REGNO CAROLI CONSTITUTOS

(Anno 876.)

Laudat illos quod in fide constantes erga Carolum perstiterint ; et de legatis, quos ad componenda dissidia mittebat in Galliam.

Benedicimus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui vestræ sinceritatis fideique constantiam duriorem, ut ita dixerimus, adamante erga fidelitatem invictissimi principis domni Caroli spiritalis filii nostri semperque Augusti hactenus non indebite fecit persistere, et quanti caloris in vobis charitas vigeat, dono gratiæ largitatis suæ clarius demonstravit, quatenus notam faceret gentibus virtutem gloriæ suæ, et divitias bonitatis suæ ad profectum fidelium et ad correctionem infidelium omnibus revelaret. Ostendistis enim, charissimi quantum sit erga pacis et concordiæ cultum vestræ benevolentiæ benignus affectus, et implestis opere quod ipse a vobis exigit Christus, dicens in Evangelio : *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (*Matth.* VII) ; et Apostolus ait : *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Unde noster apostolatus, immensæ lætitiæ repletus tripudio, primum quidem Deo omnipotenti sufficientes ac laudes debitas, quia nihil sine eo facere possumus, retulit, et vobis, qui studiose tanto imperatori fidem immaculatam servastis multimodas gratiarum actiones agere dignisque vos efferre laudibus non omittit. Siquidem, dilectissimi, satis vobis prudenter consuluistis, quando aliis, quod flentes dicimus, vel sponte vel callide ac fraudulenter deceptis, vos, sicut diximus, fidei calore utentes, et Deum præ oculis habentes, noluistis iniquorum vel tyrannorum fascibus onerari vel ma-

culari. Quin potius restitistis, pravitatibus eorum non consensistis, et peccatis alienis minime communicastis. Idcirco libere dicere valebitis : Non adhæsit mihi cor pravum, quoniam nulla par fidelis cum infideli, Christi ad Belial, justitiæ ad iniquitatem, vel lucis ad tenebras. Ergo, quia ita est, state in fide, et viriliter agite, seniorique vestro domino imperatori fidem specialiter repromissam, sicut cœpistis, inconvulsam servate, et in melius confortati ejusdem honori seu profectui providete ; ac ne pro temporalibus æterna, pro corporalibus spiritalia, pro terrenis cœlestia gaudia amittatis, summopore decertate, scientes quia adjuvante illo qui dicit : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x), et posse vobis cœlitus dabitur, et perseverantia tribuetur : opeque summæ divinitatis vestrum cor confortabitur, imo et ad omnes inimicorum insidias reprimendas confortabit Dominus mentes vestras in charitate et gratia, et tuebitur vos in sæcula sæculorum : ut iterum atque iterum benedicatur Dominus et Pater Domini nostri Jesu Christi, et a nostro pontificatu, imo ab universis Christi fidelibus, vobis innumeræ gratiæ referantur. Porro, si qui adhuc, quod minime credimus, in aliquo læsi quicunque vestrum reperti fuerunt, hortamur ut resipiscant, et dignam emendationem se corrigendo exhibeant. Nam cujuscunque sit sublimitatis, dignitatis vel ordinis, qui cum præsentibus legatis nostris, Joanne videlicet et Joanne venerabilibus episcopis, dilectis quoque familiaribus nostris, quos voce nostra illas in partes ad examinanda simulque diffinienda canonice sive legaliter quæ hoc anno inter ustrosque fratres emersere negotia, convenire in loco ab eis designato, eisque satisfacere humiliter detrectaverit, auctoritate Dei omnipotentis sanctorumque apostolorum principum Petri et Pauli, nostræque mediocritatis, veniam sibi deinceps noverint denegari, nec amodo communionis nostræ futurum fore consortem, qui socius esse noluerit disciplinæ. Optamus sanctitatem vel gloriam vestram in Christo bene valere. Data XIII Kalendas Martias, indictione IX. *Recitata in synodo Pontigonensi.*

XXI.

AD EPISCOPOS QUI, A CAROLO DESCISCENTES, LUDOVICO REGI ADHÆSERANT.

(Anno 876.)

Increpat eorum infidelitatem, monetque ut resipiscant, ac legatos a sede apostolica missos benigne suscipiant.

Relatione vera [a] didicimus quod dilecto ac spiritali filio nostro Carolo gloriosissimo imperatore Augusto, seniore vestro, ad limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli principum veniente, ubique ut Christianissimum decet Ecclesiæ Christi patronum, vota sua prisco jam tempore præoptata Domino Deo numiliter exsolvente, Augustaleque diadema, sibi divinitus sine dubio collatum, per humilitatis nostræ ministerium accipiente, fratri ejus, Ludovico scilicet regi, si tamen rex jure dici debeat, qui mentis suæ motus in abruptum impietatis cadentes non rexit, in regnum ipsius, collecta populi nefandi multitudine, intranti, et paganorum more Ecclesiam Dei, populum videlicet pretioso Christi cruore redemptum, in pace positum conturbanti, relictis vestris concivibus atque sodalibus, qui Deo et seniori suo fideles procul dubio esse videntur, hærere, atque cum eo adversus Dominum, gentem et populum vestrum, ad statu vestræ fidelitatis et promissione divinorum sacramentorum, contra sacri ministerii vestri officium, et contra sponsionis ac fidei vestræ jusjurandum, arma cum hostibus elevare, pariterque nefanda et impia committere præsumpsistis. Heu, proh dolor ! quare tantæ iniquitatis scelus sponte committere, quære tantæ infidelitatis malum mundo universo, sicut Judæ Iscariotæ, exsecrabile in exemplum ostendere non dubitastis ? Quæ gens hoc audiens vos non odiat ? Quod regnum vos exosos fore non judicet ? Quando etiam gentibus, quæ Deum verum utique ignorant, tale committere nefas videtur incongruum. Quarum pro terrenis lucris vel minis eos, quos societate et unanimitate vestra defendere salvareque ut vosmet debuistis, appetere, et cum inimicis persequi non contempsistis ? Cum dicente Domino : *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis* (*Joan.* xv), in quo scilicet vos eam, quæ per dilectionem operatur, charitatem, sine qua impossibile est placere Deo, in qua totam legem et prophetas pendere scimus, nullatenus constet habuisse, quin potius Cain fratricidam diu mente gessisse. Nonne lux mundi, et sal terræ, Veritate attestante, vos estis, qui verbis pariter et exemplis, quasi luminaria mundo lucere omnibus, atque insulsas hominum mentes sapientiæ cœlestis sale condire instantissime debetis ? Nonne vos posuit Spiritus sanctus episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo ? Nonne magis vestrum erat docere populum, non autem in tam perversis rebus assensum præbere ? Dolemus itaque de vobis, quasi de membris corporis Christi, dicentes cum Propheta : *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt* (*Jer.* IV); et iterum : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plangam populum istum die ac nocte ?* (*Jer.* IX.) Quapropter monemus, hortamur, et saluti vestræ volentes pro affectu consulere, magnopere suademus ut resipiscentes, tantæ iniquitatis auctore scelesto relicto, ad Deo dilectum

[a] *Relatione vera*. Eorum qui tunc a Carolo descivere princeps fuit, Aimonio teste, Ingelramnus nuper camerarius regique intimus, nunc Ludovico Germaniæ regi auctor fraterni regni invadendi. De his ergo Aimonius idem (*imo ejus Continuator ex Annalibus Bertinianis ad an.* 875), lib. v, cap. 32 : « Ad obsistendum, inquit, Ludovico primores regni Caroli, jubente Richilde regina, sacramento se confirmaverunt, quod non servaverunt, sed ex sua parte regnum Caroli pessumdantes hostili more devastavere. Similiter et Ludovicus cum suo exercitu idem regnum pessumdedit. » SIRM.

imperatorem seniorem vestrum Augustum toto animo A fideliqne voluntate reverti, ac deinceps ei fideliores existere omnibus modis procuretis. Nam vestrum erat pacem annuntiare his qui prope et his qui longe sunt, dicente Domino : *Supra montem excelsum ascende tu qui Evangelizas Sion. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (*Isa.* XL) ; vestrumque erat annuntiare populo scelera et peccata sua, ne sanguis eorum de manu vestra a Domino requiratur, non, ut dictum est, sequi. Et ideo contaminati estis sencundum Prophetam dicentem : *Væ quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito* (*Isa.* VI) ; et communicantes pravis eorum sceleribus infructuosisque operibus, vos reprehensibiles ostendistis. Tamen quia scimus procul B dubio late patere viscera pietatis Dei, revertimini, et nolite de cætero jugum cum infidelibus ducere. Nolite amplius imitari eos, qui pacis sanctæ fœdera violant, unitatem dividunt, et in agro Dominico zizania superseminare ad propriam infelicitatem præsumunt. Revertimini et sectamini charismata meliora, nec iterum antiqui hostis versutiis pareatis ; sed sicut Dei ministri, Domini præcepta sequentes, in omnibus cum jam dicto imperatore charissimo filio nostro perfecte stare satagite. Quia si cum præfato rege Ludovico vel aliqui filiorum ejus ad scandalum et regni perturbationem manere, aut eis aliquod adjutorium modo quolibet præbere tentaveritis, et non potius ad eumdem dilectum filium nostrum Cæsarem Augustum certissime redieritis, atque cum eo adversus ejus inimicos viribus C totis fideliter non steteritis, scitote vos per auctoritatis nostræ legatos anathemati submittendos. Præsentes autem missos nostros, Joannem videlicet et Joannem venerabiles episcopos, dilectosque familiares nostros, benigne admittite, injunctam sibi legationem intelligenter audite, et efficaciter obaudite : ut in hoc quam vere sitis filii pacis cunctis detur intelligi, et neminem possit latere mortalium. Pro Christo enim, qui est pax nostra, legatione frunguntur, cum procul dubio a sede apostolica pro pace mittuntur. Optamus vos in Christo nunc et semper bene valere. *Recitata in synodo Pontigonensi.*

XXII

AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI REGIS BAJOARIÆ CONSTITUTOS.

(Anno 876.)

Arguit eos quod Ludovicum regem ab invadendo Caroli fratris absentis regno non cohibuerint, monetque ut legatis, quos ad examinanda inter utrosque negotia mittit, satisfacere studeant.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, omnibus reverentissimis et sanctissimis archiepiscopis et episcopis in regno Ludovici gloriosi regis Bajoariæ constitutis.

Apostolicæ moderationis ordinem sequimur, si, Ecclesiarum Dei sollicitudinem retinentes, pro domo spiritalis Israelis murum correctionis opponimus, et concordantes animos, aut sub ecclesiasticæ pacis unione complectimur, aut discordes ad concordiæ gratiam revocamus, aut certe inter nos et illos qui apostatæ angeli, zizanii scilicet seminatoris, fraudibus irretiti, sanctæ sedi apostolicæ concordare despiciunt, sartaginem ferream juxta Ezechielis prophetæ magisterium collocamus (*Ezech.* IV). Reversus enim ad Patrem Dominus pacis bonum discipulis attentius commendavit eamque quasi testamentum firmissimum futuris hæredibus dereliquit, dicens : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV) ; et beatus apostolus Paulus ait : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ* (*Ephes.* IV) ; quia videlicet ad unam vocationis spem nequaquam pertingunt, si non ad eam cum proximis unita mente curratur. Quapropter sicut filii Dei qui ex testamento ejus sibi per apostolos derelicto pacem custodiunt, ita nimirum diaboli sunt filii qui pacem confondunt. Ille quippe ab initio mendax fuit, et in veritate non stetit, ejusque invidia, sicut scriptum est (*Sap.* II), mors introivit in orbem terrarum. Nam dum protoplastis invidens, deceptionis laqueum jam deceptus utique a semetipso composuit, mortis poculum mortalibus propinavit ; et quos immortales obedientiæ merito futuros noverat, inobedientiæ venenis infecit, sicque in omnes homines mortis sententiam vitæ hostis induxit. Denique eisdem laqueis, quibus protoplastos deceperat, adhuc Adæ filios jugulat, et odio suæ ambitionis fraterna corda dissociat : ita ut quos unum patris femur tenuerat, jam Galliæ omnes non capiant, fraternis provectibus frater invideat, et quem monitis apostolicis sæpius etiam in durissimis casibus obsequentem sequi despexerat, hunc a sede apostolica sibi prælatum doleat, imo ut Cain fratris hostia, scilicet obedientia, stimulatus, contra fratrem fredens occurrat : fideles ejus fraudibus diversis inficiat, ad pejerandum terribilis Dei nomen impellat, pacem regni diuturno fratris studio radictam corrumpere gestiat, et lactatus a peccatoribus suis duntaxat complicibus acquiescens, pedes suos ad malum currere faciat, madentibus adhuc campis Fontanicis, quos in juvente sua humano sanguine tinxerat, in senectute decrepita, minarum et cædis spirans, ad D fundendum Christianorum multorum sanguinem pro sua singulari ambitione discurrat. Et qui amore fratris a sede apostolica obedientiæ suæ merito benedictionem sperare suumque piis operibus propagare debuerat, alterius regnum pervicaciter sibi suis armis subjugare desiderat, scilicet ut quos armis acquirit, ditione possideat, et colla vetustæ libertatis ingenua nova servitute prosternat. Quis hoc dilectissimi nobis, nisi antiquus humani generis adversarius, inter tales ac tantos fratres, quos nos pari spiritus amore complectimur, per suos satellites operatur ? qui dum bonorum provectibus invidet, in agro sanctæ Dei Ecclesiæ semper zizania

seminare contendit. Quis hoc, charissimi, nisi diabolus operatur? qui Caroli virtutibus ab ineuntis ætatis principiis invidens, ejusque religiosum propositum longius propagari pavescens, levibus primo jaculis, quanquam frequentibus, lacessivit : deinde adversitatibus multis, quasi durissimis arietibus stimulavit; fideles ejus frequentissime rebellare suasit, in procinctu contra Northmannos pro Ecclesiæ Dei liberatione pugnanti, et inimicos crucis Christi usque ad ultimam deditionem constringere satagenti, senioris vestri utrinque animum ad invasionem relicti imperii suscitavit : ipsos familiares, ipsum postremo filium, ad ejus exstinctionem hostiliter provocavit. Et ne quandoque ad imperium, quod ei constat non humano collatum beneficio, licet per nostræ mediocritatis ministerium, sed divino, pertingere potuisset, tota fraudulentiæ suæ virtute prohibuit, tota consilii sui versutia debellare contendit. Sed Deus omnipotens, cujus providentia per mutabilium rerum principes mundi latitudo gubernatur et regitur, hunc flagellis erudiri voluit, deprimi penitus, sicut vobis est cognitum, nunquam permisit. Et afflictiones sanctæ suæ Ecclesiæ per eum specialiter, sicut divinitus revelatum fuerat, et nunc veraciter credimus, tandem aliquando revelare contendens, hunc, a decessoribus nostris, reverendæ scilicet memoriæ Nicolao et Adriano pontificibus, diu quidem desiderari voluit : tandem usque ad hæc periculosissima tempora, quibus a Belial filiis pene tota vallatur Italia, misericorditer reservavit, angelicis ductibus vias ejus per invia loca direxit, frustratis insidiis ei compositis liberavit, paludes lubricas equitabiles reddidit, vada profundorum fluminum multis sæculis incognita transmeabilia demonstravit : ei elementis contra naturam cedentibus diffidentium corda perterruit : non solum sine sanguine, verum etiam cum magnis honoribus, hinc inde gaudentibus populis, Italiam penetrare permisit, et per apostolicæ sedis privilegium, cunctorum favoribus approbatum sceptris imperialibus sublimavit : ut qui per tot annos, communibus peccatis merentibus, pro defectibus sanctæ Dei Ecclesiæ diversis modis affligimur, per ejus sollicitudinis expertam prudentiam consolemur, per quem Gallicanarum Ecclesiarum status, et totius religionis vigor illis in partibus plausibiliter refloruisse cognoscitur. Hæc itaque hostis humani generis futura prospera præcavens, dilecti filii nostri Ludovici gloriosi regis vestri, si tamen filius dici meretur, qui apostolicæ sedis monitis per antecessores nostros perque nos ipsos prolatis, semper inobedientissimus, exstitit, si gloriosus dici debet, cui contra Christicolas bella geri placuit, nullos habitura triumphos, si rex dici potest, qui semetipsum regere noluit, quo minus contra fratris absentiam inglorius pugnavisset, animos incitavit, ut neque divinum timorem præ oculis retinens, neque imminens sibi judicium provectæ senectutis agnoscens, neque sanguinis affinitatem fraternaque pacta perpendens; sed neque Christianæ religionis disciplinam custodiens : tam decessorum nostrorum scripta quam recentia nostra monita religiosorum principum, et quod est mirabilius, contra consuetudinem tyrannorum veterum, parvipendit, et indictum sibi a nobis tempus cum mediantibus nobis cum fratre jure pacisceretur, præripiens, quantum in se fuit per vestram negligentiam sive condessensionis audaciam, fratris absentis regnum pervasit, ac per hoc totius ecclesiæ Dei pulchritudinem maculavit, pacem corrupit, religionem fugavit, et ut cum Terentio compendiose dicamus, dum in alieno bonorum extortor et legum contortor apparuit, cunctis criminibus licentiam relaxavit. Nos etenim, quamvis illum, quem interim filiolitatis amore complectimur, oppido reprehensibilem non negemus, vos tamen multo reprehensibiliores agnoscimus, qui in illis partibus sacerdotali magisterio præditi, et apostolatus nostri recentibus monitis instituti, dum ex officio vestro restitisse libere nunquam videmini, procul dubio consensisse probamini, et vos qui pastores dicimini; gregem vobis creditum quia non retraxistis, utique ad præcipitium provocastis. Et ubi est, quæsumus, quod vicem Christi in Ecclesia fungimur, si pro Christo contra insolentiam principum non luctamur; præsertim cum secundum Apostolum non sit nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates (*Ephes.* VI). Ubi est quod episcopi dicimur, si de sublimibus ecclesiasticæ discretionis speculis gladium venientem non cernimus, cernentes ut devitetur annuntiare diffugimus? Enimvero sacerdotes non ad gratiam, sed ad pompam immerito dici cognoscimur, si quos docere debuimus sequi contendimus, si quos corrigere debuimus, saltem verbis pastoralibus non terremus. Hinc Dominus per Isaiam prophetam sacerdotum taciturnitates increpat dicens : *Canes muti, non valentes latrare* (*Isa.* LVI). Hinc per Ezechielem sacerdotum negligentias arguit dicens : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini* (*Ezech.* XIII). Ex adverso quippe ascendere est, pro defensione gregis libera voce hujus mundi potestatibus contraire; et in die Domini in prælio stare est pravis decertantibus ex justitiæ amore resistere. Quod rursum per eumdem prophetam deterret inquiens : *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram (Ezech.* XXXIII). Quid ad hæc dicemus, fratres? Forsitan ideo vos excusabiles creditis, quia regem non arguendum, dicitis, sed monendum. Ad hæc apostolica tuba respondet : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V); et Paulus Timotheo : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (*II Tim.* IV). Item Tito : *Divitibus hujus sæculi præcipe non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum suarum* (*I Tim.* VI). Aut persecutionem quamlibet præcavistis. Sed a Domino jussum est ita : *Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*

(*Matth.* x). Aut mortem, quæ cunctis ultima pœna est, timuistis. Sed idem Redemptor noster in Evangelio nos hortatus est dicens : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*ibid.*).

Verum quia nihil horum, quia nec inferendum vobis ab aliquo fuerat, timuistis, restat procul dubio quia non solum secundum prohibitionem sedis apostolicæ compatriotas vestros ab invasione regni alterius sacerdotaliter non vetuistis, imo cupiditati eorum vestri favoris conniventiam sociantes, quasi pulvillos sub cubito eorum manuum consuistis, et illud Væ vobis propheticum maturastis, quo dicitur : *Væ his qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas* (*Ezech.* XIII). Quasi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput jacentis excipitur, dum correctionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla contradictionis asperitas pulsat. Sed hæc rectores qui semetipsos diligunt, his procul dubio, juxta quod beatus prædecessor noster Gregorius meminit, exhibent, a quibus se minus posse studio gloriæ temporalis timent. Quid igitur, fratres, si tamen adhuc fratres dici meremini, qui sedis apostolicæ salubria monita contemnentes pro Christo legatione functis non estis, vobis agendum est, nisi ut tandem aliquando cum sancta sede apostolica sentientes, tam dilectum filium nostrum Ludovicum regem vestrum, quam paternis affectibus adhuc complectendum decernimus, quam cunctos illius regni subditos, voce libera moneatis, et ab invasione sive oppressione imperii dilecti filii nostri Caroli semper Augusti penitus compescatis? nunquamque de reliquo, sive blandimentis, sive terroribus, consensum quemlibet favoremve præstetis ad funestum prælium conferendum, et Christianorum sanguinem profundendum, si non vultis, amissis sacerdotalibus infulis, ab apostolica communione præsentialiter sequestrari, et perpetuis anathematis vinculis, quod nunquam cupimus, obligari? Nam cujuscunque sit gradus, ordinis, sublimitatis, sive professionis, qui cum præsentibus legatis nostris. Joanne Siculensi, itemque Joanne Tuscanensi, venerabilibus episcopis, quos vice nostra [*forte deest* mittimus, Hard.] illas in partes ad examinanda simulque diffinienda canonice sive legaliter, quæ hoc anno inter utrosque emersere, negotia, convenire in loco ab eis designato, eisque satisfacere humiliter detrectaverit, auctoritate Dei omnipotentis sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, nostræque mediocritatis, veniam sibi deinceps noverit denegari ; nec amodo communionis nostræ, ut verbis sanctissimi nostri prædecessoris utamur, futurum esse consortem, quisquis esse noluerit disciplinæ. Optamus sanctitatem vestram sedis apostolicæ monitis obsequentem semper in Christo bene valere. *Recitata in synodo Pontigonensi.*

XXIII.

AD COMITES IN REGNO LUDOVICI REGIS BAJOARIÆ CONSTITUTOS.

(Anno 876).

Arguit eos quod Caroli regnum pervadere tentarint ; monetque ut Ludovicum regem ab ea mente revocent, et ut legatis, quos mittit, satisfacere non detrectent.

Joannes episcopus, servus servorum Dei, omnibus gloriosis comitibus in regno Ludovici regis Bajoariæ constitutis.

Ministerii nostri est universalis Ecclesiæ Dei sollicitudinem, secundum beati Pauli apostoli sententiam circumferre, et quid in qualibet mundi parte congruat, sive non congruat, censoria gravitate depromere, quatenus oves Dominicæ, quæ vocem pastoralis nostræ sollicitudinis cognoscentes, pastorum principem humiliter audiunt, in ovile Dominum recognitæ collocentur, et oves morbidæ, quæ pervicaciter negligunt, ab ovili Dominico, ne sanas vicini pecoris contagio lædant, quia nimirum multa corporibus transitione nocent per apostolicæ auctoritatis ministerium repellantur. Scriptum quippe est : *Si separaveris carum a vili, quasi os meum eris* (*Jer.* XV) ; et iterum : *Auferte malum de medio vestri* ; et Dominus Evangelio præcipit ut si oculus, pes, vel manus scandalum nobis generat, abscindatur atque projiciatur (*Matth.* IX) ; et illud post alia : *Si Ecclesiam non audierit, sic sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII). Item Apostolus : *Si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum illo* (*II Thess.* III). Quibus testimoniis evidentissime provocamur, ut vos, quos contemptis, apostolicæ sedis epistolis, regnum dilecti filii nostri Caroli Christianissimi imperatoris contra interdictum nostrum, imo contra Dei omnipotentis timorem, pervadere, sicut audivimus, pacemque sanctæ Dei Ecclesiæ corrumpere tentavistis, a corpore totius ejusdem Ecclesiæ, quam per antecessores nostros perque nosmetipsos, vos suis epistolis commonentem audire hactenus noluistis, sequestrari præsentialiter debeatis. Sed quoniam sanctæ sedis apostolicæ miseratio vos interim filiorum dilectione complectitur, et dissimulare peccata vestra magis quam punire velle cognoscitur, has iterum charitati vestræ sanctæ Dei Ecclesiæ litteras destinamus, hortantesque instamus ut divini judicii memores, et fraterni fœderis recordantes imminentemque vestræ vocationis diem ultimum præcaventes, fraudem diabolicam, per quam mors introivit in orbem terrarum, effugiatis ; discordiam, quæ nutrix est cunctorum criminum quasi venenum pestiferum declinetis : ne similes ei efficiamini, de quo Salomon ait : *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum et in omni tempore jurgia seminat* (*Prov.* V). Pacem et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, diligatis : quoniam sicut pacifici sunt a Domino non solum beati, sed etiam filii Dei vocati, ita Satanæ

sunt filii, qui pacem confundunt. Nam discordes tandiu nullum boni operis Deo sacrificium immolant, quandiu a proximorum charitate discordant. Unde per Matthæum præcipitur : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offer munus tuum* (*Matth.* v). In qua Dominica præceptione pensandum est, quorum hostia respuitur, quam intolerabilis culpa monstratur. Cum enim mala præterita bonis operibus diluuntur, pensare debetis, o prudentissimi comites, quanta sunt mala, discordiæ, quæ nisi exstincta fuerint, bonum sacrificii subsequi non permittunt. Quis itaque, dilectissimi, vos ad tantæ discordiæ crimina nisi antiquus humani generis adversarius, provocavit? qui ex angelo factus aposta bonæ messi semper zizania superseminare laborat. De cujus aviditate per apostolum dicitur : *Aversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* : *cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* vi). Et certe *fides sine operibus mortua est* (*Jac.* ii) ; et beatus Paulus, collatis multis virtutibus, charitatem, quæ multitudinem peccatorum operit, prætuli dicens : *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur* (*I Cor.* xiii) ; et infra : *Nunc autem manent fides, spes, charitas; tria hæc, major autem his est charitas* (*ibid.*). Unde bene per Joannem dicitur : *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo* (*II Joan.* iv). Constat ergo quia qui in Deo non manet, in diabolo manet, cujus membra sunt omnes qui jurgia seminant, et ecclesiasticam disciplinam recusant, quibus veraciter dicitur : *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* viii). Qui videlicet Caroli virtutibus ab ineuntis ætatis principiis invidens, ejusque religiosum propositum longius propagari pavescens, multis adversitatibus lacessivit, fideles ejus frequentissime rebellare suasit ; in bello contra Northamannos pro Ecclesiæ Dei liberatione pugnanti, eosque usque ad ultimam deditionem compellere satagenti, senioris vestri, parentum quoque, sive vestrum animum ad invasionem relicti ejus imperii, sicut et modo fecisse dignoscitur, suscitavit. Ipsos familiares, ipsum postremo filium, ad ejus exterminium hostiliter provocavit : et ne quando ad imperium, quod ei constat non humano collatum beneficio, licet per nostræ mediocritatis ministerium, sed divino, pertingere potuisset, tota fraudulentiæ suæ virtutæ prohibuit, tota consilii sui versutia debellare certavit. Sed Deus omnipotens, cujus providentia per mutabilium rerum principes totius mundi latitudo gubernatur et regitur, hunc flagellis erudiri frequentibus voluit ; deprimi penitus, sicut a vobis crebro probatum est, nunquam permisit, ut scilicet futurus imperator in regni potestate disceret, quantum timere Dominum in prosperis, quantum in adversis Deo confidere debuisset. Et quidem reprehensibilis esset, si metas sui regni ingrediens fines alterius usurpasset, si fideles alterius sollicitans, ad perjurium, sicut vos fecisse probamin, compulisset, si pacem regni, sicut vos facitis, temerasset. Nunc vero, cum divinitus præscitus et prædestinatus, non a semetipso, sed ab Ecclesiæ Dei filiis invitatus advenerit, sine sanguine sola sua benevolentia hujus Italiæ fortissimos sibi duces devinxerit, angelico munere vias suas per invia loca directas inspexerit, frustatis insidiis ei compositis divinitus liberatum se senserit, paludes invias sibi pervias factas invenerit, vada profundorum fluminum, velut alter dux Israeliticus, exercitibus suis pene sicca repererit, miramur et obstupescimus, cur eum a Domino prælatum non intelligitis vos, qui sensibiles estis, quem elementa insensibilia sensisse videntur. Miramur et obstupescimus, cur parricidalia contra eum arma sustollitis, quem ab ipsa sua infantia multis adversitatibus fatigatum vidistis, superatum vero protegente Domino minime cognovistis. Miramur, inquam, et obstupescimus, cur eum, quem obedientiæ suo merito vobis divinitus prælatum cognoscitis, non sicut revera imitabilem sequimini, sed sicut detestabilem, quantum in vobis est, persequi laboratis. Cum si exemplo illius obedientiæ vos sancta sedes apostolica sibi aliquoties devotiores cognosceret, benedictionis suæ vos et in hoc sæculo gratia debriaret, et in futuro ad hæreditatem regni cœlestis admitti suis continuis precibus impetraret. Sed quando sanctæ sedis apostolicæ debitam vos obedientiam servaturos putabimus, quos contra Dei omnipotentis ordinationem tam manifestis indiciis rebellare videmus? neque enim contra Carolum est murmur vestrum, sed contra Dominum? cujus est regnum, et cui voluerit ipse dat illud, qui etiam per Solomonem dicit : *Per me reges regnant* (*Prov.* viii) ; item per doctorem gentium testatur dicens : *Non est potestas, nisi a Deo* (*Rom.* ii) ; et iterum : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* (*ibid.*). Redite igitur prævaricatores ad cor, et quia mors non tardat, nolite differre de die in diem. Nolite socialia libella committere, nolite parricidales gladios in perniciem vestri sustollere. Nolite Fontanicum detestabile prælium revocare : quia sicut qui pro Ecclesiæ Dei defensione moritur, suo sanguine coronatur, ita qui contra Dei Ecclesiam pugnans ut refuga Christianitatis perimitur, procul dubio condemnatur. Nolite, charissimi, pro brevibus vitæ commodis æternæ remunerationis vobis januam claudere. Nolite pro rebus transitoriis æternorum bonorum commoda præterire. Quia juxta beati Marci sententiam : *Nihil prodest homini si lucretur totum mundum, animæ vero suæ detrimentum patiatur* (*Matth.* viii). Hujus rei gratia generalitatem vestram quam paterno affectu complecti volumus, his apostolicæ auctoritatis litteris identidem hortamur ac obstentamur ut tandem aliquando nobiscum pariter sentientes, tam dilectum nostrum Ludovicum gloriosum regem vestrum (si tamen filius dici meretur, qui apostolicæ sedis monitis semper inobedientissimus exstitit, si gloriosus dici debet, qui adhuc in senectute decrepita Christiani sanguinis effusionem

desiderat, si rex dici debet, qui neque vos, neque semetipsum regere valuit, quominus absentis fratris regni pacem corrumperet), quam cunctos vestri regni homines, voce libera moneatis, et ab invasione sive oppressione imperii dilecti filii nostri Caroli semper Augusti funditus retrahatis; nunquamque de reliquo, sive blandimentis, sive terroribus, assensum quemlibet, favoremve præstetis ad funestum prælium inferendum, et Christianorum sanguinem, quod Dominus averterit, effundendum. Nam cujuscunque sit sublimitatis dignitatisve persona, quæ præsentibus legatis nostris, Joanne Siculensi, itemque Joanne Tuscanensi, venerabilibus episcopis, quos vice nostra [*Forte deest* misimus, HARD.] illas in partes ad examinanda simulque diffinienda canonice, sive legaliter, quæ hoc anno inter utrosque fratres emersere negotia, convenire in loco ab eis designato eisque satisfacere humiliter detrectaverit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum principum Petri et Pauli, nostræque mediocritatis, veniam sibi deinceps noverit denegari, nec amodo communionis nostræ futurum fore consortem, qui socius esse noluerit disciplinæ. Optamus gloriam vestram apostolicis monitis obsequentem semper in Christo bene valere.

XXIV.

AD UNIVERSOS GALLOS ET GERMANOS.

(Anno 876.)

De damnatione Formosi Episcopi, Gregorii nomenclatoris, et aliorum qui Romæ in synodo fuerant excommunicati.

JOANNES, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, sacerdotibus, cunctisque judicibus, et universo populo, per omnes Gallias et Germanias constitutis.

Zelo Christianæ religionis Ecclesia Dei quæ penes nos est, instinctuque dilecti filii nostri serenissimi imperatoris, imo spiramine Spiritus sancti commonita, pro diversis Ecclesiæ Dei refendis incommodis contra Gregorium nomenculatorem, et Georgium generum ejus, duo scilicet iniquitatis vasa contra excelsi Dei religionem pugnantia, tam præterito mense Februario præsentis nonæ indictionis, per Petrum venerabilem Forosemproniatem episcopum penes præfatum spiritalem filium lacrymabilem suggestionem deposuit: quam nostram quoque pontificalem suggestionem pridie Kalendas Aprilis die contra eosdem per semetipsam offerre curavit. Quapropter nos per Zachariam et Gaidericum venerabiles episcopos, et Christophorum sedis apostolicæ primicerium, eis suggestionum contestationem emisimus, admonentes atque jubentes ut si aliquid de conscientiæ suæ puritate confiderent, ad condictum venire studerent examen. At illi mollibus sermonibus et expuisitis adinventionibus se quidem venturos, et ad voluntatem nostram cuncta se emendaturos dixerunt, se de die in diem sub obtentu ægritudinis tandiu judicii diem distulerunt, donec aut nos cum fidelibus Ecclesiæ Dei potuissent perimere, aut Saracenos, quos jam per suos familiarissimos, æque Saracenos, invitaverant, in Romanam urbem ad perditionem omnium intromittere valuissent. Cumque nos contra utramque fraudem, juvante Domino, præparatos vidissent, et imminere sibi judicii statutum diem cognoscerent, decepti se cum quibusdam suis complicibus, videlicet Formoso episcopo, Stephano secundicerio, et Sergio magistro militum, et Constantino nomenculatoris filio, quos non nostræ conventionis judicium, sed reatus propriæ conscientiæ stimulabat, contra salutem reipublicæ et regni dilecti filii nostri Caroli serenissimi principis, cui semper infideles fuerunt, et cujus provectioni semper detraxerunt, conspirantes nescimus quo profecturi, noctis silentio cum adulterinis clavibus portas Urbis, quæ vocatur sancti Pancratii, aperuerunt, et cum suis complicibus, cumque omnibus thesauris sanctæ Dei Ecclesiæ, Saracenis undique populantibus, diffugerent: portasque patentes relinquentes, multis margaritis fugiendi, et Saracenis ingrediendi aditum, nisi nos divina custodia tueretur, procul cubio reliquerunt. Itaque obstupescentes in talibus, Dominicum et Grimoldum venerabiles episcopos ad evocandum eos direximus. Qui revertentes nuntiaverunt sibi a satellitibus suis fuisse responsum, nescire se quonam profecti fuissent. Judicio sane in diem alterum protelato, cum eos iterum synodice simulque et legaliter quæreremus, et habere minime valeremus, cum omni Dei Ecclesiæ in basilica sanctæ Dei genitricis, quæ ad Martyres vocatur, synodum vocavimus, et post regulares allocutiones, sententias in eos protulimus, quarum exempla secundum ecclesiasticum morem generalitati vestræ dixerimus, ne vobis communicandi cum eis occasionis aditus tribuatur.

Quæ scilicet sententia ita se habet: « Formosum Portuensem episcopum, quia beatæ memoriæ domno prædecessore nostro papa Nicolao in Bulgarorum patriam destinatus, noviter in Christo regenerati regis animos adeo suis calliditatibus vitiavit, ut terribilibus sacramentis eum sibi obstrinxisse testatus sit, ne se vivo quemlibet episcopum a sede apostolica suscepisset, seque eidem terribilibus nihilominus juramentis, ut ad eum quantocius reverti debuisset, obstrictum fuisse professus sit, quique a nobis proficiscendi illuc licentiam, litteras et necessaria adjutoria impetravit: quoniam jamdudum per ambitionem a minori Ecclesia in majorem, videlicet sanctam sedem apostolicam, prosilire conatus, plurimos sibi consolatores effecit, et nunc per repertam hypocrisim retrorsum rediens, sine licentia vel conscientia nostra, propriam parœciam deseruit, urbe discessit, et contra salutem reipublicæ, dilectique filii nostri Caroli a nobis electi et ordinati principis, cum suis fautoribus conspiravit: nisi amodo intra diem decimum, id est III Kalendas Maii præsentis nonæ indictionis, præsentiam suam nobis satisfaciendo monstraverit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum principum Petri et Pauli, omni ecclesiastica communione privatum esse de-

cernimus. Decernitis et vos ita? Responderunt omnes : Decernimus : et nisi post diem decimum quintum, id est IV Nonas Maii præsentis IX indictionis, resipiscens satisfacturus nobis occurrerit, auctoritate et judicio sancti Spiritus qui semper effugiet fictum, omni sacerdotali ministerio penitus denudatum fore judicamus. Judicatis et vos ita? Responderunt omnes : Judicamus. Qui si nec hujus dilationis miseratione commotus, humiliter se post diem 20, id est VII Idus ejusdem Maii mensis, præsentiæ nostræ reddiderit, vel si in Ecclesia Dei in aliquo conturbare præsumpserit, si contra hanc communem omnium nostrum sententiam agere vel resultare tentaverit, anathema sit a Patre, et Filio, et Spiritu sancto, nunquamque in ulla synodo recuperationis spem aut satisfactionis aditum sibi noverit reservatum. Gregorium nomenculatorem, Theophylacti quondam nomenculatoris filium, qui jusjurandum fidei suæ diverso modo corrumpens, puritatem sanctæ Dei Ecclesiæ suis fraudulentiis, avaritiis, rapinis, cupiditatibus, simulque calliditatibus, per octo ferme annorum curicula maculans, summum Romanæ urbis pontificum, conjurantibus sibi dudum suis complicibus, factiose præcipere affectavit ; et de multis palam recitatis capitulis, tam primo penes dilectum filium nostrum Carolum serenissimum imparatorem, quam postea penes nos ad generalitatem senctæ Dei Ecclesiæ, per nonnulla suggestionum capitula noxius diffamatur, et pro eisdem criminibus a nobis per Zachariam et Gaudericum venerabiles episcopos, et Christophorum primicerium sanctæ sedis apostolicæ, cum fratre et genero suisque complicibus, juridice contestatus, examini se præsentandum fore, et cuncta quæ ecclesiis vel piis locis aliisque hominibus abstulerat, sub jurisjurandi interpositione restituturum promisit : deinde conventum nostrum de die in diem fraudulenter (usquequo nos vel fideles hujus ecclesiæ interimere, vel hostes Christiani nominis, id est Saracenos, quos per suos familiarissimos Saracenos jam invitaverat, intra Romanam urbem introducere potuisset) elusit ; et præfinitum diem, quo canonice sive legaliter audiri debuisset, fraudulenter præripiens, eum Georgio et Sergio magistris militum, nec non et Stephano secundicerio, aliisque suis complicibus nocturno silentio portas hujus sacræ urbis, Saracenis circumquaque imminentibus, cum clavibus adulterinis aperuit, seque contra salutem reipublicæ simulque quietem imperii præfati filii nostri serenissimi Augusti, contra leges conspirando, fraudulenter proripuit, et cum omnibus pene thesauris Ecclesiæ Romanæ, dubium quo profecturus, excessit. Simulque Stephanum secundicerium, qui diversas ecclesias spolians per avaritiam turpisque lucri compendia tributa vetera multiplicavit, et in omnibus perversitatibus superius nominatis fratri complex et consentaneus exstitit. Necnon et Georgium Gregorii primicerii filium, qui germani proprii concubinam subripiens, eum veneno necavit : deinde post exsecrabiles Christianis incestus, vivente nepte sanctissimæ recordationis Benedicti papæ, cujus opibus de paupertate surrexerat, præfati nomenculatoris Gregorii filiæ se fornicario more commiscuit : propter quam pene publice jam dictam legitimam uxorem peremit. De cujus homicidio, et principibus adulterinos missos eruens, adjudicante conscio socero nefandus gener impunitus exiliit. Quique post diversa homicidia, deprædationis et malignitatis genera, tam patriarchium, quam vestiarium sedis apostolicæ sibi commissum, non tantum auro, argento, vel palliis, verum etiam æreis signis, vasisque privavit : et in omnibus impietatibus socerum loquens, imo præveniens, Saracenis undique sævientibus, portas urbis cum eo fraudulenter aperuit, et cum sibi conspirationibus contra salutem reipublicæ demigravit. Simulque Sergium magistrum militum, Theodori magistri militum filium, qui reverendæ memoriæ domno Nicolao, cujus neptem in conjugium suscipiens, ita ingratus ac inhumanus exstiterat, ut vivente eo, et in extremis posito, eidem thesauros suos ad eleemosynas faciendum cum præfatis suis complicibus abnegasset. Quique eadem sua conjuge, propter quam de maxima paupertate convaluerat, derelicta, cum Valuisindula concubina, præstito jurejurando ut eam nuptialiter sumeret, nuper effugit, et in omnibus iniquitatibus cum nominatis suis complicibus conspiravit. Sed et Constantinam, præfati Gregorii nomenculatoris filiam, quæ primo per consensum patris, sub conditione jurisjurandi, legaliter Cessario Pippini potentissimi vestararii filio copulata, dein consumptis omnibus soceri sui divitiis, viventem et valentem sponsum suum sine ulla legali disquisitione deseruit, et ad Gratiani Gregorii magistri militum filii nuptias publice convolavit : postremum cum alio fugere gestiens incestum commisit, ex quo prægnans inventa prædictum Gratianum Gregorii filium maritum suum relinquens, cum rapacibus, perjuris, sacrilegis, mœchis, fornicatoribus turpiter fornicatura discessit. Nisi intra diem decimum, id est III Kalendas Maii præsentis nonæ indictionis, præsentiam suam nobis præfati, videlicet Gregorius, Stephanus, Georgius et Sergius, simulque Constantina, congrue satisfacientes exhibuerint, auctoritate Dei omnipotentis sanctorumque apostolorum principum Petri et Pauli omni Christiana communione privatos, cum omnibus communicatoribus et fautoribus suis, permanere decernimus. Et nisi post diem quintum decimum, id est IV Nonas Maii jam dictæ præsentis indictionis, simpliciter et humiliter nobis, imo Ecclesiæ Dei, sæpedicti scilicet Gregorius, Stephanus, Georgius, Sergius, et Constantina, purificaturi occurrerint, eos auctoritate et judicio sancti Spiritus, cum cunctis sibi communicantibus, perpetuo anathemate condemnamus. Hi vero qui ab omni se societate removentes ad unitatem sanctæ apostolicæ sedis redierint, communionis et benedictionis nostræ gratiam sibi reddendam esse confidant. »

His itaque auctoritate sancti Spiritus promulgatis,

omnium vestrum generalitatem his apostolicis litteris exhortamur ut has litteras per omnes diœceses vestras publice relegentes, et ad vicinas parœcias dirigentes, præfatorum depositorum, excommunicatorum et anathematizatorum consortia quasi venenum pestiferum declinetis, neque cum eis communicantibus in cibo, potu sive colloquio communicetis, scientes eum qui eis sive communicantibus eis se in oratione, cibo, potu colloquioque miscuerit, eadem excommunicationis et anathematis censura juxta canonicum capitulum modis omnibus obligatum, nunquamque a nobis sine digna satisfactionis pœnitentia sibi fore communicandum. Optamus sanctitatem vestram in Christo nunc et semper bene valere. Data XI Kalendas Maii. *Recitata in synodo Pontigonensi.*

XXV.

AD BOSONEM COMITEM.

(Anno 876.)

Agit gratias quod ejus opera legati ad imperatorem pervenerint, et illis injuncta confecta sint; eumque rogat ut quamprimum auxilia sibi contra Saracenos mittenda curet.

JOANNES episcopus BOSONI [a] illustrissimo comiti.

Charissimæ tuæ nobilitati laudes Christo Domino referentes, gratias agimus, et hanc præconiis efferentes in eodem Domino gratulamur, cujus gratia nostro fultus amore, missis apostolicæ nostræ sedis, facilem aditum perveniendi ad serenissimi domini Caroli semper Augusti spiritualis filii nostri præsentiam, non indebita tribuisti; et ut ea quæ sibi a nobis dicenda injuncta fuerant, aure suæ pietatis adverteret, et ad congruentem effectum perduceret, suadere curasti. Quod cum Deus omnipotens imperatoriæ magnitudini, ut fieret, inspiraverit; te tamen, qui nostri studii cooperator effectus es, admodum collaudamus, et, ut diximus, gratias tuæ industriæ referentes, et pro his et pro aliis retribuere tibi vicissitudinem non omittemus. Necnon et quidquid honori tuo congruit, vel ad utilitatem tuam crescere cognoverimus, incunctanter exsequi procurabimus, et grato amore, adjuvante Domino, quousque perficiamus, elaborabimus. Tu vero, fili charissime, sicut cœpisti, ad infidelium nostrorum, vel sanctæ Dei Ecclesiæ adversantium tyrannidem funditus abolendam magis [*Edit. Rom.*, magis ac magis] insiste, ut qui sanctam Romanam Ecclesiam in multis lædere non formidarunt, tali sententia, imo judicio percellantur, ut deinceps, quemadmodum es pollicitus, recuperationis locum nunquam inveniant. Cæterum quia pro maxima necessitate hujus nostræ regionis, quam Saraceni pene totam depopulati sunt, audivimus imperiale adjutorium usque ad nos esse mittendum, gloriam nobilitatis tuæ nimium deprecamur, ut idem adjutorium, vel virorum exercitum, qui utinam jam præsens adesset, nullo modo illis in partibus moram pati permittat... veniendo eos exhorteris, ut urgeas, viriliterque quousque veniant pro Dei nostroque amore insistas : quia nisi citissime venerint, et nobis opem contulerint, pejora prioribus fieri formidamus; ac per hoc domno imperatori peccatum et damnum oriri poterit, et quia Ecclesia Dei, vel oves pascuæ ejus fortiter discerpuntur, ipsum nomen Christus, quod absit, in gentibus blasphemari. Data Kalendis Septembris, indictione decima.

XXVI.

AD LUDOVICUM REGEM.

(Anno 876.)

Dissensiones inter ipsum et imperatorem scribit se non posse sedare, nisi alteram prius audiat partem : interea monet ut pacem cum omnibus, et præcipue cum imperatore, servet, et subjectos compescat.

JOANNES episcopus dilecto filio LUDOVICO glorioso regi.

Epistolas tuæ dilectionis, non quidem diversas suscepimus; quas relegentes, ea in eis reperimus quæ nisi nos charissimi filii nostri serenissimi quoque imperatoris Domni Caroli semper Augusti prior querela pulsaret, non solum admitteremus, verum etiam priusquam putares investigaremus, atque discuteremus, rectique lance libraminis, quod et facturos nos, Deo juvante, confidimus, pensaremus. Sed quia una pars sine altera facile audiri non debet, interim deliberative non scribimus : quin potius gloriam tuam monemus, et auctoritate apostolica obtestamur, ut pacem cum omnibus et præcipue cum eodem imperatore conservans, tibi subjectos compescas, et ab omnibus scandalis vel factiosis conspirationibus usque ad nostram discussionem, sicut per te speramus, removeas. Quia nos, qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nec illi, nec tibi contra justitiam favere studemus. Hujus rei gratia, mediante sancti Spiritus gratia, per nostræ mediocritatis studium, quidquid illud est, volumus diffiniri; et quod adhuc suspendendum duximus, jam digna deliberatione, juvante Domino, dispensationis nostræ judicio terminabimus. Data Kalendis Septembris, indictione decima.

XXVII.

AD CLERUM ORDINEM, ET PLEBEM SANCTÆ UVALVENSIS ECCLESIÆ.

(Anno 876.)

Invehitur in quemdam Ecclesiæ Valvensis invasorem, legitimo adhuc superstite episcopo : laudat eos quod illum minime recipiendum duxerunt, simul præcipiens, ne unquam cum admittant, alioquin excommunicationis sententiam minatur.

JOANNES episcopus clero, ordini et plebi sanctæ Valvensis Ecclesiæ.

Quia sollicitudinis nos, quam pro omnibus Dei Ecclesiis circumspiciendis suscepimus, maxima cura constringit, ut vel provisa vitia resecemus, vel rumore comperta, ne pullulent, vigilemus; latere vos

[a] De Bosone regino l. II Chron.; Aimoin, l. V, c. 14, 27, 32 et aliis in locis.

nolumus pervenisse ad nos quod quidam, calcata reverentia canonicæ disciplinæ, contra omne fas, imo contra legem ecclesiasticam, superstite vestro pastore velit ausu temerario vestram sinceritatem corrumpere, et (quod dictu nefas est) plebem ipsam invadere, gregemque Dominicum, videlicet vosmetipsos, discerpere, schismata generare, et Deum in hoc ad iracundiam provocare : habens quasi auctoritatem sæcularium id peragendi, et quæ ab eis, imo a nobis, vivente vestro episcopo, jure dari non potest, nequiter exercendi. Quod tantum fieri prohibemus, tantumque detestantes abominamur, quantum contra canonicæ auctoritatis censuram, et contra divinæ legis traditionem, vel veterum Patrum exempla, tale quid attentari cognoscimus, ut vivente uno episcopo, ac superstite consistente, alter vel non petitus, vel qui peti non potest nec etiam debet, sedem viventis invadat ; et hanc vel sine nostro consultu, ut ita dixerim, expetat ; vel quia, sicut diximus, superest, in cor ejus ascendat talia cogitandi. Verum nos primum vobis gratias agimus quia, sicut didicimus, vestro episcopo fidem debitam conservantes, eumdem invaserem non recipiendum esse proposuistis. Deinde nostri apostolatus monitis omnium vestrum devotionem hortamur, præcipimus ac suademus, ut eodem vestro episcopo vivente, nulli unquam mortalium vos conanti forte decipere, præbeatis assensum, ut vel in modico a fidelitate ipsius vestri episcopi qui nunc est, scilicet venerabilis Arnulfi, quoquo modo discedatis ; quin potius omnem honorem ac reverentiam juxta sacros canones ei impendere studeatis, ut magis *(Edit Rom.*, magis ac magis), unde vobis gratias referamus, habere possimus : scientes nos nullo modo in tali nefando opere consensuros, sed potius et factores et eorum consentaneos punituros. Verumtamen si hanc nostram legitimam obtestationem vos in aliquo ab his deviare cognoverimus, et habentes hanc nostram auctoritatem vos omnium ambitiosorum factionibus contraire minime senserimus, vel si quomodocunque talia facere tentanti vos consensum præbere saltem clanculo, quod absit, didicerimus, sciatis quia et vos anathemati submittemus, et illum pari sententia condemnantes, omne sacerdotalis officii ministerium, ut unquam nullis præsideat, ei perpetuo adimemus. Data, etc., indictione decima.

XXVIII.

AD QUEMDAM [a].

(Anno 876.)

De Neapolitanorum duce ejus fratre queritur, qui suis monitis non parebat. Quare hortatur ut ab eo se separet ; alioquin cum eo ac cæteris fautoribus anathemati subjicietur.

JOANNES episcopus...

Multa per nos per decessoresque nostros reverendos pontifices duci Neapolitanorum, imo duci cæcorum, missis et epistolis discurrentibus dicta sunt, quæ locum in ejus corde nullum penitus invenerunt : quia profecto viscera ipsius verba vitæ æternæ recipere renuerunt : Judæis enim Dominus dicit : *Qui ex Deo est, verba Dei audit ; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (*Joan.* VIII). *Si quis*, inquit, *diligit me, sermonem meum servabit (Joan.* XIV); ergo probatio dilectionis exhibitio est operis. Probatur igitur germanus tuus non diligere Deum, qui mandata ejus participando cum perfidis non custodit. Nam Joannes apostolus ait : *Qui dicit quia diligit Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (I Joan.* II). Sed nos postremo, nec etiam sic contempti, quæ ad salutem ejus et cunctorum pertinebant, neglexìmus : unde non angelus, non legatus quilibet (ut de Redemptore nostro prophetice dictum est), sed ad salvandos eos ipse per semetipsum apostolatus noster adveniens, quid est quod debuit facere, et non fecit ? licet ipse, ut cum propheta dicamus, conversus est in amaritudinem vitis alienæ (*Isa.* V), et sicut aspides surdæ, et obturantes aures suas, non audierit vocem incantantium (*Psal* LVII), id est prædicantium, nec mutaverit versutiarum suarum colorem, aut varietatem, instar Æthiopis et pardi, quibus perfidorum Israelitarum Jeremias duritiam comparavit, unde merito abscissi sunt, ut de talibus Apostolus optat : *Abscindantur*, inquiens, *qui vos conturbant, a Christo (Gal.* V), id est a capite et corpore, quod est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. Ergo cum ita sit, prudentia tua moveri non debet, si inter tales officium cesset doctorum, sive torpenti desidia faciente rectorum, sive impœnitenti exigente crimine subjectorum. Divino enim judicio, quamvis occulto, talia fiunt, sicut in libro beati Job legitur, cum de Deo inter alia fertur : *Ducit sacerdotes inglorios, et optimates supplantat, commutans labium veracium, doctrinam senum auferens (Job* XII); cujus sensus medulla concepta, procul dubio, scito quia in optionem unum e duobus a nobis tibi tribuitur : aut enim, secundum quod scriptum est, *Exiens exibis de medio ipsorum, et pollutum non tanges* (*Isa.* LII) ; aut certe, quandiu cum talibus conversatus fueris, non poteris videri non talis, sed eris profecto illis pœna, sicut consortio similis. Nam Lot chaos Sodomis fugiens, cunctis necatis civibus, salvus singulariter redditur (*Gen.* XIX). Sic Petrus fugiens, Herodis cateni ereptus, ad salvandas gentes eruitur (*Act.* XII). Sic Paulus, observante Damasci præposito, teneri intra claustra perfidorum noluit, in sporta per murum submissus *(Act.* IX), ad certaminis properat campum. Verumtamen ne sanguis eorum de manibus tuis divinitus requiratur, tanquam segnis desidisque speculatoris, qui videas gladium lupumpe venientem, et taceas (*Ezech.* III) : *Insta* interim (ut Apostolus monet) *opportune, importune : obsecra, increpa* : *nemo ado-*

[a] Forte *Athanasium episcopum Neapolitanum*, ad quem nonnullæ infra scribuntur epistolæ : cujus meminit Leo Ostiensis, lib. I, Chron. Cass. cap. 42. Fuit autem hic nepos et successor sancti Athanasii, cujus mentio est in Martyrologio Romano die 25 Julii.

lescentiam tuam contemnat (II Tim. IV ; *I Tim.* IV). Qui si te audierint, lucrifacies fratres tuos ; sin autem, saltem tu salvans salva quantocius animam tuam, sciens procul dubio totius Hesperiæ præsules a nobis in proximo congregandos. Quibus generaliter imminentibus, tam perfido fratri tuo quam omnibus sectatoribus et fautoribus ejus perpetuum dicemus modis omnibus anathema, nunquam deinceps penitus dissolvendum : quod si evadere satagis, in nostrique affectus finibus inveniri, in nullo prorsus ab hoc nostro recedere præcepto patere vel hortatu. Gratias præterea referimus super his, qui per industriam tuam redempti sunt a Domino, quos redemit de manibus inimici : et scito nil te nobis acceptius oblaturum quam eos nimirum, pro quibus sanguis oblatus est Christi. Data quinto Idus Septembris, indictione decima.

XXIX.

AD LEONEM ET PETRUM EPISCOPOS.

(Anno 876).

Miratur eos ad se non reverti incursionibus Saracenorum lacessitum : obtestatur ut quantocius redeant. Quod si vim ab aliquo patiantur, præcipit ut fortiter se gerant, et id sibi significent.

LEONI et PETRO episcopis.

Cum vobis innumerabiles hujus Dei Ecclesiæ necessitates non minus quam nobis sint cognitæ, pro quibus compescendis vos ad piissimum Cæsarem destinatos sub magna velocitate sensistis ; miramur vos tanto tempore nobis in tanto periculo constitutis, et Saracenorum incursionibus undique laceratis, ad nos remeare usque hactenus neglexisse. Neque enim vos alicujus violentia magis quam vestra negligentia credimus retardatos, qui nescimus sub quibus argumentosis ingeniis, consiliis tamen a nobis anathematizatorum, ac fraudulentiis, more corvi tempore diluvii ad mittentem se minime revertentis (*Gen.* VIII), ita legationis vestræ usque nunc obliti fuistis, ut a Papia per tot dies Romam repetere minime studeretis. Cujus rei gratia vos, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum principum, obtestamur, præsentialiter ad sanctam sedem apostolicam quæ vos misit, episcopatuumque vestrorum sedes quantocius redeatis. Verum si, quod absit, juxta quod a nobis anathematizatorum satellites gloriantur quorumdam violentiis retineri, et ad mittentes vos reverti non permittimini, præcipimus vobis auctoritate Dei et Domini nostri Jesu Christi ut, memores antiquorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatorum qui nullis minis, nullis terroribus nullisque mortibus a suis legationibus discesserunt, præsentialiter auctoritate hujus epistolæ initium ad nos revertendi facere studeatis, et si permissi fueritis, statim ad nos revertamini. Si vero aliquis vos impedierit, violentia quam patimini cunctis Christicolis valeat propalari nobisque continuo revelari, quatenus in eo quod contra morem gentium apostolicæ sedis legatio ecce secundo naufragium passa est, citissimum consilium, confortante nos Domino, præparemus.

XXX.

AD BOSONEM COMITEM.

(Anno 876.)

Dolet quod sibi deprecanti auxilium contra Saracenos non tulerit. Significat Urbem magno in discrimine versari, cum ad eam oppugnandam fama sit magnum exercitum venturum : quare eum rogat ut quantocius opem ferat. Legatos ab eo detineri miratur.

JOANNES episcopus JOANNI BOSONI comiti.

Sæpe gloriam tuam missis et litteris hortari ac deprecari studuimus, ut manum auxilii porrigens, contra nefandos Saracenos hostiliter occurrere tandem satageret ; sed, proh dolor ! nil hactenus præsidii adipisci meruimus, adeo ut nec responsum, sicut nec de aliis quibusque necessitatibus, a nobilitate tua recipere hucusque noscamur. Quapropter nimis dolentes gementesque, iterum iterumque dilectionem tuam monemus, hortamur et obsecramus, ne differas ultra, nec patiaris populum Domini ab illis divinitus fulminandis Agarenis discerpi, qui operuerunt universam superficiem terræ, sicut locustæ, ita ut pene cunctis habitatoribus inde sublatis, et in prædam et gladium traditis, redacta sit in solitudinem et in cubilia bestiarum, et, quod est adhuc amplius formidandum, atque cavendum, certa relatione didicerimus, stolum amplissimum in proximo ad expugnandam urbem venturum, id est centum naves, ex quibus cum equis sunt quindecim grandes. Quod quam ingens malum et incomparabile sit si intente consideraveritis, advertetis, perditio enim istius urbis totius est mundi dispendium, imo et ipsius Christianæ religionis jactura. Et ideo, secundum quod et spiritalis filius noster semper Augustus necessario tuæ commisit industriæ, omnium cæterarum rerum curis omissis, hoc vos convenit toto considerare mentis intuitu, et ad auxilium nostrum non modicum exercitum quantocius destinare. Si enim vestrum divinitus roboratum nobis non porrigitis validum et amplum confestim auxilium, scitote nihil amplius remanere, nisi ut nobis a vobis desperatis dimissis , vobis etiam ab hac sancta Ecclesia nulla spes ultra remaneat. Porro si in præsenti necessitate nobis aptum et sufficiens præbueritis auxilium, et nihil differentes, populo Dei, beato Petro speciali prærogativa commisso , subvenire studueritis , scitote in omni opportunitate vestra tanto nos fore promptiores, quanto fuerimus redditi ab hoste securiores. Cæterum dilectionem tuam miramur legatos retinuisse, Leonem episcopum charissimum nepotem nostrum apocrisiarium et missum apostolicæ sedis, atque Petrum æque episcopum, qui cum festinantes per vos ad divinitus protectum Augustum mitterentur, a vobis et tunc detenti sunt, et modo nihilominus non merito retinentur. Quod quia contra decus apostolicæ sedis, quod nunquam factum est, profecto non dimittemus, cum hinc certi fuerimus, inultum. Cum enim nos illos pro multipli-

cibus Ecclesiæ nostræ necessitatibus sub nimia festinatione miserimus, a vobis, quem hoc non lalet, non impediri, sed ad id celerius agendum vestris, sicut credidimus, potius debuere fulciri subsidiis. Data *ut supra*.

XXXI.

AD LANDULFUM EPISCOPUM CAPUANUM.

(Anno 876.)

Nuntiat legatos ad imperatorem rediisse ; quem in episcoporum et optimatum conventu Romanæ Ecclesiæ jura recognovisse, præcipue vero terræ Capuanæ pactum suo juri commisisse scribit : ideo in ejus partes se venturum promittit.

JOANNES episcopus LANDULFO episcopo Capuano.

Sancta Romana Ecclesia, cujus Deo auctore præsidemus regimini, cunctis ab exordio sibi fideliter servientibus dignam in præsenti et in futuro sæculo solita est bonæ retributionis mercedem rependere ; tibi nihilominus reliquisque fidelibus suis utroque modo, ob vestræ fidelitatis devotionem, quam illic positi plene cognovimus, per omnia maternis visceribus favebit in proximo, Siquidem nosse volumus tuæ religionis intentionem quoniam, Domino cooperante, Leone venerabili episcopo nepote nostro, ac sanctæ Ecclesiæ Romanæ eximio apocrisiario, aliisque nostris legatis, quos nuper direxeramus, a charissimo filio nostro Carolo imperatore Augusto reversis, vobis, utpote a secreto consiliariis nostris, ratum ducimus animi ejus, Deo inspirante, circa Ecclesiarum, præsertim Romanæ, quæ caput est omnium, exaltationem, affectum patefacere, omne sane jus potestatis antiquitus attributum capitulariter renovamus in conventu episcoporum ac optimatum [a], inviolabiliter concessit habendum. Inter quæ de terræ vestræ pacta, prout Christo duce voluissemus, statuere, nostro juri potestatique commisit, quatenus id quod pontificali ore nudis verbis diximus, operum ostendamus patratione, et ut pro animæ vestræ exhilaratione patrum notarice stylus scribentis loquatur [b]. Parate hospitium, quia cum novo hospitum agmine Dei gratia in vestras partes sumus venturi. Frenum coercitionis infidelibus, quantum valetis, imponite, fidelibus quoque futuræ in proximum spei sublevationem promittite ; Domini Dei nostri sine intermissione, hortor, misericordiam deprecamini, nostrumque adventum spectate veraciter.

XXXII.

AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

(Anno 876.)

Ostendit se paratum esse firmare pactum quod fecerat ; rogatque sibi ad ipsum eunti hospitium parari.

JOANNES episcopus dilecto filio GUAIFERIO [c] glorioso principi.

Quia te non solum legatorum nostrorum inter relata fidelium circum Ecclesiæ nostræ Romanæ regimen, cui Christo præsidemus auctore, devotum A cognovimus, tuumque strenuissimum generum Pulcari præfectum, verum etiam cum pro liberatione totius patriæ, ut nobis a Christo cura commissa est, in vestras partes venissemus, pro certo fidelem reperimus : ideoque pactum quod petisti, ut promiseramus pontificali vera assertione a dilecto filio nostro Carolo imperatore Augusto, jure vobis firmandum, potestate per revertentes venerabiles legatos Ecclesiæ nostræ accepta juste ac legaliter adfuturum statuere sumus parati ; simulque mihi et novo agmini comitatum volo præparetis, ut dixerim ita hospitium, fidelesque nostros incœpta corroborate fidelitate, ac infidelibus, prout potestis, frenum redargutionis imponite, nostrumque adventum, Deo duce, sperate.

B

XXXIII.

AD GEILONEM ABBATEM TORNUTIENSEM EJUSQUE MONACHOS.

(Anno 877.)

Illorum omnia, vel regia, vel episcopalia privilegia, pontificia auctoritate sancit, anno Christi 876 *quibus addit exemptionem ab omni cujuslibet antistitis jurisdictione.*

Ex autographo in philyra, litteris uncialibus Gothicis descripto, longo pedes circiter duodecim, lato duos.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, GEILONI inclyto abbati, dilectisque filiis nostris in Tornutio monasterio, a spirituali filio nostro glorioso Carolo imperatore Augusto, sanctæ et intemeratæ semperque virgini Dei genitrici Mariæ, atque pretioso confessori Christo Philiberto largito sub re- C gula sancti Benedicti religiosa conversatione degentibus, nunc et futuris temporibus,

Quando ad ea quæ catholicorum imperatorum corda pontificalibus sunt monitis provocanda, ita ardenti desiderio, divina præveniente gratia, tam succenduntur, ut ab eis ultro poscantur, tanto alacri et læto sunt animo concedenda, quanto et ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant Proinde juxta scripta petitoria filii nostri, præcellentissimi imperatoris Caroli, hujusmodi privilegium præsentis auctoritatis nostræ decreto, eidem venerabili monasterio vestris futurisque temporibus indulgemus, concedimus atque confirmamus : ut sicut ipse gloriosissimus filius noster, divino ductus amore, de villis ac facultatibus, seu stipendiis spe- D cialiter monachorum et ecclesiæ ornamentorum, vel luminariorum, ac matriculariorum, seu hospitum, atque pauperum usibus servata, vel emeliorata seu aucta ordinatione præcepto suæ auctoritatis firmavit privilegium quod venerabilibus fratribus ac filiis nostris episcopis illarum regionum fieri et confirmari fecit ; ita sicut eodem privilegio atque præceptis, in primis filii nostri Caroli exinde factis continentur, perpetuo inconvulsa permaneant. Quamvis enim fama fuerit hoc tenuisse ad episcopatum Ma-

[a] Hujus concilii et legatorum meminit Aimoinus, l. v de Gestis Franc., c. 33.

[b] Locus, ut videtur, mendosus. HARD.

[c] De Guaiferio principe Salernitano Leo episcopus Ostiensis libro I chron. Cass. c. 42 et 44.

tisconensem, nullaque ibi auctoritate qua teneri possit adjunctum longo interveniente tempore fuerit, melius multoque sanctius apostolicæ discretionis nostræ visum fuit ut monasticis utilitatibus in prædicto monasterio confirmetur, quam laicalibus sine aliqua acquisitione sanctorum locorum depopulationibus indulgeatur. Constituimus alia auctoritate beati Petri ut nullus regum, nemo antistitum vel abbatum, seu quilibet quacunque præditus dignitate, de his qui in præfato privilegio seu in præceptis ipsius filii nostri Caroli ex his quæ præmisimus factis continentur, vel in futuro, ab eo vel a quibuslibet aliis de proprio fuerint his specialibus usibus jure collata, sub cujuslibet causæ occasione sive specie, quidquam minuere vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione præsumat concedere : sed cuncta quæ præfatis usibus monachorum et ecclesiæ ornamentorum, vel luminariorum, matriculariorum, hospitum et pauperum oblata sunt, vel offerri contigerit, perenni tempore inlibata et inconvulsa, ac sine aliqua inquietudine, eorum usibus pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura permaneant. Hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam vobis quam cunctis qui in eo quo estis ordine locoque successerint, in perpetuum conservanda decernimus. Salva in omnibus quæ hujus decreti pagina continentur, auctoritate et honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et sedis apostolicæ privilegio. Placet etiam ut per futura tempora ipsi monachi ex scriptis habeant licentiam eligere abbatem. Si quis autem temerario ausu, magna parvaque persona, contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, et cum omnibus impiis æterni incendii supplicio condemnatum. Qui autem verus custos et observator hujus confirmationis exstiterit, benedictionem et gratiam et cœlestem misericordiam a Domino consequi mereatur. Scriptum per manum Anastasii notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Octobrio, indictione decima. Bene valete.

Subscriptum Idus Octobrias, per manum Christophori primicerii sanctæ summæ sedis apostolicæ, imperante domino piissimo principe Augusto Carolo, a Deo coronato, magno imperatore anno primo, et post coronationem ejus anno primo, indictione decima.

XXXIV.

AD ABBATEM ET MONACHOS HERENSES.

(Anno 876.)

Approbat donationem monasterii S. Porciani illi factam.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, GEILONI religioso abbati venerabilis monasterii sanctæ Dei genitricis, semperque virginis Mariæ dominæ nostræ, et S. Filiberti, ac per te eidem venerabili monasterio in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta.

Igitur omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus et nostris, præsentibus et futuris, notum fieri volumus qualiter reverentia tua per Adalgarium sanctissimum episcopum sanctæ Æduensis Ecclesiæ nostro suggessit apostolatui, observans quod abbatiolam quæ vocatur S. Portianus, quamque piæ memoriæ Carolus imperator, spiritualis scilicet filius noster, ob sui perennem memoriam, per præcepti seriem in eodem venerabili monasterio conferens largitus est, nostri apostolici privilegii auctoritate confirmaremus.

Nos autem, considerantes hanc petitionem salubrem fore et eidem venerabili monasterio, cui præesse dignosceris, stabilimentum consistere, præcipue cum omnia pia loca proprium habere optemus, inclinati petitionibus tuis, a præsenti nona indictione præfatam abbatiolam cum omnibus rebus suis mobilibus vel immobilibus, sibi juste et legaliter pertinentibus, quemadmodum ex prædicto eodem Augusto concessum est, per hoc apostolicum nostrum privilegium in sæpe dicto venerabili monasterio confirmamus, et perpetualiter stabilimus, et ad mercedem nostram roboramus ; ita quoque apostolica auctoritate munientes decernimus ut nullus episcoporum ad negotia divina illuc, aut pro alia re peragenda, nisi a te successoribusque tuis abbatibus fuerit invitatus, ire pertentet ; imo ne judiciaria potestas quamcunque vel molestiam aut destructionem quamlibet pergens facere audeat, quam secundum ipsius venerabilis monasterii ritum, et prædicti Augusti concessionem, nec non et hanc apostolicam concessionem et confirmationem ab omnibus Christi fidelibus observandam sancimus.

Si quis autem cujuslibet dignitatis homo contra hoc nostrum apostolicum privilegium, quod non credimus, in toto vel in parte ire præsumpserit, ac quod a nobis salubriter sancitum est, in aliquo frangere ausus fuerit, auctoritate Dei omnipotentis, et beati Petri apostoli, atque nostra, sciat se propria communicatione privatum ; et nisi cito resipuerit ac canonicæ sanctioni obedierit, anathemate perpetuo condemnatum ; qui vero custos et observator exstiterit, benedictionem et gratiam a Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manus Anastasii notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Octobri, indictione nona. Bene valete.

Datum Idus Octobri per manum Christofori Primicerii sanctæ summæ sedis apostolicæ. Imperante Domino piissimo Augusto Carolo a Deo coronato magno imperatore, post consulatum ejus anno primo, indictione nona.

XXXV.

AD EPISCOPOS PROVINCIÆ BITURICENSIS.

(Anno 876.)

Ut Frotario tanquam metropolitano suo deinceps obediant.

JOANNES reverentissimis et sanctissimis fratribus nostris episcopis per Bituricensem provinciam constitutis.

Quia Burdigalensem urbem, sed et totam pene provincia quorumdam vestrum litteris, sed et Leonis apostolicæ sedis apocrisiarii [*Edit. Rom. addit*, sanctissimorum nostrorum] expressa relatione didicimus diversis cladibus, sed præcipue iucursibus Nortmannorum deletam, et in solitudinem partim gladiis partimque captivitate deductam, necessaria rerum, ut cum sancto papa Gelasio decessore nostro dolentes gementesque fateamur, dispositione constringimur, et apostolicæ sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, et retro præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum pro instaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus Ecce enim [*Edit. Rom. addit*, ne] de civitate ad civitatem episcopi trasmigrent, sancti canones provide sanciunt. Sed si hujusmodi sanctiones sine ulla discretione vel dispensatione ducimus observandas, nullam compassionem fratribus exhibemus, quos gentilium gladios passos causa fidei Christianæ servandæ videmus egentes, angustiatos, afflictos, hac illacque palantes incedere ; præsertim cum nonnulli eorum ita sint Dei gratia illustrati, ut non solum scientia, sed et moribus ; non solum verbo, sed et exemplo plurimos valeant erudire. De quorum numero quia Frotarius Burdigalensis dudum antistes, ut testatur vestra fraternitas, exstat, necessario duximus eumdem virum alii Ecclesiæ præponendum et incardinandum, Bituricensi videlicet, quæ et vacans esse nobis denuntiata est, et tanti viri digna regimine : ne per minus idoneum rectorem salubre salvandarum animarum desit ei præsidium, et nos et contra ingentis culpæ involvamur annexu, si tanto urgente discrimine, tantæ minus consulamus Ecclesiæ, propugnatori hanc probali minime committentes. Prioribus itaque manentibus regulis inconvulsis, quæ ubi nec rerum, nec temporum urget necessitas jure convenit observari, vacante sede, Frotarium fratrem et coepiscopum nostrum in sede Bituricensi præficiendum ordinavimus sacerdotem : ita ut in ea incardinatus, et quodamodo auctoritatis apostolicæ privilegio radicatus, cætera metropolitana Bituricensis Ecclesiæ ac diœceseos jura tanquam Deo contemplante obtineat, dispenset et ordinet, omni posthac querimonia invidorum prorsus ablata. Cui vos tanquam proprio metropolitano convenit obedire, et competentem exhibere, secundum pristinum morem, reverentiam et honorem. Sane latere vos nolumus, sic nos ista interveniente non modica barbarica necessitate nunc concedere, A ut tali necessitate remota, consuetudinarie ulterius non requiratur, quod removeatur etiam illud quod necessitas impetraret. Optamus sanctam fraternitatem vestram in Christo nunc et semper valere. Data VII Kalendas Novembris, indictione decima.

XXXVI.

AD BITURICENSES.

Ut Frotario burdigalensi archiepiscopo, cui tandiu Bituricensem Ecclesiam committit, quandiu pagani Burdigalensem diœcesim obtineant, omnes obediant.

JOANNES episcopus clero, et plebi, et ordini sanctæ Bituricensis Ecclesiæ.

Suggestionis vestræ relegentes epistolam, quod ab apostolatus nostri auctoritate de confratre nostro Frotario reverendo archiepiscopo postulant, hoc nos B aliorum testificationibus, et præcipue serenissimi semper Augusti, spiritalis quoque filii nostri relatione comperimus ; sed et legatis apostolicæ sedis, Leone videlicet venerabili episcopo, apocrisiaro et missos sanctæ Romanæ Ecclesiæ, seu Petro æque venerabili episcopo, revertentibus, didicimus pene totam provinciam Burdigalensi metropoli pertinentem, sicut ab his qui causam illam noverunt, iidem nostri legati discere potuerunt, ita esse paganorum persecutionibus desolatam, ut non solum ipse confrater noster illic lucri aliquid subjectis conferre non possit, verum etiam habitatio fidelium inde subtracta consistat. Quapropter quia eumdem virum Frotarium reverendum archiepiscopum probis moribus actibusque præclaris, et ad lucrum animabus homi- C num conferendum idoneum esse comperimus, ne talis tantusque vir otio, quo prodesse aliis valeat, minime vacet, ejusdem sanctæ Bituricensis Ecclesiæ, cui subestis, ei pastoralem curam apostolica auctoritate committimus, et in ipsa eum incardinandum necessario esse censemus. Cui vos ita decentem obedientiam et canonicam subjectionem humiliter exibete, utpote revera metropolitani jura tenenti, proprio rectori et vestro antistiti convenit, et ex nostra apostolica auctoritate diffinitum advertitis, et ecce mandatum habetis : quatenus de bono vestræ obedientiæ nobis Deo gratias referentibus, et vobis reverentia competenti ipsum præfatum archiepiscopum excolatis ; et ille vobis, tanquam pro vobis rationem Domino redditurus, modeste præesse D studens, ut dilectos filios amplecatur. Porro sciatis quia sic ista non modica interveniente necessitate barbaro modo concedimus, ut tali necessitate remota, removeatur etiam id quod necessitas imperat. Data V Kalendas Novembris, indictione decima.

XXXVII.

AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

(Anno 876.)

Imperatoris precibus, cum Burdigalensis provincia paganis esset devastata, Frotarium Burdigalensem archiepiscopum transfert in Ecclesiam Bituricensem.

JOANNES episcopus CAROLO imperatori.

Petitionem vestram, filiorum charissime, quam non obnegando sed dispensando dudum distulimus,

nunc nos ad votum nostrum ob id vel maxime, Christo præduce, perduxisse gaudemus quod et vestram gloriam perseverantem testificatricem cognovimus, et provincialium præsulum conseneneas probationes probavimus, et legatorum nostrorum subtilissimas disquisitiones advertimus. Quocirca, licet nos multis canonicis testimoniis provocati petitionem vestræ devotionis implere magnopere moliremur, et solius majestatis vestræ testimonio super exterminio Burdigalensis provinciæ credere nimine cunctaremur, tamen quia pietatis vestræ testimonio comprovincialium quoque præsulum litteras convenire, sicuti rebamur, nuper cognovimus, secundum pietatis vestræ religiosissimum libitum, Burdigalensis diœcessis episcopum, fratrem scilicet nostrum Frotarium in Bituricensem Ecclesiam cardinalem fieri decernentes, metropolitanæ dignitatis privilegio iterato munire curavimus; etudiri vestri solertiam, quo semper idoneos Ecclesiæ viros quadam naturalis ingenii nobilitate deligitis, admirantes, congruas litteras, his quorum interest, ex auctoritate sedis nostræ direximus, atque magnanimitatem vestram, quam istius religiosi negotii circa nos incentricem cognovimus, eam nihilominus exsecutricem fore nec immerito delegamus. Quatenus propter Deum, cujus Filii pretioso sanguine tota per mundum redempta consistit Ecclesia, sic istius necessariæ dispensationis instituta custodiat, ut a paternis regulis constitutis antiquitus in parte altera nunquam omnino discedat. Præterea, quod filiolitatis vestræ petit industria, ut quorum suggestionibus dudum vestra sit dilata petitio detegamus, omnino sciatis, quia nos licet indigni simus, tamen quoniam per consequentiam priorum nostrorum pontificum maturo cogimur esse judicio, causam tantæ deliberationis ideo non facile tunc deliberandam credidimus, ne diffinisse, quod Deus averterit, minus ordinabiliter videremur. At postquam Deus omnipotens petitionem serenitatis vestræ comprovincialium præsulum testimonio decoravit, imo testimonia præsulum pietatis vestræ suffragio confirmavit, nos religiosam petitionem vestram complevimus, et suggestionibus fratrum coepiscoporumque nostrorum manus porreximus, et Ecclesiæ Dei tantis necessitatibus consulentes, de thesauro pontificalis pectoris ita vobis protulimus, ut a doctrinis deviasse veteribus nullo modo videamur. Data *ut supra*

XXXVIII.

AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

(Anno 876.)

Laudat eum de judicio in Emmenum prolato, et hortatur ut cum illo clementer agat.

JOANNES episcopus CAROLO imperatori,

Super judicio vestro in Emmenum prolato, o rectissime imperator, cum cœlo tota terra lætatur. Scriptum est enim: *Lætabitur justus cum viderit vindictam* (*Psal.* LVII). Cur autem decimus lætatur, cum super judicio [*edit Rom.*, judicia] Salomonis scriptum sit: *Quia audivit omnis Israel judicium quod judicasset rex et timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium* (*I Reg.* III). Super quo videlicet judicio sentiendum merito ducimus quia lætati quidem benigni, tristati vero sunt omnino maligni. Ergo et hic ita datur intelligi, quia nimirum super judicio vestro lætantur justi, deterrentur injusti. Nam et omnipotens Deus, cujus et vos judicium æmulamini, terribilis peccatoribus et blandus et justis. Quia igitur super Emmeno jam exhibuistis severitatem judicii, quæsumus exibere de cætero pietatis insigne. Imposuitis in humeros ejus onus austeritatis, adhibete jam nunc id removentem digitum lenitatis. Mementote quia hunc vobis cum Petro Paulus dilectis suis, sicut Philemoni quondam Onesimum remittit (*Phil.* I), implorans et obsecrans, quatenus eum ut sua viscera suscipiatis. Quia etsi fortassis ad horam aliquando quidem vobis inutilis, exemplum non bonum cæteris tribuens, visus, est; nunc autem et vobis, et nobis, et plurimis utilis est, longanimitatis formam et patientiæ cunctis ostendens. Rogamus ergo ut penes vos non sibi tam suus obsit excessus, quam fidei et amoris erga vos habiti prosit affectus. Et quia noxam propriam et pœnam indictam sibi confiteri non renuit, animadversione remota quam meruit, patronos vestros, et sanctos scilicet primos apostolos se proficue adiisse et salutasse de reliquo sentiat, et de tanto sibi collato munere lætetur et gaudeat, ut ubi abundavit peccatum, superabundet, secundum Apostolum, gratia (*Rom.* V). Data pridie Kalendas Novembris, indict. decima.

XXXIX.

AD IMPERATOREM ET IMPERATRICEM.

(Anno 876.)

Pro Madelgero qui Odelricum occiderat.

JOANNES ipiscopus ad imperatorem et imperatricem.

Dum non minus pro misericordiæ intuitu delinquentibus [a] exhibendo, quam judicii severitate in improbos exercenda, omnipotens Deus gloriam serenitatis vestræ imperiali voluerit sublimare decore, dignum profecto esse rati sumus pastorali cura fungentes apud majestatis vestræ excellentiam pro multorum salute, vel vitæ indulgentia, præcipue illorum qui diabolico licet instinctu nefanda committentes, ad apostolorum principum Petri et Pauli fautorum vestrorum limina, divina tamen pietate commoti, venire festinant, et misericordiam humili prece implorant, toto mentis annisu intercedere, atque pro viribus conslationis opem in quantum fas est petentibus impartiri clementer. Unde pro hujus viri, Madelgeri videlicet nomine, qui adversario incitante quemdam hominem Odelricum vocabulo peremit, salute, membrorum omnium integritate, et rerum suarum restitutione, majestati vestræ suggessimus, filiorum charissime, et pro amore Dei et Domini nostri Jesu Christi, sanctorumque apostolorum, quorum limina

[a] Post verbum *delinquentibus* additur in edit. Rom. *Vassalum Vestrum qua accepta duntaxat exhibito quam judicii*, etc. MANSI.

præfatus Madelgerus adiit, nostræque paternitatis, quam sincerissimam erga nos habetis, dilectione precamur, quatenus gratiam vestram plenariam ei reddere non dedignemini, eoque cum vestræ serenitatis respectu accepto, pro suis valeat excessibus pœnitentiam fructuosam accipere, qua commissi possit piaculi noxias sordes abluere, ut spiritus salvus sit in die Domini, de omnibus ultricem dantis vindictam. Nam pro tanti itineris labore durissimo, quem veniendo perpessus est, sicut credimus, aliquantulam de peracto scelere indulgentiam meruit, ejus utique intercessionibus adjutus, cui dictum a Domino constat: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (Matth.* XVI). Quod cum ita sit, precamur etiam, ut eum cum parentibus ejus qui defunctus est, paciscere jubeatis, ne majus deinceps malum quo, multorum animæ noceat, perpetretur. Data *ut supra*.

XL.

AD EPISCOPUM CARNOTENSEM.

(Anno 876.)

Pro Madelgero qui Odelricum occiderat.

JOANNES episcopus reverentissimo GISLIBERTO episcopo sanctæ Carnotensis Ecclesiæ.

Dilectionis vestræ reverentiam spiritalibus pollere virtutibus procul dubio arbitrantis, his apostolatus nostri litteris convenire, ac pro præsente viro Madelgero, qui suadente adversarios quemdam hominem Odelricum nomine gladio peremit, unde divina inspiratione compunctus ad limina sanctorum apostolorum principum Petri ac Pauli, per longa itinerum spatia pro ipsius delicti abolitione venire curavit, petere studemus, ut pro amore Dei, et eorum ad quorum sacratissimas ecclesias venit, et pro suis excessibus Deum deprecatus est, necnon et pro nostræ paternitatis dilectione, illi omnes res proprias atque beneficium cum propriis honoribus quos abstulistis, cum plenaria gratia reddere non dedignemini, sicuti dilectionis nostræ consortium et charitatem circa te cupis habere sinceriter illibatam. Data *ut supra* [a] :

XLI.

AD ADALARDUM EPISCOPUM VERONEMSEM.

(Anno 876.)

Commendat eum ob præclaras virtutes, et jubet ut Romam ad concilium veniat.

JOANNES episcopus ADALARDO episcopo Veronensi

Advertit plane prudentia tua quanto et quali circa se apostolatus noster flagret affectu, cum tuæ causa provectionis non modicum sumpserimus laborem, idoneum te Christi sacerdotem merito arbitrantes futurum, et spiritualem potius quam sæculi gloriam sectaturum, cum et ipsa nimirum nobilitatis suæ insignia, et sapientiæ specula, talia de te speranda tribuerunt; quod quia vindicare sibi virtutum nisibus et probitate morum sanctitatem tuam comperimus, Deo innumeras gratias valde gratulanter retulimus, et in hoc, quia, secundum Apostolum, *spes non confundit* (*Rom.* III), experimenta didicimus : et ideo in proximo, causa ecclesiasticæ simul et imperialis opportunitatis, certorum congregaturi episcoporum concilium, dilectionem tuam tanto conventui jubemus adesse. Accinge igitur sicut vir lumbos tuos, et assume tibi pennas sicut columba, et vola, et veni, et requiesce in sinu apostolicæ dilectionis, ita ut pridie Kalendas Decembris, præsentiam tuam liminibus apostolicis et nostris exhibeas prorsus obtutibus. Porro si hoc impossibile asseris, VIII Kalendarum Januariarum quod hortamur et jubemus expleri, si duntaxat ab apostolicæ sedis communione renuis prorsus arceri : dignum enim non est ut tantæ sapientiæ vir tanto procul cœtui sit. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data IV Nonnas Nevembris, indictione decima.

XLII.

AD CAROLUM IMPERATOREM.

(Anno 876.)

Laudat quod sedis apostolicæ legatos benigne exceperit, rogatque ut Ecclesiæ Romanæ prædones, qui missorum ipsius judicium latentes effugerant, requiri et coerceri jubeat.

JOANNES episcopus CAROLO imperatori.

Innumeras omnipotenti Deo grates et laudes referimus, qui cor pietatis vestræ, quod in manu sua consistit, tanta Spiritus sancti gratia replere dignatus est, quanto sollicitius vos sacras aures ad profectum Ecclesiæ nobis commissæ divinitus inclinantes, et apostolicæ sedis legatos, Leonem videlicet apocrisiarium et missum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, seu Petrum, venerabiles episcopos, nostrosque dilectos, ea benignitate qua soliti estis, et eo amplius suscepistis : et illa quæ vobis pro statu ac exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ suggesserunt, ad efficacem finem provenire jussistis. Vere enim, filiorum charissime, cor vestrum in manu Dei est, quia ejus consultu universa disponitis, et sapienter imperium vobis collatum moderari studetis : quia ex utero matris crevit vobiscum sapientia, et rectitudo fuit dilecta vestra amica. Et quia præconiorum vestrorum humana lingua fari non sufficit multitudinem, ad illa quæ de infidelibus nostris et vestris peracta sunt epistolariter adeamus. Vestris quidem, benignissime imperator, apprime eruditis viris et Deum

[a] In edit. Romana post hæc additur fragmentum, ut apparet, alterius epistolæ : « Gloria magnitudinis vestræ cognoscat quia Roffredus gloriosus comes monachus sancti Amantii B. Petro apostolorum principi (*hic aliquid deest*) tribuit. Cujus quoniam quasdam res Umfredus comes dicitur abstulisse, pietatis vestræ gloriam supplicamus ut pro amore sanctorum apostolorum principum easdem res reddi præfato monasterio præsentaliter faciatis quatenus fructus vestræ mercedis maneat in sæculum sæculi. Data ut supra. » MANSI.

timentibus, [b] Ansegiso videlicet reverendo archiepiscopo, et Adalgario venerabili episcopo, communibus quoque fidelibus nostris, juxta quod petieramus, pro honore atque utilitate sanctæ matris vestræ Ecclesiæ Romanæ a vobis directis, Romam pervenientibus, et quantum vobis justitia placeat, luce clarius agnovimus, et de affectu filiorum, quem erga nos conservatis, in Domino gratulati sumus : sed de infidelibus sanctæque Romanæ Ecclesiæ hostibus, quos pro multis sceleribus ac pravitatibus suis ovile Christi non recipit, huc illucque latitantibus, et nefandissimos actus suos tegere molientibus, non ut oportuit, neque sicut vestri voluerunt legati, de illis potuit adimpleri. Nam ut ita fateamur, a sibi similibus infidelibus vestris et inimicis nostris, quibusdam scilicet marchionibus, quos iidem vestri legati narrabunt, occultati et effugati, nec ad se percutientes reversi sunt, nec alios suæ malitiæ inquinamento contaminare desistunt. Proinde clementiam vestræ celsitudinis imploramus, et per futurum Dei judicium adjuramus, ut eosdem sanctæ Dei Ecclesiæ hostes atque prædones, sacrilegos quoque sive tyrannos, ac per hoc a Christi collegio synodice sequestratos, studiosius requiri jubeatis, et ad lugenda mala quæ imprætermisse hactenus operati sunt, sicut jam decrevistis, exsilio deputetis. Quia si ipsi qui tantum Dei Ecclesiam macularunt, impune jam vestram sanctionem diffugerint ; vel si, quod evenire non debet, in vestro imperio quibuscunque, quod turpe est dicere, contra vestram voluntatem eis favorem præstantibus, tam absolute discurrerint ; totum idem vestrum imperium coinquinabunt et omni Christianitati dispendium generabunt, quia cum sint ipsi oves morbidæ, totum gregem contaminant, et erunt novissima illorum pejora prioribus. Ideoque major morbus majori medicina curandus est ; ne si non debita vel quali decet austeritate vulnera magnum fetorem dantia radicitus resecata fuerint, totum corpus Ecclesiæ tabefiat, et nobis hæc sustinentibus ministerium nostrum exercere non liceat. Non enim Stephanum et Sergium ad nos fraudulenter venientes recipere noluimus, sed eos ad vestram venire jussimus majestatem. Cæterum, fili charissime, thesauros Ecclesiæ nostræ, ab eisdem nefandissimis raptos ac fraudatos, ita sciatis ab ipsis etiam celatos, ut per eos qui hic de suis satellitibus remanserunt, inveniri non possint ; illos vero qui noverunt ubi eos recondiderint, ne detegi possent, apud se callide retinent, et nisi ipsi capti fuerint, ubi sunt occultati nos nostrosque penitus latet, Verumtamen quid vel quantum ab uno et quantum ab alio , quantumque etiam in domibus eorum repertum sit, vestri jam dicti legati et scripto et verbis vobis, sit placet, edicant. Data XVIII Kalendas Decembris, indictione decima.

XLIII.

AD CAROLUM IMPERATOREM.

(Anno 876.)

Narrat calamitates Ecclesiæ illatas a Saracenis, et imperatorem precatur ut auxilium adversus eos mittat.

JOANNES episcopus CAROLO imperatori.

Quanta et qualia per impiam gentem patiamur Saracenorum , quid dicam quia scribere quilibet stylus non sufficit, cum omnia ligna silvarum, si vertantur in linguas, enarrare non valeant ? Quorum quia ex his quædam vestra jam didicit excellentia, prædisposuit exercitum suum ad hæc removenda cum valida manu dirigere. Quo nos audito, mox elevatis manibus Dominum collaudavimus, ejusque clementiam pro imperio vestro lætantes protinus exoravimus. Sed quanto, fili charissime, lætati sumus in his quæ dicta sunt nobis, tanto, heu ! tristati et amaricati, quia quæ dicta sunt rerum non sunt effectibus consummata. Reversi quippe sunt, ut audivimus, et solis paganis gaudium, nobis autem non nisi tribulationem inenarrabilem reliquerunt. Et ecce, proh dolor ! inimicis crucis Christi gratulantibus, solus fidelium cœtus magna mœstitudine consumitur. Christianorum sanguis effunditur, devotus Deo populus continua strage vastatur. Nam qui evadit ignem vel gladium, præda efficitur, captivas trahitur, et exsul perpetuus constituitur. En civitates, castra , et villæ destitutæ habitatoribus perierunt, et episcopi hac illacque dispersi. Sola illis apostolorum principum limina derelicta sunt in refugium, cum episcopia eorum in ferarum sint redacta cubilia, et ipsi vagi et sine tectis inventi, non jam eis liceat prædicare, sed mendicare. Ecce, charissime, pervenit gladius usque ad animam ; ecce dies in qua clamamus : *Beatæ steriles quæ non genuerunt* (*Luc.* XXIII); ecce illa periculosa tempora Pauli voce prædicta (*II Tim.* III). Libet ergo cum Jeremia clamare (*cap.* IX) : *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum*, ut plangam tantam ac talem miseriam, tale ac tantum excidium patriæ ? Sed et in tristitia, quin potius in ruina domina gentium, regina urbium, mater Ecclesiarum, consolatio tristium, portus periclitantium. Ecce, inquam, revera dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ. Præterito quippe anno seminavimus quidem, sed non recolligimus ; hoc vero anno, quia non seminavimus, nec est recolligendi fiducia. Quid de paganis dicimus, cum Christiani nihil melius operentur ? quidam videlicet ex confinibus et vicinis nostris, quos marchiones solito nuncupatis. Nam ut prophetice dicamus : *Residuum locustæ comedit bruchus* (*Joel* II). Et quid Saracenis incredulis , qui sunt filii ancillæ, forte relinquitur ab illis qui per fidem liberæ deberent existere filii ? Usque ad ter-

[b] *Ansegiso et Adalgario.* Missi ambo Romam a Carolo fuerant cum legatis apostolicis post synodum Pontigonensem. Aimoinus lib. v, cap. 33 : *Soluta est synodus. Postea imperator legatos muneratos apostolicos, Leonem et Petrum, remisit Romam, et cum eis Ansegisum Senonensem episcopum, et Adalgarium Augustodunensem episcopum.* SIRM.

ram depascimur. Quid enim illi faciunt, et isti pejora non faciunt? Illi terram occupant, isti cum Petro nihil ex civitatibus vel ex rure dimittunt : illi occidunt gladio, isti ablatis omnibus fame trucidant; illi in captivitatem ducunt, isti sibi in servitutem redigunt. Et cum quæritur quid adversus hostes dimicet inveniuntur nulli, cum scilicet eorum oppressione retenti, ad mandatum nostrum occurrere nulli prorsus inveniantur. Sed cum indique angustiati clamamus, non est qui audiat, non est qui adjuvet, non est qui salvum faciat, nisi tu, fili charissime et imperator clementissime, qui post Deum nobis factus es in refugium, et solatium, et auxilium. Quocirca totis præcordiis, totisque commoti visceribus, cum episcopis et presbyteris ac proceribus, totisque plebis nobis olim commissæ reliquiis deprecamur, jube tandem aperire aures, audire gemitum et singultus omnium nostrum, porrigere manum, et præstare opem patriæ periclitanti, civitati inter multas miserias et ærumnas jacenti, et huic Ecclesiæ matri vestræ, a qua non solum regnandi, sed et in Dominum unum et verum credendi exordium percepistis, quæque in ultimo, spreto bono et magno fratre, vos more Dei gratuita voluntate, tanquam alterum regem David elegit et præelegit atque ad imperialia sceptra provexit. Cogitate itaque, Dei cultor semper Auguste, a propheta præmoniti, si hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium? vel ubi relinquetis gloriam vestram? Perpendite quia si hæc humiliatur, non solum gloriam imperii vestri periclitabitur, sed et ipsa profecto Christianæ religionis cultura maxima ex parte peribit. Et idcirco talia scientes nolite, obsecro, jam differre, nolite de dei in diem induciis non profuturis abuti. Cum proverbiatore clamo, et cum Salomone vociferor: *Ne dicatis amico vestro, Vade et revertere, cras enim dabo tibi* (*Eccli.* IX); et alias: *Quod potest*, inquit, *manus tua facere, instanter operare* (*Prov.* III), etc. Nescitis namque, ut cum venia vestra dicam quid superventura pariat dies. Ita ergo, fili Christianissime, de hac Ecclesia nec non et patria velociter et prudenter excogitate et ordinate, ut saltem ipsæ paucissimæ reliquiæ salvæ sint quæ remanserunt, quæque quotidie catervatim gladio et præda dispereunt. Occurrite strenue, subvenite celeriter, et manu, consolationis vestræ ab oculis nostris tandem abstergite lacrymas, quatenus super illis et præsentialiter Deo propitio gaudeatis, et in futuro, frequenti ac laudabili relicta fama superstite, cum Christo perpetes in cœlestibus imperetis. Data XVII Kalendas Decembris, indictione decima.

XLIV.

AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

(Anno 876.)

Scribit intellecturum imperatorem ex Adalgario episcopo (cui pallium concedit) cur Ecclesiæ causa ex voto processerit. Taxat Ansegisum, et Adalgarii fidem commendat.

JOANNES episcopus CAROLO imperatori.

Laudabilem quidem intentionem et pium studium vestrum pro causa Ecclesiæ nostræ, matris videlicet A vestræ, fili charissime, viscerabiliter habitum et bene dispositum agnoscentes, innumeras Deo gratias, qui totius boni auctor et moderator est, quique docet hominem justitiam, gessimus; sed impedivit nos Satanas, et spes nostra frustrata est, cum non ad votum nostrum et commune propositum finis rei processerit. Qualiter autem; vel quo faciente, ita causa provenerit. Adalgarius sanctissimus episcopus, quem nos, vestri amoris causa ipsiusque morum probitate non immerito moti, palliatum ad vos ecce remisimus, a majestate vestra interrogatus, et per fidem quam vobis se illæsam servaturum pollicitus est, adjuratus edicet. Illud tamen nos interim ad memoriam vestram reducimus, quod nobis olim de Ansegiso et Lantberto specialiter quodam præsagio B futurorum, tanquam providus revera prænuntiastis. Est enim ita gestum ut prævidistis, et nil vos ante latuit quod postmodum intellectus nostri oculus non aspexerit. Non enim recto cum eo, sicut episcopum decuit, ambulavit; sed per versipelles anfractus incedens, multum a via rectitudinis deviavit. Quod cum exhibitum ad lucem veritatis exstiterit, penitus evasurum non credimus impunitum. Cujus scilicet certam rei poteritis circumstantiam procul dubio deprehendere, si, ut prætulimus, idem almifiicus vir sub testificatione vobis promissæ fidei adjuratus, vos latere noluerit. Sane nosse vos volumus, quia cum sæpe memoratum antistitem adeo cognovissemus vobis esse fidelem, ut crederemus nullis muneribus nullisque terroribus a suæ fidei erga vos habitæ sinceritate posse divelli, adhæsit animæ nostræ C salutis filius, et idcirco inter pontificium nostrum et imperium vestrum mediatorem illum fore decrevimus, ita ut quasi vocis utriusque sit organum, referatque vestra nobis, et quæ nostra sunt vobis annuntiet, ut lapis angularis habitus in Christo Jesu, qui ex pax nostra, et fecit utraque unum. Data XVI Kalendas Decembris, indictione decima.

XLV.

AD RICHILDIM AUGUSTAM.

(Anno 876.)

Rogat ut Romanæ Ecclesiæ suffragetur.

JOANNES episcopus RICHILDI Augustæ.

Quanto amore spiritualis filius noster piissimus imperator erga hanc sanctam matrem suam Ecclesiam flagret ex hoc manifestissime claret quod D causam illius apud se specialiter exsequendam et ordinandam in vestris proprie manibus collocavit. Cui enim congruentius et præstantius eam, quam præ cæteris spiritualiter diligit, oro, committeret, quam vobis quæ ab eo sic diligi jubemini, sicut diligi a Christo jubetur Ecclesia? Unde magnopere gratulamur de vobis tot audientes præconia, et cofidimus in Domino quia onera quæ portamus, tam a paganis quam a pessimis Christianis, vestri studii humeris alleviabitis, et eritis pro Ecclesia Christi apud pium conjugem more sanctæ illius Esther pro Israelitica plebe apud maritum (*Esther.* IX). Quia vero sæpe ad

Christianissimum conjugem vestrum semper Augustum diversis pro necessitatibus sive missos sive apices mittimus, ex hoc jam obsecramus et petimus, vos estote pro nobis ostium, lingua et manus : imo totum pro nobis sitis, advocatoris fungentes officiis, et omnia pro nobis in omnibus facite. Ita ut amici quidem et fideles Ecclesiæ hujus per vos apud apicem vestrum locum, apud vos inveniant aditum et salubre in necessatibus suis omnino remedium : e contra vero, inimici et infideles per vos confundantur et excludantur : quia et nos pro vobis apud omnes et in omnibus erimus, et præcipue apud beatissimos apostolorum principes Petrum et Paulum amatores et protectores vestros, ita ut paterno vos affectu semper fovere studentes, et tanquam spiritalem filiam dilectionis nostræ sinibus collocatam in Christo tractare ac tegere perpetuo satagentes, apud eos commendare assiduis precibus studeamus, et vestri memoriam ad sacrosancta corpora ipsorum semper deponere satagamus. Lætamus autem et jocundamur in Domino, quia beatam vos et felicem dicent omnes generationes ; quia pio committente conjuge tam salutiferum ministerium assumpsistis, per quod scilicet et in præsenti sæculo nomen bonum, quod est super divitias multas, et cœleste acquiretis inter angelos et non finiendum imperium. Data XVI Kalendas Decembris indictione X.

XLVI.

AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

(Anno 876.)

Commendat Wigbodum Parmensem episcopum.

JOANNES episcopus CAROLO imperatori.

Quia desiderandam nobis, et totis viscerum brachiis amplectendam dilectionem vestram nihil patimur ignorare eorum quam maxime quæ ad cumulum gloriæ vestri noscuntur culminis pertinere, operæ pretium duximus innotescere Wigbodum venerabilem Ecclesiæ Parmensis antistitem apostolorum adiisse limen et sedem, tam orationis voto quam inveniendæ per nos vestræ gloriæ desiderio ; cujus mentis arcana subtilius investigantes, nos plane minime latuisse fatemur quod et nunc sinceræ fidei erga pium imperium vestrum habendæ teneatur affectu ; et hoc jam olim procul dubio rerum effectibus demonstrasset, nisi sibi esset a piæ memoriæ priore principe causa talis injuncta, quam sine sui discremini floccipendere nequivisset. Unde rogamus, data venia, suscipite nunc illum ut mea viscera, quia et si forte quondam vobis erat inutilis, nunc autem vobis et nobis utilis : quamvis forte non sit dicendus inutilis, qui fidem ante promissam custodiens, simile circa vos servandæ fidei dedit indicium, præsertim cum sperans in Domino non perdiderit, si mutaverit, fortitudinem, dum scilicet nobis hunc informantibus, si quopiam contra vos usus est, pro vobis proponat jam totis viribus exercere. Unde non dubitamus illum se fortiorem erga fidei vestræ constantiam exhibendum, quam fuerit, quando contra imperium vestrum perhibebatur sentire. Ergo, clementissime imperator, quia ab infantia crevit vobiscum miseratio, recipite illum tanquam ab ipsa beati Petri apostoli patroni vestri confessione, et super eo mercedem habere contendite, non imputantes ei quod novissimus venerit : quia et bonus ille paterfamilias operarios undecimæ horæ pares fecisse describitur his qui tertia hora venere (*Matth.* IX). Sed et vos non minus diligitis militem qui promo quidem in bello terga dedit, postea rediens premit fortiter hostem, quam eum qui nunquam terga dedit, et nunquam aliquid fortiter gessit. Sed quid multa ? cum ecce nos ei apud pium imperium vestrum, fili charissime, fidem dicimus Ecce nos pro illo vadem offerimus : tantnm sic agat erga eum clementissima et seremissima pietas vestra, ut alii sub tegmen miserationis vestræ, hoc comperto, alacrius confluant, et per interventionem nostram quasi per immobilem pontem ad vos certatim transitum faciant. Siquidem hic in signum est ad apostolica tecta quoddam positus ; cunctos ad vos terrigenas aut bene dispositus invitabit, aut a vobis male tractatus terrebit. Nam difficile esse credimus apud pietatem vestram quemquam per alios obtinere, quod per Petrum et Paulum apostolorum eximos non poterit impetrare. Data *ut supra*.

XLVII.

AD ADALGARIUM EPISCOPUM AUGUSTODUNENSEM.

(Anno 876.)

Villam Tilionacum illi restituendam decernit, cæterasque possessiones Augustodunensis sedis confirmat.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo ADALGARIO sanctæ Augustodunensis Ecclesiæ episcopo ac per te in eadem Ecclesia in perpetuum.

Divinæ præceptionis monent cunctos eloquia ut quoties res aliena contra rationis ordinem a quoquam detinetur, æquitate debeat imminente restitui. Constat siquidem villam quædam Tilionacum proprietatis jure sancti fuisse quondam Leodegarii Augustodunensis episcopi, et ab eo sancto collatam Nazario, cujus vocabulo ipse honoratur episcopatus. Post vero cum a pravis hominibus longo tempore fuisset retenta et quasi in proprietatem eorum redacta, dilectus filius noster Carolus clementissimus imperator, super hoc subtilli examinatione habita, cum eam ad ejus Ecclesiæ Augustodunensis pertinuisse legitime cognovisset, et possessam primo ab ea, et postea pervasam a violentis hominibus liquido didicisset, hanc præcepto suæ auctoritatis ipsi episcopio reddidit et ab ipsius Ecclesiæ jus revocavit, cui scilice hanc superius nominatus sanctus Leodegarius olim contulerat. Et ideo, quia postulavit a nobis sanctitas tua ut jam memoratam villam secundum imperiale præceptum apostolicæ auctoritatis liberalitate aut privilegio Augustodunensi Ecclesiæ confirmaremus, inclinati precibus tuis, supernæ pietatis gratia suf-

fragante, prædictæ Ecclesiæ, cui fraternitas tua præesse dignoscitur, sæpe memoratam villam, sicut antiquitus fuit, denuo confirmamus, ut hoc quod suum fuerat, et redditum nunc possident, debeat sine cunctatione perpetuis temporibus possidere vel adhærere, hujus privilegii auctoritate confirmantes antedictam villam in præfato episcopio constituimus quod in ejusdem episcopii Ecclesia, de qua ablata fuerat, nunc reddita in ipsius domino sine ambiguitate permaneat. Non solum autem crebro dictam villam, sed et omnes quæ ejusdem Ecclesiæ vel modo sunt vel futuræ consistunt, in eodem episcopio confirmamus habendas, statuentes pontificali censura, sub interdictione anathematis futurique judicii, nulli licere hæc quæ a nobis tam super jam dicta villa quam super omnibus rebus ab eamdem vel habitis vel habendis promulgata sunt, aliqua temeritate violare vel conturbare aut repetere; sed potius stabilitate perenui inconvulsa permanere in eodem pio loco decernimus. Quod si quis autem, magnus vel parvus, adversus hoc privilegium auctoritate apostolicæ sedis munitum agere tentaverit, sciat se perenni judicio condemnandum et igni qui non exstinguitur mancipandum. Qui vero custos et conservator ejus exstiterit, æternis gaudiis perfruatur, et præmiis cum angelis in cœlestibus potiatur. Scriptum per manus Gregorii notorii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Novembris, indictione decima. Bene valete.

XL VIII.

AD URSUM DUCEM VENETIARUM.

(Anno 876.)

Gratias agit quod apostolicæ sedis monitis paruerit Episcopos ad synodum venire jubet.

Joannes glorioso duci Venetiarum.

Gratias gloriæ tuæ pro benigna devotione tua referimus, quam non solum verbis, sed et operibus erga nos studiose declaras, et frequenter ostendis : et ideo nos paterno circa te detinemur affectu; et in his quæ ad tuam tuorumque pertinere ac prodesse utilitatem cognoscimus, prompti et benigni semper esse curabimus, ita ut divinis præceptis sacrisque canonibus impedire intentionem et sanctionem nostram nunquam consentias; sed cum tibi de rebus ecclesiasticis quidquam injungimus, sicut devotus filius nos obaudias, et adimplere quæ dirigimus alacrir semper animo studeas, quoniam nos tanto in causis tuis, et ubi tibi opportunitas fortassis evenerit, promptiores tecum non esse ac benigniores invenies, quanto te nos nolle a mandatis Dei aliquo modo avertere manifestius viderimus. Nam tibi, charissime, tanquam familiari nostro familiariter scribimus, quia nullius mortalis amorem præponere Dei justitiæ possumus, qui nimirum Evangelium legimus, dicens : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* x). Veniant igitur episcopi ad synodum nostram, ut, ipsis nobis rei veritatem significantibus, causam fratris et coepiscopi nostri Petri illis præsentibus facilius diffinire-

A valeamus. Is vero qui valida infirmitate vel senectute gravatur, si ullo modo venire non potest, vicarium pro se strenuum mittat. Ille vero qui Constantinopolim ire refertur, si nondum abiit, nec abire cis Februarium mensem speratur, ab hac communi utilitate nullo modo se subtrahat; sed veniens veniat, ut omni litigio terminato, in Ecclesia Dei non nisi pax et tranquillitas perseveret Optamus gloriam tuam semper bene valere, Data VIII Kalendas Decembris, indictione decima.

XLIX.

AD FELICEM ET PETRUM EPISCOPOS.

(Anno 876.)

Felici et Petro sacris interdicit ob non exhibitum Grandensi archiepiscopo obsequium ; eosque sub excommunicationis pœna Romam ad concilium B *venire, et si impediti fuerint, vicarios mittere jubet.*

Joannes Felici et Petro episcopis Mandanaucensi et Equilensi.

Quam ingrati et inhumani fueritis erga reverendum fratrem nostrum Petrum Ecclesiæ Gradensis antistitem, in hoc maxime datur intelligi, in quo ille pro legibus paternis incolatum arripiens, nullum vestrum comitem suæ peregrinationis habere promeruit; præsertim cum ad limina sit apostolorum profectus, sedemque adierit, ubi semper catholicis subvenitur, et ubi plurimi sanctorum injuriam passi, petram, a qua Petrus nomen sortitus est, refugium invenerunt. Additum autem est huic rei, quoad majoris contumaciæ vestræ cumulum demonstrandum, C quia scilicet non solum cum illo stantes secundum prophetam, *Minime ex adverso ascendistis, et opposuistis murum pro domo Domini* (*Ezech.* XIII), sed quasi rebelles, rupto unanimitatis fœdere transistis ad hostes; et cum non sitis cum illo, facti profecto estis adversus illum, sicut Dominus ait : *Qui non est mecum, contra me est* (*Matth* XII) : in quo et ipsam bestiarum transcendistis sævitiam, parricidalibus adversus cum utentes consiliis; pro quibus omnibus apostolatus nostri vos Romam occurrere, et pro his et aliis quæ corrigenda duximus, satisfacere, non semel apicibus commonuimus, sed venire hactenus modis omnibus contempsistis. Quapropter vos a sanctis mysteriis interim celebrandis auctoritate summi pastoris arcemus, jubentes ut Idibus Februariis istius indictionis, si adestis, vel si duræ infirmitatis ponD dere non gravamini, synodo nostræ Romæ celebrandæ interesse inexcusabiliter maturetis; quatenus et ab objectis purgemini, te a capite, tam scilicet apostolica sede quam metropolitano vestro in nullo dividamini : *Ne*, quod absit, *circumveniamini a Satana*, qui videlicet semper dissensione gaudet : membra quippe quæ capiti non hærent, inter mortua deputantur; sicuti procul dubio vos, qui nec apostolicæ sedis, quæ est caput omnium Christi Ecclesiarum, decretis hæretis, nec affectui metropolitani proprii, et patroni atque magistri. Jam vero si Idibus saltem Februariis occurrere contumaciter parvipenditis, tandiu estote posthac omnis Ecclesiæ communione

una cum vobis faventibus alieni, quandiu venire ac satisfacere super quibus impetimini, non curatis. Ecce enim venerandos forte canones tenetis præ manibus, qui tales sanciunt non communicaturos donec purgentur. Porro si quisquam vestrum nullo modo se posse venire prætenderit, vicarium suum mittat, qui et mittentem se jurejurando excuset, et in synodo vicem mittentis adimpleat. Data Kalendas Decembris, indictione decima.

L.

AD DOMINICUM ELECTUM EPISCOPUM TORCELLENSEM.

(Anno 876.)

Invehitur in Dominicum electum episcopum, quod bis vocatus Romam non accesserit; eumque, nisi venerit constituta die, excommunicat.

JOANNES DOMINICO vocato electo Torcellensis Ecclesiæ.

Quia fama crebrescente Torcellensem invasisse dicebaris Ecclesiam, et semel et bis decrevimus te Romam venturum, ut coram posito fratre nostro Petro sanctæ Gradensis metropolitano antistite, una cum episcopis qui degunt sub ipso, facta super te discussione, rumor longe lateque respersus, aut innoxius patefactus absolveretur, aut comprobatus noxius damnaretur, venire modis omnibus constituimus. Unde merito a nobis fores damnandus, nisi erga te, petende nobis dilecto nobis Urso glorioso duce, minus severitate quam patientia uteremur. Verum quia eatenus non venisti, excommunicatum te jure a nobis esse cognosceres, in promptu habentibus, secundum Apostolum *(II Cor.* x), ulcisci omnem inobedientiam : verum quia nec sic interim contempti salutem tuam contemnimus, unde tertia ecce te vice vocamus, et Idibus Februariis præsentis decimæ indictionis nostro concilio Romæ adesse mandamus, ita ut si tunc non occurreris, tandiu sis cum faventibus tibi deinceps a nobis et a toto Christi corpore alienus, quandiu minus resipiscens, obedientiæ nequaquam jussis nostris colla submiseris. Porro, si in hac indisciplinatione permanseris, noveris deinceps tibi veniam denegandam, et secundum sanctos canones nil de absentia penitus lucraturum, et non solum communionis, sed et honoris jacturam anathemate perculsum sine fine passurum. Data Kalendis Decembris, indictione decima.

LI.

AD URSUM DUCEM VENETIARUM.

(Anno 876.)

Rogat episcopos qui Romam ad synodum evocantur, suis sumptibus alat; quibus, nisi accesserint, excommunicationis sententiam minatur.

JOANNES URSO duci Venetiarum.

Cum pro causa venerabilis fratris nostri Petri sanctæ Gradensis Ecclesiæ antistitis finienda, Dominicum vocatum electum, cui esses filium tuum sociandus [*pro* sociaturus, HARD.] ad apostolicam sedem mittere promiseras, nec tamen verbum veritas subsecuta est, valde mirati sumus : et quod non omni spiritui, nec in omni negotio credere, docente A Apostolo, debeamus, patenter advertimus. Exhibitio enim rerum præteritarum certitudo et futurorum. Quia vere idem frater et coepiscopus noster more majorum sedem apostolicam appellavit, imo alacriter adiit, obsecrans ut controversiæ quæ in inter se vertitur et prædictum Dominicum, utraque coram posita parte, finem legitimum imponamus : secundum quod se ratio habet, et jus canonicum dictat, rursus præcipimus, ut jam dictus Dominicus Kalendis saltem Februariis Romam nobis satisfacturus et sese purgaturus occurrat; ambitionis enim crimine denotatur, ac per hoc juxta sacros canones manifestum est confiteri eum de crimine, qui purgandi se occasione non utitur. Jam vero si dixerit se non venientibus episcopis venire non posse, noverit et B episcopos nos illius regionis occurrere præcipere et eumdem Petrum venerabilem Domini sacerdotem imitandum tribuere, qui cum metropolitanus esset, nullis comitantibus secum episcopis, memoriam apostolorum veniendo, sicut quondam sanctus Athanasius honoravit; verumtamen et ex episcopis duos venire decernimus, Felicem scilicet et Petrum, ut tantum negotium non sine præsentia regionis episcoporum hujus cognitionem habentium diffiniri quoquo modo videatur; ita ut si forte se Felix venire nullo modo posse prætenderit, vicarium suum mittat, qui et mittentem se jurejurando excuset, et in synodo vice mittentis adimpleat. Petrus autem, si adest, modis omnibus veniat, siquidem, ut pehibetis, Constantinopolim mittendi nec mos vester nos latet nec tempus. Matarius [*forte*, Maturius *et delendum* prius, HARD.] quippe prius huc venire ac redire ad propria poterit, quam mari mos et tempus accedat itineris. Præterea jubemus archidiacono ad C nos venire Torcellensis Ecclesiæ; similiter et Altinensis abbatem monasterii; nihilominus et archipresbyterum et archidiaconum, atque hujus æquivocum et nepotem Laurentium diaconum Gradensis Ecclesiæ, quo impræsentiarum super his quibus impetuntur, idoneam rationem canonicamque, si nocentes sunt, subeant ultionem. Quæ omnia ideo gloriæ tuæ nota fieri volumus, ut illi ad apostolicam sedem sanctamque synodum occursuri, liberalitatis tuæ adminiculis sustententur, sumptibusque locupletati laborem itineris facilius ac levius ferant, secundum pios principes, qui in talibus munifice semper erant intenti. Hos autem quos hac auctoritate D apostolicæ presentandos sedi decrevimus, quia tertio jam commoniti hucusque occurrere contempserunt, Romam diebus [*pro* Idibus, HARD.] Februariis fore venturos decrevimus, nisi forte instanter properare delegerint. Porro post Februarias [*forte*, post Idus Februarias, HARD.] tandiu sit unusquisque ipsorum cum fautoribus suis excommunicationis vinculis innodatus, quandiu ad sedem apostolicam non occurrens, nullam idoneam super se rationem regulariter exhibuerit; sciens se anathematis postmodum sententia feriendum. Data Kalendis Decemb., indictione x.

LII.

AD DOMINICUM ET LEONEM EPISCOPOS.

(Anno 876.)

Significat quosdam qui Romam ad concilium vocati venire neglexerant, se excommunicasse, nisi ad certam præstitutam diem venerint; hortatur ut quandiu illi abfuerint, eorum officia exsequantur.

JOANNES episcopus DOMINICO Olivolensi, et LEONI Caprensi, episcopis.

Sanctitatem vestram nolumus ignorare misisse nos Felici et Petro episcopis, et Dominico, qui vocatur electus Torcellensis Ecclesiæ, seu abbati Altinensis monasterii, atque archidiacono Torcellensis Ecclesiæ, nec non et archipresbytero et archidiacono, atque hujus æquivoco ac nepoti Laurentio diacono Gradensis Ecclesiæ, quia toties a nobis vocati ad concilium Romæ occurrere contempserunt, futuram excommunicationis sententiam et eum qui ex his tunc saltem venire distulerit, tandiu post Idus Februarias omni ecclesiastica communicatione privasse, quandiu in obstinatione propria perseverans, apostolicam adire sedem contempserit. Alios enim horum nostro concilio pro communibus Ecclesiæ utilitatibus volumus interesse. Quosdam autem, quia super quibusdam reprehenduntur excessibus, de his satisfacturos requirimus. Unde, fratres charissimi, vos in specula esse præcipimus, et si quidem prædicti episcopi, dextra Excelsi corda eorum immutante, ad concilium nostrum circa Idus occurrerint, ut prædictum est, Februarias, vos per ipsam regionem morati, quæ sunt veræ religionis peragite, ne quis sine perfectis Christianitatis sacramentis abscedat, neque pœnitens minus reconciliatus deficiat; et cætera illic interim definite quæ ad speciale pertinent episcoporum officium. At vero si pater inobedientiæ sic mentes eorum obsederit, ut obedire omnino despiciant, restat ut eo qui obaudierit benignius tractato, qui prænotato tempore ex his omnibus abfuerit, post excommunicationem noverit se anathematis gladio puniendum. Qua de re prævidimus hæc omnia nota facere vobis, ut ea scientes ad omnium notitiam perferatis, et hoc ad quod decrevimus exhortati magnopere studeatis. Quod si vos non audierint, *non enim*, ut Dei ad Ezechiel voce dicamus, *volunt audire vos, quia nolunt audire nos* (*Ezech.* III), habete illos, et habendos ubique modis omnibus prædicate, sicut Dominus præcepit haberi eum qui Ecclesiam non audierit (*Matth.* XVIII); tantumdem est si dicatur, sicuti nos eos haberi [*Edit. Rom. addit*, supra] decrevisse significavimus. Videte autem, ne persona vobis quælibet silentium possit imponere, ne, quod absit, tanquam idololatræ judicemini. *Est enim,* Samuele edocente, *quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere* (*III Reg.* XV). Si præterea Felix vel Petrus impedimento inevitabili prohibitus, non venerit, idoneum virum ex diaconibus Ecclesiæ suæ mittat per omnia vices suas supplentem. Jam vero si quoquo modo potuerint et noluerint, quia idcirco excommunicationis una cum tanti mali auctoribus sunt nexibus irretiti, non solum ab eorum vos communione prorsus arcete, sed et ab omnibus qui eis communicaverint (sunt enim pari omnes obligatione constricti). Optamus sanctitatem, etc. Data Kalend. Decembris, indictione decima.

LIII.

AD DELTUM EPISCOPUM.

(Anno 876.)

Ut vice apostolicæ sedis fungens Venetias pergat, et episcopos ejus regionis Romam ad concilium, sicut jusserat, venire faciat.

JOANNES reverentissimo DELTO episcopo.

Tuæ dilectionis sinceritati pastoralis officii nobis sollicitudine junctæ, quam in consortium nostri laboris asciscere decrevimus, cognitum facimus, quia Petrus reverendissimus Venetiarum metropoleos antistes, multis suffraganeorum suorum gravatus molestiis, et canonicæ constitutioni repugnantibus malis oppressus, delegit corde devoto sanctorum apostolorum Petri et Pauli ad limina properare, indeque salutis et optatæ consolationis opem percipere, ubi totius Ecclesiæ Christus Deus noster fundamentum locavit, et religionis atque justitiæ caput instituit. Et ideo querimoniis ejus aures clementiæ nostræ, litteris tam ipsi Ursa Venetiarum duci quam suffraganeis ejus episcopis, quorum sane inobedientia et temeritate canonicus vigor confusus, Ecclesiæ Dei potestas exinanita, et metropolitana dignitas corrupta existit, ut in conspectu nostro apostolicæque sedis præsentia, utriusque partis præsentia existente, liteque discussa, finem causæ debitum æquo imponeremus libramine, litteras nostras direximus; sed ipse dux excusationis verba potius quam quæsitas a nobis personas statuto tempore maluit destinare. Unde nolentes præfatum fratrem et coepiscopum nostrum absque consolatione debita relinquere, rati sumus te vice nostra illuc dirigere, quatenus divino fretus auxilio ea quæ prædicto fratri sunt necessaria prudenter peragas et cum Domini timore cuncta perficias. Has igitur apostolatus nostri litteras accipiens, pro utilitate et salute Ecclesiæ Dei ceu idoneus Christi miles laborare satage; quoniam dicente Apostolo (*I Thess.* II), labor noster non erit inanis in Domino; et si socii sumus laboris, erimus profecto et consolationis. Christo igitur duce, Venetiam perge, Ursoque duci epistolam destinatam tribue, eamque ut auribus audiendi audiat, instanter admone, ne statutis apostolicæ sedis resistere, quin potius humili corde obedire procuret. Alteram vero epistolam Felici sanctæ Ecclesiæ Equilensis episcopo, quem ad nos venire jubemus. Tertiam quoque Dominico Olivolensis Ecclesiæ et Leoni Caprensis Ecclesiæ, episcopis quos ibi manere volumus, eisque ut in his quæ Dei sunt te fideliter adjuvent, præcepimus, tribue. Quartam vero Dominico electo Ecclesiæ Torcellensis dare procura; eosque terribiliter obtestando atque jubendo easdem epistolas in conspectu totius Ecclesiæ et populi, teque præsente

legere facito : quibus nimirum perlectis tam eosdem episcopos supradictos, hoc est felicem [a] Matemautensem, et Petrum Aquilensem, episcopos, nec non Laurentium archidiaconum Gradensis Ecclesiæ, abbatem cœnobii Altinensis, archidiaconum Roscellensem, et archipresbyterum Gradensem, cum nepote suo Laurentio Romam in præsentiam nostram, ex nostra apostolica auctoritate Idibus Februariis, omni mora vel occasione postposita, secundum tenorem epistolæ nostræ venire præcipe. Nam si in prædictis Idibus venire quolibet modo distulerint, sciant se omni ecclesiastica communione esse privatos, atque anathematis vinculis innodatos, quousque nostris se obtutibus præsentare curaverint. Cumque omnia juxta nostræ præceptionis affectum pia et fideli devotione compleveris, ad Ecclesiæ tuæ revertere gremium, nobisque sub certitudine cuncta renuntiare non differas. Ut si de cætero aliqua super his agenda sint arbitrio solerti, ut cura debita sollicitius Deo propitio peragamus.

LIV.

AD LAMBERTUM COMITEM.

(Anno 876.)

Ut compescat sibi subjectos a malis quæ perpetrabant; quos si emendare non potuerit, minatur illos se excommunicaturum : legatis multa ei viva voce referenda se injunxisse significat.

JOANNES episcopus LAMBERTO comiti.

Ab olim, si recordaris, salutem tuam atque profectum desiderantes, et anima te salvari, et corporeis honoribus cumulari quæsivimus et optavimus. Et quia nunc multo amplius hoc quam prius, fili charissime, volumus, scias paterno affectu a nobis te diligi et ut spiritualem filium prorsus amplecti, quoniam honorem atque tuum profectum nostram gloriam esse putamus, et de tuæ prosperitatis augmento in Domino gratulamur : unde et tu non immemor nostri, rogamus, ut semper et ut his quæ volumus, et quæ nostrum de tuis hominibus pontificium pulsant, emendare nullatenus prætermittas; non enim speramus ut talia scias qualia ab eisdem tuis hominibus in nostris finibus perpetrantur. Quæ oportet gloriam tuam studiose inquirere, et, sicut condecet, pro Dei et nostro amore omni conamine emendare, quia tam hominibus S. Petri apostoli quam hominibus Guidonis tui homines, sicut fertur, innumera mala faciunt et rapinas multas exercent. Quæ rogamus statim emendare facias, et tibi subjectis ultra tale quid facere non consentias. Verum si id forte emendare te non posse fateris, ut cum pace tua dicamus, in pravos atque iniquos homines illos ob tui amoris dilectionem, tuo consensu adhibito, nostri apostolatus sententiam dabimus, et quousque resipiscant, a liminibus sanctæ Ecclesiæ sequestrabimus. Latores vero præsentium missos apostolicæ sedis, Acimundum scilicet et Walpertum venerabiles episcopos dilectos nostros ad tuam nobilitatem direximus, ut hi quod pagina reticuit viva voce loquentes edicant, et revertentes de tua benevolentia nos lætiores efficiant. Data XIX Kalendas Januarii, indictione decima.

LV.

AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

(Anno 876.)

Laudat ejus fidei constantiam erga sedem apostolicam : Adelgisii et complicum fraudes detestatur, suumque et aliarum Ecclesiarum auxilium contra Saracenos ei pollicetur, et hortatur ut in fide persistat, utque episcopum Surrentinum ad se mittat.

JOANNES episcopus GUAIFERIO principi Salernitano.

Gloriosæ nobilitati vestræ, quam spiritualibus ulnis amplectimur et dilectionis semper sinibus fovere non mediocrite anhelamus, condignas gratias agimus, quoniam in fidei petra statuens constantiæ pedes, nec fluminibus, nec ventis diversorum eventuum impetu potuit a stabilitate sua demergi, vel a nobis præstitis sponsionibus aliquatenus amoveri ; fundata enim est supra petram. Quæ autem de Adelgisii et complicum ejus prioribus ac modernis fraudulentis actibus indicastis, et ipsi veraciter sensimus, et sagacitatem tuam, ut se res habet, sensisse manifeste cognovimus. Erit autem eis ut Saul et Achab (*I Reg.* XX), et anima eorum pro anima inimicorum Dei, quoniam virum dignum morte dimittere minime formidarunt, nosque Deo favente cantabimus et psallemus : *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator* (*Psal.* VII) : et iterum : *Lacum aperuit, et fodit eum, et incidit in foveam quam fecit : convertetur dolor ejus in caput ejus,* etc. (*Psal.* XVII). Interim autem, quantum nos superna virtus adjuvare dignata fuerit, et in consiliis et in auxiliis vobis ferre præsidium non omittemus, sed piissimum filium nostrum semper Augustum ad adjuvandum vos tam per se quam per exercitum suum quantocius incitabimus. Simili etiam modo et alios quosque fideles et Ecclesiæ Christi amicos ad hoc ipsum excitare atque hortati studiosius procurabimus, atque omnia, sive quæ nos cogitare, sive quæ vos salubriter adinventa nobis intimare maturaveritis, gratulanter agere ingenti cum gaudio festinabimus. Interim autem *state in fide, viriliter omnes agite, et confortetur cor vestrum* (*Psal.* XXVI), non Insultam [in Sultam], qui Satan congruentius dicitur, sed sperantes in Domino : ita ut omnes a paganorum consortio subducatis, et vos ad pacem in invicem et concordiam unitatis in Christo Jesu Domino nostro : quidquid sane consilii vobis vel accreverit, vel salutiferum visum fuerit, nobis innotescere ne pigritemini, ut a libramine nostro vel tanquam salubre approbetur, vel si aliter cœlitus

[a] Supra epist. 30, Mandanaucensis est, et Equilensis. HARD.

revelatum fuerit, aliter et dispensetur. Etenim nos vestra damna nostra credimus, sicut e contrario lucra vestra nostra procul dubio deputamus. Episcopum interea Surrentinum sive per terram, sive per mare profectum, quia jam minus recepimus, haud parum moleste tulimus; et nisi ocius mittatur, molestius non immerito sustinebimus: at vero, si ad nos indifferenter fuerit destinatus, tunc magna et solita devotionis tuæ recognoscemus indicia, et pure profecto circa pontificium nostrum dilectionis tuæ sole clarius patebunt insignia. Optamus gloriam, etc. Data xv Kalendas Januarii, indictione decima.

LVI.

AD LANDULPHUM EPISCOPUM CAPUANUM.

(Anno 876.)

Ejusdem argumenti.

LANDULPHO episcopo Capuano.

Sicut de sanctitatis tuæ devotione ab olim erga hanc sanctam Romanam Ecclesiam habita gratulamur, ita de infidelium et de inimicorum malevolentia constritamur, nullatenus de omnipotentis Dei misericordia diffidentes, quod et tibi condigna recompensatio et illis repentina confusio maturetur. Verum, et condecet, reverentiam tuæ fraternitatis laudabiliter amplectentes, et gratias agimus, et ut in bono perseverare proficereque decertes, apostolica mansuetudine deprecamur: quatenus qui in illis regionibus et sanctitate decoratus et devotione prælatus es, sis etiam contra tortitudinem regula, et sicut hactenus fecisse probaris, contra infelices felicitas, et contra iniquos æquitas, atque lux contra tenebras; sciens illius qui de tenebris dat lucem splendescere, solatium nobis et vobis citius adfuturum, et nimis diu afflictæ Christi Ecclesiæ omnipotentem Dominum consulturum. Præterea quod de adjutorio, sicuti et ingens necessitas omnimodis postulat, a nobis conferendo deposcis, hoc et nos meditamur, hoc volumus, et divina gratia protegente, cito nos collaturos confidimus: quia jam calamitatem nobis commissi populi sustinere non possumus; jam devastationem terræ istius aspicere non sufficimus; tantumque dolemus, ut dici non possit, si omnes artus nostri vertantur in linguam. Quapropter vellemus, adhibito sanctitatis tuæ consultu, necessaria ad communem securitatem negotia prævidere: tamen præter id quod ad præsens difficile posse fieri, ut ita dixerimus, cernitur; cum primum se nobis posse præbuerit, quanquam imperialem exercitum nos cito habituros speremus, hanc ipsam necessitatem spirituali filio nostro serenissimo semper Augusto rursum significabimus, et ut quantocius nobis potenti virtute subveniat, humillimis precibus exhortabimur. Verumtamen *prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet,* orationes, *eorum exaudiet, et salvos faciet eos* (*Psal.* CXLIV). Data XIV Kal. Januar., indict. X.

LVII.

AD AJONEM EPISCOPUM BENEVENTANUM.

(Anno 877.)

Commendat eum de zelo erga sedem apostolicam, monet ut sibi adjumento sit in expellendis Saracenis, suumque fratrem ad idem faciendum impellat.

Reverentissimo et sanctissimo AJONI episcopo Beneventana,

Susceptis atque relectis litteris sanctitatis tuæ, gratias omnipotenti Deo retulimus, et pro tuæ devotionis affectu proque sollicitudine quam inquirendo de nostris eventibus habuisti, multum in Domino gratulati sumus. Decet enim, et omnino coram oculis divinæ majestatis exstat conveniens, ut hi quos fideliores erga sanctam matrem cunctorum, scilicet Romanam. Ecclesiam esse conspicimus, nostris affectibus, et si non per corpus, per spiritum amplectantur, et fraterna dilectione juxta merita singulorum tractentur. De hoc autem quod asseris, te de nostra sanitate lætari, sicut et contrario de oppressione Saracenorum tristari, optime quidem, ut ita dixerim, quantum foris est, tangis; sed quantum intus est, juxta tribulationem quam patimur, non advertis. Præcipue cum pro populi nobis commissi vastatione solum nobis supersit sepulcrum, et pro his qui nobiscum certare debuerant, et non solum inimicis Christi faveant, sed etiam nostrum laborem impediant, immensis angustiis æstuemus. Sed in his non solum nobis orationibus a vobis subveniri precamur, verum etiam quos a communi nostro certamine deviare cognoscis, et exemplo operis, et verbo prædicationis revoces, exhortamur. Cæterum licet nostro itiniri Neapolim, nobis pro maxima nostræ Ecclesiæ necessitate nuper advenientibus non adhæseris, tamen quod per præsentiam non egisti, per absentiam, si ille calor fidei in te viget quem credimus, agere prorsus valebis. Bene enim tuo ministerio cedis, si et laborem nostrum, quem valde debiles corpore pro liberatione Christiani populi tunc assumpsimus, opportune advertis, et tribulationis, quam modo patimur, memor semper existis. Nam nunquam consilium fratris tui per aliquos tantum subverti potuit, quantum per tuæ sanctitatis solertiam immutatione dexteræ Excelsi non possit convertit. Eia igitur, frater charissime, accinge episcopaliter lumbos tuos, et medullitus fratrum nostrorum, pro quibus Christus suum sanguinem fudit, neces atque dictu horrendam captivitatem perpende, et *insta opportune, importune* (*II Tim.* I), fratremque jam dictum monitis, imo verbis increpatoriis exhortare, ut nostros pios conatus sequatur, et pro Christianis nobis certantibus opem tribuat, voluntatem extendat, et opus te instante exibeat, et misereatur Deus. Quid nobis proficit Christianum vocabulum, si opere Christiano caremus? Quid prodest nobis cognovisse viam justitiæ, quando post cognitionem retrorsum conversi, cum inimicis Christiani nominis tam libere fœdera copulamus? Ergo, sicut diximus,

beneficiis sanctæ Romanæ Ecclesiæ tua sanctitas non ingrata nobiscum laboret, nobiscum pro salute populi Dei in illis partibus cooperatrix existat, et nostro certamini favens, sanctæ Romanæ Ecclesiæ se devotam nomine et opere semper exhibeat. Quia si tu, sicut potes, peregeris, nec fratris tui, nec alicujus hominis factum, nostrum opus piumque laborem, Christo juvante, apud vestrates ex toto dissipare valebit ; quin potius incrementum per Jesum Christum Dominum nostrum augebitur, et labor proficuus apparebit. Data Kalendas Februarii, indictione x.

LVIII.

AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

(Anno 877.)

Propter imminentia tum a Saracenis, tum a quibusdam Christianis, gravissima pericula, enixe petit ut promissa auxilia quamprimum mittat, et destinatos ea de causa legatos commendat.

Joannes episcopus Carolo imperatori

Cum nos in ecclesiasticis curis instantia quotidiana constringeret, et hinc inde populi nobis commissi continuus dolor, qui cuncta nostra interiora perculit, pertubaret, illud, ut ita dixerim, inter alia flevimus,, quod nunc usque tam per terram quam et navigio ad vos nostrum missum dirigere summo desideravimus studio, ut nobis vestram prosperitatem desiderantibus et anxie sitientibus renuntiarentur citissime sanitates, sed omnino nequivimus. Hinc fateor, fili charissime, tanta per utrumque iter impedimenta timuimus, quantum et per paganos et per iniquos Christianos, sine respectu divini timoris, generari mala, quæ ætas nostra non meminit, deploramus. Tanta enim sunt, ut intra mœnia Urbis reliquiæ populi innumerata paupertate affectæ consistant, et omnibus forinsecus devastatis ac in solitudinem redactis, nihil jam restet nisi, quod Deus, avertat, ipsius Urbis excidium. Sed et quantum nos Leo venerabilis episcopus, apocrisiarius et missus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, communis quoque fidelis, a vestro servitio rediens, de hoc quod a vobis retulit, post se vestrum exercitum contra Agarenos esse mittendum, lætificaverat, tantum hucusque eumdem nobis exspectantibus, quod consecuti non sumus, validior mœror et ineffabilis angustia contristavit, quia tota Campania ab ipsis Deo odibilibus Saracenis funditus devastata, jam fluvium qui a Tiburtina urbe Romam decurrit, furtim transeunt, et tam Sabinos quam sibi adjacentia loca prædantur. Sanctorum quoque basilicas et altaria destruxerunt, sacerdotes et sanctimoniales, alios quidem captivos duxerunt, alios autem variis mortibus necaverunt, et omnem Christi sanguine redemptum populum in circuiti deleverunt. Et qnid dicam? aut quid loquar? cum pervenerit gladius usque ad animam, et sanguis omnium de terra clamet ad Deum. Ergo præcellentissime Cæsarum, jamjam nostræ calamitati succurrite, jam populi nostri miserias relevate, jam vestræ potentiæ manum porrigite, et hanc ter-

A ram, cujus vobis necessitates ab ipso vestræ vocationis initio notas fecimus, liberate, ne si perdita fuerit, vestrum vilescat imperium, et totæ Christianitati noscatur dispendium. Reminiscimini igitur propter Deum, reminiscimini, quia multa spe et fiducia freti, divinitus et humanitus ab imperii gubernacula promerenda pro vobis certamina sumpsimus, nullique labori pepercimus. Ideoque vicem nobis rependite, ut spes et labor noster non sit inanis in Domino ; quia cum hæc fuerit semper apud vos summa nostræ petitionis, si amplius nobis auxilium vestrum subtraxeritis, in desperationem lapsi deficiemus, et forsitan in aliud consilium, resumptis aliquantulis viribus, necessario transcendemus. Non enim, sicut vos forsitan æstimatis, mediocre malum
B tota nostra Ecclesia patitur, minimis status reipublicæ damnis afficitur : sed alia Saracenorum incursibus, alia autem Christianorum ita sunt exterminata et devastata tyrannide, ut non nostra sint quæ nostra fuerunt : quin potius solo nomine omnibus illis utamur, et vel ad defensionem patriæ vel ad aliquam utilitatem nostræ Ecclesiæ, quorumlibet solatia nunquam inveniamus. Præcipue autem multi, quos vestra non ignorat majestas, non solum nulla nobis solatia conferunt, verum etiam quidquid residuum est a paganis, imprætermisse subtrahunt, et omnem nostram dispositionem in territorio Romano suis violentiis calcant ; adeo ut nec victualia nec ulla quadrupedia in omnibus nostris remaneant, nec ullum qui nobis compatiatur, vel nostros singultus aut gemitus doleat, oculi nostri aspiciant.
C Sed quia tanto imperatori pauca sufficiunt, et ex istis jam, fili charissime, quæ nos præ gemitu et afflictione cordis loqui non possumus, universa alia cognoscetis, quasi humo prostrati vestram magnificentiam deprecamur, et per futurum judicium deprecantes, cum tota nostra Ecclesia vestro divinitus protecto imperio totis viribus suggerimus, votisque supplicibus preces multas effundimus, ut contritæ et omni humano solatio destitutæ sanctæ matri vestræ Romanæ Ecclesiæ defensionem, debitamque tuitionem, cunctis remotis occasionibus, cunctisque omissis dilationibus, omnimodis præbeatis : quia cum jam juxta præcipitium consistamus, nisi manu vestræ defensionis, et necessariis nobis sicut præmisimus, imo sæpius exoravimus, quanto-
D cius opibus subvenire studueritis, spe vivendi per Christianos sublata, aut ipsis paganis subjiciemur, aut, quod avertat divina potentia, ab eorum multitudine victi, ad omnem Christianitatis interitum crudeli nece peribimus, ac per hoc et Christi nomen in gentibus blasphemabitur, et vestræ opinionis ante acta studia oblivioni trademur. Hujus rei gratia, sicut supra meminimus, opportunum adjutorium coferentes nobis vestrum exercitum ad hostilem expeditionem promptissimum destinate, aliosque Deum per omnia diligentes missos, qui vitiorum flammas justitiæ tramite usi compescant, nimia celeritate dirigite : quatenus qui innumeris tribula-

tionibus quatimur ac æstuamus, et pro populi nobis commissi miseriis cruciamur, vestris consolationibus refecti lætemur, et per vos tranquillitate percepta, optatam libertatem, sicut decet, per tam benignum imperatorem consequi mereamur. Postremo sublimitatem vestram deposcimus ut latores præsentium, Petrum scilicet atque Petrum venerabiles episcopos, missos apostolicæ sedis, nostrosque dilectos, juxta morem benigne ac pacifice suscipere non dedignemini, et ea quæ piis vestris auribus pro utilitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ in conspectu vestro retulerint, ad congruum ac opportunum effectum pervenire, pro sanctis apostolis vestris intercessoribus apud Deum, celeriter studeatis. Data quarto Idus Februarias, indictione decima..

LIX.

AD RICHILDIM AUGUSTAM.

(Anno 877).

Ut imperatorem conjugem suum ad opem Ecclesiæ quamprimum ferendam hortetur.

JOANNES episcopus RICHILDI Augustæ.

Multo peracto jam tempore, tam ad spiritualis filii nostri Augusti quam ad vestram invisendam clementiam missos apostolicæ sedis destinare desideravimus, quatenus et de utriusque sospitate lætiores efficeremur, et nobis commissæ, sanctæ scilicet matris vestræ, Romanæ Ecclesiæ calamitates atque oppressiones, quas a Christianis et ab iniquis paganis sine cessatione patimur, ad memoriam reducentes, ab eodem Augusto consolationem et optatam opem, sicut sperabamus tandem aliquando consequi mereremur. Sed omnium viarum aditibus a malis obsessis hominibus, plus nos compulit dolor lacrymas fundere quam locus pateret ad vos nostros missos dirigere : quia ex uno, sicut diximus, Christiani, ex alio pagani ita nos crudeliter persequuntur, ut solis mœnibus Urbis relictis, omnia in circuitu longe lateque consumpta habeant, et in solitudinem prorsus redacta. A quibus per tantum imperatorem relevari jam credebamus et recuperationem aliquam vel medelam adipisci summopere præstolabamur ; sed ecce pro peccatis nostris aliis negotiis implicatus, nobis hactenus distulit ferre præsidium. Et quia jam sustinere non possumus, gloriam vestram multipliciter deprecamur, ut vice nostra fretæ, sumatis in femineo sexu virile pectus, et pro amore sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quorum ita est devastatum terminum, ut magis libeat flere, quam dicere, tandiu apud piissimum imperatorem nostrum insistatis, quousque et contra paganos opem præbeat, et Christianos compescere gaudeat. Quoniam ideo illum tanto diademate ab olim quidem a nobis exspectatum ac præelectum decore curavimus, ut sanctæ Romanæ Ecclesiæ recuperatio et securitas, quam ademptam dolebamus, per pium studium ejus, quo semper fruebatur, rediret. Quapropter, charissima filia, per Deum vos adjuramus, opportune importune insistite, ut antequam in ipsa urbe Romulea aliud periculum, quod Deus avertat, proveniat, manum suæ defensionis exhibeat, et hanc terram, quæ sui imperii caput est, ad libertatem reducat, ne quando dicant gentes, ubi est imperator illius ? Quatenus et nobis spes evadendi, vivendique remaneat, et priusquam hiems vel ver transeat, contra eosdem paganos Romæ sint illius exercitus præparata subsidia. Alioquin aut omnino peribunt, aut coacti ut solam vitam redimere valeamus, eis qui nobis dominantur, quomodocunque subjiciemur. Data IV Idus Febuarias, indictione decima.

LX.

AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

(Anno 877.)

Mittit imperatori palmam, et a malis, quibus a Saracenis pravisque Christianis urgebatur expositis, auxilia petit.

JOANNES episcopus CAROLO imperatori.

Inter cætera quæ, vera crescente religione, ab olim ecclesiastica facta vestræ pietati duximus intimanda, virentium vobis palmarum ecce bravium mittimus, quod Apostolus non omnes qui currunt, sed unum propter unitatem legitime certantium accipere protestatur (*I Cor.* IX). Quapropter, fili charissime, quasi præsentes, incurvatis genibus et submisso capite, deprecamur et obsecramus, ut ita legitime celsitudo vestra in hujus sæculi stadio pro Christi Ecclesia currere, ita decertare contendat, ut non solum bravio victrix vestra dextera adornetur, verum etiam sacratissimum caput diademate gloriæ decoretur, imo pro visibilibus his et corruptibilibus, non tantum palmam, sed et coronam accipiat incorruptam. Sed, heu, clementissime imperator, ecce dum ad alia intenditis, mater vestra, sancta videlicet hæc Ecclesia, quæ vos spiritualiter, genuit, periclitatur et in novissimum devenit exitium : hinc inde non solum tabernaculis hanc Idumæorum et Ismaelitarum, et Agarenis quotidiano gladio et captivitate in interitum impellentibus, verum etiam falsis filiis Saræ, quos optime nostis, in prædam et direptionem miserabiliter immittentibus ; ita ut et illi sæpe usque ad muros Urbis quamvis clandestinis horis pervenerint, sed et Tiberinum fluvium, qui olim Albula dicebatur, juxta Sabinorum confinia pertransierint ; et isti qui nobis vicini sunt, ex altera parte ita sæviant et debacchentur, ut non hominem, non agrum, non jumentum, non pecus, non quidquam ex his quæ sancti Petri juris existunt, dimittere patiantur, sed omnia quæ oculo vident manu diripiant, et mala quæ cogitant sine mora perficiant. Hæc sunt, charissime, de innumerabilibus pauca, quæ mater vestra Romana, proh dolor ! diebus vestris perfert Ecclesia ; quasi non vos specialiter ex omnibus et præ omnibus amaverit, invitaverit et extulerit, vel quasi nos non vos, auctore Deo, in imperium coronaverimus, et vobiscum in omnibus, quasi cum sapientissimo Salomone, ut quondam ille fidelis Sadoch sacerdos (*I Reg*, I), adversus alterum ad omnia minime steterimus, nec cuncta quæ pro vobis debuerimus facere, feceri-

mus : ad extremum quasi non hodieque manui vestræ speciali voto et prærogativa plenam benedictione palmam, sicut et cernitis, destinemus adversus visibiles hostes et invisibiles triumphantem. Optantes enim vos de cunctis adversariis triumphare, nihil aptius vobis quam ramos palmarum duximus offerendum, quos et pueri sternebant in via Domino Hierosolymam venienti (*Matth.* XXII), antiquum hostem triumphaturo et mundum victuro. Sed dicuntur multæ vos impedire sollicitudines. Hoc plane nec nos ignoramus. Verum ut cum Domino fateamur (*Luc.* XI), et hæc oportuit facere, et illa non omittere. Nam vobis, qui in agone contenditis, ut ad bravium supernæ vocationis et ad capessendam coronam incorruptam perveniatis, ab omnibus aliis abstinendum est, et legitime, ut prædiximus, decertandum. Quid autem magis legitimum quam ut præ omnibus et ante omnia Romanæ curam habeatis Ecclesiæ quæ cæterarum magistra est et mater Ecclesiarum, quæ vestro in tempore tantis ac tam immanibus succumbit sine cessatione periculis. Denique si hæc Ecclesia, quæ caput est, viget, cætera membra, quamvis languida, recuperandi fiduciam non amittunt quæ nimirum omni robore carent, si contingat solum caput forte languere, quanto potius, quod avertat omnipotens, si contingat exstingui? Unde iterum iterumque totis singultibus totisque imploramus præcordiis, et per Christum Dei Filium suppliciter adjuramus, qui vos ad tantum provexit fastigium et imperium, vel nunc citatum extendite clementiæ brachium, et periclitanti patriæ, quin potius mundo, auxilii jamjamque porrigite dexteram. Ecce Petrus in commissis ovibus mergitur. Erigite ergo eas vos a fructibus, clementissime. Sic vos ipse ab excessuum alluvionibus erigat, et vobis cœlestis atria regni intercessionum suarum clavibus reseret, et vitæ æternæ pascua invenienda inter angelos sine termino tribuat, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit*, etc. (*Cor.* II). Data Idibus Februarii, indictione decima.

LXI.

AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

(Anno 877.)

Respondet, abbatem qui, nullo comprobato crimine, a regii cœnobii præpositura depulsus fuerat, esse revocandum; homicidam autem, et facinoris socium, ab omni præpositura pellendum.

Joannes episcopus Ansperto archiepiscopo Mediolanensi.

Laudamus sanctimoniam tuam, frater charissime, justitiæ zelo ferventem; sed in promotionibus sive antistitis, sive abbatis, nil profecto aliud gerendum possumus exhortari, nisi quod sacri canones sanciunt quos nulli sacerdotum licitum est ignorare, vel quidquam facere quod Patrum possit regulis obviari. Verum quia in utroque filii nostri semper Augusti interfuisse perhibetur assensus, ejus super hoc esse videtur exspectandus adventus: ad cujus cum tua sanctitas accesserit pietatem, credimus nil Ecclesiæ Dei præter paternas regulas illaturam. Moderatio quippe sedis apostolicæ, universalis Ecclesiæ dispositio, in hoc periculoso tempore pene cuncta dispensatorie moderanda compellit. Quamvis autem præsenti sit exsuli consulendum, nihil tamen est, non exstante ulla necessitate, contra canones Patrum agendum. Abbas autem qui, nullo comprobato crimine, a regii est cœnobii præpositura depulsus, ejusdem piissimi principis permissu, precibus nostris tuæ sociatis industriæ, revocandus est. Non autem solum homicidam, sed et socium homicidæ ab omni præpositura pellendum decernimus. Hæc perpaucis fraternitati tuæ scripsimus, ne sibi omnino rescribere supersedisse videremur. Cæterum, ut cum sancto Leone papa dicamus. Nos qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium diffinire, priusquam universa quæ gesta sunt veraciter audiamus. Si enim, ut ait Apostolus (*Gal.* III), mediator unius non est, qui sic unam partem audit, ut alteri parti nihil reservet [a]. Optamus, etc. Data III Kalendas Martii, indictione decima.

[a] Aliquid deesse videtur.

LXII.

AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI IMPERATORIS CONSTITUTOS.

(Anno 877.)

Monet ut imperatorem hortentur ad opem Ecclesiæ Romanæ celeriter ferendam.

Joannes episcopus omnibus archiepiscopis et episcopis in regno imperatoris Caroli constitutis.

Pristinis attriti miseriis et oppressi calamitatibus, dilectissimi filii nostri magni imperatoris Caroli, quasi de profundis ad Deum clamantes, tanquam ipsius Domini et Salvatoris nostri anxii exspectabamus adventum, et, ut ita dixerim ejus iteratum pro salute nostra credebamus imminere descensum. Sed, proh dolor! tot ac tantis circumdamur hinc inde periculis ut tædeat nos etiam vivere. Ecce enim Dominicarum ovium ab Agarenis, qui sunt filii fornicationis, necnon et ab his qui solo sunt nomine Christiani, aliæ gladio trucidantur, aliæ fame pereunt, aliæ vero in prædam et captivitatem ducuntur. Sed et pastores earum, reverendi episcopi profugiunt, et vagi huc illucque palantes omni penitus egestate tabescunt. Redacta est terra in solitudinem, et ablatis ab illa hominibus, ferarum saltus effecta est; civitates, castra et villæ subversæ, nec ubi earum fuerint ædificia, innuunt. Sed et venerabilia loca destruentes, altaria Domini suffoderunt, ministros et servos ejus occiderunt. Facti sumus, secundum Psalmistam, in derisum et contemptum his qui in circuitu nostro sunt (*Psal.* XLIII), dum illi aut vicinorum auxilio potiuntur, aut saltem pacto, secundum Apostolum, tempus redimunt, quoniam dies mali sunt (*Ephes.* III). Seminamus pedetentim, quamvis in lacrymis, nec recolligimus, imo jam nec seminandi facultas suppeditat. Sedet

in tristitia domina orbis, mater Ecclesiarum, magistra gentium, consolatio tristium, et non est qui adjuvet, non est qui consoletur eam, nisi tu solus, o bone Deus, et si non re propter iniquitates nostras, sed spe, quæ secundum Apostolum non confundit (*Rom.* v). Quæ, fratres charissimi, partim vobis significamus (nam si per singula scribere tentassemus, facilius nobis charta quam sermo deficeret) ut sicut unum corpus sumus in capite Christo, et alter alterius membra, ita nobiscum pariter condoleatis et compatiamini : quia *si quid unum patitur membrum*, ut doctor gentium ait, *compatiuntur omnia membra* (*I Cor.* xii) ; *et si compatimur, et conregnabimus (II Tim.* ii). Condolentes autem nobis et compatientes, accedatis ad Christianissimum filium nostrum, et consilium Domini ab eo non abscondatis ; suggerentes et exhortantes ut perpendat quis et quam terribilis sit ille, qui hunc ante sæcula huic præfuturum regioni prædestinaverit, et quam districte ab eo exacturus sit quod commisit : qui scilicet tam pretiosi sanguinis fusione quod credidit emit. Meminerit etiam quia et nos illum præ cæteris propinquis et æmulis ejus amavimus, elegimus et prætulimus. Unde et eum adversus omnes hostes Ecclesiæ non solum defensorem, sed et patronum et advocatum nostrum existere proposuimus : ut quod ei nos apud Deum esse satagimus, ipse inter homines pro nobis fieri non detrectet præcipue ut accelerans nobis subveniat et sine mora contra perfidos Christianos et infideles succurrat. In quo sanctæ fraternitati vestræ præ omnibus laborandum est : pro commisso scilicet sibi srcerdotali officio, et quia, ut cum propheta viridico fateamur (*Isa* x), si hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium, vel ubi relinquetis gloriam vestram ? Data iii Kalendas Martii, indict. x.

LXIII,

AD LANDULPHUM EPISCOPUM CAPUANUM

(Anno 877.)

Mittit legatos, ut Docibilis hypatus petierat : hortatur ut det operam una cum legatis, ut pactum cum Saracenis initum dissolvatur ; se quidquid ab eo constitum fuerit, approbaturum.

LANDULPHO episcopo Capuano.

Noverit industria tua nos tam Sergii magistri militum quam Docibilis hypati epistolas suscepisse : quibus cognovimus eos excusabiles se velle coram nobis reddere tentavisse super contracto infando fœdere quod cum Saracenis impie pepigerunt nec absolverunt, in tantum, ut gerulus earum referret jam fuisse diruptum, nisi dilectio tua pro reverentia nostri, nostrum in hoc exspectandum arbitrium judicasset. Quamvis nec hæc ipsa ex toto crediderimus, eo quod de his nullam tuam susceperimus. Verum quia nos prædictus Docibilis hypatus, ut missos nostros pro tanto bono et omni Ecclesiæ profuturo perficiendo, Cajetam mitteremus, obnixe rogavit, ne negligentia nostra diffamaret tantam humani generis salutem postpositam, misimus illuc

A Walbertum Portuensem, et Eugenium Ostiensem sanctissimos episcopos, dilectos et consiliarios nostros, ut sive cum magistro militum, sive cum missis ejus loquentes, pactum illud, quod perditionis est causa, dissolvi per omnia suaderent, in tuæ maximæ sapientiæ illos fiducia destinantes. Quapropter hortamur ut solertia tua tanto in hoc laboret quanto non solum a nobis codignam vicissitudinem, sed et ab ipso Deo et Domino nostro coronam se percepturam in cœlestibus non poterit dubitare. Admonemus itaque, *insta opportune, importune* (*II Tim.* iv), ut tam impio discisso fœdere, pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum *(Philip,* iv), nobis tandem cœlitus restituatur. Si qua vero inter hæc se ingerit inimica Deo contentio, tuæ sapientiæ

B manibus detergatur : nulla simultas, nulla rerum vel gloriæ cupiditas a tanto lucro atque profectu vos subtrahat ; quia, quidquid illud est, pacifice poterit post modicum dirimi, et cum charitate, nobis quoque mediantibus, diffiniri. Certet ergo, laboret et satagat industria tua, et in his vice nostra utatur ; quidquid agendum, quidquid communi ex placito fuerit construendum, vice nostra faciat atque constituat. Alacriter enim quod tua dilectio constituerit, et immobili placito fixerit, adimplere atque perficere procurabimus, nihil ut in hoc hæsitet dilectio tua magnopere commonentes. Prædictis autem missis nostris missos tuos indifferenter et absque mora Cajetam dirigere procurato, qui de his omnibus cum eis salubriter tractare valeant, et quæ sunt agenda perficere, Optamus, etc. Data Idus

C Martii, indictione x.

LXIV.

AD FROTARIUM ARCHIEPISOPUM

(Anno 877.)

Frotarium ab Ecclesia Burdigalensi a paganis devastata transfert ad Bituricensem.

Reverentissimo et sanctissimo confratri nostro FROTARIO, dudum quidem Burdigalensi, nunc autem Bituricensi archiepiscopo.

Ad hoc nos divina proviso supernaque moderatio Ecclesiis suis voluit præesse rectores, ut dispersa congregare et servare congregata summo studio procuremus, non solum [*forte,* et non solum. HARD.] earumdem Ecclesiarum sollicitudinem, sed ipsorum quoque rectorum habeamus industriam et

D exerceamus solertiam : quatenus sicut rectoribus destitutis Ecclesiis alios subrogantes consulimus, ita rectoribus vacantibus Ecclesias Domini committentes, providam curam nos earumdem Ecclesiarum gerere demonstremus : maxime his qui, cum robusti præliatores Domini sint, intra otiositatis angustiam arceri renuunt, et per hoc expeditus contra vitia certaminum exercitia quærunt. Quia igitur Burdigalensem Ecclesiam, totamque pene sub ejus habitam regimine diœcesim, ita paganorum frequentes gladii prædæque continuæ consumpsit irruptio. ut pene omne illic episcopale vacet officium, necessario prævidimus. Dei omnipotentis auctoritate,

beatorumque Petri ac Pauli apostolorum principum, A fraternitatem tuam, cujus vocatio defectus est fidei, et fere virtutum omnium detrimenta, in Ecclesia, Bituricensi, quæ vacare pastorali cura dignoscitur ab hac præsenti decima indictione præferre simul et incardinatam præficere, habito in eadem Bituricensi Ecclesia totius jure metropoleos ac diœceseos priscis temporibus a sacris canonibus præstituto, et in illa Ecclesia eatenus conservato : ita ut pastor ejusdem sanctæ Bituricensis Ecclesiæ, rector et antistes ex hoc revera dicaris, habearis, et Christo propitio percolaris, ea quæ Dei sunt jugiter agens, et utilitati proximorum semper intendens. Qui vero contra hujus apostolici privilegii nostri statutum, quod necessitate barbarica, et dispensatione cogente loci et temporis, exemplo etiam majorum protuli- B mus, agere forte tentaverit, divinis mysteriis tandiu privetur quandiu minime resipiscens, apostolico præcepto per frustra permanserit inobediens. Data, etc., indictione x.

LXV.

AD CAROLUM REGEM

(Anno 877.)

Monet ut bona ablata a monasterio sanctimonialium restituenda curet ; quod nisi intra sexaginta dies fecerit, et per legatum id sibinuntiaverit, vel causam cur non sint restituta, non reddiderit eum excommunicat.

JOANNES episcopus CAROLO [a] glorioso regi.

Cum generositatem tuam tanta claritas prosapiæ C regalis extollat, miramur et obstupescimus quomodo hanc tam sinister longe lateque discurrens rumor obnubilet, asserens et affirmans te Italiam ingressum ad monasterium accessise ancillarum Dei apud Brixiam constitutum ; indeque cum illic ipse morareris, tyrannice aurum ablatum, tam ipsius venerabilis monasterii, quam dilectæ filiæ nostræ Angelbertæ Dei cultricis, quod sibi ad ipsius præcipue cœnobii sustentationem procul dubio reservaverat. Unde mœrore vehementer afficimur, dolentes gloriam tuam ad tam immane sacrilegii genus dilapsam et instar cujusdam gentilis regis vasa domus Dei ad usus proprios inflexisse conatam (*Dan.* I). Atque ideo dilectionem tuam in Christi visceribus esse cupientes, monemus et sacris convenimus eloquiis cum Psalmista fatentes : *Nolite sperare in iniqui-* D *tate, et in rapinis nolite concupiscere* (*Psal.* LXI). Si qua ergo a prædicto pio loco, sive gloria tua sciente sive nesciente, ablata sunt, industria tua diligentissime requirantur, et inventa in eo sine mora sub omni integritate restituantur : ne, quod absit, si aliter egeris, et Deum contra te ad iracundiam provoces, et decus tuæ regiæ nobilitatis offulces, atque nos ad hæc severius secundum ministerium nostrum punienda commoveas. Denique nisi post lectam hanc nostri apostolatus epistolam, intra saxaginta dierum spatium, thesaurum illum sine aliqua diminutione reddere proposueris, ita ut missus tuus Romam in præsentiam nostram veniens, sive reddideris, sive nec reddideris, quidve hic agendum delegeris, veram et idoneam exposuerit rationem, eousque sis extunc excommunicatus, quousque ab omni te rapinæ communione reddideris alienum : durioribus deinceps te sciens verberibus erudiendum, si his interim levibus tactus resipiscere forte contempseris. Amamus enim te more paterno, et ab hac secunda idolorum servitute volumus scire liberum et immunem. Etenim *avaritia*, secundum Apostolum, *est servitus idolorum* (*Gal.* v). Optamus, etc. Data VI Kalendas Aprilis, indictione dicima.

LXVI

AD ENGILBERGAM.

(Anno 877.)

Consolatur eam ob mortem mariti, atque monet ut Carolo imperatori fidem servet, seque ejus intercessorem apud eumdem Augustum futurum pollicetur.

JOANNES episcopus dilectæ filiæ ENGILBERGÆ [b] Christo dicatæ.

Eo nos, filia charissima, nec alio circa dilectionem vestr m flagrare affectu noveris, quo fuimus, quo etiam olim persistere proposuimus : nescit enim dilectio vicissitudinum obumbrationem, nec defectum patitur, cum, secundum Apostolum, nunquam excidat (*I Cor.* XIII). Hujus rei gratia consolatoriis his et exhortatoriis prudentiam vestram litteris commonemus, ne deficiatis in tribulationibus, scientes, docente Apostolo, *quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem : spes autem non confundit* (*Rom.* V) ; *omnia enim quæ videntur, temporalia sunt ; quæ vero non videntur, æterna* (*II Cor.* IV). In his ergo configi, in his debes totis radicibus inhærere, charissima : unde sapientia vestra sanctos, qui patientia in mundo claritate quasi luminaria refulserunt, præ oculis habeat, et ita inoffensis ad palmam supernæ vocationis gressibus tendat, quam videlicet habituri sunt illi qui, oraculo Dominico imbuti, in patientia sua ponunt animas suas (*Luc.* XXI). Nihil enim inimica mors vel manus abstulit, quod vita, quæ Christus est et ipsius provida dextera in melius non transtulit atque restituit. Abstulit mortalem illa maritum, sed ista se-ipsam æternum contulit sponsum ; unde quæ terreni vocabamini uxor, Patris cœlestis jam regis multo præstantius dicimini conjux. Ademptum est corruptible diadema, sed præparatur incorrupta corona.

[a] Hic Carolus, qui Crassus nominatus est, postmodum imperator creatus, fuit filius Ludovici Germaniæ regis, Ludovici Pii nepos, Caroli Magni pronepos, ad quem nonnullæ infra scribuntur epistolæ. De quo Ado Viennensis in fine Chronicorum ; Regino, l. II Chron. ; Aimoinus lib. v, cap. 40 et alii.

[b] Engilberga uxor fuit Ludovici secundi imperatoris, ad quam aliquot infra scribuntur epistolæ. Ejusdem meminit Aimoinus., l, v, c. 28, et Leo Marsicanus, lib. I, cap. 38.

Remota sunt decoramenta quæ veterascunt, sed reposita sunt vobis ornamenta quæ non marcescunt. Et quid plura ? Pro ærumnoso et phantastico regno, percipietis felix et verum imperium : et revera hæc est immutatio dexteræ Excelsi *(Psal.* LXXVI). Verum cum sapienti vobis et quæ nostis de paucis plura pensare pauca sufficiant; his ita prælibatis, dilectionem vestram merito commonemus ut spirituali filio nostro Carolo piissimo imperatori puræ fidei ac sinceræ devotionis exhibens semper integritatem, omnes ad ejus mansuetudinem attrahat, et salubribus monitis inviolabilem ei fidem servare demonstret. *Non enim est potestas*, ut Apostolus ait, *nisi a Deo* (*Rom.* XIII). Et : *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (*ibid.*); nos autem, quia illum divinitus, ut credimus, acti semel elegimus, perpetuo tanquam B filium charissimum omni conatu diligimus, ita ut ipsius amicos et inimicos, nostros amicos et inimicos existere teneamus : si qua vero sunt vobis ab ejus clementia impetranda, per nos credimus, cum vobis libuerit, indifficulter obtinere valebitis. Quod et nos libentissime pro memoria priscæ benignitatis vestræ geremus, et idem pius Augustus pro Dei sanctorumque apostolorum, sed et nostri dilectione animo gratanti concedet. Optamus dilectionem vestram bene in Christo valere, dilectissima filia. Data VI Kalendas Aprilis, indictione decima.

LXVII.

AD WIGBODUM EPISCOPUM PARMENSEM.

(Anno 877.)

Hortatur ut quoscunque potest ad sanctæ Romanæ C *Ecclesiæ defensionem excitet, et ad se cum suis veniat, ut communi consilio Saraceni ab Italia expellantur : mittit desideratas epistolas, quas afferendas curet iis quibus scribuntur.*

JOANNES episcopus WIGBODO episcopo Parmensi.

Devotionis tuæ affectus non inscii grates condignas referimus ; quia vero sanctitatem dolere tuam cognoscimus pro eo quod a nobis nihil sibi laboris injungatur; nil esse noveris aliud nisi quia novimus te multis hujus temporis procellarum fluctibus irretitum. Verum quia nobis multa incumbit necessitas, et tua promptissima claret alacritas, hortamur ut quoscunque potes, et quomodocunque potes, ad defensionem hujus sanctæ principalis Ecclesiæ filiorum excites, incites, et prout necessitas urget, impellas : sed et ipse cum his qui tibi adhærent ad colloquium D nostrum accelerare ne pigriteris, quatenus communi consilio, auxiliante Deo, gens impia nostris eliminetur e finibus : hoc est quod exigimus, hoc est quod ante speciali voto deposcimus. Quæ vero de mittendis quibusque litteris nostris suggerere voluisti, votis tuis, prout temporis qualitas, et causarum dispensatio concessit, gratanter annuimus; et non solum hoc, sed et quæ possumus, tanto circa sanctimoniam tuam exhibere libentius volumus, quanto hanc præteritis illis in partibus constitutam alacrius et in- A stantius quæ nostra sunt exsequi contemplamur. Epistolæ autem ipsæ quibus missæ sint, superscriptio earum monstrabit, quas ipse procul dubio ad eos quibus directæ sunt facies asportari. Esto itaque fidus in nobis, et *viriliter age et confortetur cor tuum, et sustine Dominum*, et, *Accinge sicut vir lumbos tuos* (*Job.* XL), et accelera, ut dilectionem tuam superius commonuimus. Optamus sanctitatem tuam, etc. Data VI Kalendas Aprilis, indictione X.

LXVIII.

AD DOCIBILEM ET JOANNEM.

(Anno 877.)

Hortatur ut det operam ne Christiani fœdus eum Saracenis faciant.

JOANNES episcopus DOCIBILI [a] et JOANNI hypatis.

Devotioni tuæ pro labore fidei Christianæ quam excolis gratiarum actionibus persolutis, iterum et iterum exhortamur ut magis ac magis satagere et decertare, et cœptum laborem ad perfectam ducere actionem procures : ut Christiani nominis viri paganorum fœdera fugiant, et solum in Deum, qui eos creavit, et non in diaboli membra, quæ sunt filii fornicationis et vasa iræ, spem suam ponere discant. Quod cum egeris, salvabis animam tuam, et operies multitudinem peccatorum. Dicit enim beatus Jacob : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam a morte, et operiet multitudinem peccatorum* (*Jac.* V). Data V Idus Aprilis, indict. X.

LXIX.

AD PULCHAREM PRÆFECTURIUM AMALFITANUM.

(Anno 877.)

Monet ut fœdus cum Saracenis initum dissolvendum curet.

JOANNES episcopus PULCHARI [b] præfecturio Amalfitano.

Admonemus ut in omni virtute tua et sapientia tua labores atque decertes ut illi homines paganorum disrumpere pacta procurent. Quod si fecerint, nil vobis vel illis denegabimus eorum quæ rite facere possumus, et pro nulla causa vel homine nos a communi vestra et eorum salute seu auxilio separabimus, nec illos aliquando dimittemus. At vero si illi hoc facere recusaverint, et conspicis eos nobis de die in diem tantummodo velle illudere, saltem tu fac secundum consilium tuum, quod scilicet, inspirante Deo, ex prudenti corde salutiferum protulisti. Quidquid autem de his factum, vel non factum fuerit, aut faciendum exstiterit, tuis nobis vel missis vel litteris citius indicabis, ut quæ deinceps nobis necessario sunt agenda, facilius et expeditius agamus, præparemus et ordinemus. Data V Idus Aprilis, indict. X.

[a] De Docibile Leo, ep. Ostiensis, lib. II, c. 14.

[b] De Pulchare Leo, ubi supra.

LXX.

AD SERGIUM MAGISTRUM NEAPOLITANUM.

(Anno 877.)

Dolet ipsum sæpe monitum fœdus cum Saracenis solvere noluisse; præcipit ut tandem pareat; sin minus, minatur se iterum eum excommunicaturum; pollicetur, si fideles legatos miserit, benigne se suscepturum.

JOANNES episcopus SERGIO [a] magistro Neapolitano.

Dum verbi Dei semen in pectore tuo etiam per memetipsum post crebros missos et litteras seminassem, exspectabam non verborum folia, sed fructus operum promereri : sed quia super hac parte spes nostra frustrata est, cogor in vocem Domini per Isaiam prophetam adversus Israeliticam plebem prorumpere, clamans : *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci? an quod exspectavi ut* B *faceret uvas, fecit autem labruscas*? (*Isa.* v.) Verum quia, ut cum Apostolo dicam, *eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium est* (*Philip.* III); semel te tuosque adhuc admonere non abnuo ut ab infidelium consortio declinetis, et a tam profano tandem aliquando fœdere recedatis. Quod si nos audieritis, non solum bona quæ cupitis affluentius ex nobis habebitis, sed et magna præmia cœlitus assequemini; sin autem, non solum nos spirituali vos iterato gladio parcellemus, sed et hi qui non sine causa materiales gladios portant, cum sint sanctæ Ecclesiæ validi defensores et fervidi zelatores, cunctis adversis et prosperis conculcatis, adversus vos protinus arma corripient, et vindices contra vos impugnatores ejus celerius properabunt. C Quæ nos scientes, quia vos anima et corpore salvos reddere cupimus, hæc vobis denuntiamus et cavenda præcipimus. Cæterum miramur quomodo vos in litteris vestris, quas in ipsa paschali festivitate suscepimus, inculpabiles tentetis astruere, cum piaculum vestrum totus qui desertus est mundus, et sanguis de terra, qui effusus est, clamet : præveniente autem gratia Dei, cito credimus fore ut et vos resipiscentes a vinculo quo annexi tenemini, convenientius absolvamini, et de tua tuorumque salute ipsi cum cœlestibus choris pari gaudio perfruamur. Porro si missos destinatis fideles, quibus credere procul dubio valeamus, libenti eos et benigno suscipiemus affectu; et quidquid desiderio vel voto vestro cederit, gratanter administrabimus D fidentes, quod nil impossibile, nil allegaturi sint inconveniens : e contra vero si finetenus pacti jugum cum infidelibus ducere proponitis, scitote profecto quia, ut cum Apostolo fatear, *in virga veniam ad vos* (*I Cor.* IV). Data v Idus Aprilis, indictione decima.

LXXI.

AD EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

(Anno 877.)

Quæritur Neapolitanos cum infidelibus fœdus iniisse, nec ab ipso eorum antistite ad viam veritatis revocari. Quare hortatur ut ipse et illi resipiscant: præterea pollicetur se benigne suscepturum Neapoli- A *tani ducis legatos, si miserit, paratumque ad omnia se fore, quæ pro Ecclesiæ Dei utilitate perficienda retulerint.*

JOANNES episcopus ad episcopum Neapolitanum.

Relictis litteris tuis, quas cœpto jam paschalis festivitatis officio in die magno suscepimus, nihil quo lætificaremur, reperimus : unde ingens tristitia, et continuus dolor cordi nostro crevit, et multiplicatus nos vehementer affligit; quia populum civitatis vestræ, quæ olim Dei, nunc autem principis tenebrarum effecta est, derelicto penitus creatoris sui amore, videmus jugum cum infidelibus ducere : teque ideo fore obnoxium, quoniam in medio populi polluta labia habentis, pollutum et complicem habitare, nec toto annixu te velle murum pro domo Domini, sicut idoneum Christi athletam oportet, contemplamur opponere. Cum nos pro hujusmodi causa te ad tanti honoris culmen perducere procul dubio studeremus, quatenus te adjutorem et fidelem cooperatorem habentes, oves Domini de tam immani profundo quo ab humani generis inimico submersas et retentas jacere conspiciebamus, abstrahere atque ad superna relevare possemus, ut de illorum simul salute par apud retributorem omnium Deum pro communi certamine meritum haberemus. Sed ecce neglecta pastoralis officii cura, postposito divini timore judicii, cum illis quos aut corrigere et ad viam veritatis revocare, aut eos quasi gregem morbidum tot disciplinæ salubris verberibus castigatum, salutem propriam nolentem recipere, vitare, atque de medio eorum, sicut jam olim tibi ex divina auctoritate præcipimus, exire debueras, nec amplius cum prævaricatoribus et consortium infidelium habentibus habitare præsumeres, ut tuæ devotionis sinceritate manifestius apparente, reverentiam tuam, quam sacerdotii summi decoravimus infulis, in societate corporis Christi nobiscum haberemus conjunctam. Nos enim assidua quamvis corporis incommoditate tunc detenti essemus, volentes Neapolitanam civitatem, ceu populum Domini, et oves pascuæ ejus nobis in ipso apostolorum principe commissas cum omni devotione salvare, non recusavimus laborem, quin potius posuimus animas nostras in manibus nostris, Dominicaque voce admoniti venimus confirmare illos in beneplacito Dei, ceu fratres, et ut filios charissimos coram Domino adjuvare; sed obdurato ipsi corde, nostras preces et monita recipere atque ut aspides surdæ audire despexerunt; teque secundum eorum votum et desiderium antistitem, quod non merebantur, ordinare non prætermisimus, multis super hoc aliis et etiam bonis promissis, si nostræ voluntatis desiderium devota mente complessent : nunc autem vel illis incorrectis existentibus, et ad percutientem se redire nolentibus, vel tibi cum ipsis habitanti, et idcirco a divinis omnibus cum eis pariter sequestrato; quo pacto antequam resipiscentes ad viam salutis et justitiæ revertamini, parcere, aut a nexu ecclesiastici vos judicii valemus absolvere? Absolvite ergo

[a] De Sergio Leo, lib. I, cap. 42.

vos prius colligationes impietatis et fœdus impium quod cum inimicis Christi habetis compositum, et nos illico misericordiam, quam Deus noster Ecclesiæ suæ in Spiritu sancto dedit facere posse, nullatenus vobis jam conversis tribuere omittemus. Nam sicut vere satisfactionis confessoribus parcendum est, dicente Domino : *Cum conversus ingemueris salvaberis, et adhuc te loquente, dicam : Ecce adsum* (*Ezech.* XXXII) ; ita vero in scelere impio manentibus miserendum non est, quoniam misericordiam aliquam vobiscum ante fructum dignum pœnitentiæ facere omnino nequimus, eo quod misericordia sine controversia quæri debet, ut salus sit disciplinæ. Nam dicente sancto Gregorio (lib. II *in Ezech. hom.* 19) : Sæpe pietas per immoderatam misericordiam errare solet, si fortasse pepercit quæ parcenda non sunt. Peccata enim quæ feriri gehennæ ignibus possunt, disciplinæ sunt verbere corrigenda. Sed inordinata pietas cum temporaliter parcit, ad æternum supplicium pertrahit. Unde vobis resipiscentibus ne in futuro pereatis, parcere optamus. Præterea si frater tuus, Neapolitanorum videlicet dux, per suos idoneos legatos nobis optata et ea quæ oportet veraci relatu perficienda direxerit, eos gratissime recipientes, quidquid ratione sagaci retulerint, perficere pro Ecclesiæ Dei utilitate atque salute procul dubio parati erimus. Age igitur, et desudare pro communi prosperitate, imo pro salute tua et civium tuorum non desistas, arguens, obsecrans et increpans cum omni imperio, ut labor tuus fructum desiderabilem in domo Domini pro quo digne remunereris afferat. Data *ut supra.*

LXXII.

AD AJONEM EPISCOPUM BENEVENTANUM.

(Anno 877.)

Laudat ejus promptum ad Ecclesiæ defensionem studium : tum hortatur ut contra Saracenos opem ferat, et fœdus cum illis ictumdis solvendum curet.

JOANNES episcopus AJONI episcopo Beneventano.

Perspectis apicibus sanctitatis tuæ, quantum in te divini amoris ardor efferveat luce clarius recognovimus, et quantum erga sanctam Romanam Ecclesiam devotus existas nihilominus advertentes, pro tanta tibi benignitate multiplices gratias agimus, et sanctimoniam tuam ad nostri profectum certaminis dignis pollere successibus ab Omnipotentis clementia postulamus. Vere etenim, frater charissime, laudibus es extollendus, qui tribulationes nostras, quas pro populo nobis commisso patimur, quasi præsentes intuens, nobiscum gemens et dolens, ad has auferendas providum commilitonem et cooperatorem nostrum non indebite te velle esse in omnibus asseveras. Nec aliud itaque de tua sanctitate credimus, nec aliud suspicamur, nisi ut quamvis corpore absens sis, spiritu a nostris singultibus nunquam desis ; et quam dolendum sit quod fideles cum infidelibus tam perniciose junguntur, liquidius et ipse perpendas ; hujus rei gratia, quia multis studere loquelis, ne magis multiplicare verba quam gemitus videamur,

A non expedit ; præcipue quia tua fraternitas ipsos invisibiles mœrores nostros, sicut in litteris tuis conspicimus, non ignorat, per illum qui te sacerdotem suum constituit, tuam reverentiam adjuramus, suadentesque modis omnibus deprecamur, et auctoritate principum apostolurum, fraterno freti amore, præcipimus ut omnibus viribus tuis omnique posse tuo labores, tam scilicet cum germano fratre quam cum aliis Christicolis in hoc opem ferre valentibus, ut impia Agarenorum fœdera, quæ Neapolitani vel sui consocii cum inimicis Christi nominis inierant, Christo miserante quantocius destruantur ; et pax atque concordia fidelium per eumdem Christum Dominum reformetur, quatenus corpus sanctæ Dei Ecclesiæ, pro qua sanguis fusus est Christi, in suis B membris non laceretur, et quæ sit vera religio atque perfecta charitas agnoscatur : quia licet vos, vel omnis forte mundus mala quæ imminent lugeat, nos tamen tantum præ omnibus affligimur ac dolemus, quantum præ omnibus sollicitudinem atque curam regendarum Christi ovium nos suscepisse perpendimus. Ideoque quia plus omnibus laboramus, ut per vos labor noster usque ad effectum proficiat, specialiter deprecamur. Inter hæc autem charissimum fratrem quæsumus exhortare, ut epistolam nostram ad primum Græcorum illuc venientium cito transmittat, et suis cum deprecationibus moneat ut, omni amota occasione vel decem dromones in adjutorium nostrum statim dirigere nunquam omittat : quia nos, cooperante gratia Christi, tam cum charissimo filio nostro Lamberto glorioso duce, qui no- C bis in omnibus hæret, quam cum aliis Dominum timentibus desudabimus, ut et impium fœdus cum Agarenis habitum dissolvatur, et libertas vel aliquanta securitas Christiani populi renascatur. Postremo quia, sicut diximus, plus omnibus necessario laboramus, nullum laborem nullamque tolerabilem molestiam corporis recusabimus, quo minus adjuvante Domino pro tantis necessitatibus pro vobis cum præveniente Christo laborem nostrum viriliter insistamus : forsan omnipotens Deus, adhibitis tuis laboribus, tantorum pereuntium miserebitur, et dolores nostros auferens, fœdera cum iniquis paganis a vestratibus facta dissolvet ; ubi rogamus cunctis conatibus sudes, qui tanto de profectu tui certaminis lætari speramus, quanto te in hoc opere coope- D ratorem nostrum habere confidimus. Interim magnopere postulamus ut quidquid sive de dromonibus dirigendis, sive de impiis peccatis solvendis per tuam solertiam, vel per fratris tui obedientiam effectui fuerit datum, citissime nobis sancta tua fraternitas scriptis significare procuret. Data XV Kalendas Maii, indictione decima.

LXXIII.

AD GREGORIUM IMPERIALEM PÆDAGOGUM.

(Anno 877.)

Gratulatur imperatorem contra Saracenos classem ad Ecclesiæ defensionem misisse ; eumque ducem

constituisse : tum monet ut decem achelandia [a] *ad littora a piratis Saracenis expurganda mittat.*

JOANNES episcopus GREGORIO imperiali pædagogo.

Gloriam tuam hac apostolatus nostri epistola missa primitus exhortamur ut divinitus datas sanitates desiderabilis filii nostri Basilii tranquillissimi imperatoris nobis significes. Cupimus enim valde salutem ejus animæ simul et corporis semper audire, tanquam piissimi propugnatoris orthodoxæ fidei. Gratulati autem sumus audientes gloriam tuam directam cum Deo conservandis exercitibus a prædicto divinitus protegendo imperatore, in partes Beneventanorum venisse, tam quia, gratias Deo, ipsius divinitus provectum imperium in defensionem Christianitatis pio zelo succensum, classes et militarem validam manum contra inimicos crucis Christi mittere procuravit, quam quod te præ cæteris ad tantum opus cum Dei auxilio peragendum elegit, quem audivimus in omnibus strenuum et Dei cultorem industrium. De cætero credimus scire jam magnificentiam tuam qualiter quædam latrunculorum Agarenorum sagenæ occultis irruptionibus littora nostra devastent ; et quia palam ausum non habent, furtivis deprædationibus plurima huic sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ damna multipliciter inferant. Quapropter bene visum est nobis litteras nostras tibi transmittere, ut vel decem bona et expedita achelandia ad portum nostrum transmittas, ad littora nostra de illis furibus et piratis Arabibus expurganda : quod citius et sine aliquo impedimento agere poterunt, adjuvante dextera Excelsi, quæ principibus apostolorum intercedentibus concertabit et auxiliabitur illis ; in quo, mihi crede, gratum animum piissimo imperatori facies, si in hoc admonitiones nostras audieris, quia cum sit Christianissimus Dei amator et Ecclesiarum Domini fervidus propugnator, non poteris illum tibi gratiorem reddere quam si tantum hanc sanctam Ecclesiam per te studueris adjuvare, quæ prima Ecclesiarum magistra et caput est, maxime cum in hoc facto eidem a Deo protecto semper Augusto et in hoc sæculo gloriam et in futuro acquiras sine fine coronam. Deus omnipotens te et qui tecum sunt protegat, et contra inimicos Christi potenti dextera tueatur. Data xv Kalendas Maii, indictione decima.

LXXIV.

AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

(Anno 877.)

Nuntiat se Adelardum episcopum Veronensem excommunicasse, quod Nonantulanum monasterium invasisset.

JOANNES episcopus ad imperatorem.

Sacris vestræ imperialis clementiæ auribus, gloriosissime imperator Auguste, Adelardi Veronensis episcopi inobedientiam et temerariam præsumptionem, quam non solum in nostro contemptu, sed etiam in vestræ celsitudinis peregit injuriam, præsentibus referre apicibus jure curavimus et merito : A nam superna vos majestas sanctæ suæ Ecclesiæ nobis commissæ patronum invictum, defensorem potentem, et strenuum adjutorem concessit, ut in omnibus ecclesiasticis utilitatibus, unde perpetuam habere gloriam mereamini, quasi vindicem Dei habeamus ministrum. Igitur cum eumdem Adelardum episcopum venerabile monasterium Nonantulæ situm, quod pro Dei tantique loci reverentia, nullus unquam episcoporum vel judicum in beneficium quæsivit, timorem divinum parvipendendo, contra sacras præcessorum nostrorum nostrique privilegii institutiones, quibus de propria semper congregatione abbatem fieri jubetur, callide petiisse, ac per hoc illicita præsumpsisse, omnimodis reperissemus ; auctoritate apostolica eum excommunicare studuimus ; [b] B ut eaque ipse tenere canonicis eum correptionibus, prout nobis auctoritas apostolica suffragatur, procul dubio arguemus, ut digno verbere castigatus, et canonico nexu ligatus, obedientiam discat servare, qui absolutus ecclesiasticis atque canonicis noluit obedire præceptis. Data *ut supra.*

LXXV.

AD JOANNEM ANSPERTUM ET WAIPERTUM ARCHIEPISCOPOS.

(Anno 877.)

Ejusdem argumenti.

JOANNES episcopus JOANNI Ravennati, ANSPERTO Mediolanensi, et WAIPERTO [*f.* VALPERTO] Aquileiensi archiepiscopis.

Sancti magnique Nicæni concilii præcepta secuti, C quæ jubent (*can.* 12) regularem epistolam per unamquamque provinciam obtineri, ne hi qui abjiciuntur ab aliis recipiantur, fraternitati vestræ notum esse volumus Adelardum Veronensem episcopum auctoritate sedis apostolicæ privilegii communione privatum : quoniam cœnobium Nonantulæ, quod semper apostolicæ sedis, et nostræ ipsius auctoritatis privilegio munitum nullius invasionis usurpatione detinebatur, sed solius hucusque abbatis e gremio fratrum electi atque prælati moderamine regebatur, subripuit, suisque usibus, coarctaris extrema egestate monachis, applicavit ; et eatenus etiam post frequens interdictum nostrum opprimere, sæculariumque manibus dispartitum prodere non formidat, contra sanctorum Patrum regulas, nec non et adversus D apostolicæ sedis et totius sanctæ synodi sententiam, quam missis per singulas provincias litteris notam vobis omnibus fecimus, in communionem post nostram quoque prohibitionem per missos nostros, et apices sæpissime destinatam, passim recipit, et in cunctis pravitatibus ejus conscius et fautor apparuit. Excommunicavimus igitur prædictum Adelardum Veronensem episcopum, donec in præsentiam sedis apostolicæ veniens, de prædictorum excessuum qualitate idoneam satisfactionem coram positus exhibuerit ; quæ contempserit existens interim, existet per omnia communione jure privatus, pari vinculo

[a] Al. *chelandia*, quæ e navium militarium genere sunt.

[b] Deest aliquid.

irretiens omnes qui sibi communicaverint, vel contra interdictum nostrum ausu temerario faverint : unde vos cautos reddere volumus, si non vultis ipsi eidem secundum regulas sacras subjacere judicio. Optamus fraternitatem, etc,

LXXVI..

AD CLERUM VERONENSEM.

(Anno 877.)

Ejusdem argumenti.

JOANNES episcopus universo clero Ecclesiæ Veronensis.

Experientiæ vestræ notum esse volumus, Adelardum episcopum vestrum auctoritate sedis apostolicæ communione privatum, quoniam cœnobium Nonantulæ, quod semper apostolicæ sedis et nostræ ipsius auctoritatis privilegio munitum nullius invasionis usurpatione detinebatur, sed solius hucusque abbatis e gremio fratrum electi atque prælati moderamine regebatur, subripuit, suisque usibus, coarctatis extrema egestate monachis, applicavit, et eatenus etiam post frequens interdictum nostrum opprimere, sæculariumque manibus dispertitum prodere non formidat, contra sanctorum Patrum regulas, nec non et adversus apostolicæ sedis et totius sanctæ synodi sententiam, in communionem post nostram quoque prohibitionem per missos nostros et apices sæpissime destinatam passim recepit, et in cunctis pravitatibus ejus conscius et fautor apparuit. Excommunicatum igitur eum scitote, donec in præsentiam sedis apostolicæ veniens, de prædictorum excessuum qualitate idoneam satisfactionem coram positus exhibuerit. Quæ si contempserit existens interim, existet per omnia communione jure privatus, pari vinculo irretiens omnes qui sibi communicaverint, vel contra interdictum nostrum ausu temerario faverint ; unde vos cautos reddere volumus, si non vultis ipsi eidem secundum regulas subjacere judicio. Optamus vos, etc. Data IV Kalendas Maii, indictione X.

LXXVII.

AD LANDULFUM EPISCOPUM CAPUANUM.

(Anno 877.)

Monet ut sibi significet an Neapolitanorum dux fœdus cum Saracenis initum frangere velit, et det operam ut idem dux Gauferius et Pulchar una secum Trajectum se conferant, quo ipse est iturus ; paratum se ad ea quæ promiserat, et majori concessurum, si ipse dux in sententia persistat.

JOANNES episcopus LANDULFO episcopo Capuano.

Studeat sanctitas tua certissime scire si Neapolitanorum dux præsentialiter vult pactum Saracenorum irrumpere, et fœdere Christi, quod in regenerationis unda pepigit, vel a nunc, sicut debitum est, veraciter inhærere : et si quidem talem nunc animum habere cognoveris, hoc nobis præsentialiter indicato. Age ut idem dux Neapolitanus, et Guaiferius gloriosus princeps, ac Pulchar præfecturius ad Trajectum una tecum accelerent ; ubi etiam nos accedentes, quæ Deo sunt placabilia, statuemus. Parati enim sumus non solum quæ dicta sunt, sed et majora concedere, tantum ut ejusdem magistri militum sermo ita sit fidelis et stabilis, et omni certitudine præmunitus, ut securitas ex utraque parte firma maneat, et sine dubitatione certa persistat. Quod si quæ repromittunt aut adimplere nolle aut prolongare velle illos cognoveris, non tibi sit licentia hoc a nostra scientia occultandi, sed quidquid veraciter sine dolo per omnia indicandi. De his ergo stude præsentialiter nos pleniter ac citissime litteris tuis instruere, ut quod deinceps Deus dictaverit, cum ipsius auxilio sine mora incipere et perficere procuremus. De quibus ipse præ cæteris curam arripe, qui nimirum speciali prærogativa nostrorum viscerum præ cæteris foveris in antro. Data IV Kalendas Maii, indictione X.

LXXVIII.

AD PULCHARIM PRÆFECTURIUM.

(Anno 877.)

Ejusdem argumenti.

JOANNES episcopus PULCHARI præfecturio.

Si vere utique magister militum pactum Saracenorum proposuit rumpere, hortamur ut Trajectum cum inclyto socero tuo adeas, ubi quoque et nostra reperta præsentia, quidquid rationabiliter quæritur, quidquid necessarium seu possibile postulatur, gratantissime confestim admittet : sed et ampliora facere nullo modo recusabimus, ut omnes, secundum Apostolum, lucrifacere veleamus (*II Cor.* IX). In quo industria tua tanto sollicitius elaboret, quanto liquidius sibi per hoc cœleste præmium a Domino Deo tribui non ignorat. Alioquin adversus eum, quæ digne possumus agere, indubitabiliter et indifferenter exercere, Christo propitio, nullatenus omittemus Data IV Kal. Maii, indictione X.

LXXIX.

AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

(Anno 877.)

Auxilium contra Saracenos implorat, qui devastata Campania, omnia Romæ suburbana depopulabantur.

JOANNES episcopus ad imperatorem.

Divina ideo majestas excellentiam vestram præ cæteris elegit Romani imperii altitudine sublimare, augustalique voluit diademate coronare, ut Deo nostro clementer auxiliante potentiæ vestræ brachio triumphali Ecclesiam Christi voce supra petram veræ fidei fundatam tueremini semper, et ad immani crudelique paganorum infestatione, qui nos jam more latronum undique circumdantes omnia nostra igne gladioque devastant, pio mentis defenderetis intuitu. Sed quia nobis procul existentibus, tot dura et importabilia, pro quibus jam vestram augustalem imploravimus majestatem, supra modum quotidie patimur, quippe cum tota jam depopulata Campania nil habeamus, nilque nobis, aut venerabilibus monasteriis, cæterisque piis locis, neque senatui Romano, unde corporaliter sustentari possimus, remanserit : omnibus etiam Romæ subur-

banis adeo deprædatis, ut nullus in ipsis jam habitator vel cujuslibet ætatis incola videatur consistere. Pro quibus sane malis innumeris ingenti mœrore afflicti, doloreque turbati, nec somnum oculis, nec cibum opere capere possumus : sed pro requie laborem assiduum, et pro corporali dapium dulcedine mentis amaritudinem patimur. Idcirco vestram imperialem majestatem, totius sapientiæ luce splendide irradiatam, sancta Romana Ecclesia, quæ religioso vos utero genuit, meo quidem sermone, sed suo venerabili suppliciter nimis precatur affectu, ut omni dilatione remota, omnique ejus cura assumpta, nunc ad suam defensionem et totius patriæ liberationem adjutor clemens, defensor potens et salvator invictus venire dignemini, quia nisi vestra desideratissima nobis adfuerit præsentia, nullum defensionis auxilium nullumque necessariæ salutis remedium poterimus habere. Nos enim, cum omnis sedis apostolicæ ordine sacro, cum religiosis et Deum timentibus viris, pro vestræ gloriæ prosperitate, continuaque mentis et corporis salute, omnipotentem dominum, cujus est salus omnis et vita, totis deprecabimur nisibus, ut nec temporis fervor, nec loci natura insolita, nec molestia quælibet vestro insigni corpori nocitura contingat. Quamobrem nihil horum quæ sine Dei procul dubio non evenient nutu dubitantes, quin potius in Domini miseratione totis viribus confidentes, non solum corpoream incolumitatem, verum etiam et perpetuam animæ vestræ merebimini adipisci salutem et gloriam. Dignetur igitur piissima serenitas vestra, clementissime imperator Auguste, pro tantæ sedis liberatione tantorumque hominum Christi cruore redemptorum salvatione, nostras et Ecclesiæ nostræ preces audire, singultus prospicere et tanti gemitus lacrymas incessanter effusas attendere : quatenus more solito, et solitæ pietatis viscere nobis compatientes, opem consolationis citissime petentibus tribuentes, prout opportunum est, nos adjuvare satagatis, quia post Deum unica spes salutis et liberationis nostræ fiducia vos procul dubio estis. Ideo per vosmetipsos properantes, congruum et opportunum nobis præbere auxilium non differatis : ut et Dominus, qui elegit vos caput orbis, et dominum fecit, auxilium suum vobis de sancto mittere semper dignetur, amantissime fili. Data VIII Kalendas Junii, indictione decima.

LXXX.

AD ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

(Anno 877).

Præcipit ut cum suis suffraganeis ad concilium accedat.

JOANNES archiepiscopo Ravennati.

Quia jam ad periculosa pervenimus ab Apostolo (*II Tim.* III), quin potius a Domino prædicta, proh dolor ! tempora : *Surgit enim gens contra gentem, et sunt inter alia inimici hominis domestici ejus* (*Luc.* XXI ; *Mich.* VII) ; creverunt inopinabiliter mala, et non solum extrinsecus rabie infidelium barbarorum atterimur, sed et intrinsecus perversitate nequam A Christianorum afficimur. Verum quanto crebrescunt mala pravorum, tanto crescere debent bona rectorum. Quæ profecto fieri nequeunt, nisi per commune fratrum collegium in idipsum corpore simul et mente convenientium. Est enim Ecclesia Dei propter concordiam tuam visibilibus quam invisibilibus hostibus omnino terribilis, et velut *castrorum acies ordinata* (*Cant.* VI). Quapropter tam pro ecclesiasticis quibusdam necessitatibus, quam pro statu et pro correctione reipublicæ, auctoritate apostolica decrevimus reverendorum fratrum et coepiscoporum nostrorum, Italici regni universale, id est totius provinciæ, advocare concilium ; locum autem nusquam ad hoc gerendum aptiorem et faciliorum quam apud Ravennam undique confluentibus inveniri posse perspeximus. B Occurrat igitur alacriter cum suffraganeis suis, quos ipsa convenire commoneat ad designatam urbem sanctitatis fraternitas, et tanto deesse conventui, quem scilicet ibidem VIII Kalendas Julias, celebraturi sumus, nullo modo perferat, quo pullulantia in agro Dominico zizania communi studio radicitus amputentur ; et salubrium virtutum germina socio pro his certamine penitus inserantur. Fratres præterea et coepiscopos nostros qui sub beatitudine vestra degunt ad eamdem universalem synodum hortatu sanctitatis vestræ venire præcipimus. Quisquis autem occurrere sanctitati tuæ forte contempserit, canonicis se noverit increpationibus procul dubio submittendum, in promptu, secundum Apostolum (*II Cor.* X) ; nobis habentibus omnem ulcisci prorsus inobedientiam. Hanc vero apostolatus nostri epistoC lam vel exemplaria illius, beatitudo vestra in diœcesi sua omnibus indifferenter episcopis parare faciat, ne aliquod possit ab inobedientia excusationis, quod non expedit, velamen obtendi.

LXXXI.

AD ANSPERTUM ET ANTONIUM EPISCOPOS.

(Anno 877.)

Ut Ravennam ad synodum accedant ; quod nisi paruerint, minatur eos se excommunicaturum.

JOANNES episcopus ANSPERTO Mediolanensi archiepiscopo, et ANTONIO episcopo Brixiensi.

Quia diversis ac multiplicibus Ecclesias Dei nobis commissas incommodis perturbatas, rebusque propriis incunctanter privatas, et earum antistitum honorem diminutum fore videmus ; ipsarum, secunD dum Apostolum (*II Cor.* XI), sollicitudine quotidiana compulsi, necessario rati sumus pro illarum statu ac pristina redintegratione generalem, Deo favente synodum celebrare : quam secundum antiquam consuetudinem cum Romæ agere debuissemus, non recusantes tanti laborem itineris, pro suavitate tamen venerabilium confratrum nostrorum episcoporum, quos in consortium nostrum litteris missis ascivimus, octavum Kalendarum Juliarum, Ravennæ, auxiliante Domino, erimus procul dubio celebraturi. Ad quam videlicet fraternitatem vestram omni occasione postposita, omnique tarditate prætermissa, his præsentibus venire jubemus apicibus

quatenus communi multorum fratrum nostrorum consensu atque decreto, Ecclesia Dei nobis commissa propriæ dignitatis jura, quæ a quibusdam inique agentibus sunt usurpata, sub integritate recipientes, malorum omnium tandem securi effecti, ministerium pontificale, quod nimirum pro gregis Dominici nobis commissi salute, Deo largiente, suscepimus, ut dignum est glorificare possimus : quapropter iterato te sermone ad eamdem, ut dictum est, synodum venire præcipimus. Nam si præfato die ad ipsum venerandum concilium quoquomodo properare forte contempseritis, et pro Ecclesiæ Christi Dei nostri utilitate, quæ instanti tempore plurimum est necessaria, debitum nobiscum laborem sumere spreveritis, sciatis pro certo communionis nostræ in futurum nullo modo esse consortes, sed potius canonicæ auctoritatis censura, utpote transgressores improbos, feriendum atque damnandum. Optamus reverentiam vestram in Christo bene valere. Data VIII Kal. Junii, indictione decima.

LXXXII

AD URSUM DUCEM VENETIARUM.

(Anno 877.)

Inobedientiam accusat, et monetur episcopos Venetiæ ad synodum Ravennæ celebrandum accedere curet, et ipse quoque vel veniat, vel legatos mittat.

JOANNES episcopus Urso duci Venetiæ.

Multis esses nimirum justæ correptionis a nobis increpationibus submittendus, nisi apostolica moderatio circa te minus severitate quam patientia uteratur. Exceptis enim excessibus illis quos per inobedientiam prius contraxeras, ad extremum etiam legationem beati Petri indignam tuis oculis judicasti, cum hoc nec gentilis quisquam facile fecisse clarescat : maxime cum ea quæ dilectioni tuæ mittebamus, paterna essent monita, non inimici odientis verbera. Sed ista dissimulantes, innotescimus dilectioni tuæ nos octavo Kalendas Julias Ravennæ synodum totius Italiæ sacerdotum celebraturos; cui interesse volumus et marinæ Venetiæ antistites, qui adhuc superesse noscuntur, una cum personis ad episcopatum electis, et illis quas tibi jam per diversas epistolas significavimus. Quapropter bene profecto facies, si eos ad prædictam venire synodum non impedieris, sed modis omnibus incitaveris. Non enim ruinam eorum cupimus, absit ; sed illius statum reformare provinciæ, et quidquid inter eos et metropolitanum quæstionis et controversiæ vertitur, canonice diffinire. Itaque indubitanter veniant, et tam sancto numerosoque fratrum deesse nullo modo patiantur collegio. Non enim, mihi crede, in aliquo minorati, quod avertat Dominus, sed potius augmentati, Christo propitio, ad propria revertentur. Sin autem communi omnium decreto, cum Ecclesiam non audisse claruerint, erunt procul dubio quemadmodum sacrosanctum de hujuscemodi præcipit Evangelium. Illud autem ipse pro certo scito quia nihil pro ullo mortalium imminui Ecclesiæ tuæ cupimus ; sed decus et genium tuum veluti specta-

A bilis, et Deum timentis viri, conservari volumus et optamus. Unde monemus ut et ipse ad nos Ravennam proficisci ne pigriteris : sin autem, saltem virum quemquam industrium nobis gloriæ tuæ injuncta legatione fungentem dirigere non detrectes Data VI Kalendas Junii, indictione X.

LXXXIII.

AD PETRUM ET LEONEM EPISCOPOS VENETIÆ.

(Anno 877.)

Ut Ravennam ad concilium proficiscantur, in quo componendæ sunt controversiæ quæ cum metropolitano nonnullis intercedunt.

JOANNES episcopus PETRO et LEONI episcopis Venetiæ.

Universale tandem aliquando nos celebrare concilium multiplex et multifaria nos Ecclesiarum ne-
B cessitas cogit ; et ideo pro hac moderanda vel dispensanda, octavo Kalendas Julias hujus indictionis, totius Italiæ apud urbem Ravennam convenire jussimus sacerdotes, ad quorum videlicet sacratum collegium, pontificio nostro mediante, vestram quoque sanctitatem occurre commonemus, una cum his qui loco sunt episcoporum decedentium subrogati. Et illis nihilominus quos, Urso glorioso duci et vobis scribentes, nostris sæpius et expressius significavimus syllabis, atque, ut absolute regulariterque fateamur, omnibus qui se læsos existimant : quos generaliter auctoritate apostolica sanctitas vestra secum properaturos advocare profecto debebit. Itaque, fratres, indubitanter accedite, ut præter communem utilitatem quæ in synodo est procul dubio
C componenda, quidquid inter fratrem et cœpiscopum nostrum, Petrum videlicet metropolitanum vestrum et prædictos, controversiæ vertitur, canonicum finem accipiat, et pax et tranquillitas Ecclesiis vestris, sicut condecet, reformetur. Non ergo, charissimi, tam sancto numerosoque fratrum deesse collegio patimini, quia nos, mihi credite, nullius vestrum casum exquirimus; absit. Verumtamen nisi ad hanc saltem præsignatam universalem synodum accesseritis, communi cunctorum sententia canonicis legibus subdemini, et pro tanta inobedientia merito puniemini. *Est enim*, Samuele sancto docente, *quasi peccatum ariolandi, repugnare ; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere* (*I Reg.* XV). Data VI Kal. Junii. indict. X.

D

LXXXIV.

AD AQUILEIEUS.

(Anno 877.)

Quæ de eo sinistre ferebantur, in generali concilio canonice terminanda significat.

Ad AQUILEIUS (*f.* Aquileiensem).

Novimus vestram beatitudinem a nonnullis de quibusdam sinisterius diffamari, quod profecto in synodali est conventu [*f.* integrius] interius et perspicacius ventilandum, et secundum sui qualitatem, regulari censura modis omnibus finiendum. Sed credimus, divina favente gratia, vos coram positos ita insontes inveniendos, ut veritrs exagitata non de

vobis cœni, quod absit, sed unguenti commoti jucundum reddat odorem; nisi forte absentia procurata vera quæ dicuntur de vobis comprobet, et pœnam merito irroget: quæ si adesset, magistra justitia forsitam retulisset. Data XI Kalendas Junii, indictione decima.

LXXXV.

AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

(Anno 877.)

JOANNES episcopus GUAIFERIO principi Salernitano.

Quia Neapolitanorum ducis legatos secundum ipsius et vestra scripta præstolati, nec contemplati sumus, iterato excellentiæ tuæ scribere cogimur, ut illum a perfidis separatum, piis sanctæ matris Ecclesiæ gremiis restituamus. In quo quia jam plurimum laborasti, industriam tuam item itemque laborare fine tenus exhortamur. Quod si iniquam colligationem statim dirumpere præparatur, cum hoc certissime scierimus, per nosmetipsos ad Trajectum properabimus, et hoc quod quæritur et quodve jam promissum est etiam, amplius libentissime largiemur, clariori duntaxat certitudine ac fidei veritate inter utramque partem composita; ubi quoque tuam sanctissimique Landulfi antistitis, et prædicti ducis nec non et Pulcharis gloriosi præfecturii adesse præsentiam cupimus. Et ut agatur solertiam tuam satagere flagitamus. Quod si adeo idem dux secundum duritiam suam et cor impœnitens thezaurizat sibi iram in die iræ (*Rom.* II), ut aut protelare aut penitus suæ ipsius et multorum salutis causam contemnere velit, et hoc ipsum statim cognoscere cupimus: quoniam nobis nec humanum, nec divinum deficiet prorsus consilium et auxilium; quod plane reddere ei secundum opus suum et secundum fructum adinventionum suarum.... toto corde desiderant, in adventu illius exsultent: quia et omnipotens Deus blandus justis et terribilis apparebit injustis. Vestra itaque dilectissima charitas devotissimam se super hoc nobis exhibeat, et quousque vires suppeditant, laborare non cesset, ut dum vestris hortatibus hæc nostra postulatio ad effectum pervenerit, dignas vobis gratias referamus, et apud sanctos apostolos in orationibus nostris memoriam habeamus. Data III Kalendas Junii, indictione decima.

LXXXVI.

AD CAROLUM IMPERATOREM GEILONEM ABBATEM TORTUTIENSEM EJUSQUE MONACHOS.

(Anno 877.)

Cellæ, Godith, a Desiderio principe fundatæ sua jura confirmat; quibus addit immunitatem ab omni episcopali jurisdictione anno Christi 877.

JOANNES epipcopus, servus servorum Dei, spirituali filio nostro gloriosa CAROLO imperatori Augusto ac GEILONI inclyto abbati dilectisque filiis in Trenorchio monasterio sanctæ et intemeratæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ, atque pretioso confessori Christi Filiberto largito, sub regula sancti A Benedicti degentibus nunc et futuris temporibus.

Postquam enim auxiliante Christo, Ecclesiæ cœpit origo, semper impiorum flatibus agitatur. Sed quia nostris temporibus alis imperialibus sustollitur, nos, in quantum valemus, apostolicis auctoritatibus confirmare debemus. Proinde juxta petitionem filii nostri præcellentissimi imperatoris Caroli, privilegium hujusmodi auctoritatis nostræ eidem monasterio vestris futurisque temporibus indulgemus, concedimus atque confirmamus, ut sicut ipse gloriosissimus filius noster, per deprecationem Desiderii principis, cellam quæ vocatur Godith in pago Vallavensi, in loco qui dicitur Valiis Augusta, loco prædicto necne præscriptis sanctis, cum villis ac facultatibus seu stipendiis concessit, et præcepto suæ auctoritatis B roboravit atque privilegio fratrum et filiorum nostrorum episcoporum illarum regionum confirmari fecit: ita sicut in eadem charta nobilitatis quam fecit Desiderius, et præcepto filii nostri Caroli continetur, inconvulsa permaneant: ut nullus regum, nemo antistitum vel abbatum, seu quilibet quacunque præditus dignitate, de his quæ in hoc privilegio vel in præceptis ipsius filii nostri Caroli continentur, quidquam exinde minuere vel auferre præsumat; sed cuncta quæ præfatæ ecclesiæ Godithi oblata sunt vel offerri pontigerit, inconvulsa et illibata permaneant. Constituimus alia auctoritate beati Petri, ut ecclesia in valle prædicta constructa, et in honore Salvatoris, ejusque Genitricis dicata, immunis habeatur ab omni dominatione terrena, quia injustum decernimus ut gloriosa mundi Regina, quæ C cum Filio juncta, exaltata est super choros angelorum, humanis subdatur potestatibus. Anathematizamus, igitur, ut nemo antistitum locum sibi vindicare audeat, seu qualibet occasione absolutionis, atque excommuuicationis, vel sacræ ordinationis adire præsumat, nisi ab abbate loci, vel a monachis ibi Deo servientibus fuerit invitatus. Cæterum ab omni sæculari persona decernimus esse liberum et quietum, ut in præceptis filii nostri Caroli continetur. Si quis autem temerario ausu, magna parvaque persona, contra hoc nostrum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innocasum, et a regno Dei alienum, et cum impiis æterno incendio condemnatum. Scriptum per manum Anastasii notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ D Ecclesiæ, in mense Junio indictione quinta [decima]. Bene valete. *In plumbo Joannis papæ.*

LXXXVII.

AD ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

(Anno 877.)

Certum præscribit diem quo Ravennæ cum omnibus suis suffraganeis adfuturus sit; quod si quis parere contempserit, excommunicationem illi minatur.

JOANNES archiepiscopo Ravennati.

Iter quod pro dissolvendo fœdere olim a Neapolitanis cum Sacracenis inito Trajectum fecimus nos a prætinito die synodi retardavit, sed quia auctor

Deo, ipso discisso, quies aliqua reddita comprobatur, ecce de itinere scribimus nos certissime sexto decimo Kalendas Augustas Ravennæ futuros, ubi sanctitas tua per se cum omnibus suffraganeis suis episcopis, quos ipsa convocare debet, adesse duodecimo Kalendarum Augustarum, omni remota excusatione, procuret; ut communi tractatu communia Ecclesiarum exorta zizania generaliter evellantur. Si quis autem in hac parte collegium vestrum putaverit declinandum, communionis nostræ a se noverit consortium modis omnibus adimendum: nobis procul dubio, secundum Apostolum *(II Cor.* x), in promptu habentibus ulcisci omnem inobedientiam. Data *ut supra*, indictione x.

LXXXVIII.

AD EUMDEM.

(Anno 877.)

Scribit se jussisse ut omnes Italiæ episcopi, et præcipue Venetiarum, ad synodum Ravennæ celebrandam accedant.

JOANNI [a] archiepiscopo Ravennati.

Scire volumus gloriam tuam pro multis necessitatibus sanctæ Dei Ecclesiæ, sicut jam te non latere credendum est, undecimo Kalendas Augustas istius decimæ indictionis, Ravennæ, gratia sancti Spiritus suffragante, synodum nos cum confratribus et coepiscopis nostris instituisse fore modis omnibus celebrandam. Ac quam sicut nos, multis utilitatibus omissis, nec laborem quidem itineris, nec intemperantiam aeris recusantes, occurremus [*edit. Rom.*, occurimus]; ita omnes hinc et inde volumus antistites advenire, ut quidquid in sancta Dei Ecclesia perperam per zizaniorum satores crevisse dignoscetur, hoc communi tractatu per nostrum commune studium radicitus exstirpetur. Idcirco tuam nobilitatem ignorare non patimur quod episcopos Venetiarum et electos vocatosque episcopos vacantium sedium ad eamdem synodum, sicut jam eos vocavimus, occurri et iterato decreverimus, ut inter reverendum quoque metropolitanum vestrum et vos omnis altercatio discutiatur examinetur, et coram sancta synodo canonice terminetur. Alioquin tam a nobis quam a sancta synodo, si inobedientes jam toties per epistolam vocati exstiterint, tanquam contemptores synodicam sententiam incurrere merebuntur: quia cum sit illinc Ravennam brevior via, de labore itineris excusationem habere non poterunt. Data XIV Kalendas Augusti, indictione decima.

LXXXIX.

PRIVILEGIUM MONASTERIO ET XENODOCHIO PLACENTINO CONCESSUM.

(Anno 877.)

[Apud Campi, *dell' Hist. eccl. di Piacenza,* p. 463.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, ANGILBERGÆ dilectæ filiæ imperatricis Augustæ, et per te tuo venerabili monasterio Placentiæ noviter constructo in perpetuum.

Omnibus quidem juxta petentibus apostolica sol-

A licitudine, præcipiente Domino, favere debemus, præcipue tamen devotioni tuæ, dulcissima ac spiritualis filia nostra Angilberga, olim imperatrix Augusta, quam merito honor atque reverentia sancta mater nostra Romana Ecclesia, ut dilectissima et principalem prolem amplectitur semper et refovet. Quapropter monasterium, xenodochium quod ad honorem dominicæ resurrectionis, et BB. apostolorum, et martyrum Bartholomæi, Sixti, et Fabiani prudenti provisione a fundamenti nuper Placentiæ ædificare voluisti, laudabili complectimur desiderio, paternoque affectu... Apostolica illud auctoritate ratum ac stabilitum perenniter instituentes, et ut ab omni impulsione, atque inquietudine quorumlibet infestantium beatissimi Petri tuitione illæsum semper
B et inconcussum, Domino protegente, permaneat; hoc etiam omnimodo providemus et stabiliter decernimus ut universa quæ ibidem in rebus mobilibus et immobilibus, intus forisque in familiis utriusque sexus, cunctoque ornatu ecclesiastico, atque omni suppellectili semel Domino a vobis distributæ sunt, futuris temporibus inconvulsa in eodem sacrato loco persistant omnium penitus diminutiones vel invasione sopita; in eis etiam familiis, quas ob redemptionem, animæ vestræ prudenti respectu libertate donastis, vel in reliquum donaveritis, simili modo nos vobis favemus, aspiramus, et apostolicum præbemus assensum, quatenus et illi secura libertate potiti, et gratia Dei duce sempiterne suscipiant gaudia vitæ. Consecrationem pono abbatissæ loci
C ipsius, ut filia devota petisti. Mediolanensium archiepiscopo concedimus, vel Aquileiensi qui secundum vocem Evangelii per ostium, et canonice ingressus fuerit, cuique etiam reformandæ pacis studium delegamus cum moderamine disciplinæ, si, quod, absit, humano more obortum fuerit ibidem discordiæ malum. Etsi aliqua pro tempore necessitate malignantium gravedo impulerit, licenter hoc ad sedem apostolicam referre mandamus, ut quod rectius, et præstantius fuerit judicii sui libramine diffiniat, sopiatque opprimere suprafatum venerabilem locum. Inter hæc Paulo venerabili episcopo, qui ejusdem urbis placentinæ præsulatum gerit, præbente consensum, ut clerici cujuscunque ordinis ad numerum duodecim in eodem sancto loco jugiter deserviant, missarum solemnia celebrantes, servato
D duntaxat in eos episcopi proprii regulari respectu, vocatione scilicet synodica et ordinatione consecrationis, ita tamen, ut in dicto cœnobio et xenodochio rebusque ipsorum nullum se noverit a modo et deinceps jus potestatis habere; neque etiam ad missas celebrandas juxta Patrum instituta, nisi invitatus, adveniat. Decimus vero juris, vestri, quas propter Dei amorem vestrorumque bonorum recordationem devote atque libenter jam dictus episcopus suprataxato venerabili loco largitus est volumus ut absque refragatione tam ipsius quam et sucessorum ejus, velut ipsa instituisti sacro xenodochio perpe-

[a] Forte, *Joannes Urso Venetiarum duci*, ut significat vox illa *gloriam tuam*, quam et in epistola. HARD.

tualiter habeantur. Insuper statuimus vobis, et auctoritate apostolica stabilimus, ut juxta quod nostri præcessores suis tibi privilegiis concessisse et roborasse videntur, universa quæ olim divæ memoriæ Ludovicus serenissimus imperator et vir tuus per suam munificentiam augustalibus apicibus tibi dum adviveret, contulisse probatur, seu etiam ea quæ ipsa postmodum imperialibus largitionibus, vel etiam quibuslibet justis acquisitionibus, emptionibus vel commutationibus in proprios, sive jam dicti monasterii tui usus acquisisti, seu in posterum acquisitura es; simulque et ea quæ ad supplementum ejusdem sacrati loci, et tam regum quam aliorum quorumlibet fidelium donatione vel liberalitate, nunc vel posthac addita fuisse comprobatur; eodem tenore et ordine quo tibi vel tuo prænominato cœnobio advenerunt, illibata et inviolata atque inconcussa permaneant et secundum tuæ ordinationis statuta persistant. Et si quis, quod non optamus, contra hæc statuta in Dei omnipotentis oblata vel concessa servitium agere tentaverit, vel quippiam horum infringere temerario ausu voluerit, excommunicationi submissus omni ecclesiastico consortio careat, et nisi se continuo a tali nequitia corrigat, et resipiscat, sancti Petri nostrique apostolatus auctoritate anathematis vinculo innodatus reus in futuro judicio permaneat, et pro excessu suæ tantæ transgressionis cum Juda traditore infrunitus, atque rebellis sancti spiritus sententia, qui semper fictum et mendacem effugit, noverit se habiturum portionem in gehenna ignis æterni. Scriptum per manum Leonis notarii regionarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Augusto, indictione decima. Bene valete. Kalendis Augusti per manum Joannis episcopi, missi et apocrisiarii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno nostro Carolo, a Deo coronato, magno imperatore secundo, et post consulatum ejus anno secundo, indictione x.

XC.

AD TICINENSEM EPISCOPUM.

(Anno 877.)

Archiepiscopalia insignia utenda concedit cum facultate vocandi ad suam synodum archiepiscopos Ravennatensem et Mediolanensem.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo JOANNI S. Ticinensis Ecclesiæ, etc., in perpetuum.

Supernæ miserationis ad hoc regiminis curam suscepimus, et apostolicæ miserationis sollicitudinem gerimus, ut juste precantium votis libenti animo habeamus, et libramine æquitatis cunctis in necessitatibus positis subvenire debeamus. Nam summæ sedis gerentes auctoritatem, de venerabilium locorum stabilitate, quantum ex divino adjutorio possibilitas datur, satagere debemus; hoc namque studio et divina placatur clementia, et laus atque utilitas Christi Ecclesiæ procuratur. Igitur postulante a nobis tua reverentia, quantum ea quæ ad stabilitatis integritatem et ad profectum honoris sanctæ tuæ pertinere noscuntur Ecclesiæ, cui ex divina largitate præesse dignosceris, enucleanter perficere studeamus, inclinati precibus tuis per hoc nostrum apostolicæ auctaritatis privilegium confirmamus tibi successoribusque tuis omnia privilegia tam sacrorum pontificum quam gloriosorum Augustorum præcepta, quæ pro honore sanctæ tuæ Ecclesiæ, et rerum omnium mobilium et immobilium stabilitate collata sunt; nec non et apostolica censura statuimus ut secundum sacros canones, Spiritu Dei conditos, clerici vel sanctimoniales, aut viduæ sub tua tuæque Ecclesiæ cura et sollicitudine stare debeant, nullusque tam sacri ordinis præditus honore quam etiam sæcularium minister dignitatum, quocunque modo eos easque ad publicum pertrahere judicium, aut ob hoc res illorum illarumque in bannum ponere præsumant; sed æquo judicio specialique præsentia tua successorumque tuorum de quibuscunque causis vel negotiis quæ secundum temporis qualitatem acciderint, justitiam judiciumque faciant. Sancimus etiam ut monasteria quæ intra tuæ diœcesis fines consistunt, sub tuo et eorum qui tibi successerint jure canonico permaneant in perpetuum videlicet, et consecratione abbatum vel abbatissarum, et in eorum earumque criminum discussione; ita sane ut nulli in eisdem venerabilibus locis, quoties opportunum fuerit, sine tua tuorumque successorum providentia atque consensu fiat electio, sicut canonica jubet auctoritas, salvo scilicet in omnibus sedis apostolicæ privilegio speciali; harumque tenore præcipientes ut monasterium S. Donati, fundatum a Luitprando episcopo, decessore tuo, in loco qui dicitur Scogialo, cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus secundum testamenti sui seriem collatis, et aliud monasterium S. Mariæ positum in Cariata, quæ juri Ecclesiæ tuæ procul dubio et pertinere videntur, te sucessoresque tuos perpetuis temporibus juridictionem tenere habereque decernimus, et quamvis in alienis parochiis consistant, apostolica jubemus auctaritate in omnibus quæ ibi agenda vel ordinanda erunt, liberam sine alicujus contradictione habeas potestatem; presbyteros vero et monachos prædictorum omnium cœnobiorum ad tuum canonicum, prout ecclesiastica necessitas exegerit, sine alicujus cantradictione statuimus venire concilium. Quod si aliqua in eisdem monasteriis præcepta, quæ canonicis in aliquo regulis obviare videntur, fuerint reperta, major hoc canonice factum [a] ab illis habere auctoritatem decernimus. Ita etiam de cœmeteriis quæ intra vel extra civitatem Ticinensem consistunt, præcipimus ut sub tuæ Ecclesiæ cura et potestate antistitis, absque alicujus controversia permaneant. Sancimus etiam apostolica auctoritate largiendo tibi tuisque successoribus crucem habere quocunque volueris ferre, pallium quoque similiter concedimus, nec non album equum coopertum equitare in ramis palmarum, et secunda feria post Pascha. Sancimus etiam ut secundum

[a] Locus corruptus.

enorem capituli decimi, quod synodali decreto Ravennæ statuimus per indictionem decimam, nullus unquam, cujusque dignitatis aut potentiæ, homo, quasi sub obtentu hospitalitatis, in tuo venerabili episcopio, aut in domibus sacerdotum tuorum, et omnium clericorum sine tua tuorumque successorum voluntate applicare præsumat. His ita prælibatis decernimus ut si humana contradictione tuæ sedis episcopus ex hoc mundo migraverit, de proprio clero quem idoneum præ cæteris clerus et populus repererit, potestatem habeat secundum statuta venerabilium Patrum, et Romanæ sedis antistitum, nulla seculari contradicente potentia, eligendi episcopum. Quod si fortasse in eadem plebe, quod minime credimus, tantæ sedis honore dignus repertus non fuerit, tunc si alter de altera Ecclesia canonice providendus est, consensu tamen et voluntate ipsius plebis nonnisi antea electus ordinetur antistes. Atque in his partibus mala molestaque consuetidine a quibusdam sacras leges ignorantibus clericalis ordinis viros sub jugo servitutis post consecrationem teneri, famulosque velle vocari audivimus, quod dici nefas est. Volumus atque expresse jubemus ut sicut is qui nullius unquam conditionis fuit, ita etiam et ille cui ad hoc officium suscipiendum morum dignitas suffragaverit, nullius viri vinculo postmodum teneatur astrictus. Quia humana lege non debet arctari, quem divina gratia ad tantam sacri ordinis dignitatem provehere dignita est. Præcipimus etiam ut in omnibus mobilibus et immobilibus, rebusque sanctæ tuæ Ecclesiæ pertinentibus, hominibus quoque utriusque sexus, tam liberis quam servis, nullam a quoquam contrarietatem aut fortiam nullam violentiam aut invasionem absque legali calculo aliquibus fieri. Confirmamus etiam sanctæ Ecclesiæ tuæ xenodochium fundatum intra Ticinensem civitatem juxta ecclesiam S. Mariæ quæ dicitur Minor, quod filius noster dominus Carolus imperator Augustus eidem Ecclesiæ, a qua injuste subtractum fuerat, legaliter per præcepti sui paginam restituere curavit, ut sibi jure ac dictione tua tuorumque successorum sine aliqua refragatione perpetualiter maneat; immunitatem etiam ipsius ecclesiæ secundum imperialia præcepta statuimus, et hoc nostro apostolico privilegio inconcussam stabilemque manere jubemus. Si quis autem temerario ausu contra hujus nostræ apostolicæ præceptionis seriem pie a nobis et canonice promulgatam venire agereque tentaverit, et omnia quæ superius statuta sunt, tuæ sanctæ ecclesiæ fine tenus non observaverit, sciat se domini nostri apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, æterno incendio concremandum; et qui pro intuitu custos, obediens atque observator hujus nostræ salutiferæ præceptionis exstiterit, benedictionis gratiam et cœlestis retributionis æterna gaudia a justo judice Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Leonis scriniarii S. R. E. in mense Septembris. Bene Valete. Datum est hoc nono Kal. Septembris, per manum Leonis episcopi missi et apocrisiarii S. sedis apostolicæ, imperante domno Carolo coronato magno imperatore. Et ut certius appareat hoc nostrum privilegium, et inconcussum permaneat, sigillo nostro jussimus insigniri. Anno II. Post consulatum ejus anno II, indict. XI.

Zacharias humilis episcopus sanctæ Ecclesiæ Anagniensis in hoc privilegio consensi et scripsi.

Petrus episcopus Forosemproniensis Ecclesiæ in hoc privilegio consensi et scripsi.

Laurentius humilis episcopus Campaniæ Ecclesiæ consensi et scripsi.

Leo humilis scriniarius et notarius S. R. E. et cum jussione reverendissimi D. Joannis papæ scripsi, et aliis roborandam protuli, et est sigillatum sigillo plumbeo magno impresso, habente imaginem sanctissimi olim papæ Joannis, cum litteris infrascriptis similibus, videlicet: Joannes papa.

XCI.

AD LAMBERTUM GLORIOSUM COMITEM.

(Anno (877.)

Significat Romanorum procerum obsides dari non posse; monet ne ad Urbem veniat, quia ipse eum excipere non potest.

JOANNES episcopus LAMBERTO glorioso comiti.

Remeantibus nobis, Deo præduce, Romam, convocavimus totam Ecclesiam, et illud quod nobis de obsidibus Romanorum procerum dandis edixeras, in conventu fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ necessario contulimus: sed. heu! quid dicam? cum tantum totam eamdem Ecclesiam contra nos incitaverimus, ac si pro melle eam felle potasse videremur. Romanorum filios sub isto cœlo non legitur fuisse obsides datos, quanto minus istorum qui fidelitatem augustalem et mente custodiunt et opere, Deo juvante, perficiunt? Præcipue cum nos miseremur [*f.* dubitemus] si hoc ex augustali jussu processerit, et ipsum imperatorem non credamus suum nos velle secretum latuisse. Tale quippe consilium non alius adinvenit, nisi ille qui hanc terram conturbare molitur, et ineffabile damnum populo Dei generare versutis fraudibus machinatur; qui pacem et quietem odio habet, et dissensionibus utique gaudet. Quamvis antea Romani ovilis senatus mortem eligant, quam hanc inauditam et pessimam rem fieri quocunque modo consentiant. Quapropter, quia omnino est impossibile, et tale quid omnis inclytus audiens in maximam suspicionem prorupit, atque simpliciter non fuisse dictum modis omnibus æstimavit: mandamus dilectioni tuæ, quam absentem sicut præsentem amplectimur, ut huc nullo modo fatigeris, quia modo te nullatenus recipere possumus, nec tectum aliquid nunc agendum fore necesse putamus. Cum autem, Deo juvante, ad unam concordiam et unam quietem reipublicæ causa redierit, et litis figmenta, quæ tanquam telas aranearum putamus contra Augustalem majestatem oborta, sopita exstiterint, nos et nobili-

tatem tuam recipiemus, et ea quæ ad communem A utilitatem pertinere cognoverimus, tecum et tractare, et utpote cum tantæ prudentiæ viro peragere summa dilectione curabimus. Antea autem nullo modo te venire oportet, quia nullo modo te, sicut diximus, recipere, fili charissime, possumus. Data XII Kalendas Novembris, indictione XI.

XCII.

AD WIDONEM EPISCOPUM INIVENSEM.

(Anno 877.)

Causam Leontardi cujusdam, qui homicidium cum aliis commiserat, ei delegat; hortatur, ut quoniam gravissimam illi antea pœnitentiam constituerat, modo leviorem constituat.

WIDONI episcopo Inivensi.

Leontardus quidam tuæ diœceseos homo, singul- B tibus et gemitu tritus sanctam sedem apostolicam et nostram humilitatem adiit, referens se primo quidem homicidii incidisse reatum, et a sanctitate tua pœnitentiam accepisse, quam et peregerit; et ea peracta, miserationem et reconciliationem ecclesiasticam tuo judicio promeruerit. Post vero cum aliis suis concivibus quosdam prædones publica sanctione jussus sit insequi, ut si eos capere potuissent, modis omnibus interimere non admitterent. Contra quos iste cum aliis proficiscens, asserit quod uno ex illis capto, oculos comprehensores ejus eruerint, ac per hoc ipse prædo nefandus vitam finierit. Hoc itaque facto, præfatus Leontardus pœnitentiam suscepturus, ad tuam præsentiam veniens, hujuscemodi dixit se fuisse tuo judicio judicatum : sanctam videlicet communionem nisi ad exitum vitæ non perceptu- C rum; carnes et vinum, exceptis diebus Dominicis et sanctorum festivitatibus, non sumpturum; comam non rasurum, uxorem non accepturum; cum hominibus non conversaturum; in cinere et cilicio gemiturum; servis rebusque suis non dominaturum; seniorem beneficium non habiturum, et aliis his similibus forte fruendis non fruiturum. Quæ omnia audientes, et intimo corde pensantes, invenimus aliquid gravius te quam expediit, si ita est, judicasse. Hujus rei gratia omne hujus judicium tibi dimittimus, et ut nostra super hoc vice ad mitiorem in eo proferandam sententiam perfruaris, modis omnibus exhortamur : quatenus pro amore apostolorum et nostro, et laborem itineris, et lacrymabilem prædicti latoris intentionem, vel pœnitentiæ amaritudinem omnino D considerans, mitius cum eo agere non detrectes, et eo quod ad sanctos apostolos fecit confugium in his quæ oportuerit, ne forte, in desperationem labatur, misereri illius nunquam omittas; quia Dominus, sicut per prophetam loquitur, misericordiam vult, et non sacrificium (*Ose.* VI). Ideoque monemus, rogamus ut misericordiam ei impendas, quatenus de impensione misericordiæ audientes, sanctitati tuæ multimodas gratias referamus. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data III Kal. Novembris, indictione XI.

XCIII.

AD CAROLOMANNUM REGEM [a].

(Anno 877.)

Dolet de Caroli imperatoris obitu, hortatur ut promissa pro Romanæ Ecclesiæ dignitate impleat : legatos se missurum pollicetur : ejus precibus Theotmaro archiepiscopo pallium mittit; quem apostolicæ sedis reditus, quos apud Bajoariam habet, Romam annuatim transmittere jubet.

CAROLOMANNO.

Apicibus igitur, gloriose fili, vestræ dilectionis susceptis cum parte gratulationis, vestra incolumitate prosperitatisque successu; Caroli imperatoris morte audita, nimio tristitiæ fateor mœrore ex latere sumus attriti sed subito undam mentis nostræ cogitatione ad divinum judicium aliquatenus sustollentes, in illud Apostoli obstupefacti cogimur voce erumpere, dicentes : *O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Rom.* XI.) Quod idcirco dicimus quatenus sedula cordis meditatio humanæ fragilitatis in hoc mari magno cursum vitæ instabilis intueri non desinat, atque ad ea gaudia quæ sunt fixa et immobilia, nostra actio, gratia Christi duce, anhelare contenta bonis operibus nunquam desistat. De causa sane vestri ad nos adventus, vestraque sublimissima promissione, Romanæ Ecclesiæ supra omnes qui fuerunt ante vos, ejusdem exaltatione, cum hoc opere comple eritis, aderit ille vestri retributor, qui per controversiam juramenti confirmans modulos humanæ locutionis, ait : *Vivo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me glorificabo* (*I Reg.* II). Dum a colloquio, ut dicitis, fratrum vestrorum fueritis reversi, legatos ex latere nostro ad vos solemniter dirigemus. cumque pagina capitulariter continente ea quæ vos matri vestræ Romanæ Ecclesiæ vestroque protector, beato Petro apostolo perpetualiter debetis concedere. Quibus peractis, demum rursus ordinabiliter et honorifice mittemus, qui vos cum tota decentia, utpote tantum regem ad limina apostolorum ductare studeant, unaque convenientes de statu reipublicæ totiusque Christiani populi salvatione salubriter tractare, Deo opitulante, ac ordinare valeamus. Inter quæ, quæso, fili charissime, quoque [*edit. Rom.*, quotquot] infideles nostros nostræque vitæ insidiantes, quoquomodo vel significatione poteritis cognoscere nullum apud vos vestrosque fideles valeant aliquatenus locum vel aditum invenire, ne immumda eorum præsentia aliqua consortii macula regium culmen contagiet. Pallium vero, vestra petitioni inclinati, Theotmaro archiepiscopo consuetudinaliter dirigentes, optamus ut hoc decore interiu fulgeat in oculis interni judicis, quo nitet exteriu humanis obtutibus, cuique, quæso, committite e quæ apud Bagoariam beatus Petrus apostolus habe uti nobis annualiter reditus ejus Romam transmittat. Data mense Novembri, indictione XV.

[a] Carolomannus fuit Ludovici Germaniæ regis filius, ac Ludovici Pii imperatoris nepos, ad quem aliquot infra scribuntur epistolæ, et de quo Ado in fine Chroni. lib. II, Chron. eorum, Aimoinus, lib. V. c. 28, Regin

XCIV.

AD THEOTMARUM ARCHIEPISCOPUM JUVANNENSEM.

(Anno 877.)

Pallium ei concedit : mandat ut reditus quos Romana Ecclesia apud Bajoarios habet, Romam mittat.

THEOTMARO archiepiscopo Juvanensi.

Idcirco tuam fraternitatem tanto pallii decore studuimus decorare, ut, Christo opitulante, et ante Dei oculos bonis et sanctis actibus polleas, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, a qua potus præclari poculi sumis, devotus semper fidelis existas, ejus in futurum effectus particeps, cujus locata perpetualiter fundamentis consistit, et apud Carolomannum regem dilectum filium nostrum quotidianus interventor pro Romana Ecclesia hortamur existas. Inter hæc ea quæ beatus Petrus apostolus apud Bajoariorum terram jure proprietatis possidet, tuæ industriæ sagacitatique committimus, quatenus amodo et deinceps annuos eorum reditus Romam sine mora transmittas. Data mense Novembri, indictione XI.

XCV.

AD EDEREDUM ARCHIEPISCOPUM ANGLORUM.

(Anno 877.)

Laudat ejus pium erga sedem apostolicam animum, dolet de adversis : monet ut pro Ecclesia fortiter se gerat; ostendit uxores non esse dimittendas; nuntiat se ad regem scripsisse, ut debito eum honore ; prosequatur demum ejus Ecclesiæ privilegia confirmat.

Reverendissimo et sanctissimo confratri nostro EDEREDO archiepiscopo gentis Anglorum.

Vestris relectis apicibus quanta veræ dilectionis et sinceritatis fides, qua Christum Deum vestrum proximumque diligitis, in vobis consistat et pia devotione circa sedem apostolicam ferveat, evidenti duntaxat intellectu perspicimus ; cum more antecessorum vestrorum, et causas vestræ Ecclesiæ necessarias nostro præsulatui, quasi suo doctori referre, et a sede apostolica super quibusdam suis quas patitur adversitatibus consultum, et auctoritatis munimen accipere quæsistis ; in qua Deus omnipotens totius Ecclesiæ posuit fundamentum. Et quia dura quædam in præsentis sæculi vita, quæ vere tentatio est super terram, positi quotidie sustinetis, non solum flemus nostra, quæ similiter patimur, sed condolemus et vobis, talia, proh dolor! patientibus, quoniam omni jam mundo in maligno posito, multis ubique adversariis adversus Christi famulos existentibus, quanto majores, et supra modum crebriores tentationes quotidie imminuerint circa nos, tanto Christi freti solatio valentiores esse debemus; nostra sacra narrante serie : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Deus diligentibus se ; ipseque Deus benedictus in sæcula, qui non patietur nos tentari supra id quod possumus (Jac.* I), dicente Apostolo : *sed faciet cum tentatione proventum, ut possimus sustinere* (*I Cor.* X). Nos tamen pro instantis temporis necessitate hortamur et monemus fraternitatem vestram ut, omni sæculi timore postposito, A sicut idoneus Dei minister opponas te murum pro domo Domini et zelo illius accensus, non solum regi, sed omnibus in ea perverse aliquid agere volentibus, strenue resistere non prætermittas, honorificans ministerium tuum, quandiu divina sinceris voluntate summo sacerdotio fungi, populumque Domini tibi commissum sanctæ doctrinæ pabulo pascere, sacerdotes scilicet et ecclesiasticos viros ac feminas, nec non viduas et sanctimoniales, juxta ordinem suum pro viribus regere tuerique, ut pastor idoneus coram Domino appareas prompta mente procures : quoniam nos apostolicæ sedis apicibus admonere exhortarique curavimus regem vestrum, ut tibi pro Jesu Christi Domini nostri amore in omnibus quæ sanctæ Ecclesiæ tibi commissæ utilia sunt B obediens et adjutor devotus, sicut antecessores suos piissimos reges Anglorum, narrante historia, fuisse recolimus, existere non prætermittat ; si et regnum sibi temporaliter concessum voluerit retinere securum, et vitam postmodum regni percipere sempiterni. His autem quos asseris uxores proprias contra præceptum Domini relinquere, præcipimus neque virum ab uxore neque uxorem a viro, nisi causa fornicationis discedere : quod si ob hoc discesserit, manere innuptum vel innuptam, aut sibi mutuo reconciliari, quoniam dicente Domino : *quod Deus conjunxit, homo non separet (Matth.* XIX) ; et ideo cum priorem legitimo sibi matrimonio junctam quisquam deserere nequeat nulla ratione illi prorsus conceditur aliam, vivente priore, conducere ; quod si fecerit, et non emendare sub satisfactione studuerit, C ab Ecclesiæ consortio maneat separatus. Sed neque de propria cognatione secundum sancti præcessoris nostri Gregorii doctoris gentis vestræ decretale statutum (*lib.* XXII, *epist.* 31) cuiquam ducere permittas. Nos namque sedis tuæ privilegium, quam vice beati Augustini a sancto Gregorio pro multorum salute et conversione illuc directi regis, illibatum tibi volumus procul dubio conservare, et ut ab omnibus ordinibus, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, custodiatur in perpetuum, secundum ipsius sancti præcessoris nostri Gregorii [*forte deest* statutum, *aut quid simile*] cujus sapientiæ radius Ecclesiam Christi per orbem diffusam irradiat, sancimus atque præcipimus. Et quidquid adversi a quocunque homine de parte tua nobis fuerit relatum, ante veD ram cognitionem nullatenus credimus ; quin potius etiam regem vestrum admonuimus, ut dignum honorem tibi pro amore Jesu Christi Domini nostri impendat, et omnia privilegii tui jura perpetua stabilitate et conservare ac indimiunta custodire procuret, si gratiam et benedictionem sedis apostolicæ, sicut antecessores ejus bene faciendo habere meruerunt, pari modo voluerit iste habere. Data *ut supra.*

XCVI.

AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

(Anno 877.)

Commendat zelum fidei quem ostenderat adversus

Sergium Ecclesiæ Dei hostem : hortatur ut in dies magis pro Ecclesiæ sibi commissæ defensione laboret, Petrum diaconum ei commendat.

Reverendissimo et sanctissimo Athanasio episcopo sanctæ Ecclesiæ Neapolitanæ dilecto confratri nostro.

Innumeras gratiarum actiones vestræ Deo dilectæ agimus almitati, dignisque apostolico vos ore laudibus præ cæteris merito collaudamus, quoniam secundum Domini vocem dicentis : *Si oculus tuus, vel manus tua scandalizat te, erue eam, et projice a te* (*Matth.* v), fratrem tuum erga Ecclesiam Dei impie agentem [a], et circa Dominum non recto itinere gradientem, velut secundum Holofernem, sancta Christi Dei nostri ausu temerario impugnantem ; et hæreditatem patriam more sacrilego persequentem, tanti honoris regimine indignum judicans, ultionis divinæ percutere jaculo studuisti : nec pepercisti carni tuæ propter Dominum dicentem : *Qui diligit patrem, aut matrem, aut fratrem plusquam me, non est me dignus* (*Matth.* x); in quo nimirum vos Deo per omnia dignos fore cognoscimus, quia membrum corporis tui multo contagio fetens libenter abscidere proculque abjicere sanctitas tua fideli devotione curavit : et quia nuncusque viris sæcularibus secundum se, et non secundum Deum in urbe Neapolitana principantibus, multa scandala et perturbationes multas, homicidia et oculorum erutiones intra eam vel foris peragentibus, dignum Deo de his juste judicante, peractum est ut iniqua jam cesserat dominatio, finem haberet peccatum et consurgeret vir de domo Domini, qui timorem Dei præ oculis habens regat populum Christi in omni justitia et sanctitate, in omni veritate et mansuetudine, ut pastor idoneus, et non velut mercenarius deserat et disperdat : et ideo ea quæ vestræ dignitati vel honori congrua ac necessaria sunt, perpetua nihilominus stabilitate confirmamus ; tantum ampliori nunc studio curaque multiplici pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ tibi commissæ stare ac desudare, quatenus salva securaque consistat, ut procures, his nostris apostolicis prudentiam vestram exhortamur apicibus. Nos namque, aliis omnibus mancosis datis, mille quadringentos vobis dare debemus, quos vestræ dilectioni aut initio Quadragesimæ aut in die sanctæ Resurrectionis vobis procul dubio dirigemus. Porro hunc Petrum venerabilem diaconum vestrum, quia eum vestræ Ecclesiæ, et civitati Neapolitanæ in omnibus fidelem esse cognoscimus, vobis in omnibus commendamus, et pro nostro eum amore benigne semper retinere dignemini. Data *ut supra.*

XCVII.

AD NEAPOLITANOS.

(Anno 877.)

Laudat eos quod, zelo divino accensi, Sergium a se abjecerint, et Athanasium episcopum suæ reipublicæ rectorem elegerint : præcipit ut ei pareant, offerens se una cum ipso eorum commodis consulturum.

Omnibus eximiis judicibus, et universo populo Neapolitanæ civitatis.

Quanta veræ fidei devotione circa Deum creatorem et salvatorem mundi atque erga Ecclesiam Christi ferveatis, luce clarius ecce cognoscimus, cum tantæ impietatis virum, perditionis scilicet filium, et totius iniquitatis vas vobis inique dominantem Sergium nempe magistrum militum, secundum videlicet Holofernem, zelo repleti divino, abjicere ac velut membrum fetidum a corpore Christi abscidere, proculque abjicere studuisti, secundum Domini præceptum dicentis : *Si oculus tuus, vel manus tua scandalizat te, erue eam, et projice a te* (*Matth.* v); et quia illo abjecto, pastorem et episcopum animarum vestrarum, Athanasium videlicet, dilectum confratrem et unanimem filium nostrum habere judicem elegistis, innumeras vestræ dilectæ prudentiæ et unanimitati gratias agimus quoniam, sicut Dei ministri, iram Domini exercituum, quæ jam meritis imminebat illius, in eo ulcisci procurastis, qui nimirum multa et inaudita mala plus quam omnes patres suos in civitate Neapolitana et in finibus nostris nequiter facere non dubitavit, cum innumeram hominum multitudinem, infantum et mulierum catervam gladio, fame atque captivitate crudeliter peremisset. His igitnr nostris apostolicis litteris nobilitatem vestram, filioli mei, monemus atque hortamur ut præfatum Athanasium confratrem nostrum venerabilem episcopum vestrum, sicut divina inspiratione docti loco rectoris habere elegistis, fideli mente ac devotione cum omni honore habere studeatis : quoniam nos cum illo in omni vestro adjutorio, in omni vestra utilitate prompti existimus, parique voto vos adjuvare desideramus ; tantum state viriliter obedientes illi in omnibus, velut filii charissimi. Porro quia jam, aliis omnibus datis mancosis, mille quadringentos vobis dare debemus, ne turbemini, quia eos vel in initio Quadragesimæ, vel in die sanctæ Resurrectionis vobis procul dubio dirigemus. Vos tantum ut filii charissimi adversus infideles et communes inimicos totis viribus pro defensione Ecclesiæ Dei desudare satagite, quatenus et Dei gratiam et nostram semper benedictionem habeatis. Bene vos optamus in Domino. Data *ut supra.*

XCVIII.

AD LAMBERTUM COMITEM.

(Anno 877.)

Scribit se in Galliam velle proficisci, ideo sub excommunicationis pœna præcipit ne se absente Romanæ Ecclesiæ territorio vel Romanæ aliquod damnum inferat.

Nobili viro Lamberto glorioso comiti.

Sagacitati ac prudentiæ vestræ notum esse volumus quia non solum pro assiduis paganorum infestationibus, quas ecce jam biennium, nemine defensionis nobis præbente solatium, patimur, sed etiam pro innumeris et supra modum gravibus oppressionibus quæ nobis una cum Dominico grege divinitus commisso in pace, quam Christus Deus noster se diligentes habere jubet, consistentibus, ab adversariis illata sunt et quotidie inferuntur, in gremio sedis apostolicæ, quæ caput est orbis et om-

[a] Loquitur de Sergio, ut constat ex epistola proxima, cujus Leo Ostiensis meminit lib. I. c. 42.

nium mater fidelium, quiete ac securiter manere nobis minime licet. Ideo Franciam per iter marinum proficisci, gloriosumque Carolomannum regem adire, atque optatam illius contemplari præsentiam cupimus, pro salute scilicet ac defensione terræ sancti Petri, et totius Christianitatis suppliciter deprecantes : quatenus Dei omnipotentis solatio, et regia virtute nobis, prout opportunum est, solati ante possimus salubri prosperoque successu regere atque tueri territorium, et populum Domini pretioso cruore redemptum, ne pro aliquo eorum per nostram desidiam vel incuriam pereunte, districtam Domino cogamur reddere rationem. Ideo monemus et his nostri apostolatus litteris dilectionem vestram pio intuitu exhortamur ut nobis abeuntibus Franciam pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ et republicæ stabilitate nullam contrarietatem vel inimicitiam exerceatis in toto territorio principis apostolorum, neque urbis Romæ, quæ est civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri sedem, aliquas adversitates vel insidias præparetis, neque faciatis, facereque volentibus ullo modo consentiatis. Quia si per vos aut per vobis subjectos homines eadem urbs Roma perturbationem aliquam vel dehonestationem habuerit, vel adversa quælibet sustinuerit, pro certo scitote quia canonicis vos correptionibus cum victrici sancti Spiritus auctoritate omnimodis redarguemus, et ab apostolicæ sedis communione merito separabimus. Data *ut supra*.

XCIX.

AD LANDULFUM EPISCOPUM CAPUANUM.

(Anno 877.)

Monet ut consentiat cum Athanasio episcopo Neapolitano ad Ecclesiæ Romanæ defensionem : et curet pactum cum Amalfitanis factum, ab ipsis observari.

Reverendissimo et sanctissimo LANDULFO episcopo Capuano.

Quanto studio tua dilectio tuaque benigna fraternitas erga defensionem ac liberationem obsequiumquæ sanctæ Romanæ ecclesiæ, cui, Deo auctore, culmine præsidemus, laboraverit, totisque nisibus cordis in parte nostri operis desudaverit, sedula reminiscimur procul dubio recordatione, tuaque ob hoc retributio tam apud Deum quam apud nos erit in promptu indubitanter parata. Quapropter, quia te valde idoneum in tantis habemus expertum, monemus atque hortamur esse unanimem cum Athanasio Neapolitano episcopo in causa præsenti Romanæ Ecclesiæ, quoniam liquidum [*edit Rom.*, liquidum et scriptum] in Salomone dicimus : *Funiculus triplex difficilis erit* (*Eccli.* IV), eidemque nostro hortatu et admonitione in omnibus fraternus auxiliator existere nunquam desinas ; inter hæc tua benigna fraternitate, et dilecti filii nostri Guaiferii principis, mediante, pactum in decem millium mancusorum [*al.* mancosorum] cum Amalfitanis eatenus fecimus, ut a Trajecto usque Centumcellas nobis navali labore indesinenter auxilium ferrent. Sed hactenus id in nullo demonstraverunt : insuper quædam studio calliditatis astruunt, quia utriusque abbates, Joannes videlicet ac Anastasius, quos illuc ex nostra parte direximus, non in decem millium tantum mancusorum, sed in duodecim millium plaitasse, quod iidem abbates coram nostra præsentia non se fecisse jurejurando refellunt. Ideoque vestra eos prudentia et ab hac injusta petitione compescat, et in servitio salubri commonitione confirmet, quatenus nostra benedictione potiti, animo et corpore ex Christo Domino salvi existant. Data *ut supra*.

C.

AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

(Anno 877.)

Hortatur ut in sua integritate perseveret, et Amalfitanos corripiat, quod auxilium navale non miserint, et nimia calliditate in se utuntur.

Amantissimo filio GUAIFERIO principi.

Devotionem igitur animi tui ex die qua te cognovi paucis verbis explicare non possum? Hoc tamen veraciter scimus quia [*edit. Rom.*, apud Deum et apud, etc.] apud nos tibi omnia salva reservantur tempore opportuno. Idcirco monentes hortamur et rogando jubemus uti in semet tua percepta bonitate perseveres. Quoniam scriptum est : *Non tardat Dominus promissum suum, donec adimpleatur quod locutus est* (*II Petr.* III) ; et ideo nosse gloriam tuam cupimus quia ex parte Amalfitanorum nullum nobis juxta condictum placitum studuerunt præbere adjutorium navali certamine a Trajecto usque Centumcellas. Insuper quadam calliditate asserunt non in decem millium tantum mancusorum, sed et in duodecim millium fuisse nostram promissionem : quod verum nullo modo constat, cum et ipsi abbates quos illuc pro nostra parte direximus jurejurando non se dixisse fateantur. De his vero aliisque similibus, quantum in nobis est, per gloriam tuæ nobilitatis correptionem omnemque speramus studii emendationem ; quod, quæso, facere mature acceleres. Optamus. Data *ut supra*.

CI.

AD ARCHIEPISCOPUM EBREDUNENSEM.

(Anno 877.)

Reprehendit quod alium episcopum, præter eum quem clerus et populus elegerat, in Venciensi Ecclesia consecraverit : præcipit ut cum utroque Romam veniat.

Reverendissimo et sanctissimo ARIBERTO archiepiscopo Ebredunensi.

Si canonica in consecrandis episcopis statuta servasses, nunquam, sicut auditu didicimus, et quodam diacono, nomine Waldeno, super tuam dilectionem reclamante, se canonice a plebe et populo Vinciate electo, et a tua sagacite abjecto, de consecrato controversia quælibet nasceretur, qua vestra merito reprehenderetur fraternitas. At nunc, quia mortuo Venciensi episcopo, non præfatum sacerdotem, quem, ut dictum est, clerus et populus civitatis elegerat, piæque memoriæ Carolus imperator suo consensu firmaverat, consecrasti, et eodem [*f.* sed eodem, HARD.] Augusto de præsenti vita

subtracto alterum non juxta normam canonicam electum ad adverso venientem, nec per ostium sed aliunde introeuntem, tuo tantum libitu ordinasse accusaris. In quo te non leviter incurrisse omnino videmus, quia dicente prædecessore nostro papa Cœlestino *(epist. 1, episcopis Viennensi et Narbonensi)* : Nullus invitis detur episcopus ; cleri, plebis, et ordinis consensum et desiderium requirere debuisti. Cujus etiam auctoritate clerici habent facultatem resistendi, si se viderint prægravari : ut quos sibi ingeri ex transverso cognoverint, non timeant refutare ; quoniam etsi non debitum præmium, vel liberum de eo qui eos recturus est debent habere judicium. Nam et sancto Leone dicente *(epist. 95, Rustico Narbonensi)* : Nulla ratio sinit inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti. Unde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, quod non doceatur fuisse collatum ? Eodem etiam capitulo 35 Canonum suorum jubente *(epist. 88, Anastasio Thessalonicensi)* : Nullus, ut dictum est, non petentibus est ordinandus antistes, ne civitas episcopum non optatum aut contemnat aut odiat ; ac per hoc fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuit habere quem voluit. His ita statutis, ne in Ecclesia Dei tibi commissa scandalum maneat vel schisma existat, dilectioni tuæ jubemus ut cum eodem a te consecrato episcopo, et illo qui se canonice asserit fuisse electum, de præsenti Romam venire procures, quatenus in præsentia nostra et sedis apostolicæ tanti causa negotii diligenter inquisita et examinata legitimum, Deo favente, finem percipiat. Obedire igitur te oportet huic nostræ præceptioni pro Ecclesiæ Dei pace directæ. Nam si aliter feceris, scito quia nos talem illicitam præsumptionem impunitam nullatenus relinquemus. Data *ut supra.*

CII.

AD CUNIPERTUM COMITEM.

(Anno 877.)

Præcipit ut bona Romanæ Ecclesiæ quæ occupaverat restituat.

Dilecto filio Cuniperto glorioso comiti.

Auditu didicimus, etiam et veraciter scimus, quod cortem sancti Petri, quæ est in Alviscutia, contra Deum et nostram voluntatem teneatis invasam, et unde censum ac functionem annuam ecclesia principis apostolorum pro luminariis habere solita erat, nunc vestra fortia et avaritia faciente, nil recipere nilque potest habere. Unde ex auctoritate Dei, et sancti Petri, ac nostra, vobis præcipimus ut non habeatis licentiam ipsam cortem amplius retinere, nec in ejus rebus et pertinentiis vos intromittatis, si gratiam Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli nostramque benedictionem cupitis habere ; sinatisque homines sancti Petri qui ibi sunt eamdem cortem securiter retinere. Nam si ipsam cortem deinceps tenere contra nostram voluntatem præsumpseritis, aliquamque ibi fortiam vel violentiam feceritis, scitote quod omni vos ecclesiastica communione atque a corpore et sanguine Domini nostri canonice separabimus, sicut invasorem rerum ecclesiasticarum. Data *ut supra.*

CIII.

AD LAMBERTUM COMITEM.

(Anno 878.)

Monet ne Romam eam ob causam veniat, ut apostolicæ sedis hostibus auxilium ferat; quod si alia de causa venerit, honorifice se eum excepturum promittit : plura legatis injungit, quibus fidem adhiberi jubet ; Adelbertum Romanæ Ecclesiæ hostem se non posse ait in communionem recipere.

Dilecto filio Lamberto glorioso comiti.

Dilectionis et amicitiæ vestræ amorem ac sinceritatem quasi quoddam insolubilis charitatis pignus tenentes, tanto de inimicorum nostrorum callidis astutiis vel præparatis cum apostolica sede securi existimus insidiis, quanto nobilitatis, vestræ potentiam, una cum Christi auxilio nobis conjunctam in omnibus prosperis seu adversis esse procul dubio credimus : quoniam et nos vobiscum in cunctis quæ vestræ gloriæ sunt congrua vel necessaria existere prompti optamus. Et ideo eminentiam vestram quæ relatione quorumdam didicimus latere nolentes, utpote spiritali filio nostro referre indubitanter curamus. Audivimus namque quod inimicis et infidelibus nostris per cujusdam exhortationem cupiatis ferre solatium, atque Romam venientes suis eos rebus et beneficiis contra nostram etiam voluntatem inconvenienter restituere debeatis : quod nullus imperatorum, vel regum, aut comes antecessoribus nostris fecisse recolitur. Unde valde miramur, si hoc verum est, quomodo tantæ amicitiæ inter nos toties habitæ atque promissæ obliti estis, cum post Deum vos modo in omnibus necessitatibus et utilitatibus Ecclesiæ sancti Petri habeamus unicum adjutorem atque fidelissimum defensorem. Et ideo licet quidam vobis agere talia sedi apostolicæ nobisque contraria suadeant, nos tamen in vestræ fidei devotione, quam erga beatissimos principes apostolorum Petrum ac Paulum, et nostram paternitatem habetis, plurimum confidentes, quasi dilecto filio et unanimi amico mandamus ut pro Dei et nostro amore, pro causa inimicorum nostrorum aliquatenus restituenda, cum bis jam ac ter synodico sint ipsi judicio condemnati, Romam nunc non veniatis ; quia valde turbati ac tristes ob hoc existentes, vos, sicut decet et nos cupimus, honorifice recipere non possumus. Quamobrem vestra prudentia tantæ perversitatis consilium destruat, atque contra ipsos inimicos nostros totis viribus insurgere, et pari nobiscum voluntate, sicut oportet, eos confundere procuretis ; ut nos, sicut per vos credimus, securi et quieti, Dei et vestrum maneamus auxilium. Alia vero pro causa, si ad limina sancti Petri et nostram apostolicam nunc aut postea vultis venire præsentiam, vos prompto atque gratissimo animo, prout oportet, honorifice recipiemus, vobiscum pariter gaudentes et exsultantes in Domino. Plura quidem

vobis super his scriberemus, sed quia indoneos ac reverendos fideles nostros, vestrosque devotos amicos, Gaudericum videlicet et Zachariam episcopos, deliciosos et consiliarios nostros, vobis direximus, qui vestræ gloriæ ea quæ litteris desunt verbis poterunt enarrare, omisimus scribere ; quibus sane, quæ verbotenus dixerint, quasi nobis credere non dubitetis. Agite igitur sicut vos in omnibus nostris credimus habere procul dubio adjutorem et unanimem in Christo amicum. Adelbertus autem marchio ad nos si venerit, pro certo scitote quia eum nullo modo recipiemus, quia multas nobis contrarietates fecit et manifestus in omnibus inimicus apparuit. Præterea, sicut nobis mandatis, ut pro instantis temporis causa extra urbem Romam exeuntes, vobiscum alicubi loqueremur, libenter quidem hoc facere voluissemus, si utile ac necessarium esse videretur : ut simul loquamur non vobis grave sit ad nos quasi filius dilectus venire, quatenus ea quæ congrua sunt visa pariter consideremus. Data *ut supra*.

CIV.

AD EUMDEM.

(Anno 878.)

Graviter eum reprehendit quod in litteris quas scripsit honorem debitum apostolicæ sedi non habuerit, et ne legati absque ejus consensu mitterentur postulaverit.

Nobili viro LAMBERTO glorioso comiti.

Sedem apostolicam, quam Deus omnipotens supra petram sui nominis fundare dignatus est, non solum reges et principes terræ, verum etiam imperatores Augusti, et totius orbis Domini suis apicibus, utpote caput omnium Ecclesiarum Dei, honoraverunt, dignisque præconiis ejus pontifices, vicarios scilicet beati Petri apostolorum principis, laudaverunt, votisque supplicibus deprecari studuerunt, et usque in finem sæculi, Petri manente nomine ac memoria, supplicare non desinent. Quapropter audientes litteras tuas quas mandastis, mirati valde fuimus super earum verbis inconvenientibus, quæ nec debitas sancto Petro laudes resonant, nec ecclesiasticis concordant regulis vel doctrinis ; cum nobis illa verba mandastis quæ sæcularibus viris et comparibus tuis scribere solitus es, hoc est, cum dicis nobis, Tuæ nobilitatis, vel cum dicis nobis, Monemus nobilitatem vestram ; in quo luce clarius mentem vestram cognoscimus erga nos minime devotam, sicut putabamus existere. Idcirco nostræ paternitati tam vilibus verbis et inconvenientibus sermonibus scribere audaci potius quam sincera mente voluistis, et mirum non est quia de amaro fonte dulcis aqua non hauritur. Porro quia dixistis quod sine consensu tuo nostras legationes nusquam mittere deberemus, usus me hoc non fuerit, nec litteris legitur, nec a quoquam superstite unquam fuisse reminiscitur factum ; et ideo sedes apostolica libera semper existens liberam ubique suam mittit legationem, habens Domini auctoritatem dicentis : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). De his autem quæ olim dicta sunt inter nos, pro diversis ac multiplicibus contrariis et adversitatibus, nec non et corporis incommoditatibus, quas quotidie patimur, nobis aliquid considerare vel pertractare non licet. Nos tamen, si prudentiam vestram in nostris profectibus et utilitatibus Ecclesiæ Romanæ cognovissemus devotam existere, nostramque voluntatem prompte perficere, loco vos filii dilectique cuperemus retinere amici, et ea quæ vestræ saluti ac prosperitati essent utilia, grato sane animo perficeremus : sed quia vos, nobis relictis, in partem contrariam inclinatos videmus, non solum obstupescimus, sed etiam a vestræ amicitiæ nos similiter declinamus consortio, quod pro Dei amore valde retinere voluimus charum. Hanc præterea epistolam nostram secundum morem per Longobardorum fidelem vestrum, et litterarum delatorem vestrarum, vobis mandare voluimus ; sed ille a nobis eas recipere vestræque noluit deferre sagacitati, sed sicut et antiquus usus exigit [a] et ratio manifesta fieri declarat. Data *ut supra*.

CV.

AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

(Anno 878.)

Dolet Angelbergam molestiis affici et queritur de injuriis quas Lambertus Ecclesiæ Romanæ inflixit : rogat ut conservet benevolentiam quam erga ipsum habere solebat.

Dilectæ ac spiritali filiæ ANGELBERGÆ ex imperatrice Deo dicatæ.

Quia multum devotione et mentis alacritate dominum et seniorem divæ memoriæ Ludovicum quondam Christianissimum imperatorem, spiritalem filium nostrum, dileximus, nullatenus prætermittimus ejus memoriam in sacris orationibus nostris apud Dominum quotidie facere et quandiu vixerimus facturos esse scitote, vestrique memores, dilectissima filia, similiter sumus. Nam, Deo teste, vestram prosperitatem et salutem semper cupimus vigere incolumem et audire : et super tot ac tantis adversitatibus, quas a filiis hujus sæculi vos sustinuisse cognoscimus, ingenti vobis dolore compatimur et condolemus ; quoniam quidem paterno vos diligentes affectu, mœrorem vestrum nostrum putamus, et tranquillitatem vitæ vestræ nostram esse gaudemus ; quia et vos pro talibus nefandis et inauditis malis, quæ nulla veterum scriptura decantat, nulla historia narrat, beati Petri apostolorum principis vicarium a quolibet imperatore vel rege unquam sustinuisse, nos his diebus a Lamberto Spoletano comite pati audientes, simili esse mœrore afflictam incunctanter agnoscimus ; unde vestram hortamur dilectionem ut circa nos pium mentis affectum conservantes, ea quæ utilitati nostræ congrua vel necessaria esse perspicitis, pro viribus agere non prætermittatis. Quia et nos, Deo propitio, secundum datam nobis divinitus potestatem vobis auxilium et optatam in omnibus consolationem conferre avide cupimus, et sub beati Petri apostoli vos, si opus fue-

[a] Aliquid deest.

rit, tuitione protegere, et illæsam, ceu filiam charissimam, conservare studebimus, si ad ipsius apostolorum principis limina vobis venire contigerit. *Interim confortare in Domino, qui consolatur vos in omnibus, nec patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere (I Cor.* x). De cætero autem ea quæ mandastis, multis impedimentis occupati, quæ præfatus comes cum multiplicibus insidiis nobis præparat cupitque inferre quotidie, perficere nequivimus; at Deo tranquillitatem vitamque præbente, cuncta quæ vestræ voluntati utilia sunt, lubenti animo perficiemus, quibus vester honor et gloriæ vigor incunctanter appareat integer. Dextera Domini vos in omnibus illæsam conservare dignetur. Data *ut supra*.

CVI.

AD BERENGARIUM COMITEM.

(Anno 878.)

Rogat ut imperatori nuntiet quæ a Lamberto Romæ perpetrata sint detque operam ut eam compescat.

Dilecto filio Berengario glorioso comiti regia prosapia orto.

Lectis nobilitatis vestræ litteris, quia sinceritatem ac devotionem, more scilicet parentum vestrorum, circa nos pro amore Jesu Christi Domini et beati Petri apostolorum principis reverentia, vos habere ingentem reperimus, multa vestræ mellifluæ locutionis dulcedine sumus omnino repleti, ita ut cum Psalmista dicere possimus: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* (*Psal.* CXVIII.) Hujus namque bonitatis decus eximium ex moribus piæ memoriæ nobilissimi quondam genitoris vestri vos trahere indubitanter cognoscimus, qui dignum semper honorem et piam reverentiam antecessoribus nostris, sacris videlicet pontificibus, exhibere tota mentis alacritate studebat et ideo pulchræ juventutis vestræ florem de radice justa prodeuntem Dominus exercituum pietatis suæ gratia custodiet incolumem, facietque prospere vigere in omnibus et ad prosperum usque finem perducet. Quapropter, filii charissime, sæpe voluimus vestræ scribere dilectioni, non solum nostram vobis salutem innotescendo, sed et de vestra prosperitate atque incolumitate audire cupiendo; sed non solum paganorum crebris ubique incursionibus, verum etiam Christianorum insidiis circumdati nequivimus. At nunc, quoniam Deo disponente tempus evenit opportunum, excellentiæ vestræ quæ et qualia sumus nos cum tota Ecclesia et civitate Romana perpessi a Lamberto comite, veluti filio charissimo et fideli amico referimus. Cum itaque prædicto Lamberto multa quotidie bona fecissemus, dignumque impendissemus honorem supra quam antecessores nostri parentibus illius fecissent, ipse pro bonis mala retribuens, collecta populi multitudine, omne territorium sancti Petri invasit, et quod defendere debet ab hostibus, tyrannice dominatur invasum: venitque Romam, et quasi inimicus portam civitatis Romanæ violenter capiens, et sa- A tellites suos per dies plurimos retinere fecit, ac sic tantam civitatem invasam retinuit; ita sane ut nobis apud beatum Petrum consistentibus, nullam urbis Romæ potestatem, a piis imperatoribus beato Petro principi apostolorum ejusque vicariis traditam, haberemus. Sacras autem litanias, episcopos et sacerdotes, atque servos Dei, ex more celebrantes, et ad ecclesiam sancti Petri venire volentes, fustibus cædere ac dispergere fecit, intulitque nobis contraria quanta nulli præcessorem nostrorum unquam facta fuerunt: existitque paratus nobis iterum majora inferre, cujus rei causa nescimus. Quamobrem, quia nostrum ministerium est pro totius Christianitatis salute Dominum assidue deprecari, ut oves quas Christus Deus noster nobis in beato Petro B commendavit, jugibus votis et precibus ad æternæ vitæ pascua perducere valeamus, voluissemus debitam habere quietem: sed illo a pravis cogitationibus et actibus se non retrahente, quin potius nos, cum inimicis et infidelibus nostris, quos bis jam et ter excommunicatos et anathematizatos habemus, juncto, rursum turbare volente; rogamus nobilitatem vestram ut pro amore Dei, et sancti Petri, ac nostro, hæc omnia et Carolomanno glorioso regi et spirituali filio nostro cognita faciatis, quatenus missis apicibus suis, eum a tali præsumptione compescat, et quod tempore parentum illius sedes apostolica non sustinuit, ejus non patiatur diebus, et vestris similiter litteris eumdem admonete corripiteque Lambertum, ut nullam de cætero contrarietatem nobis ingerere præsumat, eo quod nec Deo C nec alicui Deum timenti, ejus temeritatis placeat effectus. Si vero idem Lambertus nos persequi non omiserit, nos jam dicto regi fideles amici esse quomodo possumus, quia ejus se voluntate jactat talia agere? Et ideo nos adjuvare, sicut supra dictum est, procurate; nam nos ea quæ vestræ fuerint placita voluntati libentissime perficere studebimus, eo quod vos loco amantissimi filii, quandiu vixerimus, retinere, nostræque Ecclesiæ causas necessarias per vos perficere optamus. Præterea homines vestros, qui orationis causa pro suis delictis Dominum misericordem precaturi venere ad limina sancti Petri, pro vestro ingenti amore benigne recepimus, nostrisque apostolicis benedictionibus confirmavimus, ac per eos nostræ incolumitatis salutem, sicut petistis, D cognitam fieri decrevimus; et petimus ut cito nos vestris litteris lætificari non prætermittatis. Deus omnipotens gloriam vestram longa per tempora illibatam custodiat, charissime fili.

CVII.

AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

(Anno 878.)

Exponit mala quæ a Lamberto comite Romæ sunt perpetrata; seque in Galliam ad implorandum auxilium adversus eum iturum ostendit.

Reverendissimo et sanctissimo Joanni archiepiscopo Ravennati confratri nostro.

Unanimitatis vestræ fraternitatem ignorare non

patimur quæ et qualia his retro diebus a Lamberto Spoletano comite mala et multiplices passi sumus injurias, quales nullus antecessorum nostrorum pontificum a quoquam Deum colente sustinuisse recolitur. Igitur omne pene territorium S. Petri suis tyrannice devastantibus hominibus, cum immensa populi multitudine Romam venit : nos autem illum quasi dilectum amicum apud beatum Petrum apostolorum principem honorifice recepimus; sed ipse quasi ovili pelle indutus, solita repletus nequitia, munereque corruptus ingenti, contra nos insurgere non dubitavit (*Aimoinus*, lib. v, c. 37). Nam portas civitatis Romanæ violenter, imoque fraudulenter cepit, totamque urbem Romam; ac per dies plurimos homines suos ita arctius retinere fecit, ut ne proceres Romanorum, nec episcopi et sacerdotes, neque etiam familiares nostri ad nos nisi maxima supplicatione exeundi facultatem haberent. Cibaria etiam nostra nobis venire instantissime prohibebant. Venerabiles item episcopos, presbyteros atque diaconos religiosos monachos cum hymnis et canticis spiritualibus, sacrisque litaniis ad ecclesiam principis apostolorum venientes, heu, proh dolor! more paganorum conturbaverunt, et fustibus cædentes nequiter disperserunt, non sinentes illos exire debitumque Deo sacrificium offerre. Inimicos quoque atque infideles sanctæ Romanæ Ecclesiæ et nostros, quos una cum vestro consensu et subscriptione bis ac tertio jam excommunicatos damnatosque habemus, super nos temere conduxit, eosque in urbe Roma sine nostra voluntate immisit. His itaque nos prejudiciis et injuriis multiplicibus gravati, cum tota sede apostolica tristes adeo per dies multos exstitimus, ut nequaquam nobis aliud agere nisi flere liceret : nam ipsis diebus nec vestis fuit super altare sancti Petri, nec aliquod ibi nocturnum vel diurnum officium ex more celebratum. Nunc etiam minatur nobis pejora inferre, nisi ejus obtemperemus humiliter voluntati. Unde sanctitatem vestram pio fraternæ dilectionis affectu conjunctam hortamur ut pro tantis afflictionibus et miseriis capiti nostro illatis, ex totis præcordiis vestris nobiscum pariter condoleatis, et contra evidentissimum, et immanem inimicum nostrum consurgere toto annisu studeatis Nos namque illius non valentes sustinere tantas insidias, quia per terram ire nequivimus, per marinum iter, Deo propitio, in Franciam proficisci debemus, gloriosos scilicet reges deprecaturi ut ecclesiam sancti Petri et civitatem Romanam, totius mundi caput et dominam, a tantis oppressionibus et calamitatibus liberent, salvam et quietam sinant manere, potentique manu ab hostium quas patimur insidiis tueantur; nec nos ob aliud illuc ituros, nisi pro communi salute, procul dubio credite. Sed sicut veridico multorum relatu didicimus, cum nos de urbe Roma fuerimus egressi, cæptumque iter egerimus, audimus eumdem Lambertum satellites suos velle colligere, Romamque rursus expugnaturum adire. Nos vero hoc scientes, anathematis sententiam in eum et in omnes sequaces ejus, si contra urbem Romam et Ecclesiam Romanam aliquam rursus veniens contrarietatem, vel molestiam, aut perturbationem inferre quolibet modo præsumpserit, in ecclesia beati Pauli doctoris gentium protulimus. Et idcirco nullus vestrum ejus iniquis operibus faveat, quin potius libere arguat, si apostolicæ sedis vultis semper fulciri auxilio. Quapropter hæc omnia, ut vestris suffraganeis episcopis cognita faciatis, incunctanter hortamur sanctimoniam vestram, quatenus ipsi, qui membra corporis Christi existunt, vobiscum pariter pro apostolicæ sedis exaltatione studeant desudare.

CVIII.

AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

(Anno 878.)

Missa per Eugenium et Paulum episcopos mense Aprili die XVI, indictione XI.

Dolet quod Græcos sequatur; hortatur ad Romanæ Ecclesiæ gremium redeundum : tum de dono misso gratias agit; postremo Sergium quemdam per subreptionem ad sacerdotium et episcopatum promotum, depositum fuisse significat.

MICHAELI regi Bulgarum.

Spiritualibus te visceribus edito gaudebamus, et pro salvatione tua gratias agebamus; sed nunc astutia malignorum decepto, tristamur et ingemiscimus verentes et pertimescentes ne si forte Græcos secuti fueritis, cum illi in diversas hæreses et schismata solito more ceciderint, vos quoque cum ipsis in erroris profunda ruatis; et sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita sensus vestri corrumpantur et excidant a simplicitate et castitate quæ est in Christo Jesu. Nam te, fili, Mosaicis rogo verbis, *interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi : seniores tuos, et dicent tibi* (*Deut.* XXXII), si aliquando Græci sine hac vel illa hæresi fuerint : et cum non inveneritis eos ab aliqua hæresi aliquando liberos exstitisse, oportet vos eorum fraudes et consortia fugere, ne cum illi erraverint, vos erretis, et cum illi ad blasphemiam versi fuerint, et vos etiam fidei rectæ blasphematores inveniamini; nec erit qui vos postmodum corrigat vel ab errore reducat : et hoc est, mihi credite, fili charissime, quod dolemus; hoc est unde nocte et die pro vobis solliciti sumus; non gloriam ex vobis vel honorem aut censum procul dubio exspectantes, cum vos potius et non vestra quæramus : nam non patriæ regimen et reipublicæ moderamen adipisci cupimus, sed diœceseos ejusdem regionis curam et dispositionem more prisco resumere volumus, ut sollicitudinem, quam universis debemus Ecclesiis, tanto pro eadem diœcesi solertius exerceamus, antiquitus pertinuisse non ignoramus, tantoque pro vestræ salutis custodia instantius vigilare valeamus, quanto ut confirmet hoc Deus quod operatus est in nobis enixius nobis optandum est, et districtius a nobis divinitus exigendum, clarius scimus, si circa instructionem et munitionem vestram desides, quod absit, fuerimus inventi. Revertimini ergo ad beatum

Petrum apostolorum primum, quem amastis, quem elegistis, quem quæsistis, cujusque in necessitatibus patrocinium percepistis, et fluenta doctrinæ salubriter et convenienter hausistis; cujusque vos protectioni cum subjectis omnibus commendastis et tradidistis. *Bene quidem currebatis*, cum Apostolo clamamus, *quis vos fascinavit veritati non obedire?* (*Gal.* III.) Sed et ipse per se Dominus dicit: *Nemo mittens manum suam in aratrum et conversus retrorsum, aptus est in regno cœlorum* (*Luc.* IX); non autem dicimus quod non una sit fides, unum baptisma (*Ephes.* IV), unus Deus noster pariter et illorum, sed quia in eis sæpe, præsule Constantinopolitano, vel imperatore, aut plerumque utroque, auctore facto hæreseos, plures qui sub ipsis sunt, adulatione aut certe timore, illis efficiuntur consimiles; et væ tunc eis est qui societatem sequuntur eorum. Dic itaque, rogo, charissime fili, quid faceres tu, vel populus tuus, si tempore Pneumatomachi Macedonii Constantinopolitani antistitis, quando et impius illic imperabat Constantius, essetis eorum societate fruentes; nonne dogma ejus contra Spiritum sanctum blasphemans cum illis sequeremini? *Quod peccatum*, attestante Domino, *non remittitur neque hic*, *neque in futuro* (*Matth.* XII). Nonne si horum pollutam societatem haberetis, et pravam doctrinam nihilominus haberetis? ac per hoc et vos cum illis, quasi fasciculi colligati ad comburendum, æterno igni reservaremini in die judicii cruciandi? Credimus autem quod jam vos non lateat nunquam apostolicam beati Petri sedem ab aliis sensibus reprehensam, cum ipsa alias omnes, et præcipue Constantinopolitanam, sæpissime reprehendes, aut ab errore liberaverit, aut certe in his qui resipiscere noluerunt, sententiæ suæ judicio condemnaverit. Noli ergo sequi Græcos, fili charissime, quia argumentis semper fallacibus student, semper dolosis intendunt versutiis, ne forte vobis quod genti contigit Gothorum contingat: quæ cum a paganorum errore cuperet liberari, Christique fidei sociari, in episcopum incidit formam pietatis habentem, virtutem autem ejus abnegantem, qui eos dum a paganismo liberat, Arii blasphemiis implicat; sicque illi, dum incaute quærunt errorem fugere, in errorem incidunt; et cæcum ducem sequentes, cum illo cæci facti in Arianæ pravitatis præcipitia delabuntur [a]: et hoc est unde Græcorum cavenda esse prædicamus consortia. *Corrumpunt* enim, ut Paulus apostolus ait, *mores bonos colloquia mala (I Cor.* XV). Qui etsi aliquando loquuntur aliquid boni, noli mirari, quia et dæmones confitebantur Filium Dei (*Matth.* XVIII); sed ipse illos potius tacere præcipiebat, ne quis eos audiret vera prædicantes, sequeretur errantes. Convertimini igitur ab beatum Petrum apostolorum principem, qui primus cognovit et confessus est Filium Dei; qui oves Dominicas regendas accepit, et ut has ad æterna pascua vitæ introducere posset, et hic ligandi solvendique potestatem, et illic reserandi eis claves cœlestis regni promeruit. Igitur scitote, charissime, si ex hoc ad Græcos, quod avertat Dominus, conversio vestra fuerit, partem vestram divinitus cum his ponendam qui primam fidem irritam faciunt, et cum his quorum libenter amplectimini portionem. Porro si nos audieritis, et ad sancti Petri gremium redieritis, ut filios vos amantissimos expansis sinibus recipiemus, et exertis brachiis amplectemur, et in visceribus Christi dilectionis semper habebimus; et si qua sunt sancta, si qua salubria, si qua congrua, vobis et pro vobis offerre atque impendere non cessabimus. Xenium nobis ex vobis transmissum; quondam religiosi habitus Urso deferente, suscepimus; de quo benignitati vestræ gratias agentes, Deum laudavimus, qui te nobis devote munus offerre docuit; temetipsum cito totum, ut confidimus, et perfectum daturus. Cæterum gloria vestra sciat Sergium eunuchum, qui cum genere Sclavus esset, et multis pravitatibus irretitus, sacerdotium per subreptionem obtinuit; et post etiam super aliis detectus et convictus excessibus, ab episcopo tunc suo depositus fuisse dignoscitur, et post indigne satis a Georgio, qui falso sibi episcopi nomen usurpat, ad episcopatum Belogradensem provectus est, apostolorum principum, et sanctorum canonum auctoritate, etiam nostri esse sententia decreti depositum: quod tam vobis quam vestræ omnium generalitati canonice patefacimus, ut hi qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur (*Nicæn.* c. 5): ne, quod non optamus, simili cum eis pœna judicii tenantur astricti. Data die XVI mensis Aprilis, indictione XI.

CIX.

AD PETRUM COMITEM.

(Anno 878.)

Missa per Paulum et Eugenium episcopos, mense Aprili, die XVI, indictione XI.

Hortatur ut Michaelem regem ad Romanæ Ecclesiæ gremium revocet.

PETRO comiti.

Dilectissimo filio nostro Michaeli Christianissimo regi apostolatus nostri mittentes epistolam, dignum duximus ut et tuæ quoque gloriæ scriberemus, et gemitus nostri cordis aperiremus, quos assidue patimur, suspirantes et stupore nimio admirantes quomodo ipse sapientissimus rex et vos ipsi averti potueritis, et a recta semita declinare, atque a sede beati Petri apostolorum summi recedere; sui, sicut Evangelium refert (*Matth.* XVI), non caro et sanguis, id est humana sapientia, sed ipse per se Pater Filium proprium revelavit, cum alii hunc Joannem alii Eliam, alii Jeremiam aut unum de prophetis existimarent. Scripbimus ergo tibi tanquam familiari et charissimo nobis; tu enim in hac causa primus ipsi regi præcursor et dux auctore Deo fuisti: tu inter illum et nos medius discurristi, et Deo gratias, cuncta quæ ad salutem gentis illius acta sunt, non sine tuo certamine acta sunt, et quot et quantos labores pro instructione vestri nos assumpserimus ipse non

[a] Socrates, lib. v, c. 27; Theodoret., l. VII, c. 32; Sozomenus, l. VII, c. 37.

nescis. Et bene quidem in nobis delectabamini, et spiritualibus gaudiis et profectibus fruebamini; sed nescimus quis vos de cætero deceperit; quis organum factus diaboli, qui olim per serpentem Evam seduxit, vos a recto itinere callida suasione retraxerit, unde non parum dolemus nec leviter anxiamur; et idcirco te, virorum optime, cohortamur, loquere ad aures ejusdem dilecti filii nostri regis; cui et Dominus ipse ad aures præcordiorum loquatur, ut primam fidem non faciat irritam, ut ante se gradiens, retro nequaquam respiciat, viam qua ambulabat non deserat, evangelicam legat historiam, et videat ibi præcipue soli Petro, aliis ista vel illa opinantibus, Christum Dei vivi Filium revelatum et singulariter dictum: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua* (*Luc.* XXII). Ergo si, istis vel illis falsa putantibus, Petro veritas præcipue revelata est, et si pro fide Petri oratum singulariter est a Filio ne deficeret, consideret sapiens rex quam laudabiliter primum fecerit Urbem quærens ad quam iste talis et tantus apostolus venit et prædicavit, cui, Patre revelante, veritas Filii patefacta est, et cujus fides, quia Filius rogavit, non defecit. Ad hanc quippe Romanam urbem post Antiochiæ, quam in transitu visitavit, fundatam ecclesiam, tanquam ad mundi dominam properavit; et illic consequenter Filium Dei vivi, quem non carne vel sanguine, ut prædiximus, sed eo revelante, sicut veraciter cognovit, veraciter et prædicavit: super quam etiam solidam confessionis petram suam Dominus Ecclesiam fabricavit; et hæc est petra illa supra quam, ut Salomon ait, serpentis non invenitur vestigium. Pro hac itaque purissima fide beatus Petrus Romæ moratus, in hac stabilivit Ecclesiam, et sede apostolica diutius gubernata, pro hac fide decus mortis assumpsit; sicque sanctam Romanam Ecclesiam in hac fide fundatam proprio sanguine cum Paulo, qui ab Jerusalem usque ad Illyricam regionem, scilicet in qua nunc vos habitatis, Evangelio replevit, Domino Deo consecravit et dedicavit; qua fide tanto intra breve tempus Romani creverunt et floruerunt, ut prælatus egregius apostolus mox in principio epistolarum suarum pro ea Deo gratias agere et denuntiare præconia videatur (*Rom.* I). Hanc itaque fidem fugere semper et suade, charissime, pio regi sitire: hanc non alibi præcipue quærere nisi Romæ, ubi plantata est et radicata a beato Petro, qui hanc, ut supra ostendimus, sicut veraciter cognovit veraciter et prædicavit: quoniam sicut aqua nunquam potest alibi tam munda vel tam limpida quemadmodum in fonte unde originem protrahit, inveniri, ita et fides nunquam omnino poterit alibi tam pura vel tam nitida reperiri sicut in Ecclesiæ nostræ vivario, ubi eam non tecta perstillantia, quibus litigiosa mulier, id est hæretica pravitas, comparatur; sed ille polorum claviger ubertim et purissime congregavit, qui ex ipso fonte vivo hanc cœlitus hausit et limpidissimam conservandam mandavit. Hæc, charissime, pio regi A loquere, et exhortare in Christo Jesu, ut pro accepto et multiplicato familiaritatis talento in gaudium Domini nostri merearis intrare. Nos vero, si nos audieritis, quia vos tanquam fratres et filios summo amore diligimus, de lucro vestri gaudebimus et superexsultabimus; sin autem, dicemus omni Ecclesiæ, et sicut Dominus præcepit (*Matth* XVIII), vos tanquam ethnicos et publicanos habebimus: et tunc vos videritis, cum in varias errorum tentationes incideritis. Missa per Paulum, et Eugenium reverendissimos et sanctos episcopos. Data mense Aprili, die XVI, indictione undecima.

CX.

AD QUEMDAM EX NOBILIBUS BULGARIS [a].

(Anno 878.)

B *Ejusdem argumenti, suntque fere eadem verba quæ in superiore.*

Christianissimo regi apostolatus nostri mittentes epistolam, dignum duximus ut et tuæ quoque gloriæ scriberemus, et gemitus ac dolores nostri cordis aperiremus, quos assidue patimur suspirantes, et tristes penitus incedentes et stupore nimio admirantes, quomodo ipse sapientissimus rex et vos ipsi averti potueritis, et a recta semita declinare, et a sede beati Petri apostolorum principis omnino recedere; cui, sicut Evangelium refert (*Matth.* XVI), non caro et sanguis, id est humana sapientia, sed ipse per se Pater Filium proprium revelavit, cum alii hunc Joannem, alii Eliam, alii Jeremiam aut unum ex prophetis existimarent. Scribimus ergo tanquam fratri ejus et charissimo nostro. Nam C cuncta quæ ad salutem gentis vestræ a nobis acta sunt, et quot et quantos labores pro instructione vestri nos assumpserimus, ipse profecto non nescis. Et bene quidem primum in nobis delectabamini et spiritalibus gaudiis et profectibus fruebamini; sed nescimus quis vos de cætero fascinaverit, quis deceperit, quis organum factus diaboli, qui olim per serpentem Evam seduxit, vos a recto itinere callida suasione retraxerit. Unde non parum dolemus nec leviter anxiamur: et idcirco te, virorum optime, cohortamur, loquere ad aures ejusdem dilecti filii nostri regis, cui et Dominus ipse potius ad aures præcordiorum loquetur, ut primam fidem non faciat irritam, ut ante se gradiens, retro nequaquam respiciat, viam qua ambulabat non deserat, evanD gelicam legat historiam, et videat ibi præcipue soli Petro Christum Dei vivi Filium revelatum. Ad hujus ergo beatissimi Petri sedem alacri pectore rex Christianissimus redeat; et sicut servus, cum quid sumpserit noxium, desiderat ad fontes aquarum (*Psal.* XLII), ita desideret et sitiat anima ipsius ad salutifera ejus doctrinæ fluenta. In quo pio tua laboret opere præ cunctis solertia, ut non solum fratrem charissimum lucrifacias, sed et de salute omnium vestrum ipse mercedum præmia consequaris. Nihil enim placet Deo plus his qui ab errore converti faciunt homines, vel qui ad justitiam erudiunt

[a] Hæc epistola apud Mansi perperam inscripta est: *Michaeli glorioso regi Bulgarum, ut ex contextu patet.*

plurimos. Et ideo pro tam sancto labore, beato Petro clavigero regni cœlestis intercedente, operies, sicut scriptum est (*Jac.* II), multitudinem peccatorum, et stabilieris quasi cœli firmamentum et dies æternitatis. Sed et nos interim te in devotorum numero filiorum habebimus, et confessionibus apostolorum principum memoriam tui jugiter commendare nullatenus omittemus. Data mense Aprili, indictione XI.

CXI.

AD IGNATIUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

(Anno 878.)

Tertio jam commonet, ne Bulgarum regionem ad Ecclesiam Romanam jam antiquitus pertinentem usurpet, et eo, vel ab ejus suffraganeis in ea regione consecratos episcopos intra triginta dies illinc educat: et nisi post duas menses paruerit, Dominici corporis et sanguinis communione, et si perseveraverit in contumacia, patriarchali etiam dignitate privat.

Reverentissimo confratri nostro IGNATIO patriarchæ Constantinopolitano.

Secundo jam sedis apostolicæ litteris probaris admonitus, et per missos ejus contestatoriis conventus hortatibus, jure tibi Constantinopolitanæ diœceseos, quod per ejusdem primæ sedis auctoritatem et favorem, annuente Deo, receperas, rite contentus, ultra prafixos tibi ex canonibus limites præsumptionis pedem non tenderes, nec antiquos termimos quos posuerunt patres tui aliqua usurpatione transferres. Nullus autem ignorat regionem Bulgarum a sanctæ memoriæ Damaso papa, et deinceps usque ad paganorum irruptionem a sedis apostolicæ præsulibus, quantum ad ecclesiasticæ provisionis attinet privilegium, moderatam. Præsertim cum hoc nonnulla scripta, sed præcipue diversorum pontificum Romanorum res gestæ quæ in archivis antiquitus nostræ reservantur Ecclesiæ, clarius attestentur. De his autem quæ bellica clades et gravissimi hostilitatis incursus intulisse noscuntur, nil præstantius sentiendum est quam quod clarissima Ecclesiæ tuba, sanctus videlicet Leo nostræ sedis antistes, edocuit et decrevit, cum ait (*epist.* 85): Adhibenda, inquiens, curatio est, ut vulnera quæ adversione hostilitatis illata sunt, religionis maxime ratione sanentur. Qui statu rerum, auxiliante Domino, in meliora converso iterum dicit: Remotis malis quæ hostilitas intulit, unicuique id quod legitime habuit, reformetur; omnique studio procurandum est ut recipiat unusquisque quod proprium est. Et rursus: Quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur. Sed hæc, reverentissime frater, omnia clausis oculis relegisti, sanctorumque Patrum decreta calcaneo temerario conculcasti, ac multiplicium tibi beneficiorum sedis apostolicæ præstitorum oblitus, contra eamdem sanctam sedem, benefactricem videlicet tuam, et erectus es, priscam diœcesim in regione Bulgarica constitutam illicita pervasione subripiens, et in alienam messem contra divinas leges mittere falcem non renuens. Unde merito post primam et secundam commonitionem a nostræ te debueramus communionis contubernio sequestrare, *in promptu habentes*, secundum Apostolum, *omnem ulcisci inobedientiam* (*I Cor.* X); qui etiam dicit: *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, ut non commisceamini cum eo* (*II Tim.* III); sed quia sedis apostolicæ moderatione utentes; spiritu lenitatis potius quam severitatis erga correptionis tuæ flagramus affectum, ecce tertio canonice per missos et syllabas commonemus, et hortamur, et protestamur, ut nullam omnino moram perpessa, strenuos viros in regionem Bulgarum dirigat, qui per totam patriam peragrantes, quoscunque illic repererint qui a te vel a subjectis tibi consecrationis munus accepisse dicuntur, sine quavis dilatione reducant: ita ut intra triginta dierum spatium nullus episcopus, nullus omnino clericus, qui tuæ ordinationis, imo inordinationis sunt, inter omnes Bulgarum fines inveniatur. Non enim patimur eos quos ibidem tu illicite constituisti, quos et ab apostolica esse jam sede hujus rei gratia constat excommunicatos, errore suæ prævaricationis corda novorum Domini famulorum inficere: quos videlicet in fide instructionis manu plantavimus, et aqua salutaris fontis doctrinarum rigavimus, atque horum auctori Deo ad incrementum spiritus dandum, ut sit ipse in omnibus primatum tenens, obtulimus. Porro si intra triginta intervalla dierum omnes quos vel tu, vel episcopi tui consecrasse in aliquo gradu putantur Ecclesiæ, a totius regionis Bulgaricæ terminis non eduxeris, et temetipsum ab omni ecclesiastico illius jure diœceseos non subduxeris, tandiu sancto corpore ac pretioso sanguine Domini nostri Jesu Christi post duos menses a die numerandos qua hujus epistolæ tomum acceperis, esto privatus, quandiu his obstinatus decretis nostris minime obedientiæ colla submiseris. Jam vero si pertinaciter in hac indisciplinatione atque pervasione permanseris, et episcopos et quotquot illic vel illi vel tu consecrasse videris, foras illinc minus expuleris, omnipotentis Dei judicio et beatorum apostolorum principum auctoritate nostræque mediocritatis sententia, omni patriarchatus esto dignitate, quam favore nostro receperas, alienus et exsors, nullo penitus summi sacerdotii privilegio præditus vel potitus. Data mense Aprili, indictione XI, missa per Paulum et Eugenium episcopos.

CXII.

AD EPISCOPOS ET CLERICOS GRÆCOS.

(Anno 878.)

Declarat eos excommunicatos quod Bulgarum regiones invadentes illicitas ibi ordinationes fecerint; dignitate etiam privandos, nisi intra triginta dies ex omni Bulgarica regione decesserint. Si quis autem paruerit, restituendum ei episcopatum decernit quem in Græcia habebat; et si nullum antea habebat, vacantem, si dignus est, eidem conferri jubet.

Omnibus episcopis et cæteris clericis Græcis Bulgariæ diœcesos invasoribus, ac per hoc excommunicatis.

Miramur vos et vehementer obstupescimus sanctorum Patrum canones obturatis oculis relegisse,

et calcata conscientia, terminos æternos a Patribus positos transtulisse, et in alienam messem judicii falcem misisse, in Illyrici provincias, quas nunc Bulgarum natio retinet, ingredientes, et ordinationes illicitas perpetrantes, cum et sacra concilia sub sede beati Petri apostolorum principis, has olim provincias deguisse patenter innuant, et rerum gestarum a sancto Damaso papa conscripta manifeste denuntient. Et statu causarum, Deo auxiliante, in melius jam pridem converso sedes apostolica sit ab eis qui hanc habitant regionem recognita, requisita et multis precibus invitata : nosque illuc episcopos et inferioris ordinis sacerdotes cum præceptis sedis apostolicæ miserimus, et multos labores pro instructione illius regionis arripuerimus. Nam et si quidam vestrum clandestina illuc sorte venerunt, apte de illis dicere possumus illud Domini dictum asseverantes : *Omnes qui ante me venerunt, fures fuerunt et latrones (Joan.* x). Ipse quippe Dominus per prophetam dicit : *Veniebant et ego non mittebam eos.* Nam quidam autem ambitus et avaritiæ causa illuc accessuri profecti sunt, non autem vocati, nec invocati, licet nec sic in vestram vos diœcesim ad aliquam dispositionem faciendam introire convenerit. Quia igitur contra sacras vos multipliciter egisse regula deprehendimus, excommunicavimus vos, et estis excommunicati. Quisquis autem ex vobis intra triginta dierum spatium cognitæ hujus apostolicæ sanctionis, omni Bulgaricæ regioni non cedens, in ea quamlibet ordinationem vel dispositionem patrare ultra prædictum spatium obstinate præsumpserit, sanctorum Patrum auctoritate nostrique judicii sententia proprio caret officio, non nisi resipiscens pœnam evasurus, aut veniam aliquo modo speraturus. Si quis autem vestrum humiliter ac obedientur his salubribus monitis nostris parens, Bulgaricæ locum dederit diœcesi, noverit nos decrevisse sibi episcopatum restitui quem eum in regione Græcorum prius habuisse constiterit : porro et si nunquam habuit, vacantem illi tribui ; si tamen talis persona sit cui nulla in hoc regula Patrum valeat obviare.

Missa per Paulum et Eugenium episcopos. Data die XVI mensis Aprilis, indictione XI.

CXIII.

AD BASILIUM IMPERATOREM.

(Anno 878.)

Dolet Constantinopolitam Ecclesiam schismate adhuc laborare ; qua de re legatos mittit.

Missa per Eugenium et Paulum reverendissimos episcopos.

Dilectissimo nobis et desiderabili filio BASILIO Christianissimo et tranquillissimo imperatori.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui misertus et consolatus est nos in præsenti sæculo nequam (*III Cor.* I); visitans et redemptionem faciens tam pium tamque benignum imperii vestri cornu salutis erigendo in domo David (*Luc* II), Christi videlicet pueri sui. Vos enim, fili charissime, minus imperatoria dignitate, secundum Apostolum qui ait : *Æmulamini charismata meliora* (*I Cor.* XII), contenti, etiam angelorum estis ministerium imitati, dum pacem in terra bonæ voluntatis hominibus exoptatis, et beatos per id ac cœlum vos visuros luce clarius demonstratis. Utraque siquidem epistola vestro pontificio nostro missa hujus vos flagrare desiderio patenter insinuat, et hanc vos ad statum Ecclesiæ, unde pravorum dissensione repulsa est, inhianter velle reducere, indicio evidenti demonstrat. A Deo quippe provectum imperium vestrum, quod eo auctore, justitia et triumphis ornatis, minus nimirum validum minusque gloriosum putatis, nisi etiam summa condecorare pace seu concordia satagatis. Nos autem, dilectissime, audientes in Constantinopolitanam Ecclesiam dissensionis adhuc scandala fluctuare, nonnullosque religiosi habitus viros hac illacque dispersos atque dejectos ignominiose tractari, merito ingemiscimus et multa mœstitia fatigamur ; præcipue pacem sentimus illic continua contentione turbatam, quam per multos sedis apostolicæ labores jam credebamus ædificatam ; et sacratos quosdam diversas injurias didicimus passos, quos ab omni oppressionis fasce sperabamus ereptos. Portamus quippe omnium onera qui gravantur, imo portat hæc in nobis amator vester beatus Petrus apostolus qui nos in omnibus sollicitudinis suæ protegit ac tuetur hæredes : sed quia et professionis nostræ officio cum Jeremia nihilominus dicitur : *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas, et disperdas, et dissipes et plantes* (*Jer.* I), et etiam vestra pietas ab apostolatu nostro pro hoc ipso personas postulat. Ecce strenuos e latere nostro viros dirigimus, qui si qua illic inter hæc diligenti studio deprehendant, et his radicitus, secundum Domini mandatum, evulsis, destructis, dispersis et dissipatis, pacem et unitatem et charitatem et congruenter ædificent simul et plantent. Nam quomodo habere poterunt charitatem, qui dividunt unitatem ? nos autem pro Christo legatione procul dubio fungimur, cum paci Ecclesiæ studium impendere procuramus. Quia vero Deo amabiles viros, quos nominatim litteris expetitis, quibusdam incommodis impeditos destinare nequimus, misimus Paulum et Eugenium sanctissimos et reverendos episcopos, dilectosque consiliaros nostros, quorum nobis et fides probata et scientia manifesta est : quibus scripto dedimus in mandatis ut, omnibus simultatibus sopitis atque sedatis, quæ ad pacem sunt, sanctorum magistra regula Patrum, toto conamine construant, et omni contentione sublata, justitiæ tribuant, Deo, propitio, palmam, hoc duntaxat ad laudem Dei agentes, et ad præconiorum vestrorum cumulum, sicut vos agere de die in diem decet, addentes. Verumtamen ignorare pium imperium vestrum nolumus nos apostolicæ sedis præcepisse legatis, ut causa tantum visitationis gloriosum ejusdem provinciæ [a] principem adeant, et de optata

[a] Forte loquitur de rege Bulgarorum.

memoria ei apostolorum, ut condecet, expletis officiis persalutationis edicant. Ideoque rogamus ut aditu eis annitentibus vobis concesso, talem illis industrium virum [*deest* tradatis *aut quid simile*] qui eos usque ad prædictum principem salvos ducat atque reducat, facta in scriptis de ea minime iterum usurpanda professione. Optamus vos per multos annos in Christo bene valere, et de barbaris jugiter hostibus triumphare, spiritualis et desiderabilis et Christianissime filii semper Auguste. Data indictione XI.

CXIV.

AD EUMDEM.

(Anno 878.)

Ut legatis a se missis fidem adhibeat, et opem Romanæ Ecclesiæ ferat.

Dilecto filio semper in Domino triumphanti BASILIO piissimo imperatori Augusto.

Scimus, venerabilis imperator, scimus et omnimodo novimus vos prudentia pollere, æquitatem diligere, pietatem extollere, directiones plantare et vitia evellere. Scimus et liquido credimus vos sanctæ Romanæ Ecclesiæ vigorem et decus velle augere, tribulationes gemere, angustias dolere, et necessitates pio intuitu, quantum ad vos pertinet, amovere. Hujus rei gratia, maximam de vobis fiduciam assumentes, quidquid eamdem sanctam matrem vestram Romanam Ecclesiam oppido affligit et lacerat, vobis singulari quadam spe committimus audiendum et corrigendum. Tamen ne vos, quos secretorum nostrorum conscios esse cupimus, lateat quod his diebus contra Dei voluntatem contraque salutem totius Christianæ fidei, ac contra privilegium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, seu contra morem reique publicæ statum Romæ peractum est, his missis nostris Paulo et Eugenio episcopis verbotenus vobis dicenda commisimus. Quæ vos ita credere deprecamur ac si nos vobiscum loquamur, et credentes, si nobis ferre opem, vel aliquam consolationem valeatis, et veluti dilectus filius reverendæ matri assolet, omnimodo conferatis deposcimus. Habebitis enim pro his sanctos apostolos adjutores, et nos possidebitis devotiores vestros apud Dominum semper intercessores. Data IV Kalendas Martii [*f.* Maii, *ut constat ex superioribus*], indictione XI.

CXV.

AD LUDOVICUM BALBUM REGEM.

(Anno 878.)

Deplorat mortem Caroli imperatoris patris ejus; hortatur ut pacem habeat cum regibus consanguineis suis, et Ecclesiæ inimicos persequatur, præcipue Lambertum ducem, cujus diras infestationes commemorat; denique in Galliam se venturum, ibique synodum celebraturum significat.

LUDOVICO glorioso regi, filio divæ memoriæ Caroli II imperatoris Augusti.

Quanto deinde amore dilectionis pro tantorum bonorum virtutibus, et pro omnipotentis Dei quotidianis genitorem vestrum dilexerimus cultibus, horum, Christo conscientiæ nostræ teste, absque lacrymarum effusione factorum reminisci nullatenus possumus. Et A quanquam gaudendum sit quoniam eumdem, post felicis cursum operis inter angelorum cœtum paradisi susceperint præmia vitæ perrennis, flendum nihilominus convenit quod tantum adjutorem Ecclesiarum Domini diffusarum in orbe præsentia corporali, heu, proh dolor! amiserimus. Præsertim cum hoc in tempore sancta Romana Ecclesia, mater omnium, quæ meæ mediocritati commissa est, Jesu æterni dispositione consilii, in quo ut cum Apostolo pace quorumcunque dixerim, fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X), in tot persecutionibus atque adversitatibus diu lacessita, domesticorum debacchatione fatigetur, ut cogar cum Propheta erumpens exclamare: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* (*Psal.* LXIX); et rursus: *Domine, libera animam* B *meam a labiis iniquis et a lingua dolosa* (*Psal.* CX). Sed vos, fili charisssime, hortor ac moneo paterno amoris affectu, ejus imitari in Ecclesiarum exaltatione vestigia vitæ spiritalis, cujus floris decore natus regia dignitate existis. Primum ut pacis unitatem vinculumque charitatis cum fratribus vestris, nimirum Ludovici regis Bajoariorum filiis, cumque fidelibus Christianis tenens, demum contra insanientis rabiem, atque tyrannos, paterno provocatus exemplo, virtutem roboris, Christi auctoritate, in defensionem matris vestræ, a qua et potum prædicationis in proavis, et infulam imperii accepistis, medullitus viriliterque effundere valeatis. Quia, quod dici sine lacrymarum imbre nullo modo potest, prodiit in hoc tempore apud nos ex massa peccati radix ac fomes nequissimæ perditionis Lambertus, Widonis C quondam Spoletani dicis horrendus filius, fatemur membrum Antichristi, qui adversatur et extollitur derogando adversus ortum regalis progeniei, et se turpis lucri cupidum clandestina machinatione, rapacitatis ardore, nunc huc atque illuc tergiversando, cum mœcha sorore Rotilde, cumque complice suo infido Adelgerto marchione, imo patriæ prædone, ad facem, ut vera fama volitat, impudenter, quod Deus avertat, sustollere Romani imperii; et nunc, utpote abominatio desolationis atque perditionis filius, caput scorpii et aspidis surdæ, destruit dilapidans, perque nequam suos disperdit prædones omnem terminum sancti Petri ac Pauli protectorum vestrorum, ubi et pro qua re omnes pene nostri fideles in paupertatem ac necessitatem re- D dacti videntur, sacramentisque ut sibi conspirent, et ne ad nostram occurrant jussionem, omnis territorii sanctorum apostolorum homines constringere non omisit. Nunc etiam Tarentum legatione directa paganis, donaque transmittens, atque ab eis accipiens, suppliciter deprecatus est, ut sibi, cum significatum fuisset, phalangæ Agarenæ ad perniciem Christiani populi quantocius deferant auxilia. Qualiter denique fraude nequitiæ, et per perjurium, in sinu Ecclesiæ nostræ nos deceperit, urbemque sacram invaserit, hic ea ideo prætereundo silemus, quia in alio opusculo ad omnium Christianorum notitiam, quos idcirco anathematis vinculis innodavimus, nonnulla

conscripta teneamus. Pro qua re, domine fili charissime, A contra nova et inaudita in Christianis mala, novum jam fessus et fatigatus certaminis laborem, navalis scilicet periculi, fluctusque maris, assumere desiderans, me tantis periculis [*edit. Rom. legit* assumere iter de transmetantis periculis, etc.] ad vos veniendo pro Ecclesiarum sanctarum omnium liberatione, juxta Apostolum, non faciens animam meam pretiosiorem quam me. Et ecce, quantum ad mei ministerii regimen spectat, non recuso pro Christi Domini ovium, ope ejus, liberatione mori, detrimentumque sufferre. Vos, quæso obnixe, vos, fili charissime, lacrymas meas arduumque laborem aspicite; et ad defensionem sanctæ matris vestræ vestrum animum fideliumque vestrorum adhortatione continua præparate, et mecum unanimiter lupis rapacibus B baculos redargutionis studete tenere; quatenus, duce Unigeniti gratia, post longa temporum spatia, cooperatores effecti nostri certaminis, de purpura terreni, imperii ad coronam venire valeatis perpetuam. Et epistolas reliquas, quas confratribus vestris, Carolomanno videlicet, et Ludovico, atque Carolo juniori, dirigimus pro talium adhortatione, precamur, gloriæ vestræ decentiam, easdem illis sine mora destinare dignemini, omnibusque reverentissimis archiepiscopis, et clero totius ordinis regni vestri, paterna peto adhortatione significari præcipite, quoniam, Domino miserante, apud vos synodum celebraturi sumus cunctis populis Christianis perne cessariam. Quæcunque nosse vos cupimus, sane deinceps sumus acturi de negotiis ecclesiasticis. Te C quoque, charissime fili, auctoritate sancti Spiritus Dei nostri, ad vicem genitoris vestri domni Caroli perpetui imperatoris Augusti, a secretis constituo meum consiliarium, qui, ut dici assolet, pars animæ meæ fuit, et quæque agenda sunt, coge adunaque consilium: quia in fonte tui cordis primum intingendus calamus, deinde manus nostra formabit characteris apices.

CXVI.

AD LUDOVICUM BAJOARIORUM REGIS FILIUM.

(Anno 878.)

Hortatur ad servandam pacem cum patruelibus; invehitur in Lambertum Spoletanum ducem: rogat episcopis significet ut ad synodum accedant.

LUDOVICO Bajoariorum regis filio.

Scriptum enim vero in Salomon legimus: *Filius sapiens lætificat patrem, et est gaudium matris quæ* D *genuit eum* (*Prov.* X); quapropter, quoniam te, Ludovico filio Caroli, Ludovico filio Ludovici regis, æternitatis prescientiæ suæ consilio omnipotens Deus ex regum imperatorumque est dignatus producere prosapia, et tunc illum plene lætificare contenditis, si vestræ matri ejusque immaculatæ sponsæ adversus insidiantium ictus atque illius laceratores tota virtute concurritis, omne quoque nixu more parentum pravorumque vestrorum auxilii consolationem conferre, spreta personarum acceptione quarumlibet, quantocius festinatis, sancti Spiritus per Salomonem verbis testantibus: *Frater et amicus in angustiis comprobatur* (*Prov.* XVII); et bene nobis filiatio adoptionis vestræ spiritualis favere valebit, si pacis et unanimitatis cum fratribus vestris, Christo opifice, concorditer tenere consulte satagitis vinculum; quia in vestra pace, fatemur totius Christiani populi salus consistit; qua demum necessitate, quave fatigati angustia, relicta sede propria apostolici culminis, compulsi sumus Franciam petere, vosque paterno affectu deposcere, quatenus una nobiscum positi de communi salvatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ et reipublicæ statu tractaremus, in paucissimis nunc patefacimus, quia in alio opusculo qualiter nefarie sit peractum ad omnium Christianorum notitiam reservatur conscriptum; quod luce clarius advertitis. Lambertus Spoletanus perfidus dux, Widonis quondam stirps, perditionis filius, in quantam superbiam pro cupiditate, ut fama vera se habet, Romani imperii eruperit, in nostris tribulationibus atque angustiis procul dubio cognoscetis ad liquidum. Romam siquidem clandestina fraude devotum venire se simulans, a nobis velut filius pacis benigne susceptus: quid virulenti consilii corde gestiens [*f.* gereret] in crastinum sequentis diei diluculum demonstravit: nam deputatis custodibus, verum etiam satellitibus, ad portam Urbis quæ ad beati Petri apostolorum principis euntibus pandit iter, nullum nostrorum fidelium ad nos egredi patiens, cibos deferentes coercens, asserit Carolomannum regem sibi talia horrenda facere præcepisse. Quod idcirco non possumus credere, quoniam ex vestra progenie nullus cervicem superbe contra hanc extulit sedem, sed propter Deum suppliciter colla submisit. Nos, fili charissime, pro Domini Ecclesia et ejus ovibus animam ponere cupientes, ecce marinos fluctus undasque salis ad vos veniendo per difficile iter assumpsimus, vobiscumque simul positi, Domino miserante, universale synodum celebrare disponimus totius sanctæ Ecclesiæ, vobis obsecundantibus, provectum et exaltationem loco percongruo satagemus peragere. Quod, quæso, regni vestri omnibus archiepiscopis coepiscopisque nostris innotescere dignemini, eosdemque nobis adesse continua maturitate accelerare monete. Data *ut supra*.

CXVII.

AD CAROLOMANNUM REGEM.

(Anno 878.)

Ejusdem pene argumenti.

Dilecto filio CAROLOMANNO glorioso regi.

Quanta denique exaltatione sponsionis vestræ sanctam Romanam Ecclesiam, videlicet matrem vestram omniumque Christianorum, quæ vos et lacte suæ prædicationis ab uberibus et ad imperialia a proavis sceptra sanguine regum excellenter produxit, sublevare curetis, et epistolari textu, et internuntiis nuper ad nos directis reminiscimur pleniter, fontemque ubertim cordis vestri solita pietate parentum vestrorum circa omnipotentis Dei famulatum miseratione abundare reperimus: vestrum quoque ad prædictam matrem vestram, uti gloria culminis vestri spopon-

derit, tanto avidius enixiusque quotidiana præstolatione adventum exspectavimus, quanto pro augmento mercedis vestræ nos nostramque Ecclesiam in tot adversantibus laborantem, super omnes imperatores atque reges qui ante vos fuerunt exaltare ac beatificare omnimodo promisistis. Sed, heu proh dolor! fesso mihi paganorum persecutione ac gladio, atque exactionis [*f.* exactione, Hard.] census vigintiquinque millium in argento mancusorum annualiter, imo prædictæ vestræ matri additus civilis mucro angustiæ est, qui pene nos funditus peremisset, nisi subita miseratione illius solaremur auxilio, qui fidelibus pollicens inquit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Exierunt quidam ex nobis, sed non fuerunt ex nobis, confitemur neque ex nobis [*forte melius*, neque, ex vobis, Hard.], qui tanta Romanam Ecclesiam dehonestatione urbemque sacram, nos quoque fatigaverunt atque oppresserunt, ut simile nec in Christianis regibus factum reminisci ullo modo possit. Lambertum fateor, atque Adelbertum electos marchiones, qui hostili manu occultaque fraude qualiter nos affecere, culminis vestri gloriam latere nulla potuit ratione, quod ad omnium vestrum notitiam in suo scriptum tenetur opusculo. Nobis enimvero ad vos inter cætera mala iter clausere venire cupientibus; qua necessitate compulsi, navale, animam præ manibus habentes, assumpsimus laboriose periculum, et commodum duximus Franciam ire, vestramque fraternam compagem in pacis et unanimitatis vinculum consolidare, vestræ matris sæpe dictæ liberationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ necessario quærere. Vos siquidem illuc omnesque vestrorum regnorum episcopos ad synodum celebrandam venire hortamur. Data de civitate Genuensi, et directa gloriæ vestræ per Anspertum Mediolanensem confratrem et coepiscopum nostrum.

Præsentem [præsentium] latorem Petrum cardinis ecclesiæ nostræ presbyterum gloriæ vestræ plurimum commendamus, eumque ad nos quæsumus cum vestris missis atque opitulatione festinanter remittite.

CXVIII.

AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

(Anno 878.)

Monet ut quantocius ad synodum in Galliam cum suffraganeis accedat: queritur de perfidia Lamberti Spoletani comitis.

Ansperto venerabili archiepiscopo Mediolanensi.

Pro innumeris igitur et multiplicibus oppressionum angustiis totius sanctæ Ecclesiæ in orbe terrarum diffusæ, synodum universalem, Christo opitulante, in Francia (quia in Italia, persecutione malorum grassante [a]) Petrum presbyterum cardinis nostri, quem ad Carolomannum regem dirigimus, fraternitati vestræ plurimum commendamus (minime potuimus) sumus celebraturi, ad quam fraternitatem vestram quantocius, omni mora postposita, occurrere admonemus, cum cunctis coepiscopis ac suffraganeis vestris, exceptis his quos sacri canones pro incommodis causis stare patiuntur. Quoniam in ea, Christo cooperante, omnium Ecclesiarum speramus erigi statum atque vigorem. Hoc iterum iterumque monemus, hortamur expresseque mandamus, ut nulla vobis mora nullumque tempus præpediat, donec nobis vestrum adventum in præsentia præbeatis; [b] id est Lamberti perfidi Spoletanis ducis Widonis filii, ejusque complicis Adelberti marchionis, vel, ut melius, patriæ proditoris, qui clandestina fraude pacifice venire se simulans, in dolo ad portam urbis custodes deputans, sacramque civitatem tyrannus invasit, nosque cum fidelibus nostris intra ecclesiam beati Petri apostolorum principis inaudito atque horrende coarctare inter cætera mala [c]. Data *ut supra* [d].

CXIX.

AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

(Anno 878.)

Ut in Romanæ Ecclesiæ fide perseveret; præsentium latorem commendat.

Dilectissimæ filiæ Angelbergæ imperatrici Augustæ.

Reminiscentes omnium bonorum vestrorum, quotidie Deo nostro gratiarum actiones referimus, qui vestrum animum tanta sollicitudine circa devotionem ab exordio sanctæ Romanæ Ecclesiæ spirituali flammæ adustione perussit. Sed nunc, filia mea charissima et in Christo devota, quæso, vires sollicita ingenii acutissimi, et in hoc inopportuno tempore solita bonitate concurre, quatenus cœptum bonum usque ad consummationem operis perductum æterni retributoris præmia recipere valeatis. Latorem quoque præsentium Petrum cardinis nostri presbyterum, quæso in omnibus habeas commendatum, vestroque consilio prudentissimo iter illius solita pietate disponite, quatenus, Deo duce, ad nos possit redire incolumis. Data *ut supra*.

CXX.

PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO TORNUTIENSI.

(Anno 878.)

Confirmantur bona eidem monasterio olim concessa.

Anno Dominicæ incarnationis 878, indictione undecima, regnante piissimo atque gloriosissimo rege Ludovico, Caroli filio serenissimi Augusti, auxiliante Domino nostro, in honorem ejusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi. Ego Joannes episcopus, servus servorum Dei, atque prædictus filius noster gloriosus rex Ludovicus, constituimus conventum venerabilium archiepiscoporum necnon et præsulum totius regni Trecas civitate, quo interfuit memoratus rex piissimus: eoque peracto, precatus est nos cum filiis et fratribus nostris episcopis jam dictus gloriosus impetor ut Tornutium monasterium, quod fundatum est in comitatu Cabilonensi super Sagonnam fluvium,

[a] Hæc verba non cohærent sequentibus.

[b] *Ut causam communis hostis una mecum judicetis.* Hæc vel alia hujusmodi verba hic deesse videntur. De Lamberto et Adelberto Aimoin., l. v, c. 37.

[c] Videtur hic deese, *conatus est.*

[d] In editione Romana in principio hujus epistolæ sic legitur: *Ad archiepiscopum de Mediolano; ad patriarcham de Foro-Julii; ad Joannem de Papia.*

ubi martyr Christi Valerianus corpore quiescit, quod dudum pater ejus Carolus imperator, vel ipse postmodum per præceptorum seriem, monachis sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Philiberti inclyti confessoris, præsentibus et futuris, ob vitandam Marcomannicam severitatem contulerant, cum omnibus rebus ab ipsum locum aspicientibus, privilegio nostræ auctoritatis corroboraremus. Cujus piissimo mandato eo libentius cessimus, quo etiam nos idipsum precutaros perspeximus amplius. Igitur privilegio nostræ auctoritatis confirmamus eis omnia, quemadmodum in præceptis gloriosissimorum imperatorum sunt inserta, id est prædictum locum, et omnes res ei adjacentes, cum omni libertate. Et in comitatu Arvenico cellam S. Portiani, cum omnibus appendiciis. In pago quoque Sanctonico, Asinarias cum omni sua integritate. Et in Pictaviensi territorio cellam S. Prudentii, cum omnibus rebus adjacentibus. Et in pago Andegavensi, Cunaldum cum omni integritate. In pago vero Cenomanico, Bussiolium cum omnibus appendiciis. Et pago Vallaico, cellam quæ vocatur Godditus, cum omnibus rebus ad se pertinentibus. Itaque in partes Burgundiæ, in pago Lugdunensi, Bisiacum villam cum ecclesia. Et in pago Matisconensi, cellam S. Romani, et Olcasiacum villam cum ecclesia et omnibus appendiciis. Verum quia ob vitandam persecutionem Nortmannorum, Geiloni inclyto abbati, monachisque præsentibus et futuris, prædictum locum gloriosus rex, necne pater ejus contulerant, et pontificialis calliditas nimis eumdem locum subegerat, postulavit isdem rex ut tam larga eleemosyna, immunis atque libera haberetur ab omni pontificali potentia, nostra annuente clementia. Cujus petitionibus favens omnis episcopalis conventus, abnegare nequivimus quod tam pie postulabat imperator gloriosissimus. Auctoritate ergo quam in Christo Jesu Domino nostro summo sacerdote in B. Petro accepimus, prædictum monasterium cum omnibus habitis et habituris, Geiloni venerabili abbati sanctæ genitricis Dei, et supra dictis sanctis futurisque post eum abbatibus ad monasticum ordinem inibi, Deo adjuvante, excolendum delegamus, et delegantes jubente filio nostro piissimo rege, inviolabiliter et inseparabiliter sine distractione aut immutatione vel qualibet minoratione perpetualiter confirmamus. Anathematizamus igitur auctoritate B. Petri apostoli et nostra, ut nemo antistitum præsentium vel futurorum, locum adire præsumat, qualibet occasione excommunicationis, vel absolutionis, seu sacræ ordinationis, nisi ab abbate vel monachis loci fidelibus fuerit invitatus. Quia injustum decernimus, ut gloriosa mundi regina, quæ exaltata est super choros angelorum, humanis subdatur potestatibus. Cæterum ab omni sæculari potentia locum decernimus esse liberum et quietum: et ut caput habeatur omnium quæ præscriptis sanctis vel loco oblata sunt ac deinceps oblatum, annuente Deo fuerit, ut in regum reperitur præceptis. Si quis autem temeraria præsumptione cæcaque cupiditate, quod Dei et nostra auctoritate firmamus, in aliquo infringere præsumpserit, æterna se sciat damnatione mulctandum, et cum diabolo et angelis ejus perpetuo incendio cremandum: a liminibus quoque sanctæ Dei Ecclesiæ habeatur extorris, quousque ab illicita præsumptione resipiscens, condigna pœnitentia et emendatione iram omnipotentis Dei quam incurrere non timuit placare procuret, Harum itaque sanctionum evidentissimam confirmationem, manibus sacrorum præsentium pontificum subnotavi, absentium quoque consacerdotum nec minus idoneis stipulationibus, per Christum et in Christo fulciri postulamus,

Hincmarus Rhemorum episcopus in Christi nomine roboravi.

Ansegisus episcopus Senonensis.

Ottulfus episcopus. Gissibertus episcopus. Hildibaldus episcopus. Berno episcopus. Geraldus episcopus. Hincmarus episcopus Laudunensis. Edenulfus episcopus. Joannes episcopus. Raganulfus episcopus. Adalardus archiepiscopus. Alericus episcopus. Abbo episc. Agilmarus episcop. Ingilwinus episcopus. Acfredus episcopus.

Datum III Kalendas Maii, per manum Christifori primicerii sanctæ summæ sedis apostolicæ, imperante piissimo Ludovico.

CXXI.

AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

(Anno 878.)

Arelatem se venisse significat, ibique omnia prospera reperisse; hortatur ut Romanæ Ecclesiæ commodis prospiciat.

Dilectissimæ filiæ domnæ ANGELBERGÆ imperatrici, piæ memoriæ domni Ludovici invictissimi imperatoris conjugi serenissimæ Augustæ.

Cum erga Romanæ Ecclesiæ privilegia immenso velle, immenso et opere decus imperii vestri decertare, et ad perfectum ducere semper adhaurimus [*f.* amaverimus, *aut* anhelaverimus] et amemus. Christo favente, perpetuo magnitudinem tantæ vestræ devotionis scire cupimus: Ecce Arelatem regni deliciarum vestrarum sani intravimus, summo arbitro permittente, per intercessionem apostolorum principum; illicque Bosonem principem generum vestrum communem et filiam domnam Hermengardam [a] alloquentes, omnia prospera et jugiter desiderata invenimus, et pro amore vestro, vestri nuper et piissimi conjugis, illos tanquam filios amplectentes, pro eorum consulto, illorum cum honore cuncta faciemus: quoniam ceu per vos, haud secus per istos consolationem et defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ quærimus, eosdemque permissu Dei ad majores excelsioresque gradus moduis omnibus, salvo nostro honore, promovere nihilominus desideramus. Quapropter monentes hortamur ut tanto labori faveatis, ejusque perfectionem, prisco vestro consilio perfruentes, certis litteris per singula nobis et illis

[a] Hermengardæ, sive Hermengardis filiæ Ludovici II imper. meminit Regino, lib. II Chron. Aimonius, l. V. c. 32.

sine mora intimare minime differatis. Cæterum rogamus ut Joanni archiepiscopo Ravennati mittatis epistolas ex nostra parte consolatorias, incitantes ut pro nobis orationes faciat, et contra Dei inimicos se præparare nequaquam formidet, et nostris fidelibus Romæ legatos consolando transmittat : et vos, si fas est, aut mihi apud vos est impetrandi facultas, Leoni episcopo misso et apocrisiario nostro, et Petro, super ista cæterisque fidelibus litteras vestras mittite, confortantes ipsos ut scitis et vultis.

CXXII.

AD MIRONEM ET HUNCFRIDUM FRATRES.

(Anno 878.)

Mironem et Huncfridum multorum scelerum reos ad synodum venire jubet.

MIRONI et HUNCFRIDO germano suo.

Quanta ad apostolatum nostrum relatione quarumdam trangressionum vestrarum, mala atque perversa fuerunt nuntiata, hæc, fateor, lacrymabiliter nominamus, apostolicaque auctoritate citissime corrigenda jubemus, si sancti Spiritus potestate non vis tu, Miro, merito nequitiæ tuæ ab omni consortio Christianitatis separari, et inferni flammis in perpetuum condemnari. Septimaniæ terram universam redegisti in solitudinem : ecclesias, ut asserunt, ministris expoliasti; castella ipsius terræ callide ac fraudulenter invasisti. Quo compulsi necessitate, homines Bernardi gloriosi marchionis cum multitudine hominum tuæ rabiei occursando, aliqua in eadem terra perperam egerunt : ut velut Jeroboam filius Nabath, qui peccavit, et peccare fecit Israel, auctor omnium peccantium existas. Ideoque ad universalem synodum nostram quam Deo auctore, in proximo sumus celebraturi, Lugdunum venire te, occasione omni postposita, volumus, si funditus, ut dictum est, non vis gladio divino mulctari. Lindoinum quoque vicecomitem audimus potestate uti horrende denuntio, uti sacerdotali in parochia Sigebodi Narbonensis archiepiscopi, presbyterosque tuos in ejus exteris subrogare ecclesiis : quod concite tuæ vitæ consulentes, corrigere et emendare mandamus. Te vero Huncfridum ex diaconatus officio et venerabili monachico habitu apostatam audimus et dolemus affectum. Quapropter vel sera et pœnitentia per Domini misericordiam libera, et ad monasterium quanto citius confuge; vel si de tua confidis conscientia, ad synodum nostram de illatis tibi atque objectis te purgandum occurre : ne si prætermiseris, anathematis vinculo, utpote apostola et rebellis, alligeris. Data *ut supra*.

CXXIII.

AD ROSTAGNUM ARCHIEPISCOPUM ARELATENSEM [a].

(Anno 878).

Suas illi vices in Gallia et pallii usum concedit.

Reverentissimo et sanctissimo fratri ROSTAGNO archiepiscopo Arelatensi.

(S. Greg., *l.* IV, *epist.* 50.) O quam bona est charitas, quæ absentia per imaginem præsentia sibimet ipsi exhibet per amorem ! Divisa unit, confusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta consummat. Quam recte prædicator egregius vinculum perfectionis vocat (*Coloss.* III) ; quia virtutes quidem cæteræ perfectionem generant, sed tamen eas charitas etiam ligat, ut ab amantis mente dissolvi jam nequeat. Hac itaque virtute, frater charissime, plenum te esse reperiens, cum pro sanctarum Dei ecclesiarum restauratione in Arelatensium civitate corporalem præsentiam exhibuissem, sicut mihi de te multorum testimoniorum fama vera longe lateque narraret. Quod vero juxta antiquum morem usum palii ac vices sedis apostolicæ postulasti, absit ne aut transitoriæ potestatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum, in vicibus nostris ac pallio quæsisse te suspicer. Sed quia cunctis liquet unde in Galliarum regionibus fides sancta prodierit, cum priscam consuetudinem sedis apostolicæ vestra fraternitas repetit, quid aliud quam bona soboles ad sinum matris recurrit ? Libenti ergo animo postulata concedimus, ne aut vestræ Ecclesiæ quidquam de debito honore subtrahere, aut condignam petitionem vestri contempsisse, videamur. Sed jam nunc studio majore res indiget, ut cum honor crescit, etiam sollicitudo proficiat, et erga cæterorum custodiam vigilantia excrescat : vitæ quoque merita subjectis in exemplum veniant, et nunquam sua per suscepti honoris gratiam, sed lucra cœlestis patriæ vestra fraternitas exquirat. Nostis enim quid beatus Apostolus gemens dicat : *Omnes enim quæ sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi* (*Philip.* I). Quibusdam namque narrantibus, agnovi quod in Galliarum vel Germaniarum partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuntio, quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Evangelio quid Redemptor noster semetipsum fecerit, quia ingressus templum *cathedras vendentium columbas evertit* (*Matth.* XXI). Columbas enim vendere est de sancto Spiritu, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, malo jam innuitur quid sequatur, quia in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo judice cathedræ ceciderunt, qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui pretio ad sacrum ordinem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis venundare quod emit. Ubi est quod scriptum est : *Gratis accepistis, gratis date ? (Matth.* X.) Et cum prima contra sanctam Dei Ecclesiam Simoniaca hæresis sit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum pretio ordinat, provehendo

[a] In editione Romana, et ex ea in collectionem epistolarum Joannis VIII, hujus epistolæ portio incipiens ab *itaque fraternitati*, etc., ponitur tanquam nova epistola ad archiepiscopum Arelatensem missa. Illam nos in hac collectione omisimus tanquam supervacaneam. MANSI.

agit ut hæreticus fiat? Itaque fraternitati tuæ vices nostras in ecclesiis quæ sub regno Galliarum sunt juxta antiquum morem Deo auctore committimus, singulis quidem metropolitis secundum priscam consuetudinem proprio honore servato. Pallium quoque concessimus quo fraternitas tua decoretur. Sicubi autem longius episcoporum quisquam pergere forte voluerit, sine tuæ sanctitatis auctoritate ei ad loca alia transire non liceat. Si qua vero inquisitio de fide vel fortasse aliarum rerum inter episcopos causa emerserit quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim episcopis, ventiletur atque decidatur; sin autem decidi nequiverit, discussa veritate ad nostrum judicium referatur *(Huc usque S. Greg.)*. Proh dolor! cum in Galliæ partibus essemus inter cætera unum valde prohibendum invenimus: metropolitæ, antequam pallium a sede apostolica suscipiant, consecrationem facere præsumunt, quod antecessores nostri et nos canonico decreto ne fieret interdiximus. Unde fraternitatem tuam sanctam per Galliam nostram vicem tenentem hortamur, quatenus super hoc sollicitudinem habeas, et ne istud adoleat, auctoritate prohibeas, et ut secundum antiquum morem quærere festinent moneas, incites atque præcipias; et si ipsi obediant, necne, nostro apostolatui super omnia renunties, si potest in nativitate apostolorum, aut per vos, aut per nostrum legatum aliquem certis litteris intimare, ne differas. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, honoremque perceptum vos in moribus servare concedat. Data *ut supra*.

CXXIV.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS GALLIÆ.

(Anno 878.)

Ut Rostagno Arelatensi episcopo, cui vices suas in Gallia commisit, omnes obediant.

Omnibus reverentissimis et sanctissimis episcopis et fratribus per Gallias constitutis.

(S. Greg., *lib.* IV, *ep.* 52.) Ad hoc divinæ dispensationis provisio gradus et diversos constituit ordines inter se distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus diligentiam impenderent, una concordiæ fieret a diversitate contextio, et recte officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. Quia vero creatura in una eademque æqualitate gubernari vel vivere non potest, cœlestium militiarum exempla nos instruunt, quia dum sint angeli, sint archangeli, liquet quia non æquales sunt, sed in potestate et ordine, sicut nostis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos, qui sine peccato sunt, ista constat esse distinctio, quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere, cui novit etiam angelos obedire? Hinc etenim pax et charitas mutua se vice complectitur, et manet firma concordiæ in alterna et Deo placita dilectione sinceritas. Quia igitur unumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit unus ad quem possit recurri præpositus, idcirco opportunum esse perspeximus in ecclesiis quæ sub regno Galliarum secundum antiquam consuetudinem sunt, fratri nostro Rostagno Arelatensis civitatis episcopo vices nostras tribuere, quatenus et catholicæ fidei integritas, id est sanctarum quatuor synodorum, Deo protegente, sollicita devotione servetur; et si inter fratres consacerdotesque nostros aliqua evenerit forte contentio, auctoritatis suæ vigore, vicibus nempe sedis apostolicæ functus, discreta moderatione compescat. Cui etiam injunximus ut si quarumdam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit, congregatis sibi numero competenti fratribus et coepiscopis nostris, salubriter servata hoc æquitate discutiat, et canonica auctoritate diffiniat. Si quam vero contentionem, quod longe faciat divina potentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, et pro sui magnitudine judicio sedis apostolicæ indigeat, examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari. Cui etiam injunximus ut nullum archiepiscopum in his partibus sine pallio a Romano pontifice directo consecrationem facere permittat, et facientes nostra auctoritate arguat. Et quoniam necesse est ut ad eum cui nostras vices indulsimus, quoties oportere perspexerit, pro facienda collatione aptis debeant episcopi temporibus convenire, hortamur ut nullus mandatis ejus inobediens esse præsumat, nec communi congregationi interesse postponat, nisi aut corporis infirmitas quempiam fortasse vetuerit, aut cujusdam eum causæ justæ excusatio minime venire permiserit. Hi tamen qui, prohibente aliqua necessitate, nequierint in synodum convenire, loco suo presbyterum aut diaconum dirigant, quatenus quæ a nostro vicario, Deo auxiliante, fuerint definita, ad eum qui absens est, per ipsum quem miserit, fida relatione perveniant, ut inconvulsa firmitate serventur, et nullius ea audeant occasionis excusatione violare. Hoc etiam vos pariter prævidimus admonendos, ut nullus vestrum ad longinquiora loca sine præfati fratris et coepiscopi nostri Rostagni auctoritate tentet aliquo modo proficisci, scientes quia et prædecessorum nostrorum, qui vices suas ejus prædecessoribus concesserunt, sic procul dubio mandata definiunt. Hortamur præterea ut de officio suo sit quisque vestrum sollicitus, et qui promissam cupit patriæ mercedem portionis accipere, commissum sibi gregem sollicitudine et oratione custodiat, ne lupus insidians oves creditas invadendo dilaniet, et sit in retributione pœna pro munere. Optamus igitur, fratres charissimi, et totis omnipotentem Dominum precibus exoramus, ut dilectionem vestram boni amoris sui constantia faciat magis magisque fervescere, atque in pace Ecclesiæ et una vos concedat manere concordia. Nuntiatum vero nobis est quia per simoniacam hæresim ad sacros ordines quidam

adducuntur, et hoc sancto fratri et coepiscopo nostro Rostagno per omnia prohibendum mandavimus; quod ut fraternitas vestra cognoscat et custodiat, ipsa vobis est epistola relegenda. Data *ut supra.*

CXXV.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 878.)

Excusat se quod ad eum legatum non miserit, interclusa sibi via a Lamberto ejusque fautoribus qui urbem Romam tenebant obsessam.

CAROLO glorioso regi dilecto filio.

Igitur gloriæ vestræ litterarum serie recepta et lecta, ut de more antecessorum regum videlicet et imperatorum, vestrorumque duntaxat parentum erga Romanam Ecclesiam, cujus lac vestram prolem hactenus educaverit, in cunctis omnia vos desiderare et assequi novimus, paterno affectu gratias agimus, et qualiter scripsistis imo tenemus. Cæterum pontificium nostrum vestra percunctari dilectio studuit cur vobis non misimus ob quid taliter venissemus. Et vobis et fratribus vestris gloriosis regibus, antequam ex Urbe exiremus, mittere voluimus, sed officientibus Lamberto et Adelberto fautoribusque eorum anathematizatis, mittere nequivimus. Nec mirum si ipsi nobis viam sustulerint, cum et ipsius beati Petri apostolorum principis Ecclesiam, vestram denique matrem, et omnium Dei Ecclesiarum tutricem, armis triginta diebus circumdatam tenere non formidaverint; ita ut nec ibi aliquam alicui lucernam illuminare, nec laudes Deo conferre liceret, præter postquam urbem exivimus; fratribus vestris gloriosis regibus mittere sategimus, ut vobis super talibus intimaremus: sed cum vos magis juxta audimus, ita mittere cogitavimus. Quo loco ab ipsis significatur pro pacis et unitatis tranquillitatisque omnium Dei Ecclesiarum negotio; primo venimus, quo vos quatuor reges unum legitimumque velle, annuente Deo, nihilominus faciamus, ut Psalmista cecinit: *Ecce quam bonum et quam jucundum est habitare fratres in unum,* et reliqua *(Psal.* CXXXII). Dehinc volumus ut ita conventi nostras oppressiones audire compatiamini. Quapropter, fili charissime, quoniam te valde illuxit *(deest aliquid).* Data *ut supra.*

CXXVI.

AD ISAAC EPISCOPUM LINGONENSEM.

(Anno 878.)

Ut Trecas ad synodum veniat, et Cabilonum aliquos mittat qui pontificem eo deducant.

Reverentissimo ISAAC venerabili episcopo Lingonensi.

Quod sanctitati tuæ notum esse non ambigimus, pro sanctarum ecclesiarum statu ad Galliarum partes devenimus. Quapropter, Domino auxiliante, apud Trecas synodum sumus celebraturi, ad quam sanctitatem tuam volumus omnino adesse. Prius tamen venerabilitas tua nobis missos Cabilonum dirigere studeat, qui iter nostrum recto tramite ad prædictum dirigant locum; et per parochiam vestram

A nobis congruas mansionaticas præparate, id est in villa Marmania, in pago Alhensi. Data *ut supra.*

CXXVII.

AD OMNES CHRISTIANOS.

(Anno 878.)

Excommunicat eos qui sibi equos et argenteum vas furati fuerant, nisi intra tres dies restituant.

Omnibus episcopis, comitibus, et cuncto populo Christiano.

Notum sit quia dum pro pace et unitate sanctarum Dei Ecclesiarum in Gallias venissemus, apud Cabilonum civitatem, ad injuriam sanctorum apostolorum Petri et Pauli et nostram, multam inhonorationem sustinuimus. Inter quæ equi nostri nocturno silentio, nostris hominibus secure quiescentibus, a
B concivibus prædictæ civitatis latrocinanter furati sunt. Quapropter nos, qui secundum officium ministerii nostri pullulantia vitia gladio spiritali resecare mature debemus, hoc malum cœlesti mucrone percutimus; ita ut nisi prædicti equi, et alia furta, nostris hominibus intra tertium diem reddita fuerint, prædictos fures, cum omnibus consentaneis suis, eo quod latronibus latebras præbeant, et excommunicabimus et anathemati submittemus. Inter hæc Aduvardum presbyterum, qui nobis in monasterio Flaviniaco ministravit, cujus homines scutellam argenteam sancti Petri, nescio utrum consensu illius, an non, furati sunt, pro sacrilegio furti excommunicamus, et pari sententia ut supra, nisi eam reddiderint, constringimus. Data *ut supra.*

C

CXXVIII.

AD EPISCOPOS SUFFRAGANEOS ARCHIEPISCOPI ARELATENSIS.

(Anno 878.)

Jubet ut cum archiepiscopo suo, simul ac vocati fuerint, ad Trecensem synodum veniant.

Omnibus venerabilibus episcopis suffraganeis coepiscopi et confratris nostri Rostagni Arelatensis.

Notum sit omnium sanctitati quia, Domino opitulante, pernecessariam universam synodum sumus celebraturi: ad quam, mox ut vos prædictus archiepiscopus vester apostolatus nostri litteris convocaverit, omni postposita occasione, obedientiæ vicino gressu occurrere satagatis: quoniam sicut in communi conventu, gratia Christi duce, paternis
D parentibus jussis erit exaltatio, ita, quod non optamus, subtrahentibus se ab hoc magno collegio est subsecutura confusio. Apud urbem Lingonensem IV Non. Junias. *Similiter Otteramno archiepiscopo Viennensi, Aureliano archiepiscopo Lugdunensi, Rotberto archiepiscopo Aquensi, Teutranno archiepiscopo Tarantasiensi, Sigibodo archiepiscopo Narbonensi, Ariberto archiepiscopo Ebredunensi.*

CXXIX.

AD DIVERSARUM SEDIUM ARCHIEPISCOPOS.

(Anno 878.)

HINCMARO archiepiscopo Rhemensi, ANSEGISO archiepiscopo Senonensi, FROTARIO archiepiscopo Bi-

turicensi, JOANNI archiepiscopo Rothomagensi, ADELARDO archiepiscopo Turonensi, a paribus.

Canonica instituta servantes, oportet nos, quotiescunque Ecclesiæ ingerunt passiones, sacerdotum collegia aggregare, ut his simul convenientibus, salubre universæ Ecclesiæ consilium, et totius Christianitatis fidem eidem imponant, et æquitatum moderamina queant congrue dilaniari [*al.* moderamine q. c. dilimari, *id est* examinari]. Idcirco vestram hortamur sanctitatem, dum de Ludovici gloriosi regis adventu audieritis, quando ad nos venire conaverit, in eo loco celebraturi concilium incerte tenemus, sed vos audientes comperietis, mox ut præsentes susceperitis nostras apostolicas litteras, omni mora seposita, ad nos venire non differatis. Ita profecto de vestræ unanimitatis et pacis concordia mentis jucunditas uberius multiplicetur, ut conventus universorum, et vestræ devotionis conversus, nec solum ad favorem hominum, sed ecclesiis ad laudem potissimum proficiat Creatoris. Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere. Data IV Idus Junias, ind. XI.

CXXX.

AD HUGONEM ABBATEM.

(Anno 878.)

Hortatur suadeat Ludovico regi ut ad se veniat : monet etiam ut se a quorumdam communione separet.

HUGONI strenuo, nobili, regali prosapie edito atque excellentissimo abbati.

Quanto vos, charissime fili, amore diligimus celeberrima fama vestri boni operis circumquaque accensi, explicare verbis nullatenus possumus. Quapropter, ut nostro desiderio præsentiæ vestræ capiamus effectum, mature volumus hortemini Ludovicum regem filium nostrum, vosque cum eo ad nos concite properare, quatenus, Christo cooperante, exaltationem totius Christianitatis communiter operemur. Sic agat vestra dilectio ut tristitiam quam animo de vestra absentia nuper Papia intulistis, lenire moderatissime valeatis. Inter hæc ab omni te consortio Formosi anathematizati optamus, fili charissime, separare, Joannis archiepiscopi Rodomensis [*al.* Rodonensis, *id est* Rothomagensis, *nec quidquam mutandum*], Adelardi Turonensis, Frotarii Bituricensis [*edit. Rom.* Beduriensis]. Data *ut supra.*

CXXXI.

AD TEUTRANNUM TARANTASIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 878.)

Monet ut sibi cum suffraganeis suis obviam veniat, et Adalbertum synodo adesse jubeat, at rationem reddat eorum de quibus Bernarius episcopus questus fuerat.

Venerabili archiepiscopo TEUTRANNO.

Miramur fraternitatem tuam cur, nostrum in has partes audiens adventum, nos ob reverentiam beati Petri apostolorum principis, et nostram, more cæterorum venerabilium archiepiscoporum, minime consolari et occurrere studuisti. Qua admiratione jam diu suspensi, monemus fraternitam tuam ut nobis citius occurrere cum tuis suffraganeis, quos tecum adducere præsentialiter poteris, non differas, ut simul de utilitate Ecclesiæ tuæ tractare valeamus. Innotescimus denique quia venerabilis frater et coepiscopus noster Bernarius, nostram nuper audiens præsentiam, reclamavit se super fratre Adalberto suffraganeo tuo, de quo jam Romæ proclamaverat et libellum suæ reclamationis ostenderat. Unde tibi et Viennensi archiepiscopo epistolas direximus, ut amborum querimonias ventilantes, quæ canonum sunt instituta dijudicaretis : insuper Arelatensem archiepiscopum, Valentinensem quoque et Vivariensem episcopus, huic assertioni testes adesse jussimus. Sed quia variis præpedientibus causis, hactenus eorum indiscussa manet causatio, jam præcipimus monendi auctoritate ut ubicunque a nobis fuerit synodus indicta, canonice eum inibi adesse jubeas, paratum in omnibus ad rationem reddendam. Quod si defuerit, vide ne ejus in te retorqueatur sententia : ipse vero sciat, a se de absentia sua lucrum non percipiendum. Data *ut supra.*

CXXXII.

AD ROSTAGNUM ARCHIEPISCOPUM ARELATENSEM.

(Anno 878.)

Ut ad synodum cum suffraganeis suis quamprimum veniat.

ROSTAGNO venerabili archiepiscopo Arelatensi.

Quia omnipotentis Dei miseratione universalem synodum sumus celebraturi in proximo, te omnesque tuos coepiscopus suffraganeos volumus, autoritate apostolica admonemus expresseque mandamus, ad hanc, omni postposita occasione, quantocius præsentare, exceptis eis obstaculis quibus remorandi licentiam sacri canones tribuunt. Alias, quod non optamus, quicunque se a tanto hac vice collegio subtraxerit, particeps de reliquo nostræ communionis esse nullatenus valebit. Data *ut supra.*

CXXXIII.

AD HINCMARUM RHEMORUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 878.)

Ut ad synodum Trecensem absque mora cum suffraganeis suis episcopo.

HINCMARO venerabili Rhemorum episcopo.

Fama tuæ fraternitatis longo exacto jam tempore bona notitia nos quoque celeberrime lætificavit; quantoque te desiderio contemplari cupimus, explicare verbis nullatenus possumus, præsertim cum causa exigendæ utilitatis ecclesiasticæ petere has partes decreverimus. Quapropter præsentiam religiosæ sanctitatis vestræ diu desideratam miramur a te nobis hactenus dilatari. Unde apostolica atque paterna auctoritate monemus ad synodum præsentem, quam, Deo auctore, Trecis sumus celebraturi, absque mora cum cunctis suffraganeis diœceseos vestræ studeatis occurrere. Ad locum prænominatum iterum iterumque hortamur, omni postposita tarditate, quantocius properate venire, quoniam an-

tequam ipse nobis charior atque utilior veneris, sanctarum Dei Ecclesiarum causas tractare differimus. Tantum monemus, rumpe moras, et satage properare celerrime atque agiliter. Data *ut supra*.

CXXXIV.

AD FROTARIUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 878.)

Ut ad synodum suis cum suffraganeis Trecas veniat.

FROTARIO venerabili archiepiscopo Biturigensi.

Auditis denique deploratione atque angustia litteris tuæ fraternitatis, quæ vobis ab omnibus Bernardi comitis sunt illatæ, recens dolor priori est augmentatus, et quod tibi sedis tuæ aditus clausus, mihimet ipsi id reputo. Hortamur interim dilectionem tuam patienter sufferre, et ad Trecas cum fratrum coepiscoporumque nostrorum collegio diœceseos tuæ ad synodum, Domino cooperante, celebrandum quantocius properare. Ludovici regis amantissimi filii nostri adventum præstolamur quotidie inhianterque desideramus. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data *ut supra*.

CXXXV.

AE BERNARDUM MARCHIONEM.

(Anno 878.)

Monet ut Frotario aditum ad suam sedem patere faciat.

Dilectissimo filio BERNARDO nobilissimo marchionum.

Quia tempore nonnullos diligimus specialius, idcirco in his quæ nobilitatem vestram Deum offendere cognoscimus vos paterno increpamus affectu; præsertim de causa Frotarii venerabilis episcopi, cui, ut audimus, vestri homines iter civitatis suæ, ne ad sedem suam ingrederetur, temerarie clauserunt. Episcoporum judicium, fili charissime, suo tantummodo Dominus servavit arbitrio, nec de episcopis vult laicos judicare. Unde monemus dilectionem tuæ charitatis, ut quidquid in hac causa prædicti episcopi deliquistis, sub celeritate et legaliter emendare studeatis, quia nos illud, nisi pro digna emendatione, inultum remanere nullo modo patimur officio ac ministerio sacerdotali. Optamus nobilitatem vestram bene valere. Data *ut supra*.

CXXXVI.

AD ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

(Anno 878.)

Ut Ludovicum Germaniæ regem, ejusque fratres adhortetur ut ad synodum veniant aut legatos mittant.

Venerabili archiepiscopo LIUTBERTO Moguntino.

Ecclesiastica exigente utilitate, quoniam Deo duce causæ ad Galliarum partes venire commodum duximus: quapropter fraternitatem vestram necessario commonere studemus, ut secundum cœlitus tibi sapientiam datam, frequenti adhortatione suggeras Ludovico regi, aliisque confratribus, ut ad nostræ mediocritatis colloquium atque generalem synodum, juxta Christi voluntatem, apud Trecas congregatam, venire non omittat, vel si aliqua necessitate præ-

A dictus rex præpeditus fuerit, et, ut non optamus, properare distulerit ad locum prædictum, quo cum Ludovico rege locuturi sumus, nominetenus destinet: quatenus sub cuncta celeritate regum filiis congregatis, totius Christianitatis, Dei gratia duce, consulere communiter valeamus utilitati. *Similiter Williberto archiepiscopo Agrippinæ, Wittecherio venerabili episcopo, et Bertulfo archiepiscopo Trevirensi.* Data *ut supra*.

CXXXVII.

AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

(Anno 878.)

Scribit in anniversario die Ludovici ejus viri sacra pro eo se facturum rogat; ut in sui defensione perseveret; synodum Trecis se habiturum significat.

B Dilectæ filiæ ANGELBERGÆ imperatrici, divæ memoriæ quondam domni Ludovici piissimi imperatoris conjugi.

Quia intimasti pontificio nostro anniversalem magnæ recordationis domni Ludovici imperatoris fieri, et ut pro eo proprias orationes celebraremus rogasti gaudemus, et impigre suo pro merito modis omnibus faciemus. Cæterum rogamus ut, seu hactenus in nostris fuistis sollicita, haud secus et nunc et perpetuo esse, prout credimus, non differatis, quatenus vestro labore vestroque consulto cito ad propriam sedem ut congruit, cum gaudio per merita apostolorum principum reverti mereamur. Porro vos scire cupimus quia apud Trecas in Kalendis Augusti una cum rege Ludovico imperatoris Caroli filio, et cum universis Galliæ episcopis synodum universalem ce-

C lebrabimus; dehinc Carolomannum regem suosque germanos alloquemur, ut pari omnium consilio consolationem nostræ Ecclesiæ reperiamus.

CXXXVIII.

AD SUPPONEM COMITEM.

(Anno 878.)

Agit gratias de fidelitate erga Romanam Ecclesiam: quædam apud Carolomannum faciendum injungit.

Dilecto filio SUPPONI glorioso comiti.

Primum quidem devotioni vestræ magnas gratias agimus quia priorem fidelitatem, quam circa sanctam Romanam Ecclesiam habueras, in sequentibus quotidiano labore opere admonstrare non desinis. Nos quoque præ omnibus vos diligentes, vestris potius consiliis præ cunctis acquiescimus. Tantum

D vobiscum Anspertum et Wibbodum episcopus assumite, et apud Carolomannum regem omnia nostra ordinabiliter ponite. Hoc tamen summopere cavete ne aliqua fraudis astutia decipiamur; et quidquid ex hoc facietis, sub omni festinatione facere accelerate: mihi tempus et locum denuntiate quo occurrere debeatis ad nos recolligendum; et ne forte aliqua dubietas animo vestro insideat, duas mandamus epistolas prædicto regi; quarum unam vos legite ut cognoscatis quod continet, quam aut ipse deferas volumus, aut per idoneum hominem vestrum trasmittas: quia nos in hac terra stare non possumus nisi usque in Kalendas Augustas, quia

postquam in terram hanc venimus, cum Ludovico rege loqui debemus. Festina quantocius sicut solitus es, nostræ Ecclesiæ causam peragere, ut apud Dominum merces vestra copiose accrescat. Data *ut supra*.

CXXXIX.

AD CAROLOMANNUM REGEM.

(Anno 878.)

Miratur illum ad binas litteras non respondisse. Valetudinem ejus deplorat; addit de synodo Trecis celebranda.

[a] Sabbatinum episcopum.

Sabbatinum episcopum primum et postea per Anspertum Mediolanensem, de qua multum miramur, cur non jam a vobis responsum vel missos accepimus: nos cum foret possibile primum, saltem per legatos vobiscum loqui cuperemus, deinde cum reliquis fratribus vestris: quod quia vestra infirmitate, quam nimium dolemus, est prætermissum, nunc apud Trecas, Christo opitulante, synodum sumus celebraturi, loquemurque cum Ludovico et reliquis vestris fratribus, et post Kalendas Augustas ad vos revertemur: tantum locum nobis dicendo ad tempus mandate quo nobis debeatis occurrere, et laborem pro vestra matre sancta Romana Ecclesia non recusate assumere, quia *si fueritis socii laboris, simul eritis et consolationis* (*II Cor.* I), et in hoc, quæso, perficiendo non sit ulla dilatio. Data *ut supra*.

CXL.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 878.)

Agit gratias de observantia erga Romanam Ecclesiam: miratur quod ad se legatos non miserit: rogat ut ante colloquium quod cum Ludovico rege habiturus est, aut ipse veniat, aut legatos mittat.

Dilecto filio CAROLO glorioso regi.

Quod pro pace et unitate sanctorum Dei Ecclesiarum omniumque Christianorum in priore epistola, quam vestræ misimus dilectioni, significavimus, gloriæ nihilominus vestræ uberes gratiarum laudes rependimus; quia nos vestra epistola valde lætificastis in hoc quod dilectionem animi vestri circa Romanam Ecclesiam, sicut vestri parentes ac proavi habuerunt, habere ubertim significatis; valde tamen miramur cur ad nos legatos vestros non direxistis, sicut precati sumus. Quapropter quæso, fili charissime, ut (*edit. Rom. addit* ad nos) ad colloquium quod cum Ludovico rege Caroli imperatoris regis filio apud Trecas habituri sumus, si possibilitas non obsistit, venire acceleretis; vel si aliquo obstaculo præpedimini, ut non optamus, strenuos legatos nobis dirigite, per quos gloriæ vestræ omnia secreta, quæ animo nostro resident, fidenter mandare valeamus; locum nobis simul nominetenus designate quo frui vestro colloquio et Germani vestri Ludovici gloriosi regis valeamus, quoniam de hac terra nullo modo regrediemur, priusquam, Deo auxiliante, percongrua et mutua vobiscum misceamus colloquia. Optamus gloriam vestram piis florere successibus.

[a] Desunt aliqua.

CXLI.

AD LUDOVICUM REGEM.

(Anno 878.)

Ejusdem ac præcedens argumenti.

Dilecto filio LUDOVICO glorioso regi.

Quod pro pace et unitate sanctarum Dei Ecclesiarum omniumque Christianorum a Romana sede in partes Galliæ venerimus, in epistola quam gloriæ vestræ misimus plenissime significare studuimus: nescimus tamen quo tempore ad vos pervenit, et de eo qua re nobis non dedit dilectio vestra responsum. Quapropter quæso, fili charissime, ad nos ut ad colloquium quod cum Ludovico rege Caroli imperatoris filio apud Trecas habituri sumus, si possibilitas non obsistat, venire acceleretis; vel si aliquo obstaculo præpedimini, ut non optamus, strenuos legatos nobis dirigite per quos gloriæ vestræ omnia secreta, quæ animo nostro resident, fidenter mandare valeamus; locum nobis simul nominetenus designate, quo frui vestro colloquio et germani vestri Caroli gloriosi regis valeamus. Quoniam de hac terra nullo modo regrediemur, priusquam, Deo auxiliante, percongrua et mutua vobiscum misceamus colloquia. Data *ut supra*.

CXLII.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 878.)

Arguit quod vocatus ad se non venerit, sicut Ludovicus rex fecerat, monet sub excommunicationis pœna, ut sui regni finibus contentus nullam Bosoni molestiam exhibeat.

Dilecto CAROLO glorioso regi.

Servans fidem Francorum regibus, secundum prædecessorum meorum pontificium, multos et duros labores in mari et in terra pertuli; ab urbe et Romana sede in Franciam veni: omnes vos legatorum tam viva voce quam epistolis studui convocare, ut pactum quod avi et patres vestri sanctæ Romanæ Ecclesiæ jurejurando promiserunt, adimplere contenderetis. Sed heu, proh dolor! cuncti venire per inobedientiam neglexistis, præter Ludovicum regem divæ memoriæ Caroli imperatoris filium, cujus consilio atque hortatu, Bosonem gloriosum principem per adoptionis gratiam filium meum effeci; ut ille in mundanis discursibus, nos libere in his quæ ad Deum pertinent, vacare valeamus. Quapropter contenti termino regni vestri, pacem et quietem habere studete, quia modo et deinceps excommunicamus omnes qui contra prædictum filium nostrum insurgere tentaverint. Data *ut supra*.

CXLIII.

AD LIUTBERTUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 878.)

Monet ut Bosonis filiabus hæreditatem restitui faciat.

Reverentissimo et sanctissimo confratri nostro LIUTBERTO archiepiscopo.

Fraternitatem tuam recordari volumus qualiter jam de proprietatibus Bosonis et Engeltrudis tibi scrip-

scrimus, monentes ut ipsas, quas vos allodum dicitis, filiabus eorum sæpe reclamantibus reddere deberitis : quoniam omnium legum auctoritate legitimi filii sunt veri hæredes (In authent. *de Hæred. ab intes. ven.*, § 1), ut vestra bene noscit religiositas, iterumque hortantes monemus, apostolicaque auctoritate expresse jubemus; jam quia nostras litteras audire distuleras, et super his hactenus respondere neglexeras, volumus ut ad cor rediens, ipsas sæpe reclamatrices, aut homines ipsarum investire de jam dictis proprietatibus satagas, vestrosque earum et alios invasores similiter facturos, nostra auctoritate excommunicando permoneas : quoniam justus Dominus justitiam dilexit, et æquitatem vidit vultus ejus. » [a] Et si forte spurius Godefredus. aut aliquibus ipsa mœchans Engeltrudis, sine viri consensu quoquo modo donaverit, contendere voluerit; nostra apostolica auctoritate, donec reddiderint, quia sancientibus Joanne papa Romano et Justiniano imperatore scriptum est (In authent. *Bona damnatorum*, codice *de don. prosc. seu damn.*), spurios satis injuriosos, satisque acerbos, et nostris temporibus semper indignos esse dijudicamus : quapropter convenit reverentiam vestram illum semper monere. Porro hortamur ut quoquo modo monuimus compleas, quoniam si aliter feceris, scias te canonica damnandum censura, ut debeas illos excommunicare. Data *ut supra.*

CXLIV.

AD MATFREDUM COMITEM.

(Anno 878.)

Monet ut Bosonis comitis filiabus hæreditatem restituat.

MATFREDO illustri comiti.

Suggerentibus videlicet filiabus Bosonis nuper comitis, et Engeltrudis conjugis, proximæ vestræ, audivimus ut allodes suos vos invadentes tenere non formidetis. Super quo miramur cur tantæ sapientiæ vir hoc facere non erubescas. Nonne scitis quoniam in hæreditate suscipienda omnibus cognatis præferendi sunt filii? Illa vero mœchans, alicui sine consensu viri ex his aliquid dare nequivit omnium legum auctoritate. Unde vos monemus, hortamur apostolicaque auctoritare jubemus, ut ipsas proprietates illis filiabus eorum reddere pro reverentia principum apostolorum, a quibus per me petiere auxilium, minime differas, quoniam si aliter feceris, scias te canonica feriendum censura. Data *ut supra.*

CXLV.

AD VALDERAMUM.

(Anno 878.)

Monet ut Valderami causam ad exitum perducat vel ad se remittat.

VALDERAMO venerabili.

Præsentium lator litterarum, nomine Valderamus, ad vestram fraternitatem coram nobis veniens lacrymabiliter questus est patrem suum a quodam injuste carceris custodia teneri detrusum intra parochiam

A vestram. Quapropter tuæ fraternitati auctoritate nostri apostolatus jubemus, attentius prædicti genitori causam sacerdotali succinctus vigore inquirere, eique finem legaliterque terminum dare, si negotii status inambiguus futuris prospicitur. Quod si anceps vestro fuerit visa libramini, utrasque partes suis allegationibus instructas venire in præsentiam nostram omnino mature mandamus. Data *ut supra.*

CXLVI.

AD THEODORICUM ARCHIEPISCOPUM BISUNTINENSEM.

(Anno 878.)

Jubet ut quamprimum veniat et episcopum in ecclesia Lausanensi, propter electorum divisiones, priusquam una colloquantur, ordinari vetat.

B Reverentissimo et sanctissimo THEODORICO archiepiscopo Bisuntinensi confratri nostro.

Igitur quia fraternitas tua apostolicæ et universalis Dei Ecclesiæ persecutiones audiens, compati modis omnibus distulit, nosque, pro eo et cunctis aliis laborem sumentes, quoquo modo visitare neglexit, satis miramur et ex parte turbamur, cum in te taliter charitatem frigere cognoscimus. Nonne Veritas ait : *Si frater fratrem adjuvaret, ambo exaltabuntur?* (*Prov.* XVIII) Et Sapientia loquitur : *Frater et amicus in laboribus comprobatur* (*Prov.* XVII). Et prædecessor noster Gelasius papa, terrendo in suis decretalibus, episcopis parvipendentibus fratrum vexationes scribit : Cur non compassi estis? et reliqua. Quapropter monemus ut hactenus te negligentem pernoscas, et ad despectam charitatem nihi-
C lominus, postpositisque omnibus curis, ad nos visitandos una cum hoc nostro misso præsentialiter venire satagas. Cæterum audivimus, et auditu dolemus, ut in Ecclesia Lausanensi, quæ sine Patre nunc cernitur, sit orta contentio, ejusque filiorum in electione antistitis sit nefanda divisio. Unde monemus per Deum Patrem, et Filium, et sanctum Spiritum obtestamur, apostolicaque auctoritate expresse jubemus, et interdicimus, ut quoad ad commune eloquium nostrum pervenias, ibi episcopum neque jussu regis neque ex petitu plebis consecrare præsumas, quatenus cum una allocuti fuerimus, auxiliante Deo, cum communi consulto, quem utiliorem prævíderimus, consecrare permittamus de more. Quæ hic scribere omisimus, huic legato nostro Deusdedit
D glorioso magistro militum, et duci, consiliarioque nostro, ut verbis dicat injunximus : quem benigne recipite, et quæ vobis ex nostra parte tulerit, indifferenter audite. Data *ut supra.*

CXLVII.

AD AMETIUM PRESBYTERUM.

(Anno 878.)

Privilegio pro monasterio Sancti Petri in pago Nemausensi.

[Apud D. Bouquet, *Recueil des Historiens*, tom. IV. pag. 165.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, reve-

[a] Erat adulterium delatum in judicium, ut ex epist. 143 apparet.

rentissimis sacerdotibus AMELIO presbytero et LEONI abbati.

Quod postulastis a nobis, concedimus religiositati vestræ monasterium Sancti Petri cum omnibus cellis et rebus sibi pertinentibus, in quo quiescit corpus beati Ægidii in Valle Flaviana, in pago Nemausensi, in finibus Gothiæ : quam Vallem Flavius quondam rex, præfato beato Ægidio donavit. Qui sanctus Ægidius exinde donationem integriter Romanæ Ecclesiæ fecit, et ibi in veneratione principum apostolorum Petri et Pauli monasterium ædificavit. Porro dum spatium terræ illud cœnobium a Romana separaret Ecclesia, quia pro aliis curis illuc legatum mittere nequiverat, Nemausensis antistes ipsum quadam temeritate invadens sustulerat : deinde præceptum ex rege Francorum exceperat ; in quo nec firmitatem credens, Romanum pontificem adiit ; super hoc etiam auctoritatem furtim, quasi de suis, apostolicam exquisivit. Sed sanctæ recordationis domnus Nicolaus, licet hujus fraudis esset ignarus, divino tamen Spiritu plenus, omnes de hoc legem quærentes excusare sategit. Sed nos cum in nostro archivo monimenta chartarum requireremus, ibi illud præceptum beato Ægidio traditum reperimus. Dehinc cum Arelatem maritimali itinere pro universarum Ecclesiarum Dei negotio veniremus, hoc recordantes, ipsum monasterium per Deusde ducem Ravennates, advocatum nostrum, contra Girbertum Nemausensem episcopum quæsivimus. Imo ambarum partium advocatis per fidejussorem legatis, exsecutore duntaxat Georgio scriniario, et Deusde agente, voluit idem Girbertus episcopus per præceptum domni Nicolai piæ memoriæ ibi relectum se defendere. Sed Rostagnus Arelatensis archiepiscopus, et Sigebodus Narbonensis archiepiscopus, et Aribertus Ebredunensis archiepiscopus, Walbertus Portuensis episcopus, Paschalis Amerinus episcopus, Ratbertus Valentiæ episcopus, Litidumus Massiliensis episcopus, Alictarius Vivariensis episcopus, et alii episcopi provinciæ ; et judices, Joannes dux et princeps Ravennæ, Ardus, Adbertus, Giselfredus, Alderadus, Godultius, et alii nonnulli provinciales judices, ut præceptum lectum audierunt, mox cognoverunt apostolicam domni Nicolai censuram excusare de hoc legem quærentes, et dixerunt per illud præceptum hoc monasterium non posse defendi ; judicantes statim ut præfatum monasterium Amelio presbytero et Leoni abbati Girbertus episcopus redderet, et pœnam invasionis nobis componeret. Nos pœnam pro ejus paupertate illi, si amplius non peccaverit, reliquimus ; et monasterium sub omni integritate recepimus ; ipsum advocatum nostrum Deusde ducem illuc transmittentes, qui super hoc comporalem traditionem de omnibus rebus prædicti monasterii a præfato Girberto accepit episcopo ; villam Agarnelliam cum ecclesia Sancti Jacobi, vel cum omnibus suis appenditiis ; similiter ecclesiam Sancti Andreæ cum suis pertinentiis ; et ecclesiam Sanctæ Cæciliæ, atque ecclesiam Sancti Saturnini cum omnibus suis appenditiis ; seu ecclesiam Sancti Stephani cum omnibus suis appenditiis ; vel ipsos alodes qui ad ipsum monasterium debent esse pertinentes ; Seuram villam cum appenditiis suis, vel servis ibidem pertinentibus ; Brascam cum appenditiis suis ; Bionum cum appenditiis suis ; in Bruciano hortos et campos ; Luvam cum appenditiis suis ; ripam Gothicam ; Aspiranum cum omnibus appenditiis suis ; in Generaco campos et vineas cum terminis suis ; in Costaballenis vineas cum terminis suis ; in Gurgis campos et vineas cum terminis suis ; in Tovana campos et vineas ; in Aqua viva campos et vineas ; in Alburno campos et vineas cum omnibus suis pertinentiis; in loco qui dicitur Stacionensis campos et vineas cum omnibus suis pertinentiis ; Coconem cum omnibus suis consuetudinariis.

Quapropter volumus et præcipimus ut cuncta hæc præfata, vel quæ offerri contigerit subsequenti tempore, illibata et sine inquietudine in usum cœnobii, et in salario beati Petri apostoli possideantur. Verumtamen ut sibi pro quorumlibet sustentatione ac gubernatione concessa sunt, fiant modis omnibus pro futura, ea conditione ut nullus successorum nostrorum in hac sancta sede, cui auctore Domino, deservimus, unquam vel usquam aliquid de iisdem rebus beneficiare, commutare, ac sub censu concedere per futura tempora patiatur, nisi Amelium presbyterum, qui noster omnino dignoscitur. Hujus rei gratia commendamus vobis hanc notitiam ad regendum et tuendum et bene ædificandum cœnobium, ita sane ut a vobis, singulis quibuscunque annis, pensionis nomine, in rationibus ecclesiasticis x argenti solidiana, denarios XII accipientes, piæ paternitatis suffragium eidem monasterio contra omnes infestantes impendere studeant. Itemque statuimus ut, obeunte abbate prædicti monasterii, non alius ibi quocunque obreptionis studio ordinetur, nisi quem consensus monachorum, secundum timorem Domini et institutionem regulæ sancti Benedicti, elegerit, et hujus apostolicæ sedis pontifex providerit ordinandum, aut suggestio monachorum consenserit ordinatum Romam adduci. Hoc quoque capitulo præsenti adjungimus, ut locum avaritiæ recludamus, nullum de regibus, nullum de sacerdotibus, vel quemcunque fidelium, per suppositam vel per suffectam personam, de ordinatione ejusdem abbatis, vel clericorum, vel presbyterorum, vel de largitione chrismatis, aut consecratione basilicæ, aut de quacunque commoditate spiritualis vel temporalis obsequii, sive de quibuscunque causis ad idem monasterium pertinentibus, in ære, in auro, vel alia qualibet specie, commodi vel exenii loco, quidquam accipere, neque eumdem abbatem, ordinationis suæ causa, dare præsumere ; ne hac occasione ea, quæ a fidelibus pro loco offeruntur, aut jam oblata sunt, consumantur. Neque episcopus civitatis ipsius parochiæ, nisi ab abbate ipsius monasterii invitatus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in cœnobio eodem inducat, ne servorum Dei quies quoquomodo populari conventu valeat perturbari ; neque paraticas aut mansionaticas

exinde præsumat exigere subscriptionem autem fidelium et religiosorum ac beneficiorum, quam jubet Apostolus cunctis exhibendam, pro possibilitate loci et facultate, non modo ibidem gratis fieri denegamus, verum etiam ut fiat suademus; sed et modus in numero congregationis adeo conservetur, ut nec pluralitas ad penuriam, vel paucitas inhabitantium ad destitutionem loci accedere valeat. Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, cunctis post nos succedentibus, qui monasterium a nobis acquisitum sub usufructuario retinetis, vel eis quorum interesse potuerit, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero sacerdotum, judicum atque secularium personarum hanc nostræ constitutionis paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate, percussus apostolico anathemate, careat, reumque se divino judicio existere de perpetrato agnoscat: et nisi vel quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel præsumpta correxerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, et cum diabolo et atrocissimis pompis ejus in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco hæc nostræ præceptionis jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus illi fotum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Bene valete.

Scriptum per manus Georgii scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Augusto.

Datum XII Kal. Augustas, per manus Walberti humillimi episcopi sanctæ Portuensis ecclesiæ, anno Domino propitio pontificatus domini nostri Joannis summi pontificis et universalis papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli VI, indictione XI.

CXLVIII.

AD FROTARIUM ARCHIEPISCOPUM BURDIGALENSEM.

(Anno 878.)

Ut ad synodum veniat, et privilegium de sedium mutatione afferat.

FROTARIO venerabili archiepiscopo Burdigalensi.

Ad synodum igitur, quam, Deo auctore, apud Trecas celebramus, cum reliquis septem Galliarum provinciarum confratribus et coepiscopis, fraternitatem tuam cum tuis suffraganeis episcopis, tam viva voce quam litterali, admonere ut venires, omni postposita occasione cujuscunque occasionis studuimus, fatemur, jam tertio, ut simul positi emergentium quæstiones causarum statutis canonicis demererentur, et sacerdotum Domini una concordia omnium fieret dilectionis. Sed cur venire distuleris, moleste cuncti ferimus et valde miramur. Quapropter, repulsa mora, præsentiam tuam cum prædictis suffraganeis nobis et sanctæ synodo citissime exhibe. Sic tamen instructus, ut cum de mutatione contra canones sedium, et de aliis excessibus, quibus, quod non optamus, Patrum regulis feriri possis, impetitus fueris, causa justitiæ intercedente, illæsus et innocens recedere valeas. Hoc reverentiæ tuæ consulentes damus consilium, ne absentiam tuam tibi aliquid putes prodesse, sed imo secundum Patrum statuta, magis obesse. Privilegium atque scripturas de sedium mutatione, si qua a nobis vel prædecessoribus nostris habere sic fatemini, vobiscum sine mora deferre studeas.

CXLIX.

PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO SANCTI ÆGIDII.

(Anno 878.)

[Apud D. Bouq. *Recueil des Historiens*, tom. IX, pag. 167.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis per universas Galliæ provincias consistentibus, abbatibus, presbyteris, cunctisque simul ordinibus divino ministerio mancipatis, necnon comitibus, vicecomitibus, vicariis, centenariis, judicibus, et omnibus in potestatibus constitutis, et omni populo, et cunctæ simul generali Ecclesiæ.

Auctore omnipotente Deo, mediante, anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 878, XV Kal. Septembris, indictione XI, Domino feliciter, in præsentia domni Ludovici serenissimi regis in præsenti concilio residentis, etc.

Notum sit omnibus præfatis quod retroactis temporibus, cum Arelatem maritimali itinere pro omnium Ecclesiarum negotio veniremus, recordantes monasterium S. Petri, in quo quiescit corpus beati Ægidii, in Valle Flaviana, in comitatu Nemausense, in finibus Septimaniæ, quam Vallem Flavius quondam Gothorum rex prælibato beato Ægidio dedit; et iterum sanctus Ægidius apostolicæ sedi Romanæ integriter donationem fecit. Dum autem longinquitas terræ illud cœnobium a nostra separaret Ecclesia, quia pro aliis curis legatum illuc mittere nequiveramus, Nemausensis antistes ipsum monasterium magna temeritate usurpare præsumpserat. Sed nos cum in nostro archivo munimina chartarum inquireremus, ibi et illud præceptum a beato Ægidio traditum invenimus. Tunc illud per nostrum advocatum Deusde ducem Ravennates contra Girbertum Nemausensem episcopum, qui in præsenti concilio residet, quæsivimus. Voluit idem Girbertus [per] præceptum domni Nicolai quod furtim quasi de suis ex apostolica sede fraudaverat, et per præceptum quod ex quodam rege Francorum, in quo nulla firmitas subsistebat, falsum exceperat vindicare. Sed ego omnes episcopos et judices Romæ vel provinciales, sub excommunicationis anathemate, admonui de hoc rectam legem dicturos et facturos. Tunc Rostagnus Arelatensis archiepiscopus, Walbertus Portuensis episcopus, Paschalis Amerinus episcopus, Radbertus Valenciæ episcopus, Litidumus Massiliensis episcopus, Ictarius Vivariensis episcopus, et alii episcopi Provinciæ, et judices, Joannes, dux et Bativus Ravennæ, Ardus, Adbertus, Gisalfredus, Arderadus, Godulfus, et alii nonnulli provinciales judices; ut præceptum lectum audierunt, mox cognoverunt apostolicam domni Nicolai censu-

ram excusare legem, querentes dixerunt per illud præceptum hoc monasterium non posse defendi, judicantes statim ut præfatum monasterium Girbertus episcopus redderet nobis, et pœnam invasionis mihi componeret. Nos pœnam pro ejus paupertate illi, si amplius non peccaverit, reliquimus, et monasterium sub omni integritate recepimus ; ipsumque advocatum Deusde ducem illuc transmittentes, qui super hoc corporalem traditionem de omnibus rebus prædicti monasterii a præfato Girberto accepit episcopo.

Ob id etiam divino fretus juvamine, ego et omnes episcopi hujus concilii, ex auctoritate Domini nostri Jesu Christi, per quem, et per ipsum, et in quo constant omnia, sub omni anathemate detestamus, et interdicimus, et excommunicamus, ut nullus successorum nostrorum in hac sancta apostolica sede, cui auctore Domino, deservimus, unquam vel usquam præsentibus vel futuris temporibus quidquam de iisdem rebus, nec imperator, nec rex, nec ulla mundialis potestas beneficiare, commutare, ac sub censu concedere per futura tempora possit; nec pontifex ejusdem diœcesis, ad cujus parochiam pertinet locus ipse, nec omnes ejusdem potestatis quidquam ex monitate accipere ipsius monasterii audeat. Et insuper nulli omnino liceat quoquo modo in his omnibus aliquam minorationem vel forciam ingerere. Potius autem a præsenti concilio omnia hæc ad jam dictum monasterium cum omnibus appenditiis, et cathedra, alia loca mobilia immobiliaque, quæ per Deum timentium largitatem inibi collata esse noscuntur, huic Amulio presbytero et archidiacono Uzeticensis ecclesiæ confirmamus. Hujus rei gratia commendamus vobis hanc notitiam ad regendum et tuendum et bene ædificandum cœnobium ; ita sane ut a vobis, singulis quibuscunque annis, pensionis nomine, in rationibus ecclesiasticis x argenti solidiana, denarios xii accipientes, piæ paternitatis suffragium eidem monasterio contra omnes infestantes impendere studeant. Nulli vero dubium est, fratres, quod apostolica Ecclesia mater sit omnium ecclesiarum, a cujus nos regulis nullatenus convenit deviare : et sicut Filius Dei venit facere voluntatem Patris, sic et vos voluntatem vestræ impleatis matris, quæ est Ecclesia, cujus caput, ut prædictum est, Romana existit Ecclesia. Pater ergo noster sine dubio Deus, qui nos creavit, et mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritaliter regeneravit, et ideo qui Christi pecunias et Ecclesiæ aufert, fraudatur et rapit, homicida in conspectu judicis justi esse deputabitur. Unde scriptum est : qui rapit pecuniam proximi sui iniquitatem facit ; qui autem pecunias aut res Ecclesiæ tulerit, sacrilegium facit ; unde et Judas qui pecuniam fraudavit, quæ usibus Ecclesiæ, id est pauperibus, quos Ecclesia pascere debet, distribuebatur jussu Salvatoris, cujus vicem episcopi tenent, nec solum fur, sed et latro, et sacrilegus effectus est. De talibus enim, id est qui facultates Ecclesiæ rapiunt, fraudant vel auferunt. Dominus

A comminans, omnes per prophetam alloquitur, dicens : *Deus, ne taceas tibi, ne sileas, et ne quiescas Deus*, etc. In epistola papæ Symmachi : « Nulli apostolicæ sedis præsuli a præsenti die, donec, disponente Domino, doctrina catholicæ fidei manserit Salvatoris, prædium ecclesiasticum, quantæcunque sit magnitudinis vel exiguitatis, sub perpetua alienatione vel commutatione ad cujuslibet jura transferre liceat. » Et ex epistola papæ Simplicii. « Ut non liceat episcopum titulorum suorum prædia, seu quidquid juris eorum fuerit, quolibet modo alienare vel commutare : qui vero hoc agere tentaverit, ordinis sui detrimento plectatur. » Item in eodem : « Qui petierit prædium ecclesiæ, et acceperit in proprio jure ; aut si quis presbyterorum aut diaco- B norum, nec non defensorum denti subscripserit, anathemate feriatur. » Item in canonibus : « Si episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi tantum de juris proprii facultate suppleverit. »

Igitur tam ego quam omnes episcopi hujus concilii, insidiatores ex hoc monasterio apostolicæ sedis, et huic presbytero si aliquis adversatus fuerit, tale, scelus perpetrantes, omnes a communione Christi corporis ac fraternitatis consortio, sive omnium christianorum collegio sequestramus, damnamus, et sub omni anathemate excommunicamus. Sint illi maledicti in civitate, maledicti in agro ; maledictus fructus terræ eorum. Sint maledicta interiora eorum et exteriora. Cœlum quod super illos est, sit æreum ; et terra quam calcat, sit ferrea. C Oratio eorum ante Deum veniant in peccatum : sicut Datan et Abiron eant viventes in infernum. Omnes qui cum illis participaverint, aut cum eis cibum sumpserint, aut cantica eorum maledicta audire decreverint, scientes hanc maledictionem, cum Juda Scarioth traditore, Christi participes fiant. Aqua eorum putrefiat ; vinum eorum scaturiat ; panem eorum rubigo consumat, vestimenta eorum tinea comedat. Et quid plura ? Omnes maledictiones Novi ac Veteris Testamenti veniant super illos, usque dum ad dignam satisfactionem et condignam pœnitentiam matris Ecclesiæ veniant. Joannes apostolicæ sedis Petri apostoli, omnibus Christi ecclesiis bene valete dicit ista servantibus.

Hincmarus Rhemensis archiepiscopus firmat, An- D sigisus Senonensis archiepiscopus firmat, Aurelianus Lugdunensis archiepiscopus firmat, Rostagnus Arelatensis archiepiscopus firmat, Sigebodus Narbonensis archiepiscopus firmat, Teudericus Besantionensis archiepiscopus firmat, Auterannus Viennensis archiepiscopus firmat, Frautharius Bituricensis archiepiscopus signat, Adanaldus Turonensis archiepiscopus firmat, Berno Catalaunensis episcopus firmat, Joannes Rodomacensis archiepiscopus firmat, Aldebertus Silvanectensis episcopus firmat, Isaac Lingonensis episcopus firmat, Ingelvinus Parisi episcopus firmat, Otulfus Trecassine episcopus firmat, Ingomarus Laudunensis episcopus firmat,

Eldeboldus Suessionis episcopus firmat, Willelmus Lemovicensis episcopus firmat, Gislabertus Carnotensis episcopus firmat, Rotbertus Valentinensis episcopus firmat, Garbaldus Cavalonensis episcopus firmat, Rainelmus Noviomensis episcopus firmat, Abo Magalonensis episcopus firmat, Oddo Belvacensis episcopus firmat, Girbertus Nemausensis episcopus firmat, Walterius Aurelianensis episcopus firmat, Walafredus Uzeticensis episcopus firmat, Macharius Lutovensis episcopus firmat, Rotfredus Avinionensis episcopus firmat, Alaricus Biterrensis episcopus firmat, Ictarius Vivariensis episcopus firmat, Teutarius Gerundensis episcopus firmat, Abo Nivernensis episcopus firmat, Frodoinus Barchinonensis episcopus firmat, Lambertus Mudasconensis episcopus firmat, Joannes Cameracensis episcopus firmat, Adalgarius Austudunensis episcopus firmat, Barnarius Gratianopolis episcopus firmat, Ademarus Claromontis episcopus firmat, Arnulfus Taurinensis episcopus firmat, Rainelmus Meldensis episcopus firmat, Aigofredus Pictaviensis episcopus firmat, Ainulfus Gavaldonensis episcopus firmat, Georgius scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui super scripta hujus judicati, post testium subscriptionem et traditionem factam, complevit et absolvit, Raimundus, comes firmat, Berengarius vicecomes firmat, Aimaricus firmat, Olumbellus firmat, Teutrannus firmat, Gaucelinus firmat, Emenus vicecomes firmat, Oddo vicecomes firmat, Ugo comes firmat.

CL.

AD OMNES EPISCOPOS, COMITES, VICECOMITES, CENTENARIOS, JUDICES CATHOLICOS, IN HISPANIA ET GOTHIA DEGENTES.

(Anno 878.)

Lex de sacrilegis a Joanne papa Gothicis legibus addita in concilio Tricassimo

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis, comitibus, vicecomitibus, centenariis, judicibus catholicis, in Hispania et Gothia provinciis degentibus, omnique populo Occidentali catholico, salutem et apostolicam benedictionem.

Noveritis, dilectissimi filii, quia nos pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ jussimus congregari synodale concilium apud urbem Trecas. Ubi, sedentibus nobis in corona, venit ante præsentiam nostram filius noster Sigebodus primæ sedis Narbonensis episcopus, cum suis suffraganeis episcopis, et detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habebatur de sacrilegiis, et in eisdem legibus scriptum erat, ut causæ quas illæ leges non habent, non audirentur a judicibus illius patriæ; atque ita jus sanctæ Ecclesiæ suffocabatur ab incolis Galliæ et Hispaniæ provinciis. Unde nostra serenitas, cum præscriptis episcopis, inspectis legibus Romanis, ubi habebatur de sacrilegiis, invenimus ibi a Justiniano imperatore legem compositionis sacrilegii constitutam in quinque libras auri optimi. Sed nos leniorem legem præcipimus esse tenendam, quæ a Carolo est constituta pio principe de compositione sacrilegii, videlicet in xxx libras examinati argenti, id est sexcentorum solidorum summam argenti purissimi. Ideoque quisquis inventus fuerit reus sacrilegii, istam leviorem compositionem emendet episcopis ipsis, vel abbatibus, sive personis ad quas querimonia sacrilegii juste pertinuerit; et si ipse reus sacrilegii facere noluerit, tandiu excommunicationi subjaceat, usquequo prædictam compositionem sexcentorum solidorum persolvat. Et si in hac obstinatione mortuus fuerit, corpus ejus cum psalmis et hymnis non deferatur ad sepulturam. Et præcipimus ut in fine codicis legis mundanæ scribatur hæc lex.

CLI.

AD OMNES FIDELES.

(Anno 878.)

Privilegium Ecclesiæ Pictavensis, ne quis ejus bona invadat, et ut ablata restituantur.

Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris.

Divino quia Romanum pontificum largitu enitet universis, illud luce clarius constat, largita defendere cunctis : quoniam indubitati juris est, semel concessa perenni cultu fore tenenda. Cæterum omnium religiositas orthodoxorumque pernoscat fidelitas, quod, ut relatu quorumdam didicimus, Pictavensis quidem Ecclesia, quam diutinus paganorum hostis persequitur, multa Christianorum iniquorum incommoda patitur, quibus pressuris nos convenit perdolere eamdemque nihilominus tanto fasce levare. Quapropter præcipimus apostolicaque auctoritate expresse jubemus, quod nemo vestrum, tam sacerdotali ordine perfruens quamque militare officium tenens, ipsius Ecclesiæ Pictavensis aliquam ecclesiam aliquodve monasterium vel prædia ipsi quoquo modo pertinentia invadere præsumat, ullosve colonos servos ancillasve contra sui episcopi velle tollere audeat : sed liceat ipsius Ecclesiæ Hecfrido videlicet episcopo, suisque successoribus, illa quæ sui antecessores legitimo tramite canonicæ auctoritatis habuerunt, sub nostra tuitione habere, et ut possederunt possidere, et ut ordinaverunt suo arbitrio ordinare, cum consulto consensuque suæ Ecclesiæ canonicorum, ut prisca consuetudo dignoscitur, sine vestro vestrorumque obstaculo et omnium hactenus talia præsumentium. Inter hæc volumus quasque causas prædicto Hecfrido episcopo inde motas in nostra præsentia adducendas. Si quis vero sacerdotum, judicum atque secularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestate honoris sui ac dignitate percussus apostolico anathemate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel præsumpta correxerit, vel digna pœnitentia illicita acta defleverit, a sacratissimo corpore Dei Domini ac Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat.

Cunctis autem eidem præfatæ Ecclesiæ jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ operationis recipiant, et apud summum Arbitrum præmia æternæ pacis inveniant. Data III Kalendas Septembris indictione XI, Trecis.

CLII.

AD EPISCOPOS PER GALLIAM CONSTITUTOS.

(Anno 878.)

Privilegium monasterio Floriacensi conceditur synodo Tricassina.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis atque aliis Dei fidelibus per Galliam constitutis.

Quoniam apostolica successione [*f.* suggestione] sollicitudinem omnibus Ecclesiis debemus impendere, sic cupimus generali consulere necessitati, ut etiam quorumcunque singulares causas sine fastidio cognoscamus. Igitur cum propter multiplices Ecclesiæ Dei curas Gallicanam adeuntes regionem, Trecas civitatem devenissemus, anno incarnationis Dominicæ 878, et ad resecanda quælibet inutilia vel statuenda ecclesiastica jura, synodum generalem plurimorum celebraremus episcoporum, inter alia suggessit auctoritati nostræ venerabilis partium vestrarum abbas, nomine Theotbertus, ex cœnobio quod vocatur Floriacus in pago Aurelianensi, quod idem monasterium quidam religiosus abbas, Leodebodus nomine, monachus exstruxerit in honore Dei et sanctæ genitricis Mariæ, nec non beati principis apostolorum Petri : quod revelatione divina per monachos ejusdem loci a Beneventana provincia corpus illuc S. Benedicti pervenerit olim allatum, ibique reverenter humatum, sicut manifestissima constat veritate; et quod propter stabilimentum monasticæ religionis, piæ memoriæ gloriosus imperator Carolus præceptum suæ auctoritatis eidem loco res denominatas delegaverit, partim a religiosis hominibus, pro amore Dei illic contributas, ut victum atque vestitum monachi ibidem Domino militantes deberent habere : nec non et hoc quod beatæ recordationis pater ejus serenissimus Augustus in ipso loco hospitale nobilium, quod Porta appellatur, juxta regularem institutionem, itemque hospitale pauperum, in sui parentumque suorum eleemosyna statuerit, et res ad hoc opportune agendum, nec non alias ad lumen Ecclesiæ administrandum, jusserit deputari. Quæ omnia per jam dictos monachos hactenus ibidem comperimus observari. Nunc tam seipsum quam unanimem congregationem sibi commissam humiliter postulare, quamvis privilegia multorum meruerint episcoporum, ad reprimendam quorumlibet illicitam cupiditatem, ut super abbate regulari ex eis eligendo etiam nostræ auctoritatis privilegia consequantur. Quocirca nos potestatem, quam gratis a Christo accepimus, secundum evangelicam auctoritatem gratis prodesse omnibus cupientes, vice beati Petri apostoli decernimus ut in sæpe memorato loco servi Dei absque inquietudine debitum suæ religionis persolvere possint servitium secundum regulam Patris Benedicti, a propriis abbatibus, monachis videlicet ex eodem cœnobio regulariter electis, in perpetuum gubernetur. Nec illarum rerum quæ velin prælibato præcepto nominatim continentur vel a prædicto abbate venerabili nunc ejusdem loci Theotberto præfati monasterii officiis deputatæ habentur, ullam ab aliquo unquam patiantur immunitionem, et etiam rebus quæ deinceps a quibuslibet religiosis hominibus eodem loco pervenerint condonatæ. Quod si quis hoc nostrum beneficium irrumpere præsumpserit, et stipendia servorum Dei in alios usus converterit, ab apostolica communione anathematis animadversione illum separamus, ut nisi admonitus e vestigio se correxerit, cum rapacibus a regno Dei exclusus, quæ meretur tormenta persolvat. Ut autem hoc privilegium certam obtineat fidem, et Dei famulis in jam dicto Floriacensi cœnobio securitatem conferat, quandiu Deus et Dominus noster Ecclesiam suam durare voluerit, nostra id subscriptione roboravimus. Scriptum per manus Georgii scriniarii sanctæ sedis apostolicæ, in mense Augusto, indictione XI. Bene valete. Data Nonis Septembris per manum Walberti humillimi episcopi sanctæ Portuensis Ecclesiæ, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Joannis summi pontificis et universalis papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto, indictione XI.

CLIII.

AD WALAM SEU WALONEM METENSEM EPISCOPUM.

(An. 878.)

Concedit illi pallium certis diebus deferendum.

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, WALÆ venerabili episcopo Mediomatricorum Ecclesiæ, quæ et Mettis vocatur, in honore scilicet sancti Stephani primi martyris.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, ac ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant, quanto sudore quantaque cura debemus esse pervigiles, nos qui pastores animarum dicimur? Attendamus ad susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro desidia nostra ante summum pastorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter cæteros judicamur. Pallium autem fraternitati tuæ ex more ad missarum solemnia celebranda concessimus, diebus vitæ tantummodo : quod tibi, non Ecclesiæ tuæ, aliter privilegiis in suo statu manentibus, uti concedimus. Quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus, auctore Deo, utrisque possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula. In ipsa se semper considerando proficiant, ut tuum post Dominum videatur esse bene quod vixerint. Corrigant, ne prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant; sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ

devincant. Nullum apud te locum odia, nullus favor indiscretus inveniat. Sub ea videlicet ratione concedimus fraternitati tuæ ut a secretario usque ad sacrum altare, et ab altari usque ad secretarium, sicuti prisca exstitit palleatis [*pro* palliatis, Hard.] consuetudo, indui debeas. Auctoritate autem beati Petri apostolorum principis licentiam diebus vitæ tuæ sub jure et ditione nostra, ut diximus, habeas. Nullum usum vel consuetudinem successoribus tuis per hoc nostrum tibi concessum apostolicum privilegium habere censuimus. Et neque episcopus archiepiscopusque adversus te pro hoc altercationis contentionem commoveat. Ita, Domino regente et gubernante cor tuum, commissam exsequi gubernationem studeas, ut, adepto hujus honoris officio, dignitate et probitate morum amplius procures adornari. Scriptum per manum Georgii scriniarii S. R. E. in mense Septembrio indictione XII. Data VIII Idus Septembris per manum Walperti humillimi episcopi sanctæ Portuensis Ecclesiæ, anno, Domino propitio, pontificatus domini nostri Joannis summi pontificis et universalis papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto, indictione XII. *Hoc est anno* 878. *Verum aut September in Octobrem, aut indictio* XII *in* XI *mutanda; quod ex privilegiis Floriacensi, Cabilonensi aliisque disces, licet non diffiteamur in antiquis diplomatibus indictionem nonnunquam usque ad natalem Christi diem aut pridie Kalendas Januarii protendi ab incuriosis tabellionibus librariisve.*

CLIV.

(Anno 878.)

Excommunicatio Hugonis et Emmonis.

Hugonem Lotharii regis quondam filium, non legitimum, sed naturalem adulterina copula genitum, qui post præstitum sacramentum dilecto filio Ludovico regi Francorum mentitus esse videtur, et inquietare pacificum regnum prædicti regis; et Emmonem, Bernardi comitis germanum, complicem in excessibus, nisi intra dies triginta ad prædictum seniorem suum redierint, et ab inquietudine regni resipuerint, omni Christiana communione privamus. Postmodum si perseveraverint, sciant se anathematis vinculis innodandos. Data, etc.

CLV.

AD BERNARDUM COMITEM.

(Anno 878.)

Jubet ut ipse cum aliis quibusdam ad synodum veniat, in qua Frotarius Bituricensis episcopus de objecto sibi infidelitatis crimine, purgare se volebat.

Bernardo comiti.

Relatu videlicet hominis pontificio nostro nuntiatum est quod Frotarius venerabilis episcopus civitatem Biturigam inimicis vestri senioris domini Ludovici gloriosi regis tradere maluerit, ideo illuc ipse contendere studueras. Ecce enim idem jam dictus episcopus nobis, nostro et filio præfato regi gloriosissimo, super hoc reclamare studuit, dicens se velle in omnibus tibi et tuis de universis objectis contra tui et sui senioris infidelitatem, justitiam facere. Quapropter hortantes mittimus, apostolicaque auctoritate jubemus, ut ad hoc placitum, ad huncque conventum præsentialiter venire satagas, adducens tecum Girardum vicecomitem, Umbertum, Aguvarnum, Ingelbertum, super quos ipse reclamat, quatenus nunc coram nobis et coram sæpe dicto glorioso rege, tam canonica censura quamque humanæ legis sancitu, inter vos, quidquid contra fas et jus factum fuerit, nihilominus finiatur. Data *ut supra.*

CLVI.

(Anno 878.)

Bernardi comitis excommunicatio.

Bernardum sacrilegum, filium Bernardi et Belihildis, sacrarum rerum ecclesiasticarum pervasorem, regiæque a Deo ordinatæ potestati contradictorem, a proprio archiepiscopo Frotario, cui et civitatem et omnia quæ habuit sustulit, tertio vocatum, a nostra autem apostolica auctoritate bis, et a regia sublimitate semel revocatum, venire nolentem et in pertinacia sua permanentem: qui etiam ab hominibus suis sacramentum damnabile et damnandum, blanditiis et terroribus tyrannice contra divina et humana jura extorsit, a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi alienum decernimus, et ab omni Christianorum societate separamus, usque dum ad condignam satisfactionem emendaturus accedat. Quod si nec hic emendaverit, et ea quæ reus adeo communi judicio suorum fidelium abstulit, violenter tenere et fidelibus suis in hoc refragari tentaverit, anathematis vinculo sancti Spiritus [*adde* auctoritate] innodamus. Quicunque autem ei contra hanc excommunicationem communicaverint aut consenserint, nos prohibere non possumus ut qui excommunicatis communicaverint, non pari excommunicationi subjaceant.

CLVII.

AD ADALARDUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

(Anno 878.)

Confirmat privilegia Ecclesiæ Turonensi concessa.

Reverendissimo et sanctissimo Adalardo venerabili archiepiscopo Turonensi, successoribusque tuis, nec non et omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris.

Decet Romanam Ecclesiam, quæ mater est omnium Dei Ecclesiarum, ut quanta viget dignitate præclara, eo magis consistat in misericordia pia, quatenus quæ digna postulantur a fidelibus, sine mora cum pietate largiri mereantur a nobis. Omnium vestrum religiositatem volumus scire fideliter quoniam presbyteri diœcesis Turonici pagi ad nostrum accesserunt pontificium, suggerentes ut firmaremus apostolica auctoritate illis et capitulare regum et coepiscoporum scriptum, ut debeat unaquæque ecclesia proprium mansum habere cum mancipiis quatuor vineas, aripennos tres, prata similiter, et cœmeterium cum mansionibus, sine personali et civili munere exigendo, nisi divino solummodo in ecclesiastici rebus obsequio, sicuti canonum prisca auctoritas e

moderna concedit : ubi vero res nominatæ antiquitus condonatæ et moderno tempore abstractæ esse videntur, pontificali auctoritate et regali potestate sine mora aliqua aut tarditate restituantur. Nos illorum precibus inclinati, volumus, apostolicaque auctoritate expresse jubemus, ut præfata scripta, a nostro pontificio delata, a coepiscopis firmata, a regibus jussa, sint rata et modis omnibus observanda. Si quis hujus apostolicæ censuræ temerario ausu violator exstiterit, si sacerdos fuerit, proprio honore privetur, et Christiana communione cassus anathematis vinculo innodetur ; si laicus, similiter perpetua damnatione cum Juda traditore torqueatur : conservator vero perenni benedictione apostolorum principum Petri et Pauli modis omnibus perfruatur.

CLVIII.

AD DIVERSOS EPISCOPOS.

(Anno 878.)

Ut invasores bonorum Ecclesiæ Turonensis cogant reddere, et nonas ac decimas solvere.

Reverendissimis et sanctissimis **Frotario** archiepiscopo Biturigensi, et **Anselmo** Lemovicensi ; **Hecfrido** Pictavensi, **Dodoni** Andecavensi, **Rotberto** Cenomanensi, **Hildeprando** Sagiensi episcopis, nec non et aliis omnibus episcopis et comitibus, aliisque personis illustribus, sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, in quorum parochiis sancti Mauricii (*nunc* S. Gatiani, **Hard.**) Turonensis Ecclesiæ prædia esse videntur.

Quorum omnium religiositas seu universorum pernoscat fidelitas quoniam, narrante Adelardo venerabili archiepiscopo, pontificium nostrum didicit qualiter quidam, absque legum omnium auctoritate, tam comites quamque subditi eorum, sancti Mauricii Turonensis Ecclesiæ res invasas ausu temerario teneant. Unde mandamus nostraque apostolica auctoritate expresse jubemus ut eos invasores primitus moneatis, ut ipsas res, omni occasione remota, ipsi præfatæ Ecclesiæ reddere satagant ; et si ipsi forte audire noluerint, vos unanimes omnes unoque conventu pro posse collecti, nostra censura illos excommunicare debeatis, usquequo ipsas res ab eis injuste retentas reddant. Et si, quod non credimus, his censuris inobedientes fuerint, et ad satisfactionem venire distulerint, et justitiam de perpetratis facere noluerint, ab omni Christiana communione illos nostra auctoritate judicate esse immunes. Inter hæc etiam illos monete ut nonas et decimas, secundum antiquam consuetudinem, quibus dare debent, postpositis illicitis occasionibus, dare minime differant. Demum indicimus ut omnes res præfatæ Ecclesiæ sancti Mauricii, quæ in vestris existunt parochiis, defendere ab omnibus inimicis debeatis ; quoniam si aliter feceritis, et nostræ censuræ non obedieritis, canonico sancitu feriemini.

CLIX.

AD EPISCOPOS BRITANNIÆ.

(Anno 878.)

Arguit eos quod a Turonensi archiepiscopi jurisdictione se subtraxerint, ejusque bona invaserint ; præcipit ut ei deinceps pareant et delictorum ab illo veniam petant.

Mahen Dolensi episcopo, nec non et omnibus episcopis Britannicis, seu universis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus.

Sanctitatem seu fidelitatem omnium nosse volumus quia dum Trecis synodum celebraremus, suggestione Adelardi archiepiscopi consacerdotis nostri, audivimus quod vos matrem vestram Turonensem Ecclesiam despicientes, secundum antiquam consuetudinem illi obedire differtis, et privilegium a beato Petro apostolo illi supra vos concessum frangere conamini, debitumque honorem ipsi archiepiscopo vestro observare negligitis, et malum supra malum addentes prædicto capiti vestro prædia auferre non formidatis. Inter hæc etiam, et præfato antistite narrante, et aliis coepiscopis similiter conferentibus, audivimus ut vos non antiquo more a vestro metropolitano consecrati fuissetis, sed expulsis legitimis episcopis de sedibus, sola potentia ducis vestri alter ab altero consecratus fuit. Quod mirati fuimus, et, si ita est, tantum nefas delebimus, et vindictam, nisi satisfeceritis, nihilominus dabimus : quia non pastores, sed invasores fuisse cernimini. Quapropter monemus, apostolicaque auctoritate expresse præcipimus, ut ad cor redeuntes, ad matrem vestram sanctam Turonensem Ecclesiam revertamini, et secundum antiquam consuetudinem illi obedire satagatis, et de perpetrato hactenus ipsi vestro archiepiscopo Adelardo misericordiam quæratis, quatenus super omnibus negligentiis apud summum Arbitrum veniam habere possitis. Quoniam si aliter feceritis, canonica auctoritate eritis nihilominus feriendi, et a nostra communione modis omnibus alienandi, et omnis vestra ordinatio a summa sede apostolica scilicet respuenda. Data *ut supra*.

CLX.

AD ARELATENSEM ET NARBONENSEM ARCHIEPISCOPOS

(Anno 878.)

Ut causam inter Ucceticensem et Avemonensem episcopos canonice definiant.

Rostagno venerabili archiepiscopo Arelatensi, et **Sigebodo** Narbonensi.

Sanctitati vestræ notum est qualiter Walefredus Ucetiensis Ecclesiæ episcopus ad synodum quam, Deo auctore, apud Trecas celebravimus, reclamationis libellum obtulit super Ractefredo Avenionense episcopo, quod ei quamdam villam ad suam sedem, sive parochiam, pertinentem abstulisset. Sed quia Ractefredus, de quo querela erat, synodo defuit, idcirco fraternitati vestræ apostolica auctoritate mandamus ut, coadunato numero episcoporum, eorum causam canonico judicio finiatis, ita discutiendo et determinando tantæ præsumptionis invasionem, ut nemo episcoporum vestrorum contra canonica præcepta ulterius insurgere sine suo periculo tentet. Vos quoque præsentialiter cum vestris istud determinate judicium. Capitula quædam vobis Patrum auctoritate collecta mittimus, secundum quæ judicare

absque dilatione debeatis, ne quærendo assumatis laborem pro tali negotio. Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere.

CLXI.

PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO VIZELIACENSI.

(Anno 878.)

Confirmantur immunitates olim concessæ.

(Apud Acherium Spicileg.)

JOANNES episcopus servus servorum Dei EUDONI venerabili abbati Vizeliacensis cœnobii, omnique congregationi ejusdem monasterii in perpetuum.

Quoties illa tribui a nobis optantur, quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos debet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Atque ideo quia postulasti a nobis quatenus privilegium sedis apostolicæ monasterio Vizeliaco, cui præesse dignosceris, quod constat olim a Gerardo nobilissimo et Christianissimo viro, necnon et Berta uxore ejus in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi et veneratione beatissimæ semper virginis Mariæ genitricis ejusdem Domini nostri Jesu Christi constructum; in regno scilicet Burgundiæ, in pago Avalensi quodque a præfatis fundatoribus beato Petro apostolorum principi pia devotione et testamenti pagina collatum est, facere deberemus: inclinati precibus tuis, libenter fieri decrevimus, per quod nimirum apostolicæ sedis privilegium confirmamus, atque statuimus, ut nulli regum, nulli antistitum, nulli comitum, nulli cuiquam alii liceat ipsum monasterium perturbare, vel ea quæ ibi a jam dictis fundatoribus, vel ab aliis fidelibus oblata sunt, vel in futurum offerri contigerit, sub cujuslibet causæ, occasionisve specie, minuere, vel auferre, sive suis usibus applicare, sed sine inquietudine in sustentatione ejusdem monasterii, et usibus abbatum et monachorum sub regula sancti Patris Benedicti ibi Deo militantium volumus ea et præcipimus possideri: ea videlicet conditione, ut nullus successorum nostrorum pontificum in hac sancta sede, cui auctore Deo, servimus, unquam vel usquam quiddam ex eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut sub sensu quolibet concedere per futura tempora patiatur, sed censum tantummodo in testamento traditionis a fundatoribus qui ex eodem monasterio hanc sanctam hæredem Romanam fecerunt Ecclesiam etiam delegatum, unam videlicet libram argenti annis singulis successores nostri accipientes, per paternitatis suffragium eidem monasterio sollicitudine pastorali vigilanter contra omnes infestantes impendere studeant. Item constituimus, ut obeunte abbate prædicti monasterii, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem consensus monachorum secundum timorem Dei, et institutionem regulæ sancti Benedicti elegerit, et hujus apostolicæ sedis pontifex prævideril ordinandum, aut suggestione monachorum consenserit ordinatum.

Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nullum de regibus, nullum de episcopis vel sacerdotibus, vel de quibuscunque fidelibus, per se, suppositamve personam, de ordinatione ejusdem abbatis, vel clericorum, aut presbyterorum, vel de largitione chrismatis, aut consecratione basilicæ, vel de quibuscunque causis ad idem monasterium pertinentibus, audere in qualibet specie exenii loco quidquam accipere, neque eumdem abbatem pro ordinatione sua aliquid dare præsumere, ne hac occasione, ea quæ a fidelibus pio loco offeruntur consumantur. Neque episcopus civitatis ipsius parochiæ, nisi ab abbate ipsius monasterii invitatus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in eodem cœnobio indicat, ne servorum Dei quies quoquomodo populari conventu perturbari valeat, neque paratas, aut mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium et religiosorum virorum atque beneficentiam, quam jubet Apostolus cunctis exhibendam pro possibilitate loci et facultatum, non modo ibidem fieri [non] denegamus, verum etiam suademus: sed et modus in numero congregationis adeo conservetur, ut nec pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci inducere valeat. Privilegium quoque a prædecessore nostro piæ memoriæ papa Nicolao eidem monasterio collatum nostra auctoritate confirmamus, excepto duntaxat quod ipse sub nomine ancillarum Dei quæ ibidem pro crebris infestationibus sæculi nunc ordinabiliter manere nequeunt, illud delegavit: nos vero aptioris utilitatis gratia, sub habitu monachorum esse congruenter decernimus. Si quis vero regum, episcoporum, sacerdotum, abbatum, judicum comitum, aut secularium personarum, contra hanc nostræ institutionis paginam venire tentaverit, percussus apostolico anathemate, potestatis honorisve sui dignitate careat, reumque se coram divino judicio cognoscat, et nisi ea quæ a se male acta sunt defleverit, a sacratissimo corpore Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque æterno examini districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Datum per manum Walperti humillimi episcopi sanctæ Portuensis Ecclesiæ III Kalend. Octobris, anno VI ejusdem Domini Joannis papæ VIII, indict. XII. Scriptum vero per manum Georgii notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

CLXII.

AD WIBBODUM EPISCOPUM.

(Anno 878.)

Commendat illius fidem, hortatur ut legatum mittat antequam cum Carolomanno in colloquium veniat, cui eum quoque interesse jubet.

Reverendissimo et sanctissimo WIBBODO venerabili episcopo.

In lectione litterarum vestrarum, et in relatu earum geruli hominis vestri, et vos devotissimos, et ut semper, novi fidissimos; pro quibus vobis gratias

agimus, et Deo auxiliante, retribuemus. Interea monentes hortamur ut cœptum perficias, et antequam Carolomannum alloquamur, vestrum legatum cum litteris mitttere satagas, et in colloquio ubi fueris, tua præsentia esse studeat. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere, maxime in hoc. Data *ut supra*.

CLXIII. — CLXIV.

PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO SANCTI MARCELLI.

(Anno 878.)

[Apud Perry, *Histoire de Chalon-sur-Saône*, inter *præb.*, pag. 32.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, DEODATO venerabili levitæ et præposito monasterii sancti Marcelli sito in territorio Cabilonensi, loco Floriaco et Vallis Magnimontensis, atque Gibriacensis, cum omnibus ad se subjacentibus et pertinentibus ad prædictum locum Floriacum aspicientibus, et in Cabilonensi similiter Boscrontensis.

Quia suppliciter petiit cum cuncta congregatione sancti Marcelli tua devotio, quatenus apostolica auctoritate benigna compassione eidem loco privilegium de cunctis rebus ibi positis, cultis vel incultis aquis, aquarumque decursibus, tam in Cabilonensi quam Belnensi, atque Magnimontensi ut supra dictum, et Divionensi et Lugdunensi confirmaremus, propter Deum piis petitionibus vestris inclinati, concedimus pro vobis vestrisque successoribus supra dicto loco novas quoque et decimas eo modo quo antiqua consuetudo præcedentium constat episcoporum aut exspectatur ab his intra quorum parochias sæpe dicti loci habitatores jure proprio habere videntur quidpiam secundum præcepta regum, singulorumque hominum donationes, quæ ab aliis legaliter ante donationem, vel post juste concessa videntur, supranominatorum : Sed ut securius ac quietius in Dei servitio valeant permanere, ab omni volumus eos fratres ac spirituales cohabitatores molestia persistere, nullusque de regibus comitibusque aliisque regni primoribus cujuslibet cingulo dignitatis præpollens, audeat vel præsumat his nostris propter Deum concessis petitionibus quocunque resultare modo atque ingenio ; quod nos paternæ compassionis affectu innuimus, filiorum nostrorum debet assensu firmari et non, quod absit, superna rebellione in aliquo temerari, et resultari proterva transgressione. Concessum a Deodato indictione duodecima et cunctæ congregationi supradicti loci, residente in sede apostolica domno Joanne, anno sexto. Si quis contra hoc nostrum privilegium, amodo, nisi intra certum tempus resipuerit, ire tentaverit, anathematis se vinculis canonice noverit colligandum. ✝ Bene valere ✝ Nonis Octobris per manum Valperti humillimi episcopi sanctæ Portuensis Ecclesiæ anno, propitio Deo, pontificatus domini nostri Joannis summi pontificis et universalis papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli VI, indictione duodecima.

CLXV.

AD SUPPONEM COMITEM.

(Anno 878.)

Mandat ut ad montem Cinisem [Cinisium] obviam sibi veniens, imperatricem Angelbergam, et præsules Mediolanensem et Parmensem idem facere moneat, ut simul quæ ad utilitatem Ecclesiæ pertinent tractare valeant.

Dilectissimo filio SUPPONI glorioso comiti.

Quia nos, in quibus, Deo dispensante, fines sæculorum devenerunt, pro sanctarum Dei Ecclesiarum statu variis motibus ducimur, diversisque fluctuum procellis impellimur, sed tamen non destituimur, propter eum qui nos confortat Christum Jesum, servata prædecessorum nostrorum fide proli Francorum, ad Gallias properantes idcirco venimus, ut pacis atque unitatis vinculo regum corda connecteremus. Sed completum videmus quod in Evangelio legimus : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescit charitas multorum (Matth.* XXIV). Quapropter vestræ dilectioni fidentissime et probatæ fidei mandamus, ut nobis cum officio decentiæ vestræ ad montem Cinisem obvii quantocius veniatis, ut pariter convenientes, quæ ad utilitatem congruunt, Domino permittente, tractare valeamus. Simulque hoc precamini filectam filiam nostram Angelbergam imperatricem, atque Anspertum archiepiscopum Mediolanensem, Wibbodumque Parmensem episcopum, aliosque fideles atque amicos. Data *ut supra.*

CLXVI.

AD WIBBODUM, PAULUM, ET PAULUM AC LUIDOINUM EPISCOPOS.

(Anno 878.)

Jubet ut Papiam ad synodum accedant.

Reverendissimis et sanctissimis WIBBODO venerabili episcopo Parmensi, et Paulo Placentino, et Paulo Regiensi, et Liudoino Mutinensi episcopis.

Sanctitatem vestram scire cupimus quoniam octavo Kalendas Decembris Taurinum venimus, inde, Deo duce, Papiam veniemus, et ibi synodum pro statu Dei Ecclesiarum celebrabimus. Quapropter mittimus apostolicaque auctoritate expresse jubemus ut quarto Nonas Decembris ibi, omni occasione remota, ad synodum esse debeatis. Et qui primo hanc epistolam egerit, alio sub omni festinatione transmittat. Videte ne aliter faciatis ; quoniam si aliter feceritis, canonico feriemini vigore. Data *ut supra.*

CLXVII.

AD JOANNEM EPISCOPUM PAPIÆ.

(Anno 878.)

Ut sibi Taurinum obviam veniat, et epistolas a se scriptas quibusdam episcopis dirigat, ut ipsi ad concilium accedant.

Reverendissimo et sanctissimo JOANNI Papiæ episcopo.

Sanctitati tuæ notum fieri volumus quod nunc Taurinensi in civitate consistimus. Cæterum dirigimus ut, continuo omni occasione postposita, nobis venire ne differas obviam. Vide ne ab alicujus deci-

piaris instinctu fortasse, quæ minime credimus, pro parte Mediolanensis archiepiscopi, quoniam specialiter noster es et manualis. Et quia de nullius nisi nostra ditione consistis [*deest* jubeo *vel quid hujusmodi*] ut epistolam quam suffraganeis episcopis Ravennatis Ecclesiæ, Paulo Placentinæ, et item Paulo Regiensi atque Liudoino Mutinensi, cum celeritate mittere procuretis, ut statuto die Papiam veniant quatenus de sanctorum item Dei Ecclesiarum et communi atque universali salute tractare valeamus. Data *ut supra*.

CLXVIII

AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 878.)

Narrat labores pro Ecclesia susceptos: monet ut sibi cum omnibus episcopis suis Papiam occurrat.

Reverendissimo et sanctissimo confratri Ansperto venerabili archiepiscopo Mediolanensi.

Quantum pro totius sanctæ Dei Ecclesiæ statu, et pro cuncto grege Dominico, pro quo omnipotens Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, et Joannes apostolus exhortans nos ait: *Quoniam ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animam ponere* (*I Joan.* III), laborare ac vigilare semper debemus, omnium vestrum luce clarius novit pia fraternitas. Quapropter, quantum ex divina gratia in nobis fuit et est ex quo nos superna miseratio suæ Ecclesiæ præfecit, animæ nostræ nunquam pepercimus, nunquam dura pericula declinavimus; sed die noctuque, æstu et gelu exusti, ne quid captum a bestia aut dilaceratum Domino ostenderemus, marinos fluctus pertulimus pro omnium vestrum liberatione atque salute: in Franciam quoque venientes, et regum filios partim viva voce, partim epistolis atque legatis allocuti sumus omnes, id est utrosque Ludovicos, Carolomannum, et Carolum, acceptoque communi consilio uti Boso gloriosus princeps comes esset itineris nostri, donec, Christo opem ferente, reverteremur ad Urbem. Et quia de statu sanctæ Ecclesiæ sunt quæ communiter tractare debemus, tuæ sanctitati apostolica auctoritate mandamus cum cunctis suffraganeis tuis et coepiscopis nobis Papiam secunda die post festum sancti Andreæ occurrere. Et quoniam probata fides omnium prædecessorum tuorum semper fuit erga Romanum pontificem, tua fraternitas omnimodis studeat eorum in omnibus assequi vestigia, quia, quod absit, si aliter fuerit, vigor canonicus super inobedientes remanere non poterit. Data *ut supra*.

CLXIX.

AD SUPPONEM COMITEM.

(Anno 878.)

Miratur eum sibi, ut decebat, non occurrisse; certiorem reddit de his quæ cum Ludovico rege egit: monet ut ad se veniat.

Dilecto filio Supponi illustri comiti.

Cur, fili charissime, nobis iter tua dilectio clauserit, curque ut audistis nos in tuos honores venisse, obviam non concurreris, miramur, cum eam in omnibus nostris negotiis curam gessisse semper novimus; et ubi nos prope fuisse audieras, tuis universis postpositis seriis, ad nos festinanter properaveras. Unde cernimus quoniam istud non ex corde, sed pro fidelitate tui senioris taliter feceris, quod ideo parcimus; ecce enim, ut audistis, et nos etiam vobis jam litteris significavimus, pro quibus in Galliæ partibus synodum celebravimus. Et Ludovicum gloriosum regem affati fuimus, qui nobis hunc Bosonem principem virum consultissimum, sibique ex omni parte conjunctum dedit, ut nos salvos sine impedimento maledicti Lamberti in Urbem mitteret, cum quo nos pacifice pro certo venimus. Cæterum monentes mittimus et rogantes hortamur quatenus vestro de more, relictis aliis omnibus curis, omnique occasione remota, ad nos præsentialiter venias, incitans etiam alios, quibus apostolicas litteras mittimus, ut et ipsi similiter faciant. Quoniam, scit Deus, non ob aliud vos alloqui cupimus nisi ut sanctarum Dei Ecclesiarum statum et reipublicæ quietem una vobiscum consideremus; tamen ante alios venire satage, ut quidquid cum aliis fecerimus, tecum familiariter antea terminare queamus. Data *ut supra*.

CLXX.

AD BERENGARIUM COMITEM.

(Anno 878.)

Berengarii charitatem erga Romanam Ecclesiam commendat; significat celebratam in Gallia synodum, seque incolumem reversum: monet ut ad se venire festinet.

Dilecto filio Berengario illustri comiti.

Relatu nonnullorum audivimus, maxime hujus Widonis comitis nostri consiliarii, ut vestra devotio charitatem quam erga nos nostramque Ecclesiam, vestram videlicet matrem, semper habueras, magis magisque adoleat: in quo gratias agimus et ut proficias hortamur. Ecce enim audistis pro quibus in Galliæ partibus synodum celebravimus, et Ludovicum regem gloriosum affati fuimus, qui nobis hunc Bosonem principem virum consultissimum, sibique ex omni parte conjunctum dedit, ut nos, auxiliante Deo, salvos sine impedimento Lamberti maledicti, et a sancta Dei Ecclesia anathematizati, in urbem Romam mitteret, cum quo nos pacifice pro certo venimus. Cæterum monentes mittimus, et rogantes hortamur, relictis aliis omnibus curis, ad nos præsentialiter venire satagas. Quoniam, scit Deus, non ob aliud vos alloqui cupimus, nisi ut sanctarum Dei Ecclesiarum statum et quietum reipublicæ cum honore una vobiscum tractemus. Data *ut supra*.

CLXXI.

AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

(Anno 878.)

Increpat eum quod sibi auxilium non tulerit; et jam tertio monet ut sibi Papiam certa die cum suis suffraganeis occurrat.

Reverendissimo et sanctissimo confratri Ansperto venerabili archiepiscopo Mediolanensi.

Quantum benigna fraternitas vestra sanctæ sedi

apostolicæ concurrere ac concordare debeat, prædecessor noster beatus Gelasius papa ad episcopos parvipendentes vexationem fratrum his verbis comminando scribit, dicens : Cur non compassi estis tantis fratribus vestris? Cur non adistis imperatorem? Cur non posuistis animam pro confratribus, quam præceptum habetis ponere pro grege vobis commisso? Cur non posuistis vos pro domo Israel murum, ut staretis in præliis in diem Domini? Quapropter tandem discussa negligentia ad pristinum vos reformate certamen, fratribus auxilium concite afferendum. Hæc et horum similia vestram fraternitatem debuerant exempla provocare, et nobis pro totius sanctæ Dei Ecclesiæ statu laborantibus non tantum inviti jam, sed etiam sponte concurrere debetis ac debuistis. Sed jam nunc post tertiam admonitionem nobis cum confratribus vestris et coepiscopis studete Papiam hac quinta feria proxima adveniente occurrere, zelum Dei, quem pro vobis omnibus patior, atque dolorem audientes, ut quod deinceps Deus omnipotens communi vestro consilio decreverit, facere valeamus. Nulla, frater charissime, animo vestro dubietas insideat, in mea fide et in meo sacerdotio credite; nil contra vestram decentiam atque honorem vobis aliquatenus opponetur quia, quod non optamus, si hæc parvipendere tentaveritis, post tantam patientiam canonica eritis [a]...

CLXXII.

AD BERENGARIUM COMITEM.

Narrat labores pro Ecclesia susceptos.

Dilecto filio Berengario glorioso comiti, seu omnibus optimatibus Longobardorum regni sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus.

Quanta et qualia Romana Ecclesia, vestra videlicet mater, hactenus ab impiissimis Christianis passa est, et nostris litteris significantibus, et rumore populi narrante jam audistis, et ut certius sciatis, iterum significamus. Ecce enim pro quibus et pro omnium vestrum salute animæ nostræ non parcentes, quia per terram pro prædictis persecutoribus ad vos viciniores, ut res expetierat, venire nequivimus, marinum iter accepimus; et in Franciam ibimus, quærentes tranquillitatem atque auxilium, ubi nostri antecessores quæsiere pontifices. Misimus enim omnibus regibus, id est Ludovico domni Caroli imperatoris filio, et Carolomanno et Ludovico, et Carolo Ludovici regis filiis, ut cum suis episcopis ad nos venirent, et una nobiscum super his tractarent. Ex quibus venit Ludovicus rex, et tantis malis perdolens, nisi infirmus esset, nobiscum veniret. Jam quia pro infirmitate non potuit, dedit nobis hunc Bosonem principem sibi ex omni parte conjunctum, qui me per inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ salvum duceret. Ecce enim, auxiliante Deo, Papiam venimus. Quapropter monentes mittimus et apostolica auctoritate hortantes jam tertio mandamus ut præsentialiter ad nos, charissimi, tanquam ad patrem venire debeatis, et ut alii veniant alter alterum incitet, et has litteras primo legens remittere aliis procuret : quatenus venientes una nobiscum de statu sanctarum Dei Ecclesiarum et quiete reipublicæ et nostra vestraque omnium salute synodum celebrantes, tractemus; in quibus, dilectissimi filii, ne vestra charitas tepeat, neve religiositas inobediat, sed compatiatur ut oportet ac doleat; quia scriptum est qualiter tepidus sit jure vomendus, et qualiter per inobedientiam culpa quæ non fuit, sit, et qualiter qui non compatitur, decreto pontificali feritur. Data *ut supra.*

CLXXIII.

AD LUDOVICUM BALBUM REGEM.

(Anno 878).

Bosonis comitis, et Agilmari episcopi, a quibus in Italiam deductus fuerat, studium erga se operamque commendat.

Dilectissimo filio Ludovico gloriosissimo regi, divæ memoriæ Caroli imperatoris filio.

Quanto vos amore diligimus, quantumque charitatis affectum erga vos tenemus, paucis explicare verbis minime possumus : hoc tamen gloriam excellentiæ vestræ scire cupimus, quod devotionem ardoremque charitatis, sicut polliciti sumus, erga vos indeficientem perpetuo retinemus. Interea millenas serenitati vestræ de Bosone dilecto et communi filio ac fidele gratias referimus, qui tam prudenter communibus obtemperans jussis, parere in omnibus ita nobis studuit, ut etiam velut vere Christianæ religionis cultor, animæ et vitæ suæ non pepercerit, sed pro sanctæ Ecclesiæ et communi fidelitate ultro se morti tradere non dubitavit, et usque Ticinum, annuente Deo, securius nos perduxit. Quapropter, dilectissime fili, ac porphyretice rex, obsecramus excellantiæ vestræ culmen ut, si res exegerit, sicut nobis vestra dignata est repromittere sublimitas, ei adjutorium ad debellandos hostes nostros virorum bellatorum adminiculum præbeatis : quoniam dignum est ut soli omnes adjutorium præbeant qui solus pro cunctis desudare non cessat. Præsentem itaque hujus latorem epistolæ, Agilmarum [b] venerabilem episcopum, excellentiæ vestræ plurimum commendamus, quatenus idem suaque Ecclesia crescat augmento perfectionis, qui in omnibus opportunitatibus nostris nulli secundus exstitit, et vobis fidelissimum in cunctis quæ cognoverit verissime comprobavimus. Inter hæc episcopos quos serenitas vestra in nostrum jussit venire adjutorium, scias præter Agilmarum nullum venisse. Quapropter regalis censura culminis vestri sua auctoritate compellat eos quantocius hostiliter [*f.* synodaliter] Romam venire, ut de cætero discant apostolico culmini et regali excellentiæ congruenter præbere obedientiam.

[a] Forte deest *animadversione castigandi,* vel aliquid hujusmodi.

[b] *Agilmarum.* Ex subscriptionibus synodi Tricassinæ, atque ex præcepto Caroli Crassi, anno 885. Arvernorum episcopum fuisse intelligimus. Sirm.

CLXXIV.

AD LUDOVICUM REGEM.

(Anno 878.)

Miratur quod filiabus Bosonis, pro quibus alias rogaverat, hæreditatem jure debitam non restituerit; iterumque monet ut ipsam hæreditatem integram eis restituat.

Ludovico regi glorioso gloriosi quoniam regis Ludovici filio.

Jam enim magnitudinem vestram, fili charissime, apostolicis monuimus litteris, hortantes pro filiabus Bosonis dudum comitis et Ingeltrudis conjugis, quibus jure hæreditas deferri omnium legum auctoritate conceditur, proprietates reddere studeretis. Sed, ut cernimus, inauditi remansimus, quod miramur, et mirantes dolemus, cum vestra proles apostolicis censuris semper obediat, et præ omnibus regibus judicium faciat. Ut rex David cecinit : *Honor regis judicium diligit (Psal.* XCVI*)*. Nonne legistis : *Quoniam justis Dominus justitiam diligit, et æquitatem videt vultus ejus?* (*Psal.* X). Cæterum reclamationem filiarum jam dicti Bosonis audivimus, ut ipsas, ipsius matrisque earum proprietates, Ingeltrudis, alias vos teneatis, alias vero vestris quibus ipsa post judicium sibi illatum sine viri consensu dederit, tenere permittatis, quod nefas est, et contra omnium legum prorsus auctoritatem. Quid enim uxor sine viri consensu agere potest? quanto magis ex mœchans, quæ divino gladio, censente domno papa Nicolao prædecessore nostro, interiit (Nicolaus *in epist.* 64. Regino l. II *Chronic.*) et humano pro parte facto stupro puniri debuerat? Nonne Joannes papa Romanus, et Justinianus inclytus imperator legem Romanam facientes, scripserunt ita : Capitali crimine damnatorum bona non ad lucrum præsidis, sed cognatis punitorum reddi oportet? Et alibi : Omnibus gradibus cognatorum in hæreditate sumenda præferendi sunt filii. Unde liquido patet, gloriosissime rex, ut nec vos, nec cognati eorum, nisi ipsæ filiæ quæ sunt legitimæ, illos allodes habere debent; qui vero nati sunt post crimen illarum, spurii sunt, nec hæreditare debent, ut præfatus papa et imperator scripserunt ita : Spurios satis injuriosos, satisque acerbos, ac nostris temporibus semper indignos esse dijudicamus. Quapropter, ut rogavimus, iterum iterumque rogamus, et hortantes monemus ut harum reclamationes, harum et gemitus vestra regia dignitas hauriat. Et pro apostolorum principum reverentia, a quibus petiere auxilium, et pro nostro amore integriter ipsas proprietates, quas vos allodes dicitis, reddat, et vestros omni occasione remota reddere faciatis. Data *ut supra.*

CLXXV.

AD HUGONEM.

(Anno 878.)

Monet ut dissensionem inter Abbonem et alios ortam sedet.

H[illegible] abbati nobili, spectabili progenie [illegible]o. Quia [illegible] dilig[illegible] con[illegible]

A animæ vestræ prospicimus, commonere curamus. [*f.* dissensionem]..... quoque, quæ inter Abbonis episcopi parentes, et Rotbertum, atque Roclinum exorta est [*f.* ut]... regali potius [*f. add.* clementia] quam vindicta corrigatur; quoniam malum semel necessitate patratum non debet secundum necessitudinem expiari ad delictum, sed misericordius remitti ad veniam, agat vestra gloriosa nobilitas, ut decet tantæ naturæ decentiam. Data *ut supra.*

CLXXVI.

AD ROMANUM ELECTUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

(Anno 878.)

Lætatur eum Ravennatem archiepiscopum electum; jubet ne quidquam electionis causa ulli promittat : et epistolam suam Leoni, et Romanis scriptam afferendam curet, eorumque responsum ad
B *se dirigat : res Joannis et Deusdedit ducum restituat.*

Romano Levitæ egregio a Ravennatibus fidelibus nostris electo.

Litterarum tuarum, fili charissime, serie recepta et lecta, ubi Joannem Ravennatem archiepiscopum obiisse audivimus, valde doluimus, et ut pro eo oretis cum vestris, hortamur. Vestra videlicet electione unanimiter facta gaudemus, et quia nos visitando misisti, significans sanitatem nostrorum fidelium, tuamque devotionem demonstrans, gratias agimus. Cæterum monentes indicimus ut jam qui, annuente pastore summo, ad tale opus electus es, quo pastor fias, vigiles in eadem ecclesia, labores, nullique majori minorique tam concivibus quamque aliis qui-
C buscunque personis aliquod promissum facias, quoniam Simoniacum est, et hoc nobis nequaquam celabitur; quod si feceris, per apostolos obtestantes, te minime benedicemus. Inter hæc volumus ut istam epistolam Leoni venerabili misso episcopo et apocrisiario, cæteris Romanis transmissam, ipsis præsentialiter per vestrum legatum transmittatis; eumdemque revertentem, si potes saltem, aut alium cum illorum epistolis ad nos, dilecte [*f.* directis], remitte, qui nostrum adventum certum jam vobis renuntiare poterit. Igitur etiam cupimus ut pro amore horum nostrorum fidelium nostrorumque consiliariorum, Deusdedit videlicet et Joannis gloriosorum ducum res pro posse et homines salvetis et defendatis, occupatas hactenus integriter reddatis, quatenus cujus utuntur servitio, ei convenit ut fruantur defen-
D sionis auxilio. Data *ut supra.*

CLXXVII.

AD RAVENNATES.

(Anno 878.)

Dolet eorum antistitis morte : monet, ut electum ab eis archiepiscopum congruo prosequantur honore; Ecclesiam Ravennatem, et Deusdedit et Joannis ducum bona defendant.

Sacerdotibus et senatui populoque Ravennati fidelibus nostris.

Ravennatis antistitis, vestri videlicet Patris, obitum a[illegible], valde dolemus; pro quo ut oretis hortamur; [illegible] etiam vero tantamque fidelitatem ve-

stram erga nos unitate vigere cernentes, imo gaudemus, et ut omnipotens intercessione apostolorum principum vos Patre desiderato recuperet, vestro pro velle decertabimus. Cæterum monentes hortamur, et expresse jubemus, ut jam quem unanimiter, quomodo scripsistis, elegistis, unanimiter eum electum teneatis, diligatis et vestro de more honoretis: et usquequo, Deo annuente, præsentia pontificii nostri desiderio vestro illuxerit, Ravennatem ecclesiam ab omnibus hostibus defendite, deprædationibus pro posse levate, ne ipsa ecclesia aliquam deprædationem sustineat, quoniam nos hoc inultum nunquam dimittemus, et prædatores prædatorumque receptores legali vigore modis omnibus feriemus. Porro præcipimus ut res mobiles et immobiles seseque moventes Deusdedit et Joannis, gloriosorum ducum nostrorum consiliariorum, salvare, et in illas, quas hactenus invasas habuerunt, nullam invasionem facientes, illorum hominibus defendite: jam quia nostro utuntur servitio, nostra modis omnibus debent perfrui defensione, servatori hujus jussus, gratia corruptoris pro jussu erit nihilominus compositori [a].

CLXXVIII.

AD JUDICES ET DUCES RAVENNATES.

(Anno 878.)

Jubet ut civitatem contra Lambertum viriliter defendant.

Omnibus judicibus et ducibus seu populis Ravennæ commorantibus fidelibus nostris.

Industriam seu omnium fidelitatem nosse volumus, quoniam relatu quorumdam audivimus, ut Joannes diaconus chartularius deviet, et francos Lamberti contra electionem nostram conducat: unde mittimus apostolicaque auctoritate jubemus ut omnes unanimes unaque fidelitatem stare debeatis et defendere ipsam civitatem, ita ut nullus qui vobiscum non stat, francos ibi conduci Lamberti [*f.* francos ibi cum duce Lamberto, etc.] intus permittat ingredi, nec ipse Lambertus ibi quoquomodo accessus habeat, nec suus homo ibi intrare possit: ita in his agite, sicut Dei et nostram gratiam habere cupitis, quoniam qui aliter fecerit, et nostram iram habebit, et mille byzanteos palatio nostro componet. Data *ut supra*.

CLXXIX.

AD THEODORICUM ET ISAAC EPISCOPOS.

(Anno 879.)

Præcipit ut excommunicent eos qui Wiperto comiti filium eripuerant, et regionem illam populabantur.

Reverendissimis et sanctissimis THEODORICO archiepiscopo, et ISAAC episcopo.

Noverit vestra religiositas quia Wipertus comes reclamans pontificio nostro retulit, quod quidam sui homines malefactores suum filium sustulerint et cum eo terram prædaverint. Quapropter dirigimus. A ut nostra apostolica auctoritate illos excommunicetis, quo relictis talibus deprædationibus ad patrem et seniorem redeant et pacifice vivant. Data *ut supra*.

CLXXX.

AD HUGONEM COMITEM.

(Anno 879.)

Monet ut quosdam facinorosos puniat.

HUGONI glorioso comiti.

Referente videlicet hoc viro nomine . . . . audivimus quod vestri homines, maxime Conterius suos equos tollentes suas mansiones prædassent. Quapropter hortantes monemus ut pro apostolorum reverentia et nostro amore, quam petiit justitiam, illi facere satagatis. Ita agat in hoc vestra nobilitas ut acturam B credimus, ut et ipsi malefactores nostri excommunicentur, quia non tale nefas, ut non ulciscatur, demittere nequimus. Data *ut supra*.

CLXXXI.

AD HUGONEM THEODERICUM ET BERNARDUM COMITES.

(Anno 879.)

Ut amicitiæ charitatisque fœdus cum Bosone ictum servent.

HUGONI, THEODERCIO et BERNADO, illustrissimis regni Francorum.

Fretus vestra ingenuissima nobilitate, atque obedientia, quam propter Deum nobis condigne debetis, dilectissimum filium nostrum Bosonem, vestrum unanimem fratrem et amicissimum, ut insolubile C vinculum charitatis, fœdusque amicitiæ, quod coram Deo vicissim colligastis, moneo, hortor, nulla hominum male loquentium lingua, nullo cujuslibet fraudis ingenio, vel in modico quoquomodo possit avelli: sed Domino auxiliante, dilecti filii nostri Ludovici regis animum erga eum immobilem et tranquillum semper servetis, et omnia sua salva atque pacifica conservate; quoniam pro his ab omnipotente Deo et beato Petro apostolo futuræ vitæ mercedem, et a nobis et ab illo fidelissimas amicitiarum recipietis sine dubio retributiones. Data *ut supra*.

CLXXXII.

AD VULGARIUM MONACHUM.

(Anno 879.)

Ut Wiperto episcopo obediat, qui eum per dimissoriam acquisivit.

D VULGARIO monacho.

Denique Trecis positi per nosmetipsos cognovimus qualiter Wipertus episcopus, devotus filius noster, te a proprio episcopo atque abbate per dimissoriam acquisivit, tua potius interveniente petitione. Quapropter convenit tibi ex die illo, et deinceps, tanquam proprio obedire, eumque ut proprium pastorem sequi non prætermittas, quia, quod non optamus, si aliter feceris, vinculum excommunicationis super te rationabiliter extendemus. Data *ut supra*.

[a] Locus corruptus.

CLXXXIII.

AD CLERUM MEDIOLANENSEM.

(Anno 879.)

Præcipit ut quoties episcopus Ticinensis eos ad synodum vocaverit, accedant.

Omnibus sanctissimis et reverendissimis confratribus et coepiscopis, tam Mediolanensi archiepiscopo cum suis suffraganeis, quam Ravennati nihilominus cum suffraganeis suis.

Scriptum etenim est : *Deus qui glorificatur in consilio sanctorum* (*Psal.* LXXXVIII) ; et in evanglio : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum* (*Matth.* XI) ; et item : *Si frater fratrem adjuverit, ambo consolabuntur* (*Prov.* XVIII). His auctoritatibus fulti, vestræ omnium sanctitati mandamus, et apostolica auctoritate jubemus, ut quoties vos confrater et coepiscopus noster Joannes Ticinensis, et post eum sui successores, vestrosque vocaverint, pro emergentibus quæstionibus eximendis, continuo beato Petro apostolo obedientiam exhibentes, simul convenire non differatis : quatenus, Redemptoris nostri gratia discussis animositatibus, vitiisque purgatis, in tranquillitate pacis Ecclesia constituta, glorificetur Deus per Jesum Christum Dominum nostrum. Sacerdotum Levitarumque judicia, quandocunque necesse fuerit, cum prædicto episcopo, tanquam proprii episcopi decernite, ac diffinite, freti nostra omnimodis apostolica auctoritate, quia onera nostra vobiscum partiendo reliqua tolerabilius sufferre valebimus. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Data *ut supra.*

CLXXXIV.

AD JOANNEM EPISCOPUM TICINENSEM.

(Anno 879.)

Raptores uxoris cujusdam Ragiberti excommunicari jubet.

Reverendissimo et sanctissimo confratri nostro JOANNI venerabili episcopo Ticinensi.

Denique Ragibertus quidam nomine, Judex cognomento, coram nobis veniens questus est super Gotfredum, filium Joannis comitis palatii, et Iserbertum subdiaconem, atque Heribaldum notarium, filium Garibaldi, eo quod legaliter sibi filii sui nuptam Gausildam nomine contra canonum et legum auctoritatem, per vim et per forciam abstulerunt, calcato illo præcepto quo Dominus ait : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX). Quapropter apostolica adhortatione zelum tui sacerdotii ad hortamen charitas Dei accendat, et quasi tuba exalta vocem tuam, et iniquis iniquitatem suam annuntiare non cesses, ne sanguis eorum de manibus tuis requiratur. Prædictosque transgressores omni Christiana communione privare non differas, donec legaliter emendent quod nequiter perpetrare ausi sunt. Quod si te audire neglexerint, perpetuo eos anathema esse decernimus. Data *ut supra.*

CLXXXV.

AD OMNES FIDELES.

(Anno 879.)

Præcipit ne quispiam monasterio sancti Augentii quidquam detrimenti afferat.

Omnibus fidelibus Ecclesiæ.

Sollicitudinem omnium Ecclesiarum nos habere oportet, et singulorum causas æquitatis judicio allevare ; quapropter, cum de omnibus agere hæc eadem convenit, præcipimus atque præsenti decreto sancimus ut de abbatia sancti Augentii, quam divæ memoriæ Carolus imperator fideli suo et filio Ecclesiæ nostræ ante jure beneficiario tribuit, nullus de ipsis rebus aliquid injuste auferre præsumat ; nec prædicto episcopo, et monachis ipsius loci aliquam in distrahendo illicite inferre molestiam. Quod si quis abhinc agere præsumpserit, separetur a communione fidelium Ecclesiæ : quod si pertinaciter perstiterit, et emendare noluerit, judicio sancti Spiritus anathematis vinculo feriatur. Data *ut supra.*

CLXXXVI.

AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS.

(Anno 879.)

Rescribit de indulgentia eorum qui contra paganos pugnantes occubuerant.

Omnibus reverendissimis et sanctissimis venerabilibus coepiscopis per totum regnum charissimi filii mei Ludovici.

Quia veneranda fraternitas vestra modesta interrogatione sciscitans quæsivit utrum hi qui pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ et pro statu Christianæ religionis ac reipublicæ in bello nuper ceciderunt, aut de reliquo pro ea re casuri sunt, indulgentiam possint consequi delictorum, audenter Christi Dei nostri pietate respondemus quoniam illi qui cum pietate catholicæ religionis in belli certamine cadunt, requies eos æternæ vitæ suscipiet, contra paganos atque infideles strenue dimicantes, eo quod Dominus per prophetam dignatus est dicere : *Peccator quacunque hora conversus fuerit, omnium iniquitatum illius non recordabor amplius* (*Ezech.* 18), et venerabilis ille latro in una confessionis voce de cruce meruit paradisum (*Luc.* XXVII). Manasses quoque, impurissimus quondam rex, captus carcerique arctissimo religatus, ibi pœnitentiam agens, cum perfectione indulgentiæ, etiam regni pristini, propter Domini misericordiam, quia immensa est circa genus humanum, adeptus est solium (*II Par.* XXXIII). Nostra præfatos mediocritate, intercessione beati Petri apostoli, cujus potestas ligandi atque solvendi est in cœlo et in terra, quantum fas est, absolvimus precibusque illos Domino commendamus. Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere. Data *ut supra.*

CLXXXVII.

AD WIFREDUM EPISCOPUM VENCIENSEM.

(Anno 879.)

Episcopum qui cum excommunicatis communicarat, missarum celebratione prohibet.

WIFREDO venerabili episcopo sanctæ Venciensis Ecclesiæ.

Auctoritate Domini nostri Jesu Christi, et sancti Petri apostolorum principis, nostrique apostolatus, quia cum excommunicatis communicasti, ut litteræ tuæ manifestant, omni te missarum celebratione privamus, donec in nostram cum eisdem hominibus occurras præsentiam : et si, quod non optamus, amplius præsumptor exstiteris, denuntiamus te omni sacerdotio fore nudandum. Data *ut supra*.

CLXXXVIII.

AD ODONEM EPISCOPUM BELLOVACENSEM.

(Anno 879.)

Decernit, impuberes, qui alium occiderant, post peractam pœnitentiam ordinari posse.

ODONI venerabili episcopo Bellovacensi.

Relatu didicimus quorumdam monachorum sancti Dionysii cœnobii quod quibusdam pueris impuberi adhuc ætate inter se rixantibus, hominum illorum instigatione unus ex illis est interemptus. Quapropter mandamus ut si inculpabiles post peractam pœnitentiam legitimi vigoris secundum canones reperti fuerint, gradatim ad ecclesiasticos ordines eos provehere non differas, servatis in omnibus Patrum regulis et canonum institutis. Data *ut supra*

CLXXXIX.

AD AIMARUM ET WIDONEM EPISCOPOS.

(Anno 879.)

Ut Rostagni uxorem ad se venire jubeant, illiusque adjutores, nisi resipuerint, communione privent.

AIMARO et WIDONI reverendissimis episcopis.

Hortamur sanctitatis vestræ fraternitatem, sacerdotalemque zelum vestri vigoris apostolica auctoritate incitamus Bertildi, Rostagni illustris viri conjugi, quæ, spreto Dei timore ac lege tori, fugabunda per vestras parochias incedens, multoties ab episcopis et synodo vocata, surda aure venire distulit, omnem necessitatem imponite veniendi coram nostra præsentia, ut ejus causa legaliter finem accipiat. Illiusque in tam perverso opere adjutoribus aditum atque communionem totius sanctæ Ecclesiæ tandiu intercludite, donec ab omni sequestrent prædictæ Bertildis consortio [a]. Inter quos Achetium mœchum, eoque consortio private, vestroque zelo percutite. Quæso, moneo, hortor, fratres charissimi, citissime amplectendam exhibete præsentiam ; iterum iterumque jubemus, omni postposita vocatione [occasione] ad nos festinanter venite : quatenus, Christo Domino miserante, in hoc et aliis negotiis communi consilio terminum salubriter imponere valeamus, Data *ut supra*.

CXC.

AD WALAM EPISCOPUM METENSEM.

(Anno 879.)

Ne cogatur sponsus uxorem ducere ab alio corruptam.

Reverendissimo et sanctissimo WALENO venerabili episcopo Metensi.

Præsentium portitor litterarum, Alpertus nomine, lacrymabiliter coram nobis veniens questus est desponsatam suam, nomine Walatam, adhuc in parentum domo manentem adulterino concubitu a presbytero quodam prægnantem repertam. Quæ confessa de crimine, libenter ab eo se vult dissociare : sed tua fraternitas pro quadam parentelæ affinitate, coacte eum cogit eamdem sumere in conjugium, contra regulas Patrum atque institutionem. Quapropter, si ita est, requisitis super his legum et canonum institutis, quid de talibus præcipiant promulgate absque personarum acceptione. Data *ut supra*.

CXCI.

AD JOANNEM EPISCOPUM TICINENSEM.

(Anno 879.)

Ut cum quodam, qui pœnitentiam quinquennio egerat, remissius agat.

JOANNI venerabili episcopo Ticinensi.

Lator præsentium coram nobis veniens dicit se a prædecessore vestro Liuttefredo venerabili episcopo, quinquennio exacto jam anno, pœnitentiæ fuisse submissum, pro quodam, eo quod interfuit, fure a femina interempto : qua de re vestra fraternitas solerter prospiciat. Et, si ita est ut hic asserit, propter Domini misericordiam, quoniam magna est, cum eodem consultius agat, et prout ordo causæ dictaverit, frenum canonici vigoris remittite. Vel si quidquam, quod non optamus, impossibile perpensum fuerit, id nostro judicio vestra fraternitas studeat lenitate spiritus reservare. Data *ut supra*

CXCII.

AD AGINULFUM EPISCOPUM GABALITANUM.

(Anno 879.)

Ut præsentium latoribus ablata restituenda curet.

JOANNES AGINULFO venerabili episcopo Gebaldanensi.

Præsentium latores questi sunt ab hac sede plebem suam eisdem sublatam. Quapropter apostolica auctoritate tuæ fraternitati præcipimus ut, inquisita rei veritate, quod justum est unicuique reddere sacerdotali sollicitudine pervestiget, et quæ ipse diffinire non poteris, [referre ad nos] modis omnibus non prætermittas.

CXCIII.

AD BISUNTINENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 879.)

Significat se Fulcardum ejusque conjugem ab excommunicatione absolvisse.

THEODORIO venerabili episcopo Bisuntinensi.

Notum sit sanctitati vestræ, quia Fucardum et Berelindam, uxorem ejusdem, ab excommunicationis vinculo absolvimus, donec canonica regula exacte reperiamus judicium. Unde a vobis in communionem

[a] Hæc verba, *Bertildis consortio*, non habet editio Romana, sed ponit nullo sensu, *juravit spiritali* : tum sequitur ut hic ; *inter quos*, etc. MANSI.

eos recipi mandamus. Optamus fraternitatem vestram bene valere. Data *ut supra.*

CXCIV.

AD GAIDERIM PRINCIPEM BENEVENTANUM.

(Anno 879.)

Consolatur eum de damnis ab Agarenis illatis, auxilium pollicetur, seque in ejus partes venturum.

Dilecto filio GAIDERI glorioso principi Beneventanorum.

Epistolas sane a vestra dilectione transmissas cum parte gratulationis, fateor, etiam et mœroris accepi; quantoque in eis gaudens exsultavi vestram devotionem intimo mentis affectu circa obsequium sanctorum apostolorum Petri, Pauli compertam, tanto nihilominus triste pastorali sollicitudine tuli, pressuris atque Agarenorum deprædationibus terræ vestræ auditis. Quapropter cum vase electionis compellor dicere et lacrymabiliter exclamare: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor.* XI.) Sed inter hæc meminisse debemus illius qui ait: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quoniam ego vici mundum* (*Joan.* XVI); et apostolus: *Major est qui in nobis est, quam qui contra nos est* (*I Joan.* IV). Quocirca, dilectissime fili, hortor, admoneo, apostolica auctoritate suadeo, interim patienter Domini misericordiam deprecando continuis obsecrationibus malorum sufferre gravamina. Quoniam nos, Christo opitulante, ad patriæ vestræ liberationem pro virium facultate tantum præ cæteris mortalibus habebitis adjutorem enixius, quantum attentius compatimur; quod rebus ipsis præsentialiter sub [*f.* abundat sub] redderemus, nisi in itinere penitus hoc tempore equorum pabula defecissent, quibus statim gressus movere in veniendo prohibemur. Sed Redemptoris nostri gratia duce, peracta solemnitate paschali, venire ad vestra partes accelerabimus; et una vobiscum positi, quidquid consilii, quidquid solatii atque adjutorii pro Christiani populi liberatione adinvenire poterimus, libentissime procurabimus. Optamus gloriam culminis vestri in Christo semper bene valere. Data *ut supra.*

CXCV.

AD AJONEM, EPISCOPUM.

(Anno 879.)

Commendat ejus erga se observantiam; certiorem eum de sua incolumitate reddit, tum consolatur de obitu fratris.

Reverentissimo et sanctissimo confratri nostro AJONI venerabili episcopo.

Quod veneranda fraternitas tua pro sanctarum Dei Ecclesiarum sublevatione longe ab Urbe aliquandiu nostram absentiam benigna animi compassione condoluit, viscera mentis suæ repleta Christi charitate patenter ostendit, et debitam, imo mutuam dilectionem sanctis Dei apostolis per nos condigne studuit conservare, a quibus procul dubio meritorum retributionem in finem recipiet. Sospitatem quam in
A nobis vestra sitibunde atque ardenter requirit fraternitas, Domino donante, eam parte corporis aliquatenus habere videmur; sed inter tot fluctus mundi tantasque undarum procellas, quæ salus istius vitæ potest esse saltem ad momentum tranquilla? præsertim morte vestri germani audita, vestris filiorumque charissimorum tam crebris tribulationum angustiis. Sed inter hæc nos convenit toto conamine mentis ad illam patriæ cœlestis vitam corda sustollere, in qua pax semper inest, et vera securitas: quoniam *quandiu sumus in corpore*, juxta Apostolum, *peregrinamur a Domino*, vobis vestræque patriæ secundum officium a Deo nobis collati ministerii, pro virium impossibilitate inhianter cupimus impertiri solatium. Data *ut supra.*

B

CXCVI.

AD DAFERIUM COMITEM.

(Anno 879.)

Consolatur Daferium, eique opem pollicetur.

Dilecto filio illustri nobili viro DAFERIO comiti.

Perfectionem cordis Gaideris principis, consanguinei vestri, vestramque in Deum valde gaudemus, obsecrantes ut qui cœpit in vobis, operetur atque perficiat opus bonum usque in finem. Tribulationibus atque angustiis vestris in tantum compatimur, ut vestros dolores manu cogitationis in nostro corde tangamus; sed confidimus in æterni conditoris misericordia, quia in proximo aderit ejus auxillium,
C qui per prophetam admonet dicens: *Invoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, et magnificabis me* (*Psal.* XLIX): nos etenim in tantum paratos habetis in vestrum adjutorium, ut cum opportunum tempus fuerit, pro fratribus animam ponere non recusemus. Equum quem nobilitas vestra petiit, cum vestros fines attigero, dare me vobis libenter denuntio. Data *ut supra*

CXCVII.

AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

(Anno 879.)

Præcipit ut Romam ad synodum cum suffraganeis accedat.

D Reverendissimo et sanctissimo confratri nostro ROMANO archiepiscopo sanctæ Ravennatis Ecclesiæ.

Canonicis sanctorum Patrum jubentibus regulis bis per annum concilia episcoporum esse omnimodis celebranda (*Nicæni concilii* cap. 5), nos ob id pro multiplicibus Ecclesiarum Dei utilitatibus et necessitatibus synodum octavo Kalendas Maias, Domino annuente, celebrare cupimus. Ideo jubemus dilectioni vestræ ut, omni mora postposita, vos cum omnibus suffraganeis vestris episcopis prædicto tempore Romam venire studeatis, quatenus eamdem synodum nobiscum æqualiter celebretis ac de communi salute consideretis. Data III Nonas Martias.

CXCVIII.

PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO PLACENTINO.

(Anno 879.)

[Ex Campi, *dell' Hist. eccl. di Piacenza*, pag. 464.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilectæ filiæ ANGILBERGÆ, imperatrici Augustæ.

Ex largitate nostri Redemptoris semper sunt annuenda ea quæ ad tuitionem rerum ecclesiasticarum et piorum locorum esse noscuntur. Quapropter monasterium Caput Trebiæ, quod Carolomannus rex per præcepti donationem, et perennem firmitatem monasterio tuo quod in honore sanctæ Resurrectionis Placentiæ construxisti, cum omnibus pertinentiis suis pro remedio animæ suæ suorumque prædecessorum condonavit; petis, filia dilectissima, ut super hoc apostolicæ auctoritatis sanctionem firmemus. B Ideoque justis petitionibus tuis eatenus apostolica auctoritate effectum annuimus, ut a modo et deinceps supradicti loci, si quis regum vel cujuslibet potestatis homo ratam et stabilem donationem irrumpere, aut alienare, seu quamlibet violentiam temerario ausu præsumpserit inferre, sciat se a nostra communione divelli, et anathematis vinculo innodatum cum Anania, et Sapphira, et Juda traditore portionem nihilominus habiturum. Et si hæc nostra jussa obedienter observaverit, Dei omnipotentis benedictionem, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli mereatur accipere plenissima largitate. Cæterum quod ad ecclesiasticæ ordinationis rationem pertinet ac ministerium, id est chrismatis, vel cujuslibet sacerdotalis officii, si episcopus ejus loci aliqua C causa ductus, contra jus et rectitudinem quamlibet gravationem et superpositum ibidem inferre præsumpserit, cunctum inde penitus ordinationis jus et potestatem amittat, et liceat ei qui præfuerit monasterio, quemcunque voluerit, ad totius ecclesiæ officii ministerium invitare.

Scriptum per manum Gregorii scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Martio, indictione duodecima, IV Kal. Aprilis, per manum Zachariæ episcopi sanctæ Ecclesiæ Anagninæ, et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus domini nostri Joannis summi pontificis et universalis papæ VIII septimo in mense Martio, indictione duodecima.

CXCIX.

AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 879.)

Ut Luponem presbyterum in Sarcennati Ecclesia episcopum ordinet.

Reverendissimo et sanctissimo confratri nostro ROMANO archiepiscopo sanctæ Ravennatis Ecclesiæ.

Relatione quorumdam comperimus quod cum quem vobis ordinandum episcopum sanctæ Sarcennati Ecclesiæ. Luponem videlicet venerabilem presbyterium [*f. deest.* mandavimus], postposito nostræ voluntatis et jussionis mandato, consecrare postponatis, sed alium pro eo cupiatis nihilominus ordinare : A quod sane, si verum est, valde miramur, vos a sponsione quam nobis polliciti estis, quolibet modo vel occasione velle retrahere. Unde more paterno dilectionem vestram his nostris apostolicis monemus, hortamur atque jubemus, apicibus, ut vestræ promissionis memores, præfatum Luponem presbyterum, sicut vobis commisimus continuo ac præsentialiter jam dictæ Ecclesiæ antistitem ordinetis [nam si aliter feceritis, et tam cito, ipso scilicet vestræ ordinationis [a]] initio vos a nostræ voluntatis decreto subtrahere cognoverimus, canonicis correctionibus, velut inobedientem corripere nullatenus prætermittemus.

CC.

AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

(Anno 879.)

Ut Romam ad synodum celebrandam eum suffraganeis accedat; ubi de imperatoris electione agetur; jubet ne quemquam regem excipiat, antequam ipse imperatorem elegerit: nisi paruerit, eum excommunicat.

Reverendissimo et sanctissimo ANSPERTO archiepiscopo sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ.

Quantæ necessitatis assidue sustinuerimus incommoda, quantæque perturbationis nunc usque passi sumus et quotidie, patiamur adversa, fraternitatem vestram nosse luce clarius non ignoramus : pro quibus nimirum malis sedis apostolicæ ab inimicis nequiter illatis, per procellas et in periculosa maris itinera ire et defensionis auxilium nos quæsisse mecum pariter scitis. Sed quia humanum præsentialiter subsidium non reperimus, divinum ut potius quæramus communique voto ut a Domino flagitemus, frater mi, necesse est. Propter quod fraternum sanctitatis vestræ collegium his nostris apostolicis litteris more præcessorum nostrorum vocamus, et in consortium nostræ sollicitudinis apostolica duntaxat auctoritate asciscimus; et quasi membrum capiti suo adhærens ad Kalendas Maias hujus duodecimæ indictionis ad synodum, auxiliante Domino, nobiscum celebraturos cum omnibus; suffraganeis vestris episcopis Romam venire jubemus, ut superba gratia freti, ea quæ necessario sunt amputanda ecclesiastico resecemus mucrone; et quæ utiliter sunt statuenda communi, Deo propitio, statuimus decreto; ne per vestram absentiam atque desidiam regnum hoc amplius in perturbatione persistat et fiat scandalum pejus priore. D Et quia Carolomannus, corporis, sicut audivimus, incommoditate gravatus, regnum retinere jam nequit, ut de novi [*f. deest* electione] regis omnes pariter consideremus, vos prædicto adesse tempore valde oportet : et ideo antea nullum absque nostro consensu regem debetis recipere. Nam ipse qui a nobis est ordinandus in imperium, a nobis primum atque potissimum debet esse vocatus atque electus, quoniam et nos una cum vestra fraternitate cupimus pertractare et de hoc et quo tenore vel ordine communes causas et utilitates Ecclesiarum Dei nobis commissarum ordinemus et jure canonico statuamus : quate-

[a] Uncis inclusa supplevit ex edit. Rom.

nus tantorum malorum onera quæ sustinemus procul abjicere, et leve jugum Christi lætis, ut condecet, possimus cervicibus ferre. Quapropter nullam in veniendo excusationem habeatis, sed alacri mente occurrere et ad jam dictam synodum venire procuretis, quam sane et canonica sanctorum Patrum regula bis in anno fieri jubet, et instantis temporis necessitas magna compellit. Nos enim paterno vos affectu diligentes pro communi utilitate vocamus, quamvis jam tertio jampridem dilectio vestra vocata ad synodum venire contempserit. Pro quo dignam debueratis correctionis sustinere censuram, cum a sede apostolica vobis semper fuisset collatum præsidium, et vos nullum in quibus oportebat studeretis præbere solatium : nunc autem, si ad eamdem synodum venire contempseritis, sc.tote canonicam a nobis in vos velut inobedientes promulgari sententiam.

CCI.

AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

(Anno 879.)

Commendat ejus erga se observantiam; de suo incolumi reditu certiorem ipsum facit; hortatur ad perseverantiam, donec simul conveniat.

Reverendissimo et sanctissimo ATHANASIO episcopo Neapolitano.

Quia non solum tuis præcipue actibus, quibus devotionem sanctitatis tuæ circa nos fidelissimam ostendisti existere, verum etiam nobis longe pro Ecclesiæ statu manentibus quomodo eam illibatam in omnibus conservaveris, fidelium nostrorum relatione didicimus. Quamobrem dignas tuæ dilectioni referimus grates, innotescentes sane nostri præsulatus reversionem juxta desiderium tuum esse, Deo favente, prosperam atque incolumem. Ideo more apostolicæ paternitatis almitatem tuam monemus, cum Apostolo dicentes : *Confortare in Domino, et in potentia virtutis ejus quoniam fidelis est Deus, qui non deseret sperantes in se tentari supra quam possunt, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (*Ephes.* VI; *I Cor.* X), Tua igitur reverentia in his instantis adversitatis casibus aliquatenus non frangatur; quin potius in Deo confidens roborata consistat, donec, Christo adjuvante, nos vobiscum speciali præsentia juncti simul loquamur. Quia tunc, Deo permittente, cuncta quæ necessario statuenda sunt communi eloquio atque consensu pertractata pro venire credimus in salutem. Tamen nostræ voluntatis affectum per Petrum venerabilem diaconum tuum communemque fidelem tuæ dilectioni innotescendum mandavimus, quoniam te quasi proprium filium diligentes in omnibus nostris volumus habere consortem. Data *ut supra.*

CCII.

AD EUMDEM.

(Anno 879.)

Ejusdem argumenti ac præcedens.

Reverendissimo et sanctissimo ATHANASIO episcopo sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ.

Multas gratiarum actiones atque salutes almitatis vestræ bis nostris apostolicis referimus litteris, quia A nobis pro communi utilitate longe consistentibus, quasi præsentibus sinceritatem devotionis et fidei vestræ circa sanctam Romanam Ecclesiam matrem vestram, nostrumque pontificium, atque circa fideles nostros promptam in omnibus ostendere procuratis. Quamobrem nulla inimicorum versutia vel calliditas vos a bono mentis proposito in aliqua sinistræ cogitationis aut voluntatis partem inclinet ; sed sicut cœpistis, perficere omnimodo satagite, quia et meritum et condigna retributio vobis, Christo favente, provenit. Nam licet inimicorum nos præpediente fraudulenta nequitia, non omnia quæ volebamus ex toto potuissemus perficere, nunc tamen, annuente Domino, quod ad honorem sanctæ Dei Ecclesiæ et istius terræ salutem vestramque defensionem perti- B nent, jam cœptum habemus, credimus nos incunctanter acturos. Proinde hortamur nihilominus et monemus dilectionem vestram ut sicut hactenus, ita deinceps viriliter ac firmiter consistatis, donec speciali præsentia adjuncti simul loquamur, et pro communi salute pariter laborantes totis conatibus desudemus. Quoniam velut charissimum te filium retinere cupientes, benigne amplectimur, et tecum in omnibus congratulari feliciter cupimus, quia, ut dictum est, pro certo scias te dignam nobis compensationem esse procul dubio recepturum. Hunc vero diaconum tuum, qui pro tuo amore in nostro servitio tanto tempore fideliter mansit, sanctitati vestræ in omnibus commendamus, ut dignum a vobis recompensationis honorem percipiat. Data *ut supra.*

C

CCIII.

AD EUMDEM.

(Anno 879.)

Ut sibi indicet locum ubi simul possint de communis patriæ salute colloqui.

Reverentissimo et sanctissimo dilectoque confratri, et consiliario nostro ATHANASIO episcopo sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ.

Scientes vos procul dubio fideles in omnibus atque devotos esse sanctæ sedi apostolicæ nostræque paternitati, totis præcordiis nostris fraternitatem vestram oppido diligimus et amamus : quamobrem pro multiplicibus instantis temporis necessitatibus atque communibus utilitatibus vobis cum speciali præsentia loqui cupimus, quatenus vestro consilio communi- D que tractatu ea quæ necessario sunt consideranda perspicaciterque tractanda salubriter, Domino annuente, ordinare statuereque possimus. Quoniam nostræ ac vestræ terræ salutem, totius videlicet populi pretioso Christi cruore redempti, pastorali duntaxat more desideramus perficere, et idcirco, ut pertinax inimicorum comprimatur audacia, vobiscum pariter cupimus convenire. Quapropter volumus ut locum etiam nostræ collocutioni, quem aptum esse cognoscetis, nostro præsulatui vestris sub celeritate significetis apicibus. Quia nos, Deo propitio, illuc sine mora properare et una vobiscum alacriter loqui non prætermittemus. Data *ut supra.*

CCIV.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 879.)

Hortatur ut legatos mittat, et in auxilium Ecclesiæ Romanæ veniat.

CAROLO regi.

Regalis excellentiæ vestræ litteras recipientes atque relegentes, ut in eo quod antea nostro præsulatui direxistis, vestro videlicet amore dilectioneque maneremus, non solum, ut jam olim retulimus, verum etiam magis ac magis nostræ voluntatis affectum ad vestræ exsultationis cumulum ampliare magnopere cupimus, atque in omnibus ceu charissimum filium vos retinere procul dubio satagemus. Tantum ut quo celerius, sicut mandastis, vestros idoneos legatos ad nos dirigere potestis, aliquatenus non prætermittatis; cum quibus sane et exaltationem sanctæ sedis apostolicæ, et istius terræ salutem, vestrumque honorem profligare [*f.* investigare] considerareque firmissime valeamus. Et ideo vestræ magnitudinis gloriam exhortamur ut præcingentes quasi vir lumbos tuos, et potentiæ Dei brachio adversus inimicos potentissime roborati, jam ipsi venire non dubitetis; quoniam si tantæ calamitatis pressuram, quam sancta Romana mater vestra Ecclesia et ipsius terra quotidie ab inimicis patitur, cognovissetis, nobiscum utique pariter doleretis. Quapropter, fili charissime, antequam inimicorum insidiæ plus accrescentes prævaleant, nostram devotionem atque consilium pio intuitu attendere nullo modo desinatis, sed more parentum vestrorum ea quæ necessaria sunt nobis, instantissime peragatis, quia nostri apostolatus ulnis extentis alacriter amplecti regalem præsentiam vestram desideramus. Tertio Nonas Aprilis, indict. XII.

CCV.

AD WIBERTUM EPISCOPUM.

(Anno 879.)

Arguit eum quod bis vocatus ad se venire neglexerit; præcipit ut veniat objectis responsurus.

Reverendissimo et sanctissimo WIBERTO venerabili episcopo.

Jam enim sanctitati tuæ bis misimus ut ad nos venires, sed ignoramus qua temeritate non obedias; iterumque mittimus ut, omnibus tuis posthabitis seriis, ad nos præsentialiter acceleres, quoniam multi supra te reclamant, maxime hic senex qui ob hoc jam Romam venit pro suo monasterio. Cæterum sapias, si venire distuleris, te excommunicandum, si perseveraris in tua [*f. deest* obstinatione] etiam a communione alienandum. Data *ut supra*.

CCVI.

AD BERENGARIUM COMITEM.

(Anno 879.)

Declarat suam in eum benevolentiam, commendat ejus erga Romanam Ecclesiam observantiam; rogat ut Stephanum episcopum in tuendis Ecclesiæ suæ juribus adjuvet.

Dilecto filio BERENGARIO glorioso comiti.

A Quia præcessores nostros, sacros videlicet pontifices, imitantes, qui gloriosos progenitores vestros dignis semper honoribus glorificaverunt, vos quasi dilectum et spiritalem filium paterno cupimus affectu diligere et gloriosum in omnibus retinere. Nam sicut per Demeum eximium ducem et fidelem nostrum nobis intimando mandastis, quod erga sanctam sedem apostolicam et nostram paternitatem vos in omnibus devoti et obedientes esse deberetis, omnemque nostram voluntatem quasi filius charissimus adimpleretis, multum fuimus gavisi: sed quia iterum per Petrum venerabilem episcopum et Joannem insignem ducem vobis mandavimus, ut adjutores fuissetis Stephano venerabili episcopo, quem nos in Comiaclo præordinavimus, quatenus vestro auxilio B adjutus Ecclesiæ suæ jura et possessiones atque ipsius curam ducatus retineret securus, et vestro minime audivimus adjutum esse auxilio, valde miramur. Quapropter rogamus nobilitatem tuam ut tale jam dicto episcopo nostro adjutorium faciatis, per quod suam Ecclesiam et ministerium sibi commissum securiter retinere atque disponere valeat. Et si forte, quod non credimus, vestra est circa nos voluntas mutata, ut audire nos de hoc non cupiatis petimus ut pro amore Dei et nostro omnes vestros homines prohibeatis aliquam ibi nostris contrarietatem facere, ut absque illorum impedimento nobis illos liceat secundum nostram possibilitatem castigare, veluti rebelles et inobedientes nostræ apostolicæ jussioni ne censum, quem his annis transactis duobus exinde perdidimus, et istius anni perdamus. Data *ut supra*.

C

CCVII.

AD PANDENULFUM COMITEM.

(Anno 879.)

Rogat ut legatis imperatoris per ejus regionem transituris auxilium præstet; condolet de paganorum in eum incursione: excusat se, cur ad eum non eat: hortatur ut sit animo forti, promititque subsidium.

Dilecto viro PANDENULFO glorioso comiti [a].

Multiplices nobilitati vestræ his nostris præsulatus apicibus gratias agimus, qui vestram devotionem atque dilectionem, quam nostræ voluntatis præceptis parendo alacriter ostendistis, in omnibus sinceram et obedientem fore incunctanter agnoscimus, D cum præsentem hunc Græcum imperialis bajuli hominem nostris direxistis obtutibus præsentandum incolumem. Sed quia imperiales missi, ceu in ipsius bajuli reperimus litteris, per vos transituri sunt, quatenus ad nostram apostolicam præsentiam veniant, petimus nobilitatem vestram ut pro nostro amore et ipsos vestros auxilio munitos prospero, annuente Domino, nobis itinere dirigatis. Quod autem multiplici paganorum incursione vos gravatos asseritis condolemus, maxime quia vestri concives circunquaque positi cum eisdem perditionis filiis fœdus

[a] *Comiti Capuano*, ut ex epistola 209 constat. Ejus meminit Leo in *Chronico Cassinensi*, lib. I, cap. 43.

inire procurant : quamobrem nostram his vestris in partibus necessario præsentiam præstolamini adfuturam. Nos vero, sicut jampridem mandavimus, pro communi duntaxat utilitate atque salute omni annixu venire magnopere cupimus, quamvis et de assidua corporis incommoditate et de peracto jam Franciæ itinere adhuc maneamus defessi. Nunc igitur ante prædictorum imperialium missorum adventum illuc properare nequimus ; cum vero eorum legationem nobis delatam congruis, Deo propitio , responsionibus utentes audierimus, tunc quid utilius agendum sit pro viribus agere omnino curabimus. Vos tamen in Domino confidentes animo estote constanti, qui non deserit confidentes in se, ut inter cæteros vestros proximos atque vicinos efficaciores ac potiores in omnibus appareatis, quoniam nostro apostolico vos præsidio, prout opportunum fuerit, quasi charissimos filios adjuvabimus. Data *ut supra*.

CCVIII.

AD ARCHIEPISCOPOS, EORUMQUE SUFFRAGANEOS.

(Anno 879.)

Ne Bicbertinum ante causæ discussionem excommunicent.

Reverendissimis et sanctissimis confratribus nostris, AURELIANO et OTTERAMNO, necnon et THEODORICO, et universis coepiscopis vestris.

Omnium vestrum sanctitati notum esse volumus venisse Bicbertinum, deferentem imperatoris præceptum et commutationis chartulam de rebus quas charius cum Amulo archiepiscopo dudum celebraverunt. Insuper nostro apostolatui intimavit ut eum sine ratione discussa excommunicare vultis. Quapropter apostolica auctoritate jubemus ut nemo vestrum eum excommunicet, antequam ad legis examen proveniat. Scitote, quemadmodum in centesimo capitulo Africani concilii legitur, similiter in secundo novellarum Justiniani libro, ut nemo episcopus aut presbyter aliquem excommunicet antequam causa probetur. Qui excommunicatus majorem sacerdotem adeat, et illæ qui injuste excommunicavit, ab ipso juste patiatur. Et nemo vestrum, aut quilibet laicorum præfati, res ante legis sanctionem invadere audeat. Nam, quod non credimus, si quis contra hanc nostram apostolicam auctoritatem ire tentaverit, sciat se anathematis vinculo innodatum. Data *ut supra*.

CCIX.

AD BOSONEM COMITEM.

(Anno 879.)

De incolumi ejus prosperitate gratulatur : se tum eum, tum Angelbergam imperatricem charos habere ostendit ; rogat ut Adelberto et illius conjugi Rotildæ bona quæ in provincia possederant, retinere permittat.

Dilecto filio BOSONI glorioso principi.

Quia litteris nobilitatis vestræ relectis, vos incolumes cum optata prosperitate vigere didicimus, plurimum sumus læti effecti ; nam vestræ dilectionis amore apostolica semper cupimus benignitate manere devoti, et ea quæ vobis utilia vel proficua esse videntur, alacri duntaxat mente perficere, nec pro aliquo homine vestram nobis dilectam amicitiam relinquamus, sed pio potius intuitu in omnibus conservare illæsam. De parte autem spiritualis filiæ nostræ Angelbergæ imperatricis, charissimæ matris vestræ, pro certo citote quoniam paterno eam affectu semper dileximus, et quandiu, auxiliante Domino, vixerimus, diligere nostroque apostolico subsidio adjuvare tuerique magnopere desideramus, necnon et quasi charissimam et spiritalem filiam gloriosius retinere. Porro de vestræ volnntatis actione, quam dicitis exhibere, nos sine dubio in vestra amicitia constantes habebitis. De parte quoque Adelberti gloriosi marchionis, seu Rutildæ comitissæ conjugis ejus, cognoscat nobilitas vestra quod vobis in omnibus fideles et devotos amicos eos esse cognoscimus ; ideo rogamus ut eorum comitata in provincia posita, sicut jam tempore longo tenuerunt, ita deinceps pro nostro amore securiter habeant. Optamus gloriam vestram nunc et semper in Christo manere perpetuam. Data *ut supra*.

CCX.

AD LIUDTEFRIDUM COMITEM, EJUSDEM CONJUGEM.

(Anno 879.)

Excommunicat eos, quia monialem monasterio rapuerant.

LIUDTEFRIDO comiti et conjugi suæ.

Quia contra divina et legum præcepta temerarie agere non erubuistis, ita ut, calcato Dei timore, Garelendam sacro velamine tectam, et in monasterio Angelbergæ dilectæ filiæ nostræ imperatricis Augustæ sub professione regulari diutissime conversatam, quod Placentiæ situm est, abstrahere fraudulentissima suasione ausi fueritis ; tandiu te tuamque conjugem auctoritate sancti Spiritus Domini nostri a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi separamus, et a consortio Christianitatis, donec prædictam feminam Garelindam, loco unde degannastis, restituatis. Quod si hoc neglexeritis, anathematis vos vinculis innodamus. Data *ut supra*.

CCXI.

AD GREGORIUM PRIMICERIUM.

(Anno 879.)

Commendat ejus studium erga Ecclesiam et imperatores; significat se ad Constantinopolitanæ Ecclesiæ pertubationes sedandas paratum esse: ostendit imperatoris legatos honorifice se excepturum, quos etiam a comite Capuano recipi et ad se mitti jam antea mandarat.

Dilecto viro GREGORIO glorioso primicerio, et imperiali bajulo.

Litteris tuis, quas nobis per Stephanum candidatum fidelem tuum direxisti, relectis, devotionis tuæ sinceritatem et fidem, quam circa Ecclesiam Dei et gloriosissimos imperatores habes Augustos, enucleatius agnoscentes, plurimum collaudamus. Et ideo sacris orationibus nostris, sicut supplici voto postulasti, Domino commendare ut et a visibilibus et invisibilibus securus, ac victor existas, omnino

studemus. Et quia magno imperatori tuo Ecclesiam Dei pacificari volenti, nos ut favere debeamus hortaris, id juxta nostri officii magisterium prompta duntaxat agere voluntate divinitus adjuti curamus; quoniam, dicente Apostolo, Ecclesiarum Dei omnium nobis sollicitudo incumbit. Quapropter more prædecessorum nostrorum pontificum, Constantinopolitanam Ecclesiam multiplicibus scandalis nunc perturbatam, prout justum est atque possibile, sedare volumus, et pacem perpetuam stabilire. Præterea legati imperiales, quos ad nostra apostolica fastigia dicis esse directos, si venerint, competenti a nobis recipientur honore, et Augustalem per eos nobis delatam legationem clementer recipiemus; atque ipsius legationis textum et ordinem cognoscentes, una cum sedis apostolicæ nobis commissæ assensu, quantum fas est, pro Ecclesiæ Dei pace imperiali voluntati favere omnino studebimus. Pro quibus etiam missis Pandenulfo Capuano comiti scripsimus ut eos venientes recipiat, et pro nostro amore prospero nobis itinere, Domino annuente, dirigere studeat. Nunc ergo iidem missi præsentialiter Romam venire procurent, quia nos aliis causis impediti, istas in partes modo, sicut dispositum habuimus, properare non possumus. Data *ut supra*.

CCXII.

(Anno 879.)

Excommunicatio Ansperti quia ad synodum vocatus venire contempserat.

Anspertum Mediolanensem archiepiscopum, quem Papiæ existentes et postmodum ad synodum Romæ pro multis Ecclesiarum Dei necessitatibus collectam vocavimus, nec per se occurrere nec excusationem suam secundum sacros canones in tractoria scripta nobis et sancto concilio, causa temeritatis et inobedientiæ, dirigere nolentem, virtute sancti Spiritus et principum apostolorum Petri ac Pauli, nostraque auctoritate, cum consensu sanctæ synodi, corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi privamus, quousque suam nobis præsentiam exhibere procuret. Data *ut supra*.

CCXIII.

AD THEODOSIUM PATRIARCHAM HIEROSOLYMITANUM.

(Anno 879.)

Excusat tardum legatorum ejus reditum, per quos quædam munera ad eum mittit, rogans ut pro se assidue Deum deprecetur.

Reverendissimo et sanctissimo confratri nostro Theodosio patriarchæ sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ.

Notum esse volumus sanctitati vestræ quia præsentes monachi vestri, Theodosius videlicet, David et Saba, venientes Romam ad limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli, demorati sunt ibi eo quod nos pro nostræ Ecclesiæ causis et utilitatibus Franciam perrexeramus. At ubi, Deo volente, reversi sumus incolumes, eis ad vestram paternitatem revertendi licentiam dedimus, per quos nimirum, causa charitatis, aliquam licet modicam beati Petri A apostoli benedictionem fraternitati vestræ mandavimus. Quam petimus ut pro Dei et ipsius apostolorum principis amore nostraque dilectione benigne recipiatis, quoniam nimia paganorum oppressione gravati, plura, ut volebamus, dirigere non potuimus. Rogamus præterea sanctam vestram in Domino charitatem ut in sanctis orationibus vestris nostri semper memores existentes, pro nobis preces Jesu Christo Domino nostro quotidie fundere alacri animo dignemini, carissime frater. Data VI Nonas Maii.

CCXIV.

AD CAROLOMANNUM REGEM.

(Anno 879.)

Ut in Vercellensi Ecclesia Gospertus Diaconus constituatur episcopus.

B Dilecto et spiritali filio Carolomanno glorioso regi.

Multorum relatione didicimus quod Ecclesia Vercellensis nunc valde turbata et quotidianis commota scandalis consistat, dum in duas partes populus pro episcopi electione divisus, alii unum, alii vero alterum eligere habereque contendant et cupiant, electumque enormiter defendere uterque procuret. Sed quia juxta nostri minesterii apostolicum officium et sollicitudinem omnium Ecclesiarum Dei, nobis in ipso apostolorum principe commissam, juxta canonicam etiam sanctorum Patrum regulam dicentem: Si divisio clericorum vel populi exstiterit, et de futuri electione pontificis contentio fuerit oborta, nullum ex his duobus in throno episcopali esse aliquatenus consecrandum, sed alterius electionem fieri C debere sacerdotis Ecclesiæ proprio destitutæ rectore, et ob id perturbatæ, jura pacis ferentes subvenire debemus. Regiam excellentiam vestram rogamus ut pro amore Dei et S. Petri, ac nostræ paternitatis dilectione, ipsum Vercellensem episcopatum huic nobilissimo viro, Gosperto videlicet venerabili diacono, vobis bene cognito communique fideli nostro ac vestro, quem pro ecclesiasticis utilitatibus in servitium vestrum direximus, placido de præsentia modo tribuatis. Quoniam vere cognoscimus hunc in omnibus tam civilibus quam etiam ecclesiasticis causis strenuum atque utilissimum fore, nobisque non mediocriter fidelissimum. Quapropter ad vestræ præsentis et futuræ gloriæ augmentum hoc vos nobis concedere petimus, hanc primam nostri pontificii justam petitionem vestra regalis alacriter perficiat D magnitudo; ut et nos vestram libenti possimus animo perficere voluntatem charissime fili, quoniam sic veræ dilectionis unanimitate pioque amoris affectu videbimur manere conjuncti, si nos ea quæ cupitis apostolica duntaxat perfecerimus auctoritate, et vos item vestro regali jure nostri desiderii preces audire cum judicunditate procul dubio studueritis. Talem namque progenitores vestros, invictissimos imperatores Augustos, circa decessores nostros, sanctos videlicet Romanæ sedis antistites, habuisse dilectionem recolimus, ut quidquid ab alterutra parte petebatur, omni postposita occasione mox efficaciter compleretur. Ita vero et nostra nunc pontificalis a

Deo conservata majestas et vestra regia magnitudo sibimet debent placide favere vicissim. Data *ut supra.*

CCXV.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 879.)

Hortatur ut quamprimum contra infideles et Ecclesiæ oppressores auxilio veniat.

Dilecto ac spiritali filio CAROLO glorioso regi.

Miramur quia vos sæpius exhortantes ut ad exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ vestrumque honorem et totius terræ nostræ defensionem venires vocavimus, et hactenus distulisti. Credere namque nobis potestis quod nimia undique tam paganorum quam malorum Christianorum persecutione gravati, undique concussi, talia quæ jam a longo tempore patimur sufferre nequimus : et ideo iterum admonemus ut toto conamine, sicut vobis mandavimus, procul dubio attendatis. Nam pro certo scire debetis quoniam pro nullius hominis lucro, vel blandimento, sive terrore, a vestro nos consortio et vestræ amicitiæ fœdere separabimus ; idcirco tantum viriliter agere ea quæ nobis ac vobis proficua sunt, nullatenus dubitetis. Sed præstolando vestrum adventum, diuque tardantem putavimus, ne forte Carolomanni gloriosi regis, germanni vestri prædicti, aliquo impedimento jam venere nequissetis : unde illi nostram apostolicam direximus epistolam, admonentes quia si hoc regnum amplius taliter occupatum ac inordinatum et sine defensione tenuerit, animæ suæ detrimentum omnimodis fiet ; nullumque vobis pro Ecclesiæ Dei defensione venientibus inpedimentum aliquot facere præsumat. Quapropter quod agendum est vestra regalis excellentia agere nullo modo desinat ; nam si per vos sancta Romana Ecclesia fuerit exaltata atque defensa, vester honor et gloria hic, et in futuro sine dubio coram Domino multiplicata manebit. Data *ut supra.*

CCXVI.

AD WIBBODUM EPISCOPUM.

(Anno 879.)

Ut una cum legatis quos ad Carolomannum mittit, eat, vel aliquem vice sua mittat ; arguit, quod bona Angelbergæ diripi non prohibuerit : hortatur ut ea recuperanda curet.

WIBBODO episcopo.

Quoniam præ omnibus qui in his videntur consistere partibus, Deo dilectis sacerdotibus, te utpote charissimum filium et fratrem unanimem specialius diligimus, et pro tanta tuæ sinceritatis devotione quam circa nos et sedem apostolicam habere dignosceris, toto mentis affectu amplectimur, et idcirco reverentiam tuam pie nobis amore conjunctam cupimus apostolica semper benignitate fovere, auctoritate fulcire. Nunc igitur dilectioni tuæ notum esse volumus quia pro tot et tantis calamitatibus, quas, sicut ipse bene cognoscis, assidue patimur, hos præsentes missos nostros direximus, per te quasi per quoddam ostium intraturos spirituali filio nostro Carolomanno glorioso regi, cum quibus sane, aut ipse in servitium sancti Petri alacri mente ire, omnemque nostræ voluntatis causam et necessitatem apud eumdem regem perficere studeatis, aut fidelissimum et idoneum a latere tuo virum dirigas qui vicem tuam in omnibus sagaciter possit explere. Nam tuo consilio et adjutorio... eosdem legatos nostros munias hortamur, quatenus sedis apostolicæ legationem, prout dignum est, et instantis temporis necessitas exigit, Deo propicio, perficere possint. Et quia eos sine tarditate ire ac reverti præcipimus, ne ultra tres dies illos penes te retinere procures ; sed habito mox consilio quatenus salvi et securi ad jam dictum regem proficiscantur, aut nullatenus demorentur. Quod si fortasse ad Carolomannum pro ejus corporea infirmitate ire non posse contigerit, ad Carolum regem ipsius germanum eos quocunque modo proficisci facito. Præterea, veridico multorum relatu longe lateque resonante didicimus quod res et possessiones dilectæ ac spiritualis filiæ nostræ et sancti Petri commendatæ Angelbergæ imperatricis sint a quibusdam malefactoribus omnimodis deprædatæ, non solum quæ foris exstitere in agris et villis, sed etiam quæ intus per venerabilia et non violanda loca sanctorum monasteriorum repositæ fuerant : pro quo scilicet tam immani scelere nefandoque piaculo sanctimoniam tuam merito redarguimus. Quoniam sacerdotii tui officium est male agentes auctoritate divina corrigere, verbisque salubribus cohibere, ne tacendo tales, proh dolor ! imitari potius quam prohibere videaris. Est enim ex hoc pessima fama universum discurrens per orbem, quod dominam quondam et imperatricem vestram, cui vestram fidem per jusjurandum dedistis, male tractatis, cui pristinum honorem dignamque reverentiam semper exhibere debueratis. Nunc itaque pro amore sancti Petri, sub cujus speciali defensione consistit, eam adjuvare non prætermittas, quousque sua omnia quæ injuste perdidit, [*f. deest* recuperare] possit. Data *ut supra.*

CCXVII.

AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

(Anno 879.)

Hortatur ut ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ, a quo seductus recesserat, cum sua gente revertatur.

Dilecto filio MICHAELI regi Bulgarorum.

Quia vos omnipotens Deus dono gratuitæ misericordiæ suæ gentemque vestram ad cognitionem sui nominis vocare dignatus est, meminisse debebatis hoc quod Dominus beato Petro apostolo dicit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI) : cui vos in primordio christianitatis vestræ ad regendum commisistis ejusque successoribus ad obediendum. Sed nescio qua ratione ab ejus magisterio calliditate quorumdam estis abducti, ita ut cum Apostolo dicamus : *Quis vos fascinavit ei non obedire, cui dudum colla submisistis* (*Gal.* III) ? aut illis credidistis, ut pace Græcorum loquamur, qui quotidie novis et variis disciplinis atque dogmatibus

confunduntur? Sed quæso, fili charissime, ad sanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ sinum, quæ caput est, instituente Deo, omnium Ecclesiarum in toto orbe diffusarum, relictis superfluitatibus et seductionum scandalis, vos gentemque vestram amore mentis sine mora reducite, Quia in tantum vos affectione paterna diligimus, ut in visceribus Christi Jesu esse cupiamus. Et ecce parati sumus, ut vos lucrifaciamus, et quidquid legatorum nostrorum offuscatione nuper offensum est, ad purum corrigere et omnia maturissime redintegrando curare; et si contigerit, non solum compati et condolere vobiscum, sed etiam pro salute animarum vestrarum mori non recusabimus, dicente Joanne apostolo: *Quoniam Deus pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animam ponere (I Joan.* III). Vestræ tamen dilectioni convenit monitis paternis benigno amore semper præbere assensum, et admonitionibus nostris accommodare auditum, quia ille cui a Domino claves regni cœlorum ligandi atque solvendi collatæ sunt, quotidie et indesinenter expandit brachia, et vos revertentes ad se gratulenter exspectat; quatenus vos æterno pastori reddat compotes æternæ beatitudinis, a quo accepit ministerio sui apostolatus animas vestras redimere. Data *ut supra.*

CCXVIII.

AD CONSILIARIOS MICHAELIS REGIS BULGARORUM.

(Anno 879.)

Ejusdem argumenti.

PETRO, CERBULÆ et SUNDICÆ, cæterisque optimatibus consiliariis dilecti filii nostri Michaelis regis Bulgarorum.

Denique moneo vestram omnium dilectionem ut continuis adhortationibus atque suggestionibus dilecto filio nostro Michaeli glorioso regi seniori vestro annuntietis, vosque cum eo ad sinum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ vos æternæ beatitudinis cupit esse participes, redeat ac redeatis; ne diutius quorumdam perversi dogmatis suasionibus perniciem ac detrimentum, quod absit, animæ vestræ patiamini, quoniam nos in tantum amorem super vos ducimur, ut quidquid juste et secundum Deum petieritis, a nobis impetrare valeatis, vestrisque petitionibus irrefragabiliter velimus effectum annuere. Hoc iterum iterumque monemus, et in verbo Christo edicimus, ut redire ad nos omnino festinetis; quia, sicut nos peccare timemus, si vos ad sinum sanctæ matris vestræ non deducimus, ita vos in Deum peccabitis, si nostram vocem audire omittatis. Data *ut supra.*

CCXIX.

AD SEDESCLAVUM COMITEM.

(Anno 879.)

Præcipit ut legato quem ad regem Bulgarorum mittit iter tutum præbeat ac necessaria suppeditet.

Dilecto filio SEDESCLAVO glorioso comiti Sclavorum [a].

Quia fama tuæ dilectionis atque bonitatis et religionis in Deum ad nos usque pervenit, confidenter gloriæ tuæ præcipimus atque mandamus ut pro amore sanctorum apostolorum Petri ac Pauli protectorum vestrorum præsentem legatum, quem ad gentem Bulgarorum dirigimus [b], salvum atque incolumem venire faciatis usque ad dilectum filium nostrum Michaelem gloriosum regem eorum, et quæcunque ei sunt necessaria ad victum et vestimentum, illi pro Dei amore administrate, quia Dominus dicit in Evangelio: *Quandiu fecistis uni de minoribus istis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV): et apostolus: *Hospitales invicem sine murmuratione* (*I Pet.* IV). *Quia per hanc latuerant quidam, angelis hospitio susceptis* (*Heb.* XIII). Agat, fili charissime, de hoc tua dilectio, ut æternæ vitæ præmia percipere valeat. Data *ut supra.*

CCXX.

AD GREGORIUM PRIMICERIUM.

(Anno 879.)

Rogat ut legatos Constantinopolitanos ad se mittat; pollicetur, cum Francorum rex Romam venerit, se ad eum auxilio iturum.

Dilecto filio GREGORIO primicerio ac bajulo imperiali.

Religionem tuæ charitatis in Christo et in ejus Ecclesia collaudamus, et ut magis ac magis in bono opere proficias exhortamur. Legatos ab urbe Constantinopolitana ad nos directos per Beneventum, deinde per Capuam dirige, quoniam jam habemus præordinatum qualiter, Deo volente, ad nos salvi atque illæsi perveniant. De nostro ad vos adventu, quod tua, fili charissime, dilectio perscrutatur, pro certo deliberatum habuimus; sed rex Francorum ad nos properans suppliciter deposcit ut ab Urbe non discedamus quoquam donec ipse perveniat. Qui cum, Domino protegente, venerit cum valida manu, prout temporum dicta necessitas, illuc omni mora postposita, studebimus omnimodis properare, pro totius sanctæ Dei Ecclesiæ et omnium Christianorum salvatione. Data VI die Maii, indictione XII.

CCXXI.

AD WIBODUM EPISCOPUM.

(Anno 879.)

Ut apud Carolomannum, vel Carolum ejus fratrem, de Ecclesia Dei a paganorum infestationibus defendenda agat; et si archicapellanus Caroli Romam venerit, ipse quoque veniat; sin minus, eorum regum voluntatem sibi litteris aperiat.

Reverendissimo WIBBODO episcopo, et dilecto consiliaro nostro.

Cum assidue vos quasi charissimum filium in nostro cupiamus habere obsequio, placeret nunc nobis pro instantis temporis multiplicibus causis vestro sagaci consilio frui; sed quia industriam vestram ea quæ ad honorem sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostrum pertinent, semper ubique agere fideli devotione

[a] De Sclavis Historia Miscellanea lib. XVII in Mauricio, LXXIX et 25.

[b] Aimoinus lib. IV, c. 26 et 81. Cedrenus in *Mauricio*, Nicephorus, lib. XVIII, c. 28.

velle procul dubio credimus, nunc ad nostram apostolicam venire præsentiam non gravamus. Quapropter vestræ innotescimus dilectioni quoniam assidua et supra modum gravi paganorum infestatione gravati, cujuslibet regis jam cupissemus habere solatium. Unde si Carolomannum posse incunctanter agnoscitis, apud illum ; sin autem, apud germanum et æquivocum ejus, Carolum videlicet gloriosum regem, causas et utilitates sanctæ sedis apostolicæ prudenti duntaxat consilio agere et, Deo auxiliante, ad perfectum deducere satagatis, quatenus pristinum ejus honorem atque vigorem ipsius regia majestas, more videlicet parentum suorum, conservet in omnibus. Præterea si talis archicapellanus jam fati Caroli regis, sicut nobis mandastis, venerit, ad nostraque apostolica vestigia missus properare quæsierit volumus et cum eo ad nos pariter veniatis ; ut communi tractatu quid pro Ecclesiæ Dei exaltatione agendum sit, pariter consideremus. Sin autem ipse Romam non venerit, eo diligenter inquisito causas et voluntates atque devotiones vel Caroloman, ni, vel ipsius germani jam dicti regis nobis litteris vsstris sub omni certitudine præsentialiter innotescatis, ut quid prospere agendum sit luce clarius agnoscamus. Hujus quoque textum epistolæ, ut nullus agnoscat, cum legeritis, statim igne comburite. Data *ut supra*.

CCXXII.

AD BOSONEM COMITEM.

(Anno 879.)

Scribit se tacitum tenere quod secreto ex ipso audierat, et auxilium, quod promiserat, ab eo omnino exspectare ; præterea se bene valere.

Secretum quod, Deo auxiliante, vobiscum Trecis existentes habuimus, immutilatum ac fixum nostro apostolico pectore,quasi quoddam thesaurum reconditum procul dubio retinemus, et totis, vita comite, nisibus illud, quantum in nobis est, alacriter optamus perficere. Quapropter si excellentiæ vestræ libet, jam hoc ipsum ad effectum debetis perducere. Quia juxta sanctum Apostolum admonentem : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VII), quibus favente Domino, vestra potestis efficaciter desideria explere. Nos enim sponsionem vestram nimium præstolantes, sed usque adhuc minime contemplantes, tristes existimus, eo quod assiduas et supra modum graves paganorum infestationes omnimodis patiamur ; et idcirco pro instanti necessitate alio dirigere auxiliumque opportunum prætermisimus quærere. Unde, si placet agere, quod agendum est agite : sin autem, nobis remandare sine mora satagite. Quia vero de salute nostra solliciti gaudetis, vestræ innotescimus magnitudini, quia et prosperum, Christo, duce, revertendo iter habuimus, et nunc corporea sanitate bene valemus. Data *ut supra*.

CCXXIII.

AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

(Anno 879.)

Arguit eum quod tertio vocatus ad concilium non venerit ; præcipit ut ad synodum celebrandum cum suis episcopis accedat, et cum Francorum regibus qui in Italiam fuerant ingressi, placitum non faciat : aliter excomunicationem minatur.

Reverendissimo et sanctissimo ANSPERTO archiepiscopo Mediolanensi.

Multæ inobedientiæ atque perniciosæ temeritatis procul dubio reperiris obnoxius, cum nobis pro Ecclesiarum Dei omnium juxta Apostolum commissa sollicitudine populique salute in hoc periculoso tempore, necessitate scilicet nimia cogente, strenue decertantibus, nullum, ut oportebat præbere assensum nullumque, veluti capiti tuo compatiendo, studuisti conferre solatium. Missis etiam apostolatus nostri secundo ac tertio per fratres et coepiscopos nostros litteris, in consortium sollicitudinis nostræ te more præcessorum nostrorum, utpote idoneum comministrum, primum quidem in Gallia et postmodum Papiæ consistentes canonice vocavimus, sed minime occurrere voluisti. Regulari etiam et nostra apostolica vocatione jussimus ut Romam pro tam multiplicibus necessitatibus in commune pertratandis ac synodice deliberandis negotiis, venire absque quolibet obtentu satageres ; sed neque secundum canonicam sanctionem excusationem tuam in tractoria scriptam nobis et sanctæ synodo peridoneum a latere tuo ministrum dirigere, neque ipse potius venire, improvida duntaxat mente curasti, ut una nobiscum, qui vestrum omnium onera portamus, juxta præceptum Apostoli, ea portare omni annixu studeres. Pro quibus videlicet tot evidentissimis culpis et temerariis præsumptionibus a te peractis, una cum veneranda synodo ante sacratissimum beati Petri apostolorum principis corpus habita, secundum immutilatam Africani concilii regulam (*Conc. Afric.* cap. *Carthaginense* v, c. 10), te ad concilium nostrum non occurrentem, neque excusationem tuam in tractoria subscribentem, neque justam rationem impedimenti tui apud nos omnium vestrum primatem reddere curantem, omni prorsus ecclesiastica communione, sancti Spiritus auctoritate, privavimus, quousque tuam specialem præsentiam nobis et sedi apostilicæ exhibere curaveris. Nunc itaque, quoniam constanter tenentes justitiam, benigne debemus semper præbere clementiam, his iterum nostris apostolicis litteris dilectioni tuæ præcipimus, ut quia ad præfatam synodum non venisti, ad eam quam rursus, juxta canonis apostolici capitulum tricesimum quartum, erimus quarto Idus Octobris, auxiliante Domino, celebraturi, omni postposita occasione, cum suffraganeis episcopis tuis devotus occurras. Vel si aliqua evidenti necessitate te non posse venire claruerit, eximios a latere tuo dirigas viros, qui tunc nobis et sancto concilio idonee faciendo, et causam tuæ impossibilitatis veraci-

ter intiment, et ea quæ pro Ecclesiarum Dei utilitate peragenda sunt, nobiscum sagaciter valeant deliberare. Nam si et hanc quartam nostræ apostolicæ auctoritatis vocationem parvipendens, ad jam denuntiatam synodum ipse venire vel tuos mittere contempseris, scias pro certo quoniam majori te judicii ecclesiastici vinculo velut inobedientem incunctanter ligabimus. Præterea hoc etiam tibi tuisque suffraganeis omnibus admonitione nostra denuntiamus atque præcipimus, ut cum eo qui de regibus Francorum, Deo favente, Italiam fuerit ingressus, nullum absque nostro consensu et unanimitate placitum facere præsumatis; apostolorum canone capituli tricesimi quinti ita jubente atque dicente : Episcopos gentium singularum scire convenit quis inter eos primus habeatur, et quem velut caput existiment, et nihil amplius præter ejus conscientiam gerant quam illa sola singuli quæ parochiæ propriæ et villis quæ sub ea sunt, competunt, sed nec ille præter omnium conscientiam faciat, aliquid; sic enim unanimitas erit et glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto. Propter quod et nos vestro communi tractatu atque consensu, ea quæ ad communem et necessariam utilitatem Ecclesiarum Dei nobis commissarum agenda sunt, omnimodis agere cupimus. Non enim aliter, dicente sancto Leone, unus grex et unus pastor sumus, nisi quemadmodum Apostolus docet, id ipsum dicamus omnes : Simus autem perfecti in eodem sensu et in eadem scientia *(I Cor.* II). Data XIV Kalendas Junii, indictione XII.

CCXXIV.

AD EUMDEM.

(Anno 879.)

Ejusdem pene argumenti.

ANSPERTO archiepiscopo.

Cum universi qui Christiano censentur vocabulo, ab ipso religionis exordio, fide et méritis Petri Romanam Ecclesiam sublimatam omni veneratione sequi omnique reverentia honorare studuerint; et contra eam, nisi qui de se voluit judicari, nullus obices manu habuerit; valde miramur cur adeo vestri ordinis ministerium excedatis, ut cujus auctoritatis, cujusque privilegii eadem sancta sit Romana Ecclesia, fuco ignorantiæ non advertatis, et ei quæ vos genuit dolenti ac injurias patienti, nullo filiorum affectu compati studeatis. Quin potius in contemptum religionis non solum possibilia adjutoria nobis præbere contemnitis, sed etiam nuper a Galliis remeantibus, ut saltem clamorem et laborem nostrum, quem pro omnibus patiebamur, audiretis et doleretis, apud Ticinum nobis occurrere distulistis, ubi etiam diutius immorantes, ut ad synodum veniretis vos litteris nostris vocavimus. Sed inobedientiæ atque temeritatis audacia freti, nec tunc vestram nobis præsentiam exhibere curastis; postremo generali synodo Romæ præteritis Kalendis Maii celebratæ, a nobis rursum vocati, interesse penitus distulistis. Hujus rei gratia juxta Apostolum in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, digna correptione canonicis vocibus vos perferiremus, nisi misericordia apostolicæ sedis nostrum animum temperaret. Vos autem, charissimi, tanta nostra patientia non abusi, redite ad cor, et deponentes omnem temeritatem, pro communi salute et pace regni nobis hærete, adeo ut quæ recipimus recipiatis, et quæ respuimus respuatis, ut idipsum dicamus omnes et eadem sapiamus, quia et ego sollicitos vos pro communi salute ac statu regni et pace libenter audio, sicut e contra aliud quam tenemus tenentes, non libenter admitto. Jam vero quia multoties ad synodum convocati, venire hactenus contempsistis, sicut prætulimus, omni temeritate atque inevitabili occasione deposita, ad aliam synodum, quam, gratia divina opitulante, quarto Idus Octobris futuræ tertiæ decimæ indictionis celebraturi sumus, occurrite. Quatenus ea quæ ad utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ pertinent, communi tractatu, communi voto atque consensu, cum Domini adjutorio exsequamur. Quod si forte et tunc venire contempseritis, sciatis vos et de præteritis et de futuris negligentiis canonice judicandos, ita ut ecclesiarum vestrarum communione juxta sacros canones sitis contenti, qui non vultis ecclesiasticis acquiescere disciplinis (*Concilium Africanum*, c. 43; *Carthaginense* V, c. 10). Data XIII Kalendas Junii, indictione XII.

CCXXV.

AD THEODOSIUM ELECTUM EPISCOPUM NONENSEM.

(Anno 879.)

Laudat ejus erga Romanam Ecclesiam observantiam et præclaras ejus virtutes; testatur suam in eum benevolentiam : monet ut a se consecrationem episcopalem accipiat.

THEODOSIO venerabili diacono et electo sanctæ Ecclesiæ Nonensis.

Dilectionis tuæ litteris receptis atque perlectis, devotionis et fidei tuæ sinceritatem, quam circa Ecclesiam B. Petri apostoli et circa nostrum pontificium habes, luce clarius agnovimus. Et quia nostram gratiam et benedictionem humili prorsus affectu expetere studuisti, valde sumus gavisi; nam et Joannes venerabilis presbyter, de vestra parte veniens, multa nobis tuæ bonitatis et patientiæ viva voce præconia retulit, quæ in sacerdote Christi magnopere sunt habenda. Unde te quasi dilectum corporis Christi membrum et spiritalem filium nostri apostolatus ulnis extensis amplectimur, paternoque amore diligimus, atque apostolica semper volumus benignitate fovere. Ideo monemus sagacitatem tuam ne in quamlibet partem aliam declines, et contra sacra venerabilium Patrum instituta episcopatus gratiam recipere quæras, audiens illam desiderabilem summi judicis vocem dicentis : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). Sed toto corde totaque voluntate ad gremium sedis apostolicæ, unde antecessores tui divinæ legis dog-

mata melitlua, cum sacræ institutionis forma, summique sacerdotii honorem sumpserunt, redeas : quatenus et ipse ab apostolica sede, quæ caput et magistra est omnium Ecclesiarum Dei, episcopalem consecrationem, per nostræ manus impositionem, Christo annuente, percipias ; quatenus secundum pristinum morem sancti Petri et nostra semper auctoritate atque tuitione munitus, populum Domini tibi commissum strenue ac securiter regas, et in conspectu Altissimi veniens venias cum exsultatione, portans manipulos tuos, dicereque Domino possis ovanter : Ecce ego, et pueri, et quos mihi dedisti ; et ob hoc cum Deo valeas sine fine gaudere. Data IV die mensis Junii, indictione XII.

CCXXVI.

AD ANSELMUM EPISCOPUM LEMOVICENSEM.

(Anno 879.)

Non separandum virum ab uxore, qui filium suum necessitate urgente baptizavit.

ANSELMO episcopo Lemovicinæ Ecclesiæ.

(30 quæst. 1, *Ad limina.*) Ad limina beatorum Petri et Pauli apostolorum principum hic præsens homo, nomine Stephanus, orationis causa veniens, nostro præsulatui suggerando innotui quod filium suum in extremo vitæ positum, necdum baptismatis unda lotum, absentia scilicet sacerdotum necessitate cogente baptizasset, eumque ipse propriis manibus retinendo suscepisset, atque pro hujus rei negotio notitiæ tuæ patefacto, reverentia tua, quasi zelo rectitudinis flagrans, præfatum hominem a sua judicaverit conjuge separandum. Quod fieri nullatenus debet, dicente Scriptura a Deo junctam viro esse uxorem, et : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX). Unde et Dominus in Evangelio neminem posse dimittere uxorem suam nisi causa fornicationis apertissime jubet. Quapropter et nos, tantæ auctoritatis jussione præcipue freti, dicimus omittendum esse et inculpabile judicandum quod necessitas intulit. Nam baptizandi hoc opus etiam laicis fidelibus, juxta canonicam sanctionem, si necesse fuerit, facere libere conceditur. Unde si prædictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam morte perpetua pereuntem dimitteret, sacri baptismatis unda lavit, ut eum de potestate auctoris mortis et tenebrarum eriperet, et in regnum Christi jam regeneratum indubitanter mitteret, bene fecisse laudatur. Et idcirco cum sua uxore sibi jam olim legitime sociata impune, quandiu vixerint, judicamus manere conjunctum, nec ob hoc contra præfatas auctoritates divinas aliquatenus separari debere. Data VII die mensis Junii, ind. XII.

CCXXVII.

AD CAROLOMANNUM REGEM.

(Anno 879.)

Hortatur ad Ecclesiæ Romanæ defensionem, quæ a Saracenis multis afficiebatur detrimentis; rogat ut legatos benigne excipiant, et fidem illis adhibeat.

Dilectissimo ac spiritali filio CAROLOMANNO gloriosissimo regi.

A Quia more prædecessorum nostrorum pontificum regiam excellentiam divinitus exaltatam pio mentis affectu diligimus, ad honorem et exaltationem sanctæ Dei ecclesiæ eam sitibundo pectore videre desideramus, quatenus vestræ magnitudinis triumphali certamine sedis apostolicæ vigor et honos, quem progenitorum vestrorum, gloriosissimorum videlicet imperatorum, tempore habuisse recolimus, vobis regnantibus maneat illibatus et integer, ut et vestræ regalis gloriæ decus vigeat indiminutum et æternæ mercedis vobis munus superna gratia tribuatur. Nunc igitur pro tot et tantis calamitatibus ac necessitatibus quas a paganis assidue atque a malis patimur Christianis, licet pro multitudine scribere non valeamus, et vestram excellentiam ignorare non credimus, B pastorali sollicitudine moti, ponentes animas nostras in manibus nostris, ingentes labores non solum marini sed itineris etiam terreni omnimodis sumpsimus. Testamur namque Deum, cui occulta omnium manifesta existunt, quod vestro desiderabili honore, nullius hominis, nisi vestrum præpotens adjutorium avida mente quærere voluimus ; sed malorum hominum, quos ipsi scitis, præpediti insidiis, hoc agere non valuimus. Quapropter, dilectissime fili, nostra apostolica exhortatione monemus gloriam vestram ut pro amore sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ defensionis laborem indubitanter assumere non prætermittatis, unde vobis honor et salus hic et in æternum accrescat. Et ideo petimus ut pro Dei et sanctorum apostolorum Petri ac Pauli amore nostris apostolicis monitis toto conamine attendatis qua- C tenus aut per vos aut per saluberrimum consilium vestrum citius nobis subvenire omnimodo satagatis. Quoniam tanta istius terræ perditione undique aggravati, undique concussi talia jam sufferre minime valemus. Nam si, quod absit, per vos forte remanserit, ut Ecclesia Dei in præsenti defensionem non habeat, et taliter turbata consistat, videte ne ante tribunal Christi et coram apostolorum principem præsentia vestræ animæ patiamini detrimentum, quia nos paterna vos admonitione hortantes, secundum ministerii nostri officium ea quæ Dei sunt et saluti vestræ proficua agere incunctanter convenimus. Misimus autem ad vos præsentes missos nostros Joannem et Paschalem venerabiles episcopos dilectos fideles nostros, quos petimus ut pro nostro amore D benigne recipiatis, et eis locum familiaritatis tribuatis, atque ea quæ vobis de nostra parte dixerint, libentissime attendatis. Data VII die mensis Junii, indictione XII.

CCXXVIII.

AD EUMDEM.

(Anno 879.)

Ut in Vercellensi Ecclesia Conspertus creetur episcopus.

Dilecto ac spiritali filio CAROLOMANNO glorioso regi.

Misimus cum his præsentibus missis nostris hunc venerabilem diaconum nomine Conspertum, vobis

ut credimus, notum, in servitium magnitudinis vestræ : quem petimus ut pro nostro amore benigne recipiatis : et quia nobis ac vobis fidelis existit, rogamus excellentiam vestram ut episcopatum Vercellensis Ecclesiæ placido animo tribuatis, quatenus, Deo auxiliante, per nostram ac vestram munificentiam episcopali duntaxat honore potitus, nobis omnibus existere devotior atque fidelior possit. Data VII die mensis Junii, indictione XII.

CCXXIX.

AD BRANIMIRUM.

(Anno 879.)

Suscipit eum ad Romanæ Ecclesiæ gremium redeuntem; monet ut in Dei amore perseveret : impartitur benedictionem apostolicam, quam petierat : hortatur, ut permittat legatum suum epistolam Bulgarorum deferre.

Dilecto filio BRANIMIR.

Relegentes nobilitatis tuæ litteras, quas per Joannem venerabilem presbyterum communem fidelem nobis mandasti, quantam fidem et sinceram devotionem circa Ecclesiam sanctorum apostolorum Petri ac Pauli ac circa nos habeas luce clarius novimus. Et quia, Deo favente, quasi dilectus filius sancto Petro et nobis, qui per divinam gratiam vicem ejus tenemus, fidelis in omnibus et obediens esse cupias, humiliter profiteris, tuæ nobilitati dignas valde gratias his nostri apostolatus litteris agimus paternoque amore, utpote charissimum filium, ad gremium sanctæ sedis apostolicæ matris tuæ, de cujus videlicet purissimo fonte patres tui melliflua sanctæ prædicationis potavere fluenta, redeuntem suscipimus, et spiritalibus amplectimur ulnis, atque apostolica volumus benignitate fovere ; ut gratiam, benedictionem Dei sanctorumque Petri ac Pauli apostolorum principum, et nostram super te habens diffusam, a visibilibus et invisibilibus hostibus, qui saluti humanæ insidiari et impedire non cessant, salvus semper ac securus existas, optatamque de inimicis victoriam facilius possis habere. Nam quanto ipse te Deo humiliter subdere sanctisque ipsius obedire præceptis studueris, atque ipsius sacerdotibus et ministris honorem debitum pro amore Domini exhibueris, tanto super omnes inimicos tuos et rebelles adversarios eris procul dubio victor et potens. Et ideo monemus industriam tuam ut in omnibus tuis actibus Deum semper præ oculis habeas, timeas et toto diligas corde, quoniam, dicente Psalmista : *Beatus est vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis : potens in terra erit semen ejus* (*Psal.* CXI). Et ipse in Evangelio : *Qui me*, inquit, *diligit, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). Quod cum ita sit, si tuis bonis operibus in præsenti lucentibus Deum glorificaveris, gloria eris sempiterna in futuro sine dubio decoratus, quoniam ipse per Moysen hoc se facere testatur, dicens : *Glorificantes me glorificabo* (*I Reg.* II). Sicut autem nostro præsulatui per jam fatum presbyterum A tria suggessisti, quatenus nostro tibi ore apostolico benediceremus pro tuæ salutis augmento, id ipsum libenter fecimus. Nam in die Ascensionis Domini inter sacra missarum solemnia super sacrum altare S. Petri apostoli celebrantes, elevatis sursum manibus benediximus tibi, et omni populo tuo omnique terræ tuæ, ut hic et in æternum corpore simul et anima salvatus, et principatum terrenum quem habes, prospere ac securiter regere possis et in cœlesti regione post mortem cum Deo feliciter gaudeas et in perpetuum regnes. Et quia hunc ipsum Joannem presbyterum tibi et nobis verum fidelem in omnibus esse cognoscimus, dedimus illi nostram apostolicam epistolam deferendam regi Bulgarorum. Ideo petimus ut pro amore sancti Petri et nostro B cum tua ipse licentia legationem hanc nostram sine tarditate perficiat, ut et propter hoc tuæ dilectioni multiplices gratias habeamus. Data VII die mensis Junii, indictione XII.

CCXXX.

AD SACERDOTES ET POPULOS BRANIMIRO SUBJECTOS.

(Anno 879.)

Excipit eos ad Romanæ Ecclesiæ gremium redeuntes, monet ut perseverent.

Omnibus venerabilibus sacerdotibus, et universo populo.

Cum litteras principis vestri Branimir, quas nobis per Joannem venerabilem presbyterum ipse direxit, legeremus, non solum illius devotionem, sed etiam fidei vestræ sinceritatem et dilectionem, quam circa C sanctum Petrum apostolorum principem et circa nos habeatis, cognovimus. Et quia velut charissimi filii ad sanctam Romanam ecclesiam, unde parentes vestros melliflua sanctæ prædicationis dogmata suscepisse agnoscitis, toto animo totaque voluntate redire cupiatis, nostram apostolicam gratiam et benedictionem habere magnopere desiderantes, magna sumus repleti lætitia. Et ideo brachiis extensis vos amplectimur, paternoque amore recipimus, et apostolica volumus semper benignitate fovere, si vos hanc voluntatem et sponsionem vestram usque ad finem sinceriter habueritis, et fideliter tenueritis ; quia, dicente Domino : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X) ; et apostolo Paulo id ipsum dicente : Participes enim Christi facti estis, si D tamen initium fidei usque ad finem firmum retineatis (*Hebr.* III). Quapropter estote fideles Deo, et sancto Petro, sicut mandastis, usque ad mortem, et accipietis coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Non enim sacris orationibus nostris memoriam vestri coram Domino assidue facientes, manibus sursum ad Dominum elevatis, omnipotenti Deo vos una cum dilecto filio nostro principe vestro commendamus, et omni benedictione spiritali vobis benedicimus in Christo Jesu Domino nostro, ut hic et in æternum corpore simul et anima benedicti existatis, et in perpetuum Domino gaudeatis. Data VII die mensis Junii, indictione XII.

CCXXXI.

AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

(Anno 879.)

Agit Deo gratias quod legatos ad se miserit, doctrinam ecclesiasticam et canonica instituta recepturus : hortatur ut ad Romanam Ecclesiam redeat; et si ei placuerit, se legatum missurum pollicetur.

Dilecto ac spiritali filio MICHAELI glorioso regi Bulgarorum.

Quantæ pietatis et miserationis suæ largitate vos omnipotens Deus dilexerit, narrare quis sufficiat, charissime fili? Quando per infusionem sancti Spiritus sui in cor vestrum unigenitum Filium suum, per quem omnia visibilia et invisibilia condidit, vobis clementer revelare dignatus est, mentemque vestram claritatis suæ lumine irradiare, et de tenebris ad veram voluit perducere lucem veræque fidei dogmate suo docere. Ipsius etiam gratia vobis revelante, ad sedem beati Petri apostolorum principis, quæ caput et magistra omnium Ecclesiarum Dei existit, et a qua omnes reges et principes verbum veritatis acceperunt, legatos vestros, Petrum scilicet cognatum vestrum, et Joannem atque Martinum, prædecessoris domni nostri Nicolai beatissimi præsulis tempore direxistis, ut et vos inde doctrinam ecclesiasticam atque canonica instituta reciperetis, ubi totius Ecclesiæ Christus posuit principatum, quod nimirum, secundum vestram voluntatem, ab eadem sancta Romana Ecclesia promeruistis. Nunc igitur vos, quasi propriam gregis Dominici ovem nobis in ipso apostolorum principe commissam, utpote charissimum filium nostrum his nostri apostolatus litteris visitamus et nostris apostolicis spiritualiter amplectimur ulnis; assidue vos cum omni populo vestro sacris orationibus nostris Domino commendantes, ut ipse, qui vobis gloriosum in terris tribuit principatum, tribuat et post mortem cœleste regnum et gloriam sempiternam. Quapropter monemus gloriam vestram, ut ad sanctam matrem vestram Romanam Ecclesiam devota mente libentique animo redeatis; ut apostolorum sanctorum precibus adjuti tam visibiles inimicos [*f. deest* quam invisibiles] facile superare possitis : et quia vos, ut prædictum est, multum diligimus, nostrum ad vos volumus cum sedis apostolicæ visitatione dirigere legatum, visitareque vos, sicut pastor visitat gregem domini sui sibi commissum : si tamen cognoverimus voluntatem vestram, quod nostram cupiatis recipere legationem et apostolicam visitationem. Quod si volueritis, per hunc Joannem venerabilem presbyterum fidelem nostrum, nobis sub certitudine litterarum vestrarum remandare curate, dilectissime atque amantissime fili. Omnipotens Deus, qui vobis viam veritatis ostendit, et lumine suæ claritatis cor vestrum illustrare dignatus est nunc et semper cum omni prosperitate et salute vos conservare dignetur incolumem. Data VI Idus Junias, indictione XII.

CCXXXII.

AD AIRADUM ARCHIEPISCOPUM AUSCENSEM EJUSQUE SUFFRAGANEOS.

(Anno 879.)

Hortatur ad depravatos populi mores corrigendos, præcipue incesta matrimonia : ne quis rejecta uxore aliam ducat, aut simul cum uxore concubinam habeat, ut res immobiles ecclesiæ nemo sibi usurpet, et ut clerici sub episcopi sint potestate.

Reverendissimis et sanctissimis, AIRADO archiepiscopo, et INVOLATO Convenensi, WAINARDA Conserano, SARSTONO Bigorrensi episcopis [a].

Multas prævaricationes contra totius Christianitatis religionem atque sanctorum Patrum venerabiles sanctiones his vestris in partibus a pravis fieri Christianis veridica multorum relatione didicimus. Quos vero nec piæ admonitionis vestræ blandimento, nec debitæ excommunicationis vinculo, nec etiam apostolicæ constitutionis verbo aliquatenus a tantorum malorum operum infestatione ac perpetratione prohibere nec penitus valetis compescere. Et ideo dolemus pariter vobiscum, fratres mei, super temeritate populi talia præsumentis, et nullam ex his pœnitudinem fructuosam in præsenti agere volentis vestramque salubrem correptionem pro nihilo ducentis. Igitur quia nostro apostolatui humiliter suggessistis ut, apostolica fulti auctoritate, populum gravem et plenum iniquitate libere possetis corrigere; quando ex divino eloquio docemur ut aliquando conversi fratres nostros aliqua sæculi fluctuatione inefficaces confirmare debeamus (*Luc.* 22); vos cum doctore gentium convenimus, dicentes : Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, arguite peccantes, obsecrate protervos, et increpate inique agentes cum omni imperio (*I Thess.* V). Vobis namque populus ipse sicut grex ovium Domini pastoribus est commissus; et nisi eos ita nunc temporali increpatione correxeritis, ut spiritu salvi sint in die Domini nostri Jesu Christi, sanguis eorum de vestris procul dubio manibus requiretur. Sin autem vobis annuntiantibus non obedierint, ipsi in suis iniquitatibus deficient, vos vero animas vestras liberastis. Præterea unum valde illicitum et exsecrabile malum contra venerabilia sanctorum Patrum decreta eosdem vestros parochianos committere audimus, hoc est nulla generis consanguinitate custodia, nulla propinquitatis parentela observata, unusquisque suam propinquam in quocunque fuerint gradu, accipit uxorem, atque incesto et nefario se conjugio copulent. Quod licitum facere Christianis non est, dum usque se generatio cognoverit. Unde sanctissimi prædecessores nostri, Stephanus videlicet, Eugenius atque Leo, synodali decreto tale nefandum con-

[a] In edit. Romana titulus depravatus est, et cum dubitaverim Labbeum sua conjectura hic correxisse, non ex fide cujus codicis, ideo hic prout est in Romana repræsentandum duxi : *Reverendissimis et sanctissimis Airado archiepiscopo, et Involato Convenien. una in Ardo Conserano Sarsto nobis Orcensi episcopis.*

gium fieri prohibuerant, dicentes : Ut consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam quamlibet de propria cognatione, nullus præsumat sibi in conjugio copulare, quia scriptum est in lege Domini : *Turpitudinem uxoris patris tui, sive uxoris featris tui, atque sororis tuæ non revelabis : turpitudo enim tua est* (*Levit.* XVIII). Et si Deus Hebraico populo ante incarnationem unigeniti Filii sui hæc servanda mandavit, quanto amplius nos, qui Christianæ religionis documenta tenemus, ab illicitis connubiis observare debemus, ne demersi in voraginem ignis æterni concrememur incendio? Si quis vero in hoc nefario conjugio inventus in eo permanere voluerit, aut nunc ab uxore solutus hoc agere tentaverit, sciat se auctoritate apostolica anathematis vinculo esse innodatum, et nullus sacerdos illi tribuat communionem : et si inclinatus ab illicita se copula diviserit, pœnitentiæ submittantur, ut sacerdos loci consideraverit. Hoc etiam cum illis pariter jubemus ut nullus propriam relinquat uxorem, et illa vivente alteram sibi sociare præsumat ; nec liceat ei uno tempore duas habere uxores uxoremve et concubinam. Jubemus etiam ut nulli sacerdotum nullique laicorum liceat res immobiles sub qualibet occasione a piis et venerabilibus locis subtrahere et in proprio usu habere. Qui vero præsumpserit, canonicis subjaceat correctionibus. Statuimus etiam ut omnes presbyteri et clerici sub proprii potestate consistant episcopi, et nihil sine ipsius conscientia gerant, secundum regulam a Patribus constitutam. Si quis sane sacerdotum aut clericorum aliter agere præsumpserit, a suo canonice redarguatur episcopo ; laicus quoque, si de potestate episcopi clericum quemlibet subtrahere præsumpserit, excommunicatus existat. Hæc, fratres charissimi, pro vestra supplicatione et honorificentia in auctoritatem habenda descripsimus vobis quatenus his nostræ constitutionis muniti præceptis, digna Deo nostro possitis securiter deferre obsequia debitasque persolvere laudes. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Data Idibus Juniis, indictione XII.

CCXXXIII.

AD ROSTAGNUM ET ALIOS.

Fragm. — (An. 879.)

ROSTAGNO archiepiscopo Arelatensi, SIGIBOLDO archiepiscopo Narbonensi, et ROBERTO archiepiscopo Aquensi, a paribus.

Veracium relatione comperimus Gilbertum Nemausensem venerabilem episcopum, quod quoddam monasterium nostrum quod super eumdem episcopum acquisivimus, ipse Gilbertus temere invaserit, cunctasque res ipsius monasterii per suos homines distribuerit, et illius monachos inde contra sacras regulas omnino expulerit. Quod tantum nobis displicuit, quantum, sicut ipse nobiscum advertis, calcata reverentia venerandorum canonum contra privilegium apostolicæ sedis eum fecisse non ambigis. Quapropter fraternitati tuæ dirigimus ut vice nostra cum confratribus et coepiscopis nostris junctis eumdem Nemausensem episcopum ad commune colloquium convocetis, et ex auctoritate nostra conveniatis ut ab omni invasione ipsius monasterii tam se quam suos removeat, et ulterius nec res ejus, nec monachos illic Domino famulantes molestare præsumat. Quod si ipse surda aure, quod absit, per vos monita nostra audierit, tunc ex auctoritate beati Petri apostoli, cui idem monasterium pertinet, simul et nostra, illum a ministerio sacerdotali excommunicando suspende, quousque dum aut ab ipsa invasione se subtrahat, aut ad sedem apostolicam vel ad nostram præsentiam nobis satisfacturus occurrat. Agat in his sanctimonia tua sicut illam agere decet ut et nos Deo laudes et tibi gratias referamus. Data XVIII Kal. Julii, indictione XII.

CCXXXIV.

AD SALONITANOS CLERICOS.

(Anno 879.)

Monet ut ad gremium Romanæ Ecclesiæ revertantur ; et electus ab eis archiepiscopus consecrationem et pallium a se, et non ab alio accipiat : utque legato quædam verbis relaturo fidem adhibeant.

Reverendissimis et sanctissimis episcopis VITALI Adransi, DOMINICO Absarensi, cæterisque episcopis Dalmatinis, seu JOANNI archipresbytero sanctæ sedis Salonitanæ, omnibusque sacerdotibus et senioribus populi habitatoribus Spalatensis civitatis, atque Zadarensis, cæterarumque civitatum.

Pastorali sollicitudine moti, vos quasi oves Dominicas nobis in beato Petro apostolorum principe commissas, dicente Domino : *Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas* (*Joan.* XXI), licet pro assidua gentium persecutione nunc usque impediti, his modo apostolatus nostri litteris visitare curavimus, admonentes fraternitatem vestram ut, more præcessorum vestrorum, ad sedem beati Petri apostoli, quæ caput et magistra est omnium Ecclesiarum Dei, et ad nos, qui ei divinitus præsidemus, toto animo libentique voluntate reverti studeatis, quatenus inde summi honorem sacerdotii, totius institutionis ecclesiasticæ formam sumatis, unde parentes ac præcessores vestros melliflua sanctæ prædicationis et doctrinæ apostolicæ potasse fluenta recolitis. Reminisci namque debetis quanta eosdem præcessores vestros prospera evidentissime comitabantur, quando ad limina Petri cœlestis regni clavigeri devoto pectore quasi proprii filii confluebant ; et quanta postmodum nunc usque sustinueritis adversa, cum ab ea vos quasi alienos separare non dubitastis. Quapropter vos plurimum diligentes, non ea quæ vestra, sed vos quærentes, paterna benignitate monemus atque hortamur ut, sicut diximus, ad gremium sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ redire ovanter attendatis, ut electus a vobis canonice archiepiscopus una cum vestro omnium consensu, et voluntate ad nos veniens gratiam episcopalis consecrationis sacrumque pallium a nobis more pristino incunctanter percipiat, ut gratiam et benedictionem

S. Petri ac nostram habentes, a malis omnibus liberi, et bonis universis repleti, et hic in præsenti seculo gaudeatis, et in futuro cum Domino sine fine procul dubio exsultetis. Porro si aliquid de parte Græcorum vel Sclavorum super vestra ad nos reversione vel consecratione aut de pallii perceptione dubitatis, scitote pro certo quoniam nos secundum sanctorum Patrum decessorumque nostrorum pontificum statuta vos adjuvare auctoritate curabimus. Quod si forte hanc nostram apostolicam admonitionem, imo canonicam præceptionem, pro nihilo ducentes, ad sedem apostolicam Romanæ Ecclesiæ redire, et inde secundum antiquam normam, consecrationem episcopalem sacrumque pallium recipere contempseritis, omni ecclesistica vos communione scitote penitus excommunicandos. Interim tamen B auctoritate Dei et sancti Petri vobis præcipimus ut non habeatis licentiam aliunde consecrationem palliumque recipere. Nam si feceritis, quasi transgressores et inobedientes vos sine dubio judicabimus. Hanc autem nostri apostolatus epistolam fraternitati vestræ per hunc præsentem Joannem venerabilem presbyterum, fidelem familiarem nostrum, direximus, cui scilicet aliqua injunximus vobis verbo tenus referenda, et ideo illi omnia quæ de parte nostra dixerit vobis, credere nullatenus dubitetis. Ipsamque epistolam, ut ad omnium vestrum notitiam ferant, bulla nostra jussimus in calce signari. Data x die mensis Junii, indictione xii.

CCXXXV.

AD TRES ARCHIEPISCOPOS.

(Anno 879.)

Ut Nemausensem episcopum a monasterii cujusdam iniqua invasione removeant, et si non paruerit excommunicent.

ROSTAGNO archiepiscopo Arelatensi, SIGIBODO archiepiscopo Narbonensi, ROTBERTO archiepiscopo Aquensi, a paribus.

Veracium relatione comperimus Gibertum Nemausensem venerabilem episcopum, quod quoddam monasterium nostrum, quod super eumdem episcopum acquisivimus, ipse Gibertus temere invaserit, omnesque res ipsius monasterii per suos homines distribuerit, et illius monachos inde contra sacras regulas omnino expulerit. Quod tantum nobis displicuit, quantum sicut ipse nobiscum advertis, calcata reverentia venerandorum canonum, contra privilegium apostolicæ sedis eum fecisse non ambigis. Quapropter fraternitati tuæ dirigimus ut vice nostra cum confratribus et coepiscopis nostris junctus eumdem Nemausensem episcopum ad commune colloquium convocetis, et ex auctoritate nostra conveniatis, ut ab omni invasione ipsius monasterii tam se quam suos removeat, et ulterius nec res ejus nec monachos illic Domino famulantes molestare præsumat. Quod si ipse surda aure, quod absit, per vos monita nostra audierit, tunc ex auctoritate B. Petri apostoli cui idem monasterium pertinet, simul et nostra, illum a ministerio sacerdotali excommuni- A cœpto [illegible], quousque dum ait ab ipsa invasione se subtrahat, aut ad sedem apostolicam vel ad nostram præsentiam nobis satisfacturus occurrat. Agat in his sanctimonia tua sicut illam agere decet, ut et nos Deo laudes et tibi gratias referamus. Data xviii Kalend. Julias, indict. xii.

CCXXXVI.

AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

(Anno 879.)

De legatione ac muneribus missis gratias agit: dolet cum defecisse ab Ecclesia Romana, ad quam monet ut revertatur; ostendit Græcos Bulgarorum diœcesim, cum sit Romani pontificis, contra canones detinere.

Dilecto ac spiritali filio MICHAELI glorioso reg[i] Bulgarorum.

Multas regiæ excellentiæ vestræ gratias agimus B quia sicut charissimus filius divino repletus amor[e] paternitatem nostram per Functicum eximium fide[lem] vestrum visitare missisque donis honorare cu[]rasti, per quem tuæ salutis incolumitatem omnium[que] fidelium tuorum audientes prosperitatem, vald[e] sumus gavisi. Nos autem et nostris assiduis precibu[s] ante sacratissimum B. Petri apostolorum princip[is] corpus astantes, et te et omnes principes tuos om[]nemque populum tuum Jesu Christo Domino sem[]per commendare studemus, et benedicimus tibi, omni populo tuo, omnique regno tuo, ut et a visib[i]libus et invisibilibus hostibus liberatus, Deiq[ue] auxilio adjutus, inimicorum tuorum semper victo[r] existas, et ad palmam supernæ vocationis glorios[e] pertingas. Ut ipse qui gratiæ suæ largitate et r[e]C gnum tibi terrenum concessit, et illuminando ocul[os] mentis tuæ viam veritatis ostendit, et de tenebris a[d] veram lucem perduxit, usque ad finem in eade[m] sancta fide et bonis operibus perseverantes salvos incolumes dignetur perducere, ut post finem præ[]sentis vitæ, per intercessiones sanctorum apostol[o]rum Petri et Pauli, regnum valeas cœleste perc[i]pere; in quo illa omnia bona, quæ oculus non vid[it] nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderu[nt] cum sanctis omnibus simul accipias, quæ diligen[ti]bus se ab origine mundi præparavit omnipote[ns] Dominus (*I Cor.* ii). Sed non modica nos tristit[ia], o fili charissime, replevisti, quia sedem beati Pet[ri] cœlestis regni clavigeri, qui tibi in manifesta visic[ne] apparuit et opportunum auxilium præbuit, reliq[ui]D sti, cum ipsa sedes caput et magistra sit omni[um] Ecclesiarum Dei, ad cujus auctorem beatum Petr[um] a Domino dictum est: *Pasce oves meas* (*Joan.* xx[i]) et cui traditæ sunt claves regni cœlorum, ut qu[æ]cunque ligaverit super terram, ligata maneant et cœlis; et quæcunque solverit super terram, sint [so]luta et in cœlis (*Matth.* xvi). Revertere jam, [] amantissime, ad sanctam matrem tuam Roman[am] Ecclesiam, quæ te religioso utero genuit, et [] quam totius religionis et justitiæ formam, san[cto] prædecessore nostro Nicolao præsule mittente, s[us]cepisti; et quæ omnium gentium retinet princi[pa]tum, et ad quam totius mundi, quasi ad unam r[]

trem et unum caput, conveniunt nationes. Noli amplius deserere matrem tuam, quia illa tui non obliviscitur; quin potius quasi unicam diligit, et semper memoriam tui coram Domino facit. Non enim licitum fuit Græcis alterius parochiam usurpare, sanctis hoc Patribus apertissime prohibentibus. Et idcirco ipsi contra canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos nostras retinent diœceses. Quos si pro tuo nobis non esset amore, jam per apostolicam sententiam inde compelleremus exire. Data *ut supra*.

CCXXXVII.

AD ANASTASIUM ABBATEM.

(Anno 879.)

Præcipit ut cellulam Gauderico episcopo reddat.

Anastasio religioso abbati.

Monemus religionem tuam et expresse præcipimus ut, omni remota occasione et dilationis inventione, cellulam S. Valentini in Sabinis positam, quam a Gauderico venerabili episcopo abstulisti, ei continuo reddas, usque in nostram præsentiam, ut nec suum laborem perdat, nec pro eo quod ex hinc nos addit, sibi obesse, quin potius prodesse cognoscat: quod etiam tibi faciendum per præsentem cubicularium nostrum mandamus, ut aliter nullo modo facias; cum autem te nobis exhibueris, si merito sua negligentia fortasse ipsam cellulam amisit, nos eum contra justitiam defendere nolumus; sicut nec illum innocentem perpeti damna permittimus. Data *ut supra*.

CCXXXVIII.

AD TUVENTARUM DE MARAUNA.

(Anno 879.)

Hortatur ut, omnem falsam doctrinam rejiciens, in Romanæ Ecclesiæ fide maneat: miratur Methodium aliter quam fuerat professus docere, et propterea a se vocatum fuisse significat.

Tuventaro de Marauna.

Scire volumus, quia nos qui per Dei gratiam B. Petri apostolorum principis vicem tenemus, pio amore vos quasi charissimos filios amplectimur et paterna dilectione amamus, nostrisque assiduis precibus vos omnes Jesu Christo Domino commendamus, orantes semper pro vobis, ut Deus omnipotens, qui corda vestra illuminavit et ad viam veritatis perduxit, in bonis operibus confirmet et usque ad finem in recta fide bonaque actione decoratos vos atque incolumis dignetur perducere. Quod autem, sicut Joanne presbytero vestro, quem nobis misistis, referente didicimus, in recta fide dubitetis, monemus dilectionem vestram ut sic teneatis, sic credatis, sicut sancta Romana Ecclesia ab ipso apostolorum principe didicit, tenuit et usque in finem sæculi tenebit, atque per totum mundum quotidie sanctæ fidei verba rectæque prædicationis semina mittit, et sicut antecessores nostros, sanctos videlicet sedis apostolicæ præsules, parentes vestros ab initio docuisse cognoscitis. Si autem aliquis vobis vel episcopus vester vel quilibet sacerdos aliter annuntiare aut prædicare præsumpserit, zelo Dei accensi omnes uno animo unaque voluntate doctrinam falsam abjicite, stantes et tenentes traditionem sedis apostolicæ. Quia vero audivimus quia Methodius vester archiepiscopus ab antecessore nostro, Adriano scilicet papa, ordinatus, vobisque directus, aliter doceat quam coram sede apostolica se credere verbis et litteris professus est, valde miramur; tamen propter hoc direximus illi ut absque omni occasione ad nos venire procuret, quatenus ex ore ejus audiamus utrum sic teneat et credat sicut promisit, aut non. Data *ut supra*.

CCXXXIX.

AD METHODIUM ARCHIEPISCOPUM PANNONIENSEM.

(Anno 879.)

Præcipit ut ad se veniat, ut de ejus doctrina cognoscere possit. Missas Sclavonica lingua celebrari prohibet.

Reverendissimo Methodio archiepiscopo Pannoniensis Ecclesiæ.

Prædicationis tuæ doctrinis populum Domini tibi, quasi spiritali pastori, commissum salvare instruereque cum debeas, audivimus quod non ea quæ sancta Romana Ecclesia ab ipso apostolorum principe didicit et quotidie prædicat, tu docendo doceas, et ipsum populum in errorem mittas. Unde his apostolatus nostri litteris tibi jubemus ut, omni occasione postposita, ad nos de præsenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus et cognoscamus utrum sic teneas et sic prædices sicut verbis et litteris te sanctæ Romanæ Ecclesiæ credere promisisti, aut non, ut veraciter cognoscamus doctrinam tuam. Audimus etiam quod missas cantes in barbara, hoc est, in Sclavina lingua; unde jam litteris nostris per Paulum episcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus ne in ea lingua sacra missarum solemnia celebrares, sed vel in Latina, vel in Græca lingua, sicut Ecclesia Dei toto terrarum orbe diffusa et in omnibus gentibus dilatata cantat. Prædicare vero aut sermonem in populo facere tibi licet, quoniam Psalmista omnes admonet Dominum gentes laudare (*Psal.* CXVI), et Apostolus: *Omnis*, inquit, *lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II). Data *ut supra*.

CCXL.

AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

(Anno 879.)

Arguit quod sedi apostolicæ obediens non fuerit, ejusque legatos injuriose tractarit, et excommunicatus missas celebrarit. Ideo monet ut ad synodum se purgaturus quamprimum vel per se vel per legatos accedat.

Ansperto archiepiscopo Mediolanensi.

Tantis, heu, proh dolor! transgressionibus inveniris obnoxius, quantis nullus de Ecclesia Mediolanensi aliquo modo est inventus: in primis quod nostri operis atque laboris noluisti socius esse ac particeps, sed apostolicæ sedi proterve, inobedienter ac procaciter resultasti; deinde legatos nostros Joannem Ticinensem et Walpertum Portuensem episcopos

e latere nostro ad te directos non suscipiens, præforibus portæ diu tibi nostræ commonitionis verba facientes, quatenus nobis, aut per te, aut per legatum tuum, tuam more prædecessorum tuorum condignam obedientiam exhibere debuisses, irreverenter stare fecisti, nullamque illis reverentiam vel auditum accommodare dignatus, sed sicut aspis surda contra charitatis affectum viscera cordis et aures valide obturasti. Pro quibus et his similibus te tandiu communione privavimus missarumque celebratione, donec nobis occurreres, et aut per te aut per vicarium tuum cuncta errata corrigeres, et sic te demum personaliter in nostrum consortium admitteremus. Sed in despectum et injuriam paternorum canonum excommunicatus a nobis, sacrum ministerium agere missamque celebrare præsumpsisti; de quo sollicite voluimus parcere tuæ senectuti perquirentes; sed adeo verum esse deprehendimus ut præsentium [a] videtur, videlicet presbyter lator non fuerit ausus coram collegio coepiscoporum pro vobis hoc satisfacere. Quapropter quia, Domino auxiliante, secundum statuta canonum circa autumni tempus synodum sumus celebraturi, ad quam te volumus, omni occasione postposita, sine mora venire aut legatos dirigere, et dum, Christo opitulante, perpetrata transgressionis purgaveris, te in communionem omnimodis recipiemus. Data *ut supra*.

CCXLI.

AD ANGELBERGAM AUGUSTAM.

(Anno 879.)

Significat se modo absolvere nolle Anspertum archiepiscopum; sed si in synodo crimina quæ objiciebantur, diluerit, tunc eum excommunicatione absoluturum: ait se pro Ludovico imperatore in anniversario ejus die sacra facturum.

Dilectæ ac spiritali filiæ ANGELBERGÆ imperatrici.

Pio affectu petitionis vestræ preces quibus nos super absolutione excommunicationis Ausperti Mediolanensis archiepiscopi precata es exaudire, secundum collatam nobis ligandi solvendique divinitus potestatem, non prætermitteremus, et maxime propter annuam commemorationem divæ memoriæ domini Ludovici, quondam imperatoris Augusti, quæ in proximo celebranda est; sed quia synodali eum decreto pro suis negligentiis et præsumptionibus, sicut ipsa bene cognoscis, excommunicavimus, absque eorumdem fratrum et coepiscoporum nostrorum, cum quibus in eum excommunicationis sententiam promulgavimus, consensu et voluntate nunc absolvere nolumus; ne ab his qui vel desiderio, vel negligentia ecclesiasticam disciplinam contemnunt, et multa non præsumenda præsumunt, canonicum parvipendatur judicium. Porro cum ad nominatam synodum, quam secundum sacros canones Spiritu Dei conditos quarto Idus Octobris, Domino annuente, celebraturi erimus, vel ipse venerit, vel e latere suo venerabiles confratres et coepiscopos suos direxerit, qui nobis et sanctæ synodo de his quæ illi objecta sunt, idonee satisfaciant, tunc post veram satisfactionem ab omni eum excommunicationis nexu procul dubio absolvemus, et quasi fratrem et comministrum in nostræ communionis consortio incunctanter habebimus. Et ideo pro prædicta annua commemoratione ipsius domini et senioris vestri ne turbemini quod modo vos pro absolutione præfati achiepiscopi non audivimus, nam in eodem die quo ipse de sæculo migravit, pro animæ illius requie sempiterna sacrificium erimus Domino oblaturi; etiam et pro anima Supponis, fraterna moti compassione, omnipotentem Dominum deprecamur ut suorum absolutionem valeat percipere delictorum.

CCXLII.

AD LUDOVICUM REGEM.

(Anno 879.)

Gratias agit de propensa voluntate erga Romanam Ecclesiam: hortatur ut ad eam a paganorum incursionibus defendendam veniat, eique tacite imperium pollicetur.

Dilecto ac spirituali filio LUDOVICO glorioso regi.

Vestræ regiæ serenitatis mellifluis relectis apicibus, quos per Astaldum insignem comitem vestrum nobis mandastis, quantam devotionem ac sincerissimam voluntatem exaltandi et defendendi Ecclesiam Dei, more videlicet parentum vestrorum gloriosissimorum imperatorum habeatis, luce clarius novimus. Unde valde gavisi existentes, maximas excellentiæ vestræ agimus gratias, quia nobis inter tot angustias et persecutiones, quas a paganis assidue supra modum patimur, vestræ invictæ potentiæ auxilium defensionisque solatium pia duntaxat animi devotione conferre omnimodis cupiatis. Ideo, fili charissime, nostræ apostolicæ admonitioni aurem clementiæ vestræ ut accommodetis obnixe precamur, ut citius nobis vestro potenti brachio subvenire studeatis, quatenus sanctam Dei Ecclesiam, in magna nunc fluctuatione positam, ad portum salutis et tranquillitatis efficaciter perducatis, et terram perditam per vos, Deo propitio, ad pristinam revocetis incolumitatem, ut ex hoc et apud omnipotentem Dominum dignam valeatis mercedem recipere, et in præsenti sæculo laudabile nomen omnimodo acquiratis. Quapropter scitote pro certo quia nullus parentum vestrorum tantam gloriam et exaltationem a prædecessoribus nostris percepit, quantam nos vobis, si veneritis, totis multipliciter viribus desideramus impendere. Porro de hoc quod mandastis, ut pro eventu regni Ludovici piæ memoriæ nepotis vestri præpediti existatis, pro multo quod circa vos videndi desiderium habemus turbati manemus; sed vestra fisi benignitate petimus ut, omni cura remota, pro amore Dei et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, nostræ petitionis sollicitudinem pio pectore vestro alacriter assumatis, ut sicut sedes apostolica, quæ caput est omnium Ecclesiarum Dei, vos magno desiderio quasi

[a] Legendum videtur, *præsentium videlicet presbyter lator*, subintellige *litterarum*, et verbo *videtur* expuncto, quod natum est ex repetitione sequentis adverbii, *videlicet*. HARD.

unicum et charissimum filium præstolatur, vestra speciali visione celeriter perfruatur; quoniam si, Deo favente, Romanum sumpseritis imperium, omnia vobis regna subjecta existent. Nam si pleniter sciretis quanta nos undique mala, quæ pro multitudine scribere nequivimus, opprimunt et affligunt, tantum in vestra cognoscimus sapientia quod per vestram magnitudinem jam maneremus defensi. Deus te incolumem custodiat, charissime fili. Data *ut supra.*

CCXLIII.

AD BASILIUM, CONSTANTINUM ET ALEXANDRUM IMPERATORES.

(Anno 879.)

Imperatorum precibus commotus, ut pax sit Ecclesiæ Constantinopolitanæ, dispensat cum Photio ut in Ingatii locum Constantinopolitanæ Ecclesiæ patriarcha subrogetur, statuens ne deinceps quisquam ad patriarchalem dignitatem, nisi per gradus ecclesiasticos ascendant: jubet patriarcham Constantinopolitanum Bulgarorum diœcesim sub Ecclesiæ Romanæ jurisdictione relinquere, monet omnes ut patriarchæ debitum præstent obsequium: præcipit ut ad Ecclesiæ communionem eos qui a Methodio et Ignatio initiati fuerant, admittant; excommunicat illos qui cum Photio noluerint communicare.

Dilectissimis ac excellentissimis spiritualibus filiis nostris BASILIO, CONSTANTINO et ALEXANDRO, gloriosissimis imperatoribus semper Augustis.

[a] Inter claras sapientiæ mansuetudinis vestræ laudes, o Christianissimi principes, aliquod cum puriore luce summæ devotionis lumen longe lateque resplendet, quod amore fidei, quod charitatis studio, disciplinis ecclesiasticis edocti, Romanæ sedi reverentiam more prædecessorum vestrorum piissimorum imperatorum conservatis, et ejus cuncta subjicitis [b] auctoritati: ad cujus auctorem, hoc est apostolorum omnium principem, Domino loquente, præceptum est: *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Quam esse vere omnium Ecclesiarum Dei caput et beatorum Patrum præcipuæ regulæ, et orthodoxorum principum statuta declarant, et pietatis vestræ reverendissimi apices attestantur. Nihil est enim quod lumine clariore præfulgeat, quam pia devotio et recta fides in principe. Et quia pontificii nostri reverentiam hoc ardore mentis, hoc religionis studio luculenter vestris mellifluis litteris exoratis id nos ratione seu temporis necessitate inspecta, cum sedis apostolicæ nobis commissæ consensu et voluntate perficere jure apostolico decet.

Igitur petistis a nobis quatenus, sede apostolica suæ pandente viscera pietatis, Photium reverendissimum in patriarchatus honore, in summi sacerdotii dignitate et in ecclesiastici collegii societate reciperemus, nostræque communionis participem faceremus, ne Ecclesiam Dei, tanto jam tempore perturbatam, pateremur amplius manere divisam scandaloque commotam. Nos itaque, serenitatis vestræ preces congrua ratione admittentes, quia [c] Ignatium piæ memoriæ patriarcham de præsenti vita jam migrasse cognoscimus, temporis ratione perspecta, hoc modo decernimus ad veniam pertinere quod nuper de ipso Photio, licet ipse absque consultu sedis nostræ officium sibi interdictum usurpaverit [d], gestum constat fuisse.

Nos statutis apostolicis non præjudicantes, nec beatorum Patrum regulas resolventes, quin potius multiplicibus earum auctoritatibus freti, qui Nicæni concilii capitulo secundo apertissime dicunt: Quoniam plura aut per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus, adversus ecclesiasticam facta sunt regulam. Hinc et Gelasius papa dicit, quod ubi nulla perurget necessitas, constituta Patrum inviolata serventur [e]. Et sanctus Leo eodem spiritu præcipit omittendum esse et inculpabile judicandum quod necessitas intulit. Inde et Felix præsul, decessor noster, in sua decretali epistola voce consona dicit, aliter tractandam esse necessitatis rationem et aliter voluntatis. Inde etiam sanctum concilium apud Africam gestum capitulo tricesimo quinto jubet ut clerici Donatistarum in Ecclesia, propter Ecclesiæ pacem et utilitatem, si correcto concilio ad catholicam unitatem transire voluerint, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur, non ut concilium quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur, in quo videlicet concilio statutum est ut ordinati in parte Donati, si ad catholicam partem transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis. De hoc etiam beatus papa Innocentius dicit capitulo quinquagesimo quinto (*epist.* 27), quod ii qui a Bonoso hæretico ordinati sunt, propterea sint recepti, ne scandalum remaneret Ecclesiæ.

Nunc itaque aliis patriarchis, Alexandrino videlicet et Antiocheno et Jerosolymitano, atque omnibus archiepiscopis, metropolitis, episcopis et sacerdotibus, cunctoque clero Constantinopolitanæ sedis, qui de ordinatione beatæ memoriæ Methodii et Ignatii reverendissimorum patriarcharum existunt, una voluntate, parique voto consentientibus, eumdem Photium satisfaciendo [f], misericordiam coram synodo secundum consuetudinem postulantem, in vera dilectione fratrem, in pontificali officio comministrum (atque coram synodo misericordiam quærendo) in pastorali magisterio consacerdotem, pro Ecclesiæ Dei pace et utilitate, amodo, Christo favente, recipimus et habemus.

Quia et vos Christianissimi imperatores Augusti, qui sanctæ reipublicæ clementissimo affectu gubernatis imperium, pro Christo fungi legatione videmini (*II Cor.* v), dum pro pace rogatis Ecclesiæ, et nos quibus, secundum Apostolum omnium Ecclesia-

[a] Hæc epistola a Photio est corrupta, locis infra designatis. Vide notam Sev. Bin. ad calcem epistolæ,

[b] Ista de auctoritate Romanæ Ecclesiæ Photius in sua translatione non posuit.

[c] Nomen Ignatii sustulit Photius, alia attexens.

[d] Mutavit hæc in contrarium sensum Photius, ut vim passum se recepisse hanc sedem ab imperatoribus dicat.

[e] Gelasius, ep. 6: *Necessitatis tempore locum habet dispensatio.*

[f] Omnia ista delevit Photius, de venia coram synodo petenda.

rum Dei sollicitudo incumbit (*II Cor.* XI), controversiam aliquam in Ecclesia Dei amplius remanere nolentes, hunc ipsum patriarcham cum omnibus sive episcopis, sive presbyteris, seu cæteris clericis et omnibus laicis, in quos judicii fuerat censura prolata, ab omni ecclesiasticæ sanctionis vinculo absolvimus, sanctæque Constantinopolitanæ Ecclesiæ judicamus recipere sedem, Dominicique gregis esse pastorem, illa scilicet potestate fulti, quam Ecclesia toto orbe diffusa credit nobis in ipso apostolorum principe a Christo Deo nostro esse concessam, eodem Salvatore beatum Petrum apostolum præ cæteris specialiter delegante : *Tibi dabo claves regni cælorum, et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cælis ; et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cælis* (*Matth.* XVI). Sicut enim ex his verbis nihil constat exceptum, sic per apostolicæ dispensationis officium et totum possumus procul dubio generaliter alligare, et totum consequenter absolvere, præcipue cum ex hoc magis præberi cunctis oporteat apostolicæ miserationis exemplum.

Nam et legati sedis apostolicæ ab antecessore nostro, Adriano videlicet almifico præsule, Constantinopolim directi, synodo ibidem peractæ usque ad voluntatem sui pontificis vigilanti studio subscripserunt........nec ab apostolico manere : quia sedes beati Petri cœlestis regni clavigeri potestatem habet, ligata quælibet pontificum congrua æstimatione absolvere. Quippe cum constet multos jam patriarchas, hoc est Athanasium et Cyrillum Alexandrinos, Flavianum et Joannem Constantinopolitanos, et Polychronium Jerosolymitanum synodice damnatos per apostolicæ sedis postmodum absolutionem restitutos incunctanter fuisse.

Eo tamen tenore ista statuentes, apostolica duntaxat auctoritate et sanctorum Patrum venerabilibus institutis decernimus ut post hujus patriarchæ obitum, nullus de laicis vel curialibus in patriarchatus eligatur vel consecretur honore, nisi de cardinalibus presbyteris et diaconibus Constantinopolitanæ sedis, secundum sacros canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos ; quia nec præpropere contra canones ecclesiasticos, decretaque majorum cito quilibet lector, cito acolythus, cito diaconus, cito sacerdos vel episcopus fiat, qui in minoribus officiis sic diu perdurent, et vita eorum pariter et obsequium comprobetur, ut per tempora a majoribus instituta, comprobatis prius moribus, et bonæ vitæ meritis refulgentibus, ad summum sacerdotium postmodum veniat. Quoniam non est subito præripiendum vel usurpandum, quod vita diu probata meretur accipere. Nam si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter curandum est ut in Domini domo nihil sit inordinatum, quanto magis elaborandum est ut in electione ejus qui supra omnes gradus constituitur, non erretur ? Nam totius familiæ Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non sit in capite ; et inde fiet ut omnis ecclesiastica disciplina resolvatur, omnis ordo turbetur. Et ideo hoc quod nos modo pro ecclesiastica unitate et pace quam Christus Dominus noster nobis dedit habendam utcunque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit [a].

Hoc etiam modo ista, excellentiæ vestræ precibus moti, fieri jubemus, si ipse patriarcha Bulgarorum diœcesin, quam piæ memoriæ Nicolaus præcessor noster, Michaele ipsorum rege petente, apostolicis doctrinis docuit, et per venerabiles epicopos suos lavit unda baptismatis, omnique ecclesiastica regula et disciplina prout oportebat instruxit, amodo suo juri vindicare vel remittere nullo modo præsumpserit, nec aliquam cujuscunque honoris ibidem ordinationem fecerit.... ibidem sunt illicite ordinati episcopi vel sacerdotes.... archiepiscopo, vel episcopis qui ibidem videntur existere...... sacrum pallium quo inter sacra missarum solemnia uti pontificibus solitum est, ipse patriarcha mittere præsumpserit.

Porro pro tantis perturbationibus, quibus, Ecclesia vestra longo jam tempore manet turbata, vestræ Augustali pietati, obnixe suggerimus ut Constantinopolitanum patriarcham digno honore venerantes, quasi patrem spiritalem, et utpote inter vos et Deum mediatorem præcipuum, divina vobis, per quæ ad regnum perveniatis æternum, sedule annuntiantem, pio semper affectu colatis, et ut condecet, in omnibus honoretis ; quia pro temporali, quem illi exhibetis, honore, vos et hic temporalem honorificentiam habebitis, et in æternum multiplicem procul dubio recipietis, ab illo nempe qui glorificantes se glorificare testatur (*I Reg.* II). Nec eorum verba falso prolata, qui scandalorum zizania super conspicuam segetem Domini seminare non cessant, vestra imperialis dignetur audire majestas, nec pro talium susurrationibus hominum, qui semper student scindere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi, quique linguis suis semper dolose agere non cessant, venenum aspidum portantes sub labiis suis (*Psal.* XIII), animum clementiæ vestræ adversus eum aliquatenus commoveatis, et summum sacerdotem vestrum Dei providentia in Ecclesiæ Christi regimine constitutum sic facile exhonoretis, quod nimirum sancto vestro imperio valde inhonestum et indecens esse videatur.

Præterea mandamus etiam, ut omnes episcopos et sacerdotes, seu cujuscunque ordinis clericos, qui de consecratione Ignatii bonæ memoriæ patriarchæ consistunt, sive in ipsa regia urbe manentes, sive alicubi extra, longe seu prope retrusos, clementi animo ad gremium et unitatem sanctæ Ecclesiæ revocetis, et ulnis extensis paterno affectu recipiatis et amplectamini, propriasque unicuique illorum jubeatis reddere sedes ; ut sicut una est fides, unum in nobis baptisma, et omnes unum sumus in Christo,

[a] Hic deest periodus, quam ex editione Romana suppleo : *Si quispiam id quod omnino interdicimus usurparit ; quia remissio peccati non dat licentiam iterum delinquendi ; nec quod potuit aliqua ratione semel concedi, fas erit amplius impune committi. Hoc etiam*, etc.

ita et isti qui ad unitatem et societatem Ecclesiæ Dei et corporis Christi redierint, et id ipsum dicentes perfectique existentes in eodem sensu, in eadem scientia, unus grex efficiantur, et unus pastor, nec audeant amplius dicere : *Ego quidem sum Cephæ, ego Pauli, ego autem Appollo* (*I Cor.* I), sed unius Christi veri Dei nostri, qui est pax nostra et fecit utraque unum, veniensque cœlestia cum terrenis pacificare dignatus est. *Qui idcirco semel pro peccatis nostris mortuus est, ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum* (*Joan.* XI, 52). Nec enim poterit unitatis eorum firma esse compago, nisi eos ad inseparabilem soliditatem vinculum charitatis astrinxerit : quatenus, Deo favente, absque omni perturbatione, vobis regnantibus salvi et securi persistentes, pro salute vestra et pro statu reipublicæ jugibus semper votis Dominum valeant deprecari.

Quod si forte quidam exstiterint cum eodem patriarcha communicare nolentes, admoneantur secundo et tertio ut sanctæ Ecclesiæ se unire procurent. Quod si acquiescere noluerint, in sua pertinacia manere volentes, sacra eos communione, his præsentibus missis nostris una cum synodo jussimus privare, quousque ad suum redeant patriarcham et ad sanctæ Ecclesiæ unitatem, cum præcipue ipsi episcopi a nobis sint canonice excommunicati. Et ideo si eos in consortium suum receperit, aliquamve cum eis communionem habuerit, simili modo eumdem patriarcham cum ipsis episcopis ecclesiastica communione judicamus esse privatum. Data mense Augusto die decima sexta [a], indictione duodecima.

Missa per Petrum presbyterum.

ADNOTATIO SEVERINI BINII.

De præcedentis epistolæ a Photio adulteratione.

Qua occasione hanc de Photii absolutione et restitutione epistolam pontifex scripserit, diximus supra in notis ad Vitam Joannis papæ VIII. Hæc in codice Vaticano charactere Longobardo exarato, atque jam haud pridem, sed mendose nonnihil, cuso, scripta est.

Summa plane Dei providentia factum est ut ejusmodi Joannis VIII papæ litteræ in nostrum usque tempus in ejus regesto, sive ut dicunt vulgo, registro integræ servarentur, nec sicut aliorum plurium pontificum epistolæ perderentur : ut ex his etiam ex Nicolai et Adriani epistolis Photius millies possit redargui imposturæ et falsitatis convinci. Ad usitatam impostor artem rediit falsandi litteras Romanorum pontificum, et fingere nova scripta, nam præter ea quæ plus satis de ipso dicta sunt sub Nicolao et Adriano pontificibus, et in synodo universali sunt proclamata, novæ rursus ab impostore prodiere falsitates, ut plane acciderit de his Joannis papæ litteris quod de suis, ab eodem Photio falsatis, Nicolaus in epistola ad Michaelem imperatorem exclamat, cum ait : *Ex his*, inquit, *quæ ibi in eorum lecta sunt, nonnulla addita, multa mutata, plura subtracta reperiuntur, et per omnia talis a vobis effecta est, ut aut nihil, aut parum aliquid nos per eam de crebro dicti comministri Ignatii disposuisse causa videamur.* Hæc tunc Nicolaus, quæ etiam nunc ab ipso Joanne repetenda essent, si vivens videre potuisset, ut Nicolaus, quomodo suas missas Constantinopolim litteras Photius addendo, minuendo atque mutando, male pessimeque habuisset.

Sed quorsum hæc ipse ? dices. Voluit scelestus quasi ex Joannis papæ litteris non solum suam restitutionem firmam roboratamque monstrare, sed et falsatis illis probare etiam auctoritate ejusdem pontificis octavam synodum œcumenicam esse damnatam ; probatam vero recentem ab ipso adversus eam Constantinopoli celebratam ; octavamque pariter nominatam in abolitione legitimæ octavæ œcumenicæ sub Adriano pontifice celebratæ. Ex quo grande malum illud evenit ut pro germana octava, a Græcis maxime, accepta sit synodus Photiana ; ut factum inter alios a Zonara est videre, qui in sua canonum collectione et interpretatione posuit loco octavæ œcumenicæ synodum Photianam sacrilegam : quam ipsam et Theodorus Balsamo universalem appellat, cujus et tres canones recitat ; sic et reliqua Græcorum schismaticorum colluvies. Tu igitur, lector, hic, amabo te, sede, arbiter veritatis, atque ex litteris Joannis papæ in Græcum a Photio redditis et recitatis in secunda actione suæ pseudosynodi, revocatis vero ad Latinitatem a Friderico Metio, origine Græco, sed pietate catholico atque fide Latino, modo ob virtutum atque doctrinæ prœstantiam creato Thermarum episcopo, veteratoris malas artes intellige. Exstat ipsa integra Photiana pseudosynodus Græce in scripto codice bibliothecæ Columnensis, quæ fuit cardinalis Sirleti, nota numeri quadragesimi, in quo sub actione secunda eadem epistola Joannis papæ recitatur ad imperatorem scripta adeo mutata, ut vix quis cognoscat eamdem esse Joannis, quam nuper recitatam audisti ; sic enim se habet :

« Joannes, servus servorum Dei, serenissimis dilectis filiis nostris spiritualibus, et Deo charis BASILIO, LEONI, et ALEXANDRO victricibus [*pro* victoribus. HARD.] imperatoribus et æternis Augustis. »

[b] « Puritas et splendor vestræ rectæ fidei, et morum probitas, et benignitas perfecta, o Christianissimi et maximi imperatores Romanorum, luminum instar in medio terræ micantes usque ad omnes fines, ad quos universus orbis, extenduntur et splendent. Non enim sola recta fide præstantes, in aliis rebus vos oscitanter habetis, sed potius super vestram irreprehensibilem fidem superædificatis non lignum aut herbam, aut arundinem, sed pretiosos lapides aurum et argentum, et ut breviter dicam omnia alacri studio perficitis, quibus cognoscitis Deo rem gratam facere. Nihil vero Deo gratius esse dignoscitur quam ut universæ ejus Ecclesiæ quascunque sol respicit, recta fide et mutua inter se dilectione et charitate viventes, illi singulis diebus gratias agant. Quapropter hanc unionem etiam in vestra Dei Ecclesia conspici et vigere vos percupientes, Romanam sanctam Ecclesiam per vestros legatos et sacras litteras adjutricem assumpsistis, pro certo habentes eam vobis futuram præsto ad id quod optastis. Neque vos primi id agere cœpistis, ut hanc rem excogitaretis, sed vestigiis prædecessorum vestrorum inhærentes ; in quanam schola, quærere est etiam dignum : a principe videlicet apostolorum Petro, quem Dominus omnium Ecclesiarum caput constituit, inquiens illi : *Pasce oves meas* (*Joan.* XX) ; nec non a sacris et orthodoxis sanctorum Patrum decretis atque doctrinis, quemadmodum sacræ et piæ vestræ litteræ testantur : id vero propterea facitis, quo magis vestræ fidei firmitas celebrata eluceat, et erga Deum dilectio sincera et efficax pateliat.

« Nihil enim aliud aptius et dignius contingere potest illis qui maximis dignitatibus et principatibus sunt constituti, quam rectæ fidei splendore et Dei dilectione præstare contendere ; et curare ut omnes qui cum eadem fide Deum venerantur, dilectionis etiam vinculo uniantur et constringantur. Quapropter vestris litteris alloquentes nos, et mellifluis verbis delectati, ignis instar accensi, cum universa

[a] Deest in editione Romana, *die decima sexta.*

[b] Ferme totum principium a Photio immutatum ; quod enim visum sit exile præconium imperatoris, voluit illud gloriosius prædicari.

nostra sanctissima Romanorum Ecclesia unanimes et concordes surreximus ad ea omnia quæ a vobis scripta sunt prompto et alacri animo peragenda. Scripsistis nobis, noster dilecte fili, ut nostra apostolica viscera misericorditer aperiremus, et omnes quotquot fuerint qui in vestra Ecclesia vel propriis chirographis vel alio quovis pacto prævaricati sunt, et canonicis censuris obnoxii sunt effecti, reciperemus et pacis et unionis curam haberemus. Quin etiam ante omnia Photium religiosissimum episcopum nostræ communionis hæredem et participem, et comministrum facientes, ad magnum episcopatus culmen et dignitatem, patriarchalem iterum constitueremus, ne Ecclesia Dei multo tempore schismatum Deo exosorum et malorum scandalorum fluctibus agitata permaneat.

« Nos vero vestræ serenitatis preces accipientes ut rationales et justas et Deo acceptas, et tempus jam præsto esse, quod antea quærebamus et invenire Deum precabamur, et rationi etiam congruum censentes Ecclesiam Dei tranquillam reddere misimus propterea legatos qui vestram perficerent voluntatem [a]. Et licet pietas vestra Photio vim inferendo nos prævenit, in illo restituendo videlicet, antequam nostri legati isthuc venissent, hæc tamen nos supplemus non auctoritate nostra, licet hoc etiam facere possimus, sed apostolicis constitutionibus et sanctorum Patrum decretis horum demonstrationem afferentes, neque Ecclesiæ regulas jamdiu traditas solventes, sed eas in quibuscunque, dum harum nimis exacta et immutabilis observantia servatur, divellit et destruit totam compagem corporis Ecclesiæ, ad quod conducit trahentes, ab ipsamet Ecclesia edocti. Secundus enim canon Nicænæ synodi hæc habet. Quoniam frequenter vel a necessitate vel alio quovis pacto coguntur homines ecclesiasticos canones transgredi, et quæ sequuntur. Nec non papa Gelasius de seipso inquit quod ubi vis non apponitur, sanctorum Patrum statuta inconcussa maneant. Similiter etiam sanctissimus papa Leo in eodem spiritu præcipit, dicens : Ubi vis non præcedit, immobilia permaneant sanctorum Patrum statuta ; ubi vero necessitas et vis reperitur, ibi ad id quod convenit Ecclesiis Dei, ille qui potestatem habet, dispenset. Ex necessitate enim, juxta divinum apostolum, etiam legis fit mutatio. Felix præterea papa consona etiam dicit : De hoc enim oportet animadvertere ut ubi necessitas contigerit sæpenumero etiam constitutiones Patrum transgredi liceat. Sancta etiam synodus Carthaginensis ait trigesimo quinto capite : Mandamus ut Donatistarum clerici iterum ad ecclesias revertantur, licet etiam a synodo fuerint damnati. Synodus etiam synodum abrogasse reperitur propter unionem Ecclesiæ et concordiam. Et Innocentius papa ait : Isti a Bonoso ordinati hæretico recipiantur, ne iterum scandala in Ecclesia Dei oriantur.

« Neque solum istis, licet tales essent ut ex illis fuissent ut hæretici damnati, apostolica tamen sedes Ecclesiæ pacis curam gerens manus adjutrices porrexit, verum etiam orthodoxis episcopis et patriarchis ad ipsam confugientibus, sicut nunc religiosissimus Photius, et auxilium implorantibus opem tulit. Nostis omnino magnum Athanasium episcopum Alexandrinum et Cyrillum et Polychronium Hierosolymorum, Joannem, quem dilectio vestra Chrysostomum appellat, Flavianum etiam Constantinopolitanum : hos enim a synodis damnatos et reprobatos, cum ad sanctam Romanam Ecclesiam confugissent, apostolica sedes hæc nostra confirmavit et ad priorem dignitatem restituit. Si igitur ex Donatistis et ex Bonoso ordinationem acceperunt, et ab Ecclesiæ catholicæ limitibus fuerunt ejecti a synodo numerosa, iterum ab alia synodo recipiuntur, et in sacerdotum numero collocantur, ut Ecclesia Dei indivulsa et a schismatibus integra et libera permaneat (nihil enim oculis Dei magis exsecrandum et abominabile conspicitur quam is qui schismatum auctor in ecclesiis exstiterit, et nihil jucundius vel charius etiam bonitati quam Ecclesiam suam integritatem, perfectum erga Deum amorem, et erga proximum dilectionem conservare), multo magis veros orthodoxa fide illustres, et vitæ gravitate et rerum peritia celebres, non oportet illos contemne [b], obnoxios pœnitentiæ jugo gravari, sed ad priorem dignitatem restituere.

[c] « Cum enim semel apostolica hæc sedes claves accepisset regni cœlorum a primo et magno pontifice Jesu Christo per principem apostolorum Petrum ; cum illi dixisset : *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis ; et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis* (*Matth.* XVI) ; habet facultatem omnes ligandi atque solvendi, et juxta prophetam Jeremiam, evellendi et plantandi (*Jer.* I). Hac de causa nos, auctoritate usi principis apostolorum Petri, cum universa Ecclesia [d] affirmamus vobis, et per vos etiam sanctissimis fratribus et comministris patriarchis, Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano, et reliquis episcopis et sacerdotibus, et universæ Constinopolitanæ, nos convenire et consentire vobis, vel potius Deo in omnibus quæ a nobis vos petistis. Et primum quidem nos recipere Photium admirabilissimum et religiosissimum archiepiscopum et patriarcham fratrem nostrum, et communionis cum sancta Romanorum Ecclesia consortem et participem, et hæredem, non solum propter alias virtutes quibus ille præstat, verum etiam propter scandala e medio tollenda, et pacem Dei, et dilectionem ad invicem inter nos firmandam. Recipite etiam ipsum vos certo et firmo animo, et charitate et fide, omne iniquitatis et malitiæ venenum, et duplicitatem et ambiguitatem de cordibus vestris avellentes, sicut ipsum recepit Romana Ecclesia.

[e] « Didicimus enim fere ab omnibus qui huc veniunt ex illis qui istic versantur, Photium omnibus prærogativis præstare coram Deo non solum sapientia et prudentia circa res divinas et humanas, verum etiam circa omnes virtutes morales, et curam divinorum præceptorum ; tanquam irreprehensibilem operarium celebrari. Neque justum duximus talem virum otiosum et inutilem permanere, sed in altum in vestra Ecclesia iterum elatum et lucentem consueta sibi et Deo dilecta opera exercere, tum erga sacerdotes, tum etiam erga episcopos. Quapropter eumdem resumentes sermonem, vobis dicimus : Suscipite virum istum absque ulla dubitatione.

[f] « Nec aliquis pro sui excusatione adducat injustas synodos adversus ipsum habitas, neque, ut multi stupidiores opinantur, decreta prædecessorum nostrorum beatorum pontificum, Nicolai videlicet et Adriani adversus Photium lata accuset ; non enim recepta fuerunt ab ipsis quæ contra sanctissimum Photium gesta fuerunt. Nullus per chirographa vestra occasionem sumat ad schismata fovenda cum illo et adinvicem : omnia enim jam sedata sunt et abrogata, omnia quæ contra Photium gesta sunt, irrita et nulla per nos minimos in manibus principis apostolorum reposita sunt, et per eum in humeros

[a] Addidit ista Photius, et mutavit in contrarium sensum quæ de seipso habebantur.

[b] Ex se hæc addidit Photius.

[c] Multa hic a Photio prætermissa noscuntur, quibus sedis apostolicæ auctoritas prædicatur, et Adriani prædecessoris legatio memoratur.

[d] Hæc omnia addita a Photio impostore.

[e] Additamentum item est impostoris totum quod sequitur.

[f] Sunt ista Photii additamenta contra synodos in ipsum celebratas.

Jesu Christi agni Dei qui tollit peccata mundi.

[a] « Recipite igitur ipsum apertis ulnis, fratrem videlicet nostrum comministrum. Recipite episcopum et Dei et irreprehensibilem. Recipite patriarcham vestræ Ecclesiæ. Confirmate erga illum dilectionem, fidem, et cum observantia obedientiam, et per hunc erga sanctam Romanam Ecclesiam eamdem confirmate. Qui enim illum non recipit, nec ea quæ a nobis et sancta Romanorum Ecclesia de illo decreta sunt, recipit; nec is adversus nos bellum suscipit, sed adversus sanctum Petrum apostolum vel potius adversus Christum ipsum Filium Dei, qui ita honoravit et glorificavit apostolum suum ut ipse ab eo haberet facultatem ligandi atque solvendi.

[b] « Hoc etiam rogamus pietatem vestram, ut in memoriam revocetis ex quo tempore scandala et schismata in vestram Ecclesiam ingressa sunt et eam integritatem corruperunt, horum malorum nullam aliam fuisse causam, nisi quod vos imperatores admisistis blasphemias et calumnias adversus pontifices et patriarchas vestros ac reliquos Dei sacerdotes, nec non quod vos parvipendistis dilectionem et fidem et honorem et observantiam erga illos. Rogamus itaque divinam potentiam vestram ut ex nunc aures obturetis imperii vestri a Deo electi calumniis et obtrectationibus adversus pontifices quas pravi illi homines et malis solum gaudentes vobis suggerere solent, et eos tanquam piacula et abominationes, iniquas verborum illorum sagittas repellere velitis : patriarchas autem vestros in honore habere, et quasi proprios patres existimare, tanquam Dei et hominum mediatores venerari. Ipsi enim vigilant pro animabus vestris, et quæ pro salute vestra faciunt vobis a Deo semper deprecantur, nec non, ut par est, pro iis quibus vos Deum offendistis errantes, sacrificia ipsi offerunt, ut vobis Deum placent, benevolum illum vobis reddentes. Neque id solum, verum etiam pro tranquillitate et duratione potentiæ vestræ, et pro victoria adversus hostes obtinenda Deum nostrum misericordem orant. Doctores, etiam et magistri, vobis existunt, dum vos admonent ut ea faciatis quibus regnum cœlorum acquiratis.

« Præterea vos præ aliis diligere noscuntur : non enim adulatorum amicitiam sectari sciunt vobiscum, adulatorum instar vos diligere, sed potius charitatem, quam ipsos docuit Christus Jesus per sanctos apostolos suos. Non oportet igitur vestros patriarchas a vobis contemni, tum propter ea omnia quæ prædicimus tum etiam ut juxta Domini præceptum illos diligatis. Nec vos lateat quod si hoc feceritis, non solum honores illorum consequemini, quos vos honoratis et colitis, sed illum potius qui eorum manibus in altari ministratur, videlicet Christum, qui pro peccatis omnium Deo offertur : qui enim illos honorat, Deum honorat; et qui illos aversatur et respuit, Deum ipsum respuit. Falsas itaque detractiones et obtrectationes, per quas zizania et schismata et scandala in Ecclesia Dei oriuntur, et dividunt inconsutilem Christi vestem, tanquam venenum aspidum, vestrum imperium vitet, et potius sanctissimo Photio fratri et comministro nostro opem ferat in omnibus quæ ad Ecclesiæ bonum regimen faciunt.

[c] « Eos etiam qui ipsum non quo par est honore habent, argue ut corrigantur; sæpe enim quos Dei timor et erga divina religio et pietas non correxit, A imperatorum et principum indignatio in eos irruens modestiores reddit. Idque si feceris, regnum tibi cœlorum comparare certo scito, et sempiternam imperii tui durationem et pacis confirmationem. Si vero id minus feceritis, pro certo habeatis quod nunquam schismata deerunt in Ecclesia Constantinopolitana.

[d] « De hoc etiam legem condere, tuum imperium a Deo custoditum monemus, ut post obitum sanctissimi Photii comministri et fratris nostri nullus e sæculari ordine ad pontificalem dignitatem eligatur, et ordinetur sed potius ex presbyteris cardinalibus, ex iis videlicet qui catholicæ Ecclesiæ sunt ascripti, vel ex ejus diaconis, vel aliis sacerdotibus, qui existunt sub sede Constantinopolitana, juxta sacros canones, ut ne contra ecclesiasticam regulam et sanctorum Patrum canones res vestræ peragantur. Procedere autem hunc volumus per singulos gradus Ecclesiæ satis probatum, [e] primum lectorem, deinde B acolythum, postea diaconum, deinde presbyterum et tandem episcopum, si tamen bonum habuerit testimonium de se pietate et scientia; quoniam dum inferioribus gradibus aliquod temporis spatium immoratur, ejus virtus et probitas agnoscit, et hoc pacto oportet vestros patriarchas progredi, non ex tempore præoccupare singulos gradus, ut in domo Domini nihil inveniatur incompositum et inordinatum. Qui enim supra omnes gradus collocatur, irreprehensibilis in omnibus oportet reperiatur.

[f] « Nec quia nos vestræ Ecclesiæ paci et quieti consulentes, Photium religiosissimum fratrem nostrum recipimus, sicut et papa Adrianus Tarasium ejus avunculum, hoc jam vobis pro consuetudine et regula usurpetur; quæ enim raro bona sunt, non possunt lex fieri multis et pro lege sumi. A Domino enim nostro Jesu Christo edocti, etiam nos viscera misericordiæ recipientes, condonavimus vobis petitionem vestram tum de Photio, tum de aliis sacerdotibus C ex altera ordinatione existentibus indultum concessimus. Quicunque vero in futurum ausus fuerit id iterum committere, pœnitentia ex canone a nobis absque ulla remissione et damnatio illi irrogabitur.

[g] « Rogamus etiam hoc pietatem vestram ut neque frater et comminister noster Photius sanctissimus, nec alius quispiam successorum ejus in futurum in Bulgaria ordinationes habeat, neque per pallium illuc missum, neque per defensorem prædictam provinciam Bulgarorum ut propriam ministret. In alieno enim solo non decet alios ædificare. Prædecessor enim noster Nicolaus felicis recordationis precibus principis Bulgariæ Michaelis apostolicis doctrinis gentem illam educavit, et per religiosos suos episcopos omnes ecclesiasticas regulas et canones, et quæcunque ad Christianam religionem pertinent cum illis tradidisset, eos perfecit : licet nonnulli audacter subripuerint nobis prædictam D provinciam, quæ ad eos non attinebat; ordinationes etiam et consecrationes ecclesiarum et omnia quæcunque facere minus oportebat, peregerint. Quapropter præter prædicta, et hoc etiam vobis notum facimus, ut, si aliquando episcopos ibi degentes contra nos aliquid delinquere deprehendemus, et canonicis pœnis illos subjiciemus, non habeant vos ad quos confugiant, sed potius vos inveniant in hoc nobis concordes nec dissentientes.

[h] « Oramus præterea imperium vestrum Christo

[a] Ejusdem falsarii sunt hæc verba supposita.

[b] Adjunxit et omnia ista quæ sub hoc capite continentur ad securitatem sui patriarchatus falsitatis architectus Photius.

[c] Censuit et ista Photius sui causa.

[d] Sunt ex Joannis epistola, licet habeat aliqua verba a Photio addita, ut illud : *Post obitum sanctissimi Photii*, etc.

[e] Cum prætermissos audis ostiarium et exorcistam a Latinis omnibus inter primos quatuor ordines annumeratos, sciat a Græcis corruptum locum.

[f] Sunt addita ista a Photio quæ hoc capite continentur.

[g] Sunt Joannis : sed nonnulla miscuit Photius.

[h] Delevit impostor vocem, *Vandamus*, et nomen Ignatii, et posuit *Oramus*, etc.

dilectum ut congregetis episcopos et presbyteros cujuscunque ordinis ecclesiastici et civilis qui a nobis dissentire videatur, ubicunque fuerint intra terminos vestros, eosque ad vos ducendos curetis, et moneatis ut ipsi uniantur Ecclesiæ Dei et Photio sanctissimo patriarchæ fratri et comministro nostro nobis unito. Proprias pontificales et sacras vestes, gradus etiam illis restituite, et viscera misericordiæ illis aperite, ut quemadmodum unus Deus, unum baptisma, una fides, ita et nos ipsi unum etiam in Christo, et per vestram piam doctrinam unum pariter nobiscum sint, et in Ecclesiæ Dei perfectione coordinati et conjuncti nobiscum in Christi sanctissimum corpus, ut in eadem mente et in eadem voluntate permanentes, Deum omnium glorificemus. Nec aliquis in posterum dicat : *Ego quidem sum Cephæ, ego vero Pauli* (*I Cor.* I) : sed ut omnes hoc dicamus quod Christi sumus crucifixi et mortui pro nobis, qui per suam passionem quæ in terris sunt et quæ in cœlis invicem conciliavit, et nos Deo conjunxit et Patri per se ipsum et mutua dilectione et communione. Si vero a vobis eos advocatos monentes et hortantes et orantes, ad unionem Ecclesiæ convenire vobiscum semel et iterum et sæpius obedire illi noluerint, neque nostris litteris obtemperare et suammet lucrari salutem, sed in priori sua pertinacia et temeritate permanserint istiusmodi homines, præcipimus ab immaculati corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi perceptione alienos fore, quousque uniantur sanctæ Dei Ecclesiæ, et Photio sanctissimo patriarchæ fratri et comministro nostro. Et postea : Hoc peracto quæ sequuntur justam illorum damnationem, in his litteris non scripsimus, ne amplius prorogaretur oratio præter modum, sud in commonitorio conscripsimus religiosissimi Petri presbyteri et cardinalis nostri legati, una cum Eugenio et Paulo religiosissimis episcopis, ut cum ipsis præsidens in synodo una cum sanctissimo Photio fratre et comministro. Dei oculum qui omnia videt et semper vigilat ante suos oculos habentes, et inevitabilem divinam justitiam et suam conscientiam immaculatam et inculpatam conservantes, omnes res Constantinopolitanæ Ecclesiæ et quæcunque indigent correctione, et quæ, ut par est, declinare debent, ut id quod melius est et conducibilius Dei Ecclesiæ, peragatur. Cœlestis imperator piam potentiam tuam custodiat. »

Hucusque ex Photiana versione Joannis papæ epistola. Cur autem in titulo Joannis epistolæ non insit Constantini nomen, id accidit quod, sicut ex Niceta dictum est, mortuus inter hæc fuerit Constantinus ipse Augustus primogenitus Basilii imperatoris.

Vidisti imposturas, lector, veritatis amator et cultor, exsecratus es procul dubio, quas in profano etiam homine, nedum sacerdote, et episcopo et patriarcha, sed et in ethnico, omnisque divinæ et humanæ legis experte barbaro improbare non possis ; totque falsitates admistas litteris non privati alicujus et ignoti hominis, sed ab apostolica sede ex episcoporum concilio datis ; nec ad vilem aliquem terræ filium, sed ad ipsum Orientis imperatorem, nec otiose vel leviter de rebus nullius momenti conscriptis, sed quæ maximi omnium ponderis essent ; ut merito tanti auctorem sceleris improbare et exsecrari, ipsumque facinus abominari atque horrere tanquam funestum aliquid ab imis inferis proditum a principe tenebrarum per filium tenebrarum nominetenus lucis angelum mentientem Photium, omnino debeas.

CCXLIV.

AD CONSTANTINOPOLITANOS.

(Anno 879.)

Jubet eos, schismate sublato, ad Ecclesiæ unitatem redire, et Photio communicare.

Eximiis viris JOANNI, LEONI et PAULO patriciis, atque STILIANO, JOANNI et METROPHANI reverendissimis metropolitis, et cæteris sacerdotibus, seu cujuscunque ordinis clericis seu laicis.

Omnium Ecclesiarum Dei secundum Apostolum sollicitudinem habentes, et pastoris gregis Dominici nobis in ipso apostolorum principe curam commissam gerentes, Domino dicente : *Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas* (*Joan.* XXI), condolemus vobis ; quoniam multis jam labentibus annis usque ad præsens in discordiæ divisione et in scandalorum perturbatione vos videmus promptos manere, nec per charitatis custodiam ad unitatem Ecclesiæ reverti. Quam videlicet unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, Patris et Filii fidem non tenet, vitam non tenet nec salutem. Hoc denique unitatis sacramentum, hoc concordiæ vinculum inseparabiliter cohærens ostenditur, quando in Evangelio tunica Domini nostri Jesu Christi non dividitur omnino, nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, quis potius Christum indueret, integra vestis accipitur, et incorrupta, atque indivisa tunica possidetur. Possidere enim non potest indumentum Christi, qui scindit et dividit Ecclesiam Christi. Quis ergo sic sceleratus et perfidus ? quis sic discordiæ furore vesanus ? Quis aut credat scindi posse aut audeat scindere unitatem Dei ? vestem Domini ? Ecclesiam Christi ? Monet ipse in Evangelio suo dicens : *Et erit unus grex, et unus pastor* (*Joan.* XVI). Apostolus autem Paulus hanc eamdem nobis insinuans unitatem, hortatur dicens : *Obsecro vos per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia* (*I Cor.* I). Et iterum dicit : *Sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis* (*Ephes.* IV); quoniam nec habere pacem cum Deo poterit, qui cum fratribus pacem per zeli discordiam non habuerit. Quam igitur sibi pacem promittunt inimici fratrum ? Quæ sacrificia celebrare se credunt sacerdotes, charitatis Dei qui non sunt veste induti? Pacem nobis Christus dedit : *Pacem*, inquit, *meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV) ; concordes atque unanimes esse præcepit ; dilectionis et charitatis fœdera incorrupta atque inviolata mandavit. Et ideo vestram salutem cupientes, monemus, et apostolica benignitate jubemus, vos omnes sanctæ Ecclesiæ uniri, vestroque patriarchæ, Photio videlicet, quem pro Ecclesiæ Dei pace et unitate recepimus, adhærere communicareque studete. Nam si hæc nostra apostolica monita, tantis supradictis testimoniis divinis firmata, audire contempseritis, in vestra pertinacia manere volentes, scitote quia missis nostris præcipimus tandiu vos omni ecclesiastica communione privare, quandiu ad unitatem corporis Christi et ad vestrum contempseritis redire pontificem. Nec aliquis vestrum hanc habeat in redeundo excusationem, pro scripturis de hac causa compositis, quia divina potestate, quam accepit Ecclesia Christi, cuncta solvuntur vincula, quando per pasto-

ralem auctoritatem quæ fuerant ligata solvuntur ; quoniam, sicut dicit sanctus papa Gelasius, nullum est vinculum, insolubile nisi circa eos qui in errore persistunt. Data mense Augusto, indict. XII, die XVI.

Missa per Petrum presbyterum.

CCXLV.

AD CLERICOS CONSTANTINOPOLITANOS [a].

(Anno 879.)

Ejusdem ac precedens argumenti.

Reverendissimis et sanctissimis omnibus episcopis, confratribus Ecclesiæ Constantinopolitanæ sedem respicientibus, seu tribus aliis principalibus ecclesiis Hierosolymitanæ.

Quorumdam sane vestrum, fratres charissimi, scripta suscipientes, unanimitatem atque consensum in parte Photii in eis plene reperimus, indeque obnixe optantes, ut quod particulariter hactenus, hoc canonice semper et generaliter, atque secundum ea quæ sunt Christi Jesu, et non quæ vestra, pia animi devotione, id ipsum, ut non sit in vobis schisma, sapiatis quærere, pulsare et invenire ; nos autem moderatione sedis apostolicæ, sicut divisa contentione atque dolemus scissa errore, ita gaudemus in vinculo pacis ac charitatis compagine soliditatis fraternitatem vestram sine intermissione inviolata persistere, juxta Apostolum (*I Cor.* XIII), idem sapite, et Deus pacis erit vobiscum. Quod vero sollicita intentione vestra petit dilectio, uti auctoritate beati apostoli principis apostolorum Petri, vobis Photium patriarcham in regia urbe Constinopolitana fore consentiamus, illud animo luce clarius retinetis, quod in Evangelio primo pastori Dominus ait : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua ; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XII). His hortationibus succensi, imo potius corroborati, in quantum sine gravi offensione valemus auxilium ferre, tam cunctis Domini sacerdotibus quam universo in orbe terrarum Christiano populo, nunquam desinimus, sequentes prædecessorum exempla, de quibus sanctæ memoriæ Adriani papæ in Tarasii nuperrime regiæ urbis patriarchæ confirmatione (*in epistola ad Constantinum et Irenem imperatores*), hæc interim ponimus verba ; inter reliqua inquit : Ipse enim Tarasius regiæ urbis patriarcha misit nobis synodicam, priscam adimplens consuetudinem, quam suscipientes et liquidius indagantes, et tam de fassione rectæ fidei ejus quam dogmatum sanctarum sex synodorum et venerandarum imaginum ovantes, nimis iterum conturbati ac contristati sumus, quia ex laicorum ordine, et imperialibus obsequiis, deputatus, repente in patriarchatus culmen electus est, et apocaligus [*in epist. Adriani, a caliga militari*] contra sanctorum canonum censuram factus est patriarcha. Et quod dicere pudet, et grave tacere est, qui regendi adhuc et docendi sunt doctores nec erubescunt videri nec metuunt, ducatumque animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ignota doctoris est, quo [*forte*, qui quo, HARD] vel ipsi gradiantur ignari sunt. Quod quam pravum quamve sit temerarium, sæculari ordine et disciplina monstratur : nam dum dux exercitus non nisi labore et sollicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse possunt qui in episcopatus culmen immatura cupiunt festinatione conscendere ? Hujus saltem rei comparatione considerent et aggredi repente inexpertos labores abstineant, quippe qui non didicerint quod doceant. Unde canonica instituit censura nequaquam ex laico ad sacerdotium repente transire. Et nisi per ejus fidelem concursum pro sanctarum imaginum erectione ejus consecrationi assensum omnimodo tribuere nequivimus. Porro et nos ac vos, fratres charissimi, lege constringimur ut si deinceps apud cunctam ecclesiam quæ in vobis est a paternis regulis per similem prævaricationem nunquam spondeatis delinquere, id est, ne neophytum repente ad honorem ascendere [b]. Et si parochiam Bulgaræ gentis, quæ Deo auctore beati Petri apostoli intercessione, atque decessorum nostrorum labore, ad Christum conversa est, subducta quam ibi fecistis illicitam ordinatione, reddideritis ; et abjectos quosque fratres ac discordantes vestro labore [*f. deest* reconciliaveritis] studio cum prædicto Photio quem patriarcham in regia urbe desideratis habere, aliisque piis operibus offensione quam coram Deo et sanctis canonibus contraxistis, in hac parte, recompensaveritis. Venerabilem fratrem Photium coram synodo misericordiam quærendo, et patriarchatus honore fungi volumus, et nostræ communionis, imo et beatorum apostolorum seu omnis Ecclesiæ fore, Domini miseratione, participem. Hoc exemplo roborati maxime quo egregius prædecessor noster Innocentius, sanctissimus papa, Photinum restaurare dignatur, dicens (*epist.* 12, *n.* 7) : Veniam nunc ad maximum, quasi quoddam thema, Photinum ; et inter alia : Quia res ad salutem rediit veniæ, hunc in tantum vobis annitentibus, post condemnationem more apostolico subrogamus, tantisque vestris assertionibus, vobisque tam bonis, tam charis non dare consensum, omnibus duris rebus durius abitramur. Pro vestra ergo approbatione, fratres charissimi, et sententia ac postulatione episcopum Photinum habetote. Licitum est ita constituere ut deprecamini ; et nostram in melius conversam sententiam, labore vel testimonio vestro, compotes voti suscipite. Sollicitos enim vos pro salute libenter admitto ; cui manum porrigitis, vobiscum porrigo ; cui porrigo, mecum porrigite.

[a] Hanc epistolam sicut cæteras recitatas passam esse perditissimi hominis Photii imposturam, patet ex verbis istis : *Venerabilem fratrem Photium coram synodo misericordiam quærendo, et partriarchatus honore fungi.* Quæ professionem humilitatis insinuantia superbus et profanus homo plane abrasit, et loco istorum, ut in cæteris fecerat, ista posuit : *Photius, patriarcha sanctissimus et religiosissimus frater noster, non dedignetur in conspectu synodi gratiam et studium nostrum, quin potius viscera misericordiæ Romanorum Ecclesiæ prædicare, quod ab ea sit receptus.* SEN. BIN.

[b] Aliquid deest.

Hæc enim est ad Corintinos apostolica declarata benignitas, ut in uno spiritu ductam ac reductam sententiam boni semper indifferenter sequantur. Data mense Augusto, indictione duodecima.

Missa per Petrum presbyterum.

CCXLVI.

AD PAULUM ET EUGENIUM EPISCOPOS.

(Anno 879.)

Constituit eos una cum Petro presbytero legatos, ut, sicut illos monuerat, pacem in Ecclesia Constantinopolitana conficiant.

Reverendissimis PAULO Anconitano EUGENIOQUE Ostiensi episcopis.

Quamvis contra nostram egeritis voluntatem, et Constantinopolim venientes, inquisita causa Ecclesiæ pacis et unitatis, Romam reverti nobisque omnia sub certa relatione debebatis referre. Et quia primam legationem vobis comissam idonee non peregistis, secundam vobis ideo committere non debebamus ; tamen apostolicæ miserationis benignitate utentes, et in hac secunda legatione fideliter perficienda vos huic Petro religioso presbytero cardinis nostri, familiarique nostro sociamus, quatenus ea quæ pro pace et unitate Ecclesiæ Dei agenda sunt, secundum apostolicos nostræ auctoritatis apices, et secundum [a] commonitorii nostri tenorem capitulatim descriptum, sagaci valde intuitu simul agatis et ita definiatis ut gratiam nostram, quam prius inobedienter agendo exasperastis, nunc fideliori devotione operando, placabilem habere possitis. Data mense Augusto, indictione duodecima.

CCXLVII.

AD PAULUM ET EUGENIUM EPISCOPOS, SIMILITER AD PETRUM PRESBYTERUM.

(Anno 879.)

Mansi monitum in sequentem epistolam.

Romana synodus, auctoritate Joannis papæ congragata, Petrum aliosque adjunctos ei legatos ea facultate duntaxat instruxit atque communivit, ut Photium a censuris ecclesiasticis absolverent et sedi Constantinopolitanæ restituerent : non ad veram et germanam synodum octavam, sub Adriano pontifice habitam, reprobandam : et particulam illam, *Filioque*, e symbolo penitus tollendam, multa auctoritate iidem muniti fuerant. Hæc cum pateant ex epistola Joannis ad Basilium imperatorem scripta (*epist.* 243), qua se in Photio sedi suæ restituendo, non concilii dissipatione vel abrogatione, sed tantum dispensatione uti significat ; secundo ex epistolis 250 (*nunc* 297) et 251 (*nunc* 296), quibus indicat se reprobare omnia quæ præter restitutionem Photii acta sunt. D Tertio ex ipso commonitorio per Photium corrupto et falsato, in quo episcopi subscribentes profitentur omnes se commonitorio pro Photii restitutione subscribere. Nos vero et germano commonitorio cujus 203, 250 (*nunc* 296, 297) aliisque pluribus Joannis papæ epistolis mentio fit, destitui, commonitorium illud quod Pothio corruptum, et in Photianæ pseudo octavæ synodi actione 3 lectum fuit, inserendum esse putavimus ; tum ut inde acta hujus concilii confirmentur; tum ut quæ auctoritate legatorum in A pseudo octava Photiana synodo Constantinopoli gesta dicuntur, falsitatis et imposturæ manifestæ redarguantur. Commonitorium autem Græce scriptum et a Metio Latine redditum, sic se habet :

JOANNES episcopus, servus servorum Dei ; commonitorium fratribus PAULO et EUGENIO episcopis, similiter et PETRO presbytero cardinali, nostris Constantinopoli legatis.

Cum primum, divina favente gratia et intercessionibus sanctorum, apostolorum, Constantinopolim ingressi fueritis, illuc divertite quo præcipiet imperator ; et antequam imperatorem visitaveritis, nulli alii apostolicas litteras tradere velitis. Cum coram imperatore fueritis, litteras illi tradetis hujusmodi verbis illum alloquentes : Salutat vestrum ex Deo B regnum spiritalis vester pater dominus Joannes apostolicus papa, tuam ex Deo potentiam suis orationibus singulis diebus sancto Deo commendans, ut ille qui vobis dedit hoc desiderium propter ecclesiasiasticam pacem, tribuat vobis gratiam suam, et consoletur vos sua felici protectione, et perficiat in bonis desideria vestra. Si rogaverit imperator, antequam litteras legat sive capitula responsionis nostræ, hujusmodi verbis illis respondete : Si jubet imperium vestrum, videat epistolas. Et si dixerit : Quid continent epistolæ ? illi respondete : Salutationes continent et omnino recte perficiunt. Postridie salutaturi Photium sanctissimum accedite, et epistolam illi tradite, salutantes illum decenter talibus verbis : Salutat te, dominus noster Joannes apostolicus papa, et vult habere te fratrem et comministrum, sicut C scripsit imperator, ut propter pacem Ecclesiæ reciperemus sanctissimum patriarcham Photium fratrem et comministrum nostrum, exaudiremus preces vestras, et præciperemus ut coram nobis veniat ad synodum : et ut recipiat ipsum universa Ecclesia : juxta tenorem litterarum nostrarum, illum recipite ut comministrum nostrum, atque ut Ecclesiæ Romanæ gratiam habeat, surgentes, illi dicite : Mandat dominus noster sanctissimus papa ut omnes qui in diversis locis extra terminos exstiterunt, sive episcopi, sive presbyteri, sive quivis, alii fuerint, et noluerint hujusque vobis communicare, vestro opere et labore uniantur Ecclesiæ Dei, et fiant unum vobiscum. Qui si venerint, recipite illos, ut pater recipit filios, eosque monebit sæpius, ut propter pacem D Dei Ecclesiæ idem sentiant cum apostolico, ut unius sint cum ipso voluntatis : recipientes videlicet Photium sanctissimum patriarcham et cum illo una cummunicantes. Si autem venerint quicunque antea fuerant ordinati, recipiant sedes suas ; qui vero deinde fuerant ordinati, accipiant ab episcopis ipsis victum et vestitum necessarium.

[b] Præsidentibus vobis in synodo una cum prædicto sanctissimo patriarcha et legatis Orientalibus, una

[a] *Commonitorii nostri.* Commonitorium ipsum, cujus hic fit mentio, reperitur recitatum, sed a Photio falsatum, in actione secunda synodi Photianæ, octavæ mendaciter dictæ. Quod etsi non inveniatur inter Latine scriptas epistolas ipsius Joannis, ut ex autographo possit argui falsitatis, tamen ex multis aliis idipsum consequi facile possumus, ut patet ex notis concilii Romani sub Joanne VIII. SEV. BIN.

[b] Hic dempta aliqua superius notata de petendo veniam coram synodo Photio imposita, addita vero alia ; ex recitatis litteris intelligere potes.

cum reliquis archiepiscopis et metropolitis, et omnibus sacerdotibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ, primum legantur litteræ ad imperatorem missæ, et interrogetur synodus si illas recipit, et si observat testimonia quæ continent litteræ ipsæ. Quibus annuentibus, hæc dicite : Dominus noster sanctissimus papa, omnium Ecclesiarum curam gerens, salutem etiam vestram et unionem et pacem procurans, misit nos servos suos ut dispersos congregemus et dissidentes conciliemus, et Ecclesiæ misericordiæ manum porrigamus, lapsos erigamus, ut omnes uno ore glorificemus Patrem cum Filio et Spiritu sancto.

Sequentes canones nostrorum Patrum dicimus, ut post obitum Photii sanctissimi patriarchæ nullus a civili dignitate Constantinopolitanam sedem ascendat, quemadmodum etiam litteræ nostræ testantur.

Volumus etiam ut coram synodo prædictum Photium sanctissimum patriarcham oretis ut neque pallium in Bulgariam mittat, neque ordinet quemquam in ipsa provincia. Si enim hæc fecerit, juxta sacros canones illum arguemus.

[a] Volumus præterea ut coram universa synodo promulgetur, quod synodus habita adversus prædictum patriarcham Photium tempore Adriani sanctissimi papæ tum Romæ tum Constantinopoli, ex nunc habeatur nulla et irrita, et non annumeretur cum alia sancta synodo.

[b] Advertite ut juxta mandatum nostrum ita ambuletis, neque muneribus vos corrumpi sinatis, neque adulationibus, neque minis et terroribus declinetis sive ad dexteram sive ad sinistram, sed regiam viam incedite, tanquam habentes locum et potestatem nostram, quam vobis propter Ecclesiæ pacem sumus impertiti, ut vestro labore et diligentia digne gratiam nostram, et apostolicæ sedis obtineatis, et nostræ communionis sitis hæredes.

Subscriptiones episcoporum qui interfuerunt Romanæ synodo, ex qua prodiit commonitorium et litteræ Petro legato datæ.

Zacharias episcopus Ecclesiæ Anagninæ et bibliothecarius apostolicæ sedis in hoc commonitorio pro receptione Photii sanctissimi patriarchæ propria manu subscripsi.

Martinus episcopus Ecclesiæ Narniensis in hoc commonitorio apostolicæ sedis pro restitutione Photii sanctissimi patriarchæ propria manu subscripsi : sic et aliqui sequentes :

Dominicus episcopus Triventi.
Florius episcopus Maturensis.
Gaudericus episcopus Velitrensis.
Stephanus episcopus Ferentinas.
Leo episcopus Gabiensis [Sabiniensis].
Petrus episcopus Forosemproniensis.
Leo episcopus Tarracinensis.
Walpertus episcopus Portuensis.
Simeon episcopus Fundensis.
Joannes episcopus Siminorum.
Benedictus episcopus.....
Gregorius episcopus Silvæ Candidæ.
Bonifacius episcopus Blerancrum.
Theodorus episcopus Gallesiensis.
Stephanus episcopus Nepesinus.

Presbyteri cardinales.

Germanus presbyter tituli sanctorum Joannis et Pauli.
Petrus presbyter tituli sancti Chrysogoni.
Benedictus presbyter tituli sancti Balbinæ.
Adrianus presbyter tituli sancti Laurentii.
Joannes presbyter tituli sanctæ Cæciliæ.

Diaconi cardinales.

Paulus diaconus subscripsi.
Leo diaconus subscripsi.

ADNOTATIO SEVERINI BINII.

Audisti, lector, additamentum Photii de abrogatione concilii œcumenici VIII sub Adriano pontifice celebrati, jam superius apertissime redargutum falsitatis, ex recitatis Joannis papæ VIII epistolis. Sed detegitur in eodem commonitorio eadem etiam impostura ex ipsa subscriptione episcoporum, qua (ut ex supra positis vidimus) profitentur omnes se commonitorio pro Photii restitutione subscribere. Quod si ex synodi sententia definita fuisset damnatio œcumenicæ synodi VIII eademque commissa legatis in dato illis commonitorio, credibile utique est magis eam suis subscriptionibus expressurus fuisse quam Photii restitutionem.

CCXLVIII.

AD PHOTIUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

(Anno 879.)

Photium patriarcham Constantinopolitanum constituit, dummodo in synodo veniam postulet; decernit ne deinceps ullus e laicis in eadem Ecclesia statim episcopus ordinetur : jubet Bulgaricam diœcesim Ecclesiæ Romanæ restitui.

PHOTIO patriarchæ Constantinopolitano.

[c] Experientia tuæ prudentiæ litteris pontificio nostro delatis satis ubertim comperta, altitonantem Dominum, piissimas ei grates agentes, laudavimus, qui postulatus dat omnibus sapientiam, et in domo faciens unanimes habitare, salvat omnes in se sperantes, et protegit se in veritate quærentes; qui neque probos, reos, neque facit pios, tyrannos : tamen juste judicans, beatis quibuslibet æterna præmia, et infelicibus, reservato interim pœnitudinis tempore, nisi resipuerint, æterna confert supplicia. Prædictis quoque litteris præconia nostra legentes, affectum tuum cognovimus, et quam sis nunc erga nos devotus, satis evidenter reperimus : verum in quo nobis nostra merita non suffragantur, Deo dimittimus; et in quo nos humanis laudibus quicunque mortalium elevare conantur, fragilitatem naturæ nostræ cum summa formidine, eodem Deo præ oculis habito contemplamur. Scimus enim, ipso dicente, *quia qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Matth.* XXIII).

[a] Non preces tantum sed excommunicationem continent Joannis litteræ de Bulgarorum causa.

[b] Vides idem additamentum hic a falsario quod supra de abolenda octava synodo fuit appositum.

[c] Hanc epistolam Photius locis infra notatis corrupit.

Quod dicitur autem, sanctam Constantinopolitanam Ecclesiam in te convenire, teque privatam sedem recipere, missos vero nostros tecum minime consecrare, de adunatione omnium Deo gratias agimus; sed missis nostris ideo de hoc mandatum non dedimus, quia nil certitudinis, qualiter ipsa sedes haberet, antea comprobavimus. Nunc vero, sicut de pace et adunatione ipsius Ecclesiæ valde gaudemus, ita et de dissensione nolentium acquiescere contristamur, quia Salomone [*leg.* Samuele] testante, *quasi peccatum hariolandi est repugnare, et sicut genus idololatriæ nolle acquiescere (I Reg.* XV).

[a] Verum super receptione privatæ sedis nos debuimus ante consuli. Tamen quia, obeunte fratre et coepiscopo nostro Ignatio te Constantinopolitano throno præsidere audivimus, tantum ut pax augeatur et jurgia cessent, multimodas Deo gratias agimus. Tu autem omnium mentes demulcens, omnes patulis ulnis amplectere, omnes dispersos congregare non desinas, omnes colligere sollicite stude. quia sicut sanctus papa Leo Magnus scribit, sedis apostolicæ, inquiens, moderatio hanc temperantiam servat, ut severius agat cum obduratis et veniam cupiat præstare correctis.

Et cum non sit reprehensibilis erga correctum quantacunque miseratio, satisfaciens coram synodo misericordiam [b] secundum consuetudinem postulaveris, ac si evidenti correctione utaris, et peritiæ non obliviscens, nullius damna moliaris, quin potius exsilia eorum qui tibi non velle consentire dicuntur, studiose dissolveris, eosque suis ecclesiis et honoribus restitueris: et si, quia spiritalis filius noster Basilius Christianissimus imperator apud nos pro te multis precibus intervenit, omnes uno voto, uno consensu et una concordia in tua restitutione convenerint, veniam pro pace sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ tibi concedimus, communionem quoque et gradum, coram synodo misericordiam quærendo [c], nihilominus reddimus, et ut sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ digne præesse debeas, consentimus, ita tamen ut deinceps de laicis in eadem Ecclesia episcopus contra sanctorum Patrum statuta nullatenus ordinetur, et omnis illa mala consuetudo abinde penitus amputetur, juxta capitulum quod super hac re in venerabili synodo, tempore scilicet decessoris nostri Adriani junioris papæ Constantinopoli habita, est congruentissime promulgatum.

Reliqua vero quæ litteræ tuæ a nobis fore censenda vel finienda exspectant, dato commonitorio nostris legatis, Petro venerabili presbytero cardinali nostro, deliciosisque consiliariis nostris, quædam scriptis, quædam autem verbis injunximus, qui juxta censuram nostri apostolatus instructi de omnibus, cuncta, Deo præ oculis habito, contemplantes, et admittenda A ubi fas est admittere studeant, et corrigenda sub æquitatis libramine corrigant.

Præterea sicut vestra pars suum velle conatur vires accipere, ita et diœcesim nostram Bulgariam [d], quam apostolicæ recordationis sanctissimique domini papæ Nicolai certamine sedes apostolica recepit, ac Adriani æque beatissimi præsulis tempore possederat, summa nobis celeritate restitui volumus, et de cætero omnem ordinationem ecclesiasticam ab Ecclesiæ Constantinopolitanæ præsulibus in eadem diœcesi Bulgarica auctoritate apostolica amputamus; ipsos autem ordinatos ibidem episcopos, et omnes alios inferioris ordinis clericos, ut inde se subtrahant et ab invasione Bulgaricæ nostræ diœcesis se omnino compescant, decertare procures. Quibus si tu aut B pallium dederis, aut quamcunque illic ordinationem feceris, vel donec nobis obediant, cum eis communicaveris, pari excommunicatione cum eis tenebris annexus.

ADNOTATIO SEV. BINII.

De adulteratione epistolæ præcedentis a Photio perpetrata.

Hæc est altera epistola quam a pontifice Joanne VIII acceptam Photius a se Græce translatam, et ad perfidiam suam occultandam addendo, mutilando, subtrahendo et expungendo in pseudosynodo sua octava legi ac promulgari fecit.

Porro ille sciens quanta inesset in apostolicis litteris auctoritas, lecturus cum esset eas in synodo ad persuadenda quæ vellet, addidit et abstulit pro arbitrio quæ sibi sunt visa. Quænam autem ista fuerint, ex recitatione ipsius epistolæ ex secunda C ejusdem actione depromptæ, Latinaque ab eodem Metio redditæ, satis intelliges sic enim se habet.

« JOANNES episcopus, servus servorum Dei, Photio sanctissimo fratri et comministro patriarchæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ.

« Sapientiam et prudentiam fraternitatis tuæ in litteris cum perspexerimus, instar tonitrui cœlitus missi ex Deo resonantem et omnes terminos terræ suo strepitu replentem [e], pias Deo gratias et excelsas laudes retulimus, qui omnibus petentibus juxta eorum petitionem largitur sapientiam, et qui habitat in concordiæ domo, et fovet et protegit omnes qui veritate spem suam in ipsum collocant: quia quique nec malos in finem rejicit, neque bonos ut in tyrannidem aliquam incidant, supra eorum vires permittit, sed potius justitiæ æqualitate ac judiciorum æquilibrio omnes res humanas dirigit et feliciter ducit. Et beatus ille qui alacri animo præsenti tempore per pœnitentiam lapsos erigit, in cœlis enim iste thesau- D ros sibi thesaurizat: hic etenim in hac felicitate permanens, fruetur sempiternis futuris bonis, cum revelabitur futura gloria. Tuas itaque prædictas humanissimas litteras cum accepissemus, et laudes nimias quibus nos exornas et qua animi alacritate erga eos te habes, agnovimus quomodo pie et sane te geris, licet laudes quas nobis tribuis longe a nobis absint: cum enim mortalem et mutabilem naturam nacti simus, non sunt laudes satis tutæ, et magno timore afficimur illius videlicet qui omnia videt et

[a] Ista de consulenda sede apostolica Photius detruncavit in sua translatione.

[b] Hæc de misericordia quærenda coram synodo abstulit Photius, hic et alias inferius.

[c] Hæc quatuor verba itidem decurtavit Photius.

[d] Hæc de Bulgarica diœcesi detruncavit Photius omnino.

[e] Photius versipellis flectit in laudem suam quod in Dei laudem Joannes dixerat de altitonante Deo.

omnia prospicit, tum occulta tum aperta, ne aliquo pacto aliter ab hominibus nos habiti, aliter in conspectu Dei reperiamur, et pro laudimus et optata gloria perpetuum dedecus lucremur. Sed hæc permittamus interea Deo, qui novit omnia, et quem nihil nostrum latet. Novimus enim ipsum dicere : *Qui se exaltat, humiliabitur* (*Matth.* XXIII).

« Scripsisti nobis quod sanctissima Dei Constantinopolitana Ecclesia in te recipiendo concors et unanimis facta est [a], et quod sedem recepisti quæ tua erat et qua fueras orbatus : his de rebus, de Ecclesia videlicet et de tua restitutione, qua es ad propriam sedem restitutus, Deo ex corde et pro virili gratias agimus. Habebant etiam litteræ pietatis tuæ quod nostri legati noluerunt quam primum tibi communistrare. Et hoc factum dicimus quia nondum illis permiseramus ut ea facerent quæ præceperamus. Si enim mandatum nostrum habuissent, nulla ipsis fuisset dubitatio, nec alicujus mœstitiæ causam pietati tuæ præbuissent. Nec nos satis certi eramus de fraternitate tua, quod ad tuam sedem te Deus restituissent, et jam ipsam obtinuisses : si enim hoc rescivissemus, misissemus procul dubio, ut par erat, gratulaturi tibi pro tuæ sedis receptione [b]. Ne igitur interea iniquo feras animo; quod enim antea defuit, jam ex superabundantia completum est.

« Didicimus præterea quod sunt inter vos nonnulli schismatici qui non quiescunt, sed in vanum laborant, et certantem diabolicam certant, juxta prophetam dicentem : Divisi sunt contriti, ut evellant ei evertant ad se nonnullos simpliciores. Et, quemadmodum gravisi sumus pro tua restitutione, quam Deus operatus est, et unione facta Ecclesiæ, ita tristati sumus pro schismaticorum illorum interitu.

[c] « Tu vero qui præstas sapientia et prudentia et gratia a Deo tibi largita (quid enim habes quod non accepisti ? et si accepisti, novimus te non gloriari quasi non acceperis), omnes tibi devincere humanitate contendas eos qui a te procul sunt segregati et dispersi, misericordiæ viscera illis aperiendo, et begnitate illos complectendo, simul congregare ne graveris : ut, quemadmodum sanctissimus papa Leo Magnus scribit, eos qui quærunt humiliari in conspectu Dei et unionem vobiscum quærere, suscipiamus, Sicut econtra adversus eos qui duro sunt corde, fortitudine et constantia et patientia illos vincamus, duritiæ etiam cordis illorum obsistamus. Similiter illis qui pœnitentiam quærunt, quæ lapsos sublevat, manus adjutrices præbeamus. Non enim est desperatio pœnitentibus, et petentibus misericordiam non est confusio.

« Quapropter fraternitatem tuam rogamus ut Christi mores imitando, præcipue vero ejus humilitatem quam sustinuit pro salute generis nostris, non te pigeat in synodo prædicare Dei erga te misericordiam et auxillium [d], nec non sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ protectionem et tutelam, laborem, quem pro tua dilectione sustinuit, ut hoc pacto ædifices omnes pro communione nostra et animorum nostrorum concordia. Quandoquidem quæcunque ab illa petiisti, obtinuisti etiam. Et sicut illi mos est ut omnibus qui injuste patiuntur opem ferat ita ejus auxilio ut non caruisti, sed divina ope et hujus sanctæ sedis labore et studio ad sedem tuam es restitutus.

« Quapropter rationi congruum duco ut hujus consueti auxilii, necnon benignitatis, quam ipsis operibus singulis diebus experiris, de illa in omnem terram sonum emittere non obliviscaris, sed etiam ipsam sequere, et instar illius nulli damnum inferas, nec aliquem a visceribus misericordiæ tuæ repellas, Si qui usque adhuc unionem cum tua pietate amplecti noluerunt, neque tecum convenire, ne desistas, sed potius laborem et certamen sustine, cum docendo, tum etiam sermocinando, et longanimi admonitione, nec non alacri et benevolo vultu ut juxta Apostolum, vel omnes vel plerosque lucrari studeas, et tibi conciliare, ac per te ipsi Deo accedentes, illos ad te, et per te ad Deum suscipere dignare. Sacerdotales etiam honores et eorum ecclesias, illis restitue.

« Et quemadmodum spiritalis filius noster imperator Basilius pro te nos ejus petitioni rationabili et justæ et Deo gratæ obsequentes, fecimus cum tua pietate, quod imperator petierat, eodem pacto te rogamus ut tu etiam obliviscaris malorum quæ adversus te commiserunt, qui a te fuerant abalienati [e]. Qui si revertantur ex corde, tua pietas honore insigni apertis ulnis illos recipere dignetur, ut omnes feliciter consentientes ad conversionem et restitutionem tuæ sedis commune gaudium et diem festum et lætitiæ peragamus.

« Hoc etiam rogamus fraternitatem tuam ut nobiscum decernas ut in posterium nullus sæcularis ex tempore ad pontificalem sedem assumatur, sed secundum gradum et ordinem procedens, et proprium unusquisque in suo gradu progressum virtutis ostendens ita pontificalis sedis gradum obtineat. Qui enim aliter ascendit, ecclesiasticis nostris canonibus contraria facit. Et volumus morem hunc, qui non est probandus, ab initio in vestra ecclesia inventum, in posterum irritum abolere [f]. Hoc autem dicimus juxta canonem editum in synodo tempore Adriani sanctissimi papæ et Tarasii beatæ memoriæ patriarchæ Constantinopolitani.

[g] « Synodum vero contra pietatem tuam ibidem habitam irritavimus et annullavimus, imo et abjicimus, tum propter alia, tum etiam quod beatus papa Adrianus prædecessor noster illi non subscripsit. Reliqua vero omnia et ecclesiasticis rebus quæ tua epistola nobis insinuavit, scribere omittimus, quoniam de illis in commonitorio scripsimus, cui etiam subcripsimus omnes pro tua restitutione, et illud Petro religiosissimo presbytero cardinali et legato nostro dedimus quem misimus, [*f.* ut una, HARD.] et una cum Eugenio et Paulo religiosissimis episcopis legatis nostris Dei timorem præ oculis habentes, et suam conscientiam immaculatam conservantes omnino vobiscum faciant quæ vestræ Ecclesiæ conferre noverint, Deus te conservet usque ad finem, dilecte frater, reverendissime et comminister noster. »

Ecce tu jam vidisti, et confrens utraque exempla

[a] Tacet hic Photius quod de privata sede, nempe quam in Magnaura erexerat vivente Ignatio.

[b] Aliqua addit, et detruncat aliqua, quæ suprius notavimus de consulenda apostolica sede aliis.

[c] Ista de laudibus suis Photius addidit.

[d] Joannes non ista habet, sed ut ipse misericordiam coram synodo postulet ; quæ Photius sustulit hic et inferius callide admodum.

[e] Detruncavit hic iterum quæ Joannes habet in sua epistola de quærendo misericordiam coram synodo.

[f] Hic falsarius et impostor astutissime convertit ad Adrianum primum quod dixit Joannes de Adriano II satis expresse. At id ea de causa ab eo factum, quod per illa verba Joannes probare se significaret synodum octavam sub Adriano habitam juniori.

[g] De abrogatione synodi contra Photium facta nihil penitus in litteris Joannis. Apposuit hæc impostor ut quasi apostolicæ sedis auctoritate damnaret, quod postea idem fecit octavam synodum sub Adriano habitam. Porro cum hæc impostor apposuit, decurravit quæ in conditione apposita Joannes habet de restituenda diœcesi Bulgarorum.

ria cognovisti, lector, quo tamdem progressa impostoris audacia, et ausa sit falsarii animosa procacitas, ut tribus versibus istis ad epistolam Joannis ultimo loco additis, tantam molem illam œcumenicam, inquam, octavam synodum, quam Occidens et Oriens, pontifex et imperator una cum episcopis et magistratibus tanto labore sunt conati erigere et stabilire, quantum in ipso fuerit, Photius mendaci stylo sit demolitus. Ut plane iterum repetendæ, quin et aliæ innumeræ sint agendæ Deo gratiæ, quod ad tam immane periculum evitandum, et immensum scandalum antevertendum, voluerit divina providentia remanere integra exemplaria Joannis epistolarum, unicum remedium ad falsatem hominis perditissimi arguendam et imposturam aperiendam. Quo nomine pariter, ut vidimus, et ipse de quo egimus, pontifex Nicolaus summas gratias Deo rependit, quod ad convencendas falsitates ejusdem Photii in suis litteris impudenter admistas, earum exemplaria Romæ servaverit, sic dicens in epistola ad Michaelem imperatorem: *Verumtamen nos quomodocunque falsitati vel depravationi eadem sit epistola submissa, grates innumeras agimus Deo, cujus inspiratione et fideli illius exemplaria penes nos retinuimus, et cujus per missu qui hæc vel authenticam ipsam scripsere, sua peresse noscuntur*; hæc ipse. Sed nos dupliciter Deo gratias rependere obligamus, et quod Joannes, sicut et Nicolaus, missarum a se litterarum excripserit et retinuerit exemplaria, et quod eadem cum codice, quem regestum vocant, sint in hanc diem in Vaticana bibliotheca integra post tot naufragia Romanæ Ecclesiæ conservata; ut quod earum translatio facta per Photium fraudulenter posset argui falsitatis, cum in multis aliis, tum in iis quæ operatus est ad demoliendam funditus œcumenicam octavam synodum, tam quod citationem ejusdem synodi octavæ sub Adriano habitæ quæ convincitur eam recipere et comprobare Joannem, omnino erasit atque penitus abolevit; quam etiam quod disertis verbis addiderit, ab eodem Joanne pontifice jam illam prosus damnatam, irratam, ut ait, ac nullam redditam esse.

In hoc ipsum enim totus incubuit homo profanus, ut adversum se collectam œcumenicam synodum, in qua cubitalibus litteris, ut ita dixerim, ejus scelera multipliciter nota essent, abolendam exstinguendamque penitus, ut nec nominaretur amplius, laboraret. Sed ex quod sciretur testificatione historicorum Græcorum, tum Latinorum, octava synodus œcumenica celebrata esse Constantinopoli: ipse eodem in laco haberi, eodemque quoque nomine apellari voluit suam pseudosynodum, quam supponeret pro legitima octava œcumenica habita per Adrianum, usus ad decipiendos omnes recitatis superius ad ipsum scriptis, sed ab ipso falsatis litteris Joannis papæ, ex quibus pariter detegas alias ejusdem nebulonis versutissimi imposturas. Quamvis enim idem Joannes pontifex, tum in ipsa epistola ad Photium scripta, tum in recitata superius ad imperatorem citando dictam œcumenicam synodum, ut dictum est, eam visus est comprobasse; et nihilominus in additamentis Photii idem ipse ejus damnato asseritur: non ista ipsi fatis sunt visa, sed et ab illo falsatum est commonitorium ab eodem pontifice datum Petro legato.

CCXLIX.

AD LANDULFUM ET LANDONEM.

(Anno 879.)

Scribit Trajectum se iturum, et quæ paci eorum conducant, curaturum; ibique cum de aliis, tum de Landulfo Capuanæ Ecclesiæ episcopo electo acturum.

Dilectis viris Landoni filio Landonis, et fratribus A ejus, seu Landulfo filio Landenulfi, ejusque germanis.

Receptis atque perlectis litteris vestris, quas nostro pontificio direxistis, quanta pace et concordia vos post obitum Landulfi bonæ memoriæ Capuani episcopi, cum Pandenulfo conjunxissetis, et jusjurandum fraterno ac indivisibili fœdere inter vos habito firmassetis, luce clarius novimus: sed suadente humani generis inimico, et zizaniorum inter vos semina diffundente, omnem concordiam et unanimitatem quæ inter vos divino respectu exstiterat videmus corruptam atque confusam. Per quo videlicet tantæ inimicitiæ malo vobis jam litteris nostris per Dominicum venerabilem episcopum nostrum ad vos delatis, innotescentes, mandavimus quoniam Deo B propitio pro vestrum omnium salute ac pace volumus Kalendis Octobribus Trajectum venire ibique vobiscum et cum Guaiferio glorioso principe, atque cum Capuanis cæterisque vestratibus loqui, et ordinare primum ea quæ nobis et vobis sunt necessaria vestræque paci et utilitati proficua, quatenus, totius discordiæ scandalo de medio vestri ablato, et recepta Dei pace, quæ superat omnem sensum (*Philip.* IV), in fraterna dilectione et in pristina devotione omnes concordes et unanimes manere valeatis; et tunc sive de Landulfo venerabili presbytero, quem omnium Dei sacerdotum et judicum, seu totius Capuanæ plebis voto parique consensu electum habetis, sive de aliis necessariis causis, vestram secundum sacros canones adimplebimus voluntatem; et idcirco C grave non videatur nobilitati vestræ nostrum, ut dictum est specialem præstolari adventum.

CCL.

AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

(Anno 879.)

Eadem quæ in superiori: præterea arguit quod contra Capuanos arma sumpserit: rogat ut mancosos sibi au Amalfitanis restitui curet.

Dilecto filio Guaiferio glorioso principi.

Sicut nobis litteris vestris mandastis, quod devotam circa nos amicitiam et sinceram conservetis dilectionem, hoc multis jam evidentibus documentis luce clarius agnoscimus et tenemus; unde et noster apostolicus animus circa nobilitatem vestram, utpote circa charissimum filium, benignus existit, cupiens D honorem et gloriam vestram semper immutilatam conspicere et audire. De electo autem Landulfo, videlicet venerabili presbytero Capuanæ Ecclesiæ, pro quo jam toties nostro pontificio suggessistis, non aliquo malæ voluntatis affectu vos nunc usque audire prætermissimus, sed sola pacis veræ causa et inter proximos augendæ dilectionis. Nam sicut vobis nunc litteris nostris, per Dominicum episcopum ad vos delatis, mandavimus, cupimus, Deo propitio, pro vestrum omnium salute, concordia et unanimitate Kalendis Octobribus Trajectum venire, ibique vobiscum et cum Capuanis cæterisque vestratibus loqui, et ordinare primum ea quæ nobis et vobis sunt necessaria et vestræ paci utilitatique proficua;

et tunc sive de præfato electo, sive de aliis necessariis causis, vestram adimplebimus voluntatem : quia vestro sagaci consilio communique consensu, quæ pro pace fraterna et pro terræ nostræ ac vestræ defensione, sive Saracenorum perditione, consideranda et perficienda sunt, peragere cupimus. Quapropter, sicut nos vestrum volumus desiderium et honorem alacri mente implere, ita quoque et vos illa quæ nostro apostolico culmini sunt decentia, devota mente debetis peragere; quamvis in hoc reprehensione non modica digni videamini, quod sumptis armis contra Capuanos, inter assiduas paganorum persecutione consistentes, persequi et impugnare præsumpseritis, antequam eorum culpas nobis veraciter cognitas fecissetis. Porro de mancosis quos pro defensione terræ S. Petri dedimus te præsente Amalfitanis, volumus ut eosdem mancosos ipsi Amalfitani deferant secum navigio usque in portum urbis Romanæ, quoniam salvi et securi ibi manebunt; et tunc accepta a nobis prius securitatis sponsione, ipsos nobis mancosos reddere procurent, quatenus nostra recipientibus nobis, nullam pro his de cætero patiantur calumniam.

CCLI.

AD LEONEM EPISCOPUM.

(Anno 879.)

Dolet Capuæ discordias esse excitatas; significat se Trajectum iturum, ibique de Landulfo episcopo electo, cujus confirmationem petierat, acturum.

Reverendissimo et sanctissimo LEONI episcopo.

Sacerdotalem curam et sollicitudinem, quam pro Ecclesiæ Dei utilitate populique concordia et pace peragere procul dubio debent Domini sacerdotes, litteris tuis relectis, te luciflue habere cognoscimus; dum Dei proximique dilectione sollicitus, doles Capuanos, nobiles scilicet viros, fraterno fœdere per jusjurandum inter eos habito nequiter corrupto ad veram discordiam et inimicitiam pervenisse, et adhuc in ea improvida mente consistere, atque pro Landulfo venerabili presbytero, et electo a vobis et omni sacerdotali cœtu nobiliumque caterva, cunctoque populo Capuanæ civitatis, pontificio nostro supplicas, quatenus eum non differamus sacræ plebi Capuanæ antistitem ordinare. Nos autem, pastorali sollicitudine moti, vobiscum similiter condolemus fratres et propinquos pro sæculi cupiditate in tantam discordiæ et inimicitiæ voraginem demersos, pro quibus sane, Deo propitio, pacificandis, volumus Kalendis Octobribus Trajectum venire, et ibi cum Guaiferio principe, atque vobiscum, et cum Capuanis cæterisque vestratibus loqui, et ordinare primum ea quæ nobis et vobis sunt necessaria; et tunc de ipso electo vestram secundum sacros canones adimplebimus voluntatem : et idcirco grave non videatur dilectioni vestræ nostrum, ut dictum est, specialem præstolari adventum. *Unam talem Adelchisi episcopo : et alteram Lupeno episcopo.*

CCLII.

AD LANDULFUM PRESBYTERUM.

(Anno 879.)

Laudat eum quod ad propinquorum suorum insidias evitandas Capua fuerit egressus, et in discordiis sedandis elaboret; significat Trajectum se iturum ibique de ejus electione deliberaturum.

LANDULFO venerabili presbytero et electo.

Quia discordantium parentum tuorum insidias declinando, et ex urbe Capuana egrediendo, in antiqua sanctæ ecclesiæ Capuanæ sede, nomine videlicet S. Stephani protomartyris refulgente, nunc habitare te asseris, atque cum vicinis episcopis assidue decertas, ut male divisos adunare atque discordantes pacificare, Deo favente, possis, gratum recepimus. Quia et ante susceptum officium ea quæ sunt boni pastoris peragis, in quo scilicet ut perseveres hortamur usque ad nostrum specialem adventum, quoniam, Deo propitio, pro vestrum omnium salute, concordia et pace, Kalendis Octobribus volumus Trajectum venire, ibique cum Guaiferio glorioso principe, et cum aliis eximiis parentibus tuis loqui, et ordinare primum ea quæ nobis et vobis sunt necessaria vestræque paci et utilitati proficua, et tunc provectionem tuam secundum sacros canones, omnibus pacificatis, peragere.

CCLIII.

AD PULCAREM PRÆFECTUM.

(Anno 879.)

Arguit quod nec fœdus cum paganis ictum ruperit, nec ditionem sancti Petri, sicut promiserat, defenderit; præcipit ut pecuniam pro ea re datam ad se remittat.

Dilecto viro PULCARI præfecto.

Pro salute animæ tuæ ac pro defensione totius Christianitatis, quæ, te cum paganis pactum habente, quotidie deprædatur atque in diram ducitur captivitatem, multa tibi et populo tuo, quæ postulasti, fecimus bona. Insuper decem millia mancosorum argenti dedimus tibi ut terram sancti Petri rupto fœdere paganorum defenderes; quod tu cum tuis per jusjurandum facere promisisti, sed timore judicii Dei postposito, neque pactum iniquum disrumpere voluisti, neque propter jusjurandum littora nostra defendere, sed potius deprædari diabolico jam Juri subjectus, permittis, et in animæ tuæ perditionem consentis oves pretioso Christi cruore acquisitas duci captivas. Et ideo dignum est ut ipsos mancosos, quos tibi pro defensione terræ nostræ dedimus, recipiamus. Quapropter volumus ut eosdem mancosos per tuos fideles Amalfitanos usque in portum urbis Romanæ nobis navigio venientes remandes, quoniam ipsi Amalfitani salvi et securi ibi manebunt, et tunc accepta prius a nobis securitatis sponsione, præfatos mancosos nobis reddere procurent, quatenus nostra recipientes, nullam tibi vel populo tuo inferamus calumniam. Nam et dromonibus nostris præcepimus ut nullo modo aliquam populo tuo faciant contrarietatem, si tamen nobis ipsos mancosos salvos reddideris.

CCLIV.

AD MONACHOS PULTARIENSIS CŒNOBII.

(Anno 879.)

Dolet de eorum calamitatibus, et significat se ipsorum causa Bosoni principi atque Hugoni abbati scripsisse ut eos utentur; exemplar etiam testamenti Gerardi fundatoris Ansegiso archiepiscopo et Conrado comiti misisse.

Sanctæ congregationi summi apostolorum principis Petri cœnobii nostri Pultariensis.

Cognoscat pro certo fraternitas vestra nos, relectis litteris vestris, pro tantis adversitatibus quas ab iniquis quotidie sustinetis hominibus, valde tristes existere, quoniam sicut de vestra prosperitate gaudemus, ita quoque et de vestra tribulatione tristamur. Unde volentes sanctam congregationem vestram, utpote Dominicum gregem in ipso apostolorum principe nobis commissum, salvam et quietam habere, direximus, secundum petitionem vestram, nostras apostolicas litteras Bosoni glorioso principi, et Hugoni nobilissimo abbati, petentes quatenus pro Dei sanctorumque apostolorum principum Petri ac Pauli amore, nostraque dilectione, suæ defensionis auxilium vobis impendant, et contra Dei atque omnes vestros adversarios manum suæ potentiæ extendant, ut quiete ac securiter degentes, debitas Domino laudes persolvere ac pro nobis et omni populo Christiano valeatis omnipotentem Dominum deprecari, et res sancti nostri monasterii tranquilla mente disponere, regere ac secundum Dominum dispensare possitis. Porro exemplar ipsius testamenti, per quod Gerardus bonæ memoriæ comes, una cum Berta quondam conjuge sua ipsas res principibus apostolorum Petro et Paulo tradidit, bulla nominis nostri munitum, Ansegiso archiepiscopo et Conrado comiti, in cujus comitatu ipsæ res continentur, per præsentem nuntium vestrum direximus. Vos itaque videte si de his omnibus adjuti fueritis, an non, et nobis renuntiate, ut quasi concilio meliori potuerimus, vos libentissime adjuvare curemus. Fraternitatem vestram orantem pro nobis Dominus dignetur conservare incolumem.

CCLV.

AD HUGONEM ABBATEM.

(Anno 879.)

Ut monasterium Pultariense tueatur.

Dilecto filio Hugoni nobilissimo abbati.

Quanta vos dilectione quantoque nostræ paternitatis quasi unicum filium dilexerimus affectu, ex quo vestram sublimem cognovimus sagacitatem et gloriam, ipsi abundanter recolitis, quoniam et vestra nos excellentia veluti patrem spiritalem in omnibus colere et honorare animo tranquillo curavit. Quo videlicet mutuæ dilectionis fœdere illibato confisi, monasterium sancti Petri, quod appellatur Pultariense et Gerardus quondam comes de rebus suis perfecit atque dotavit et sancto Petro tradidit, petimus ut vestra in omnibus tuitione adjuvetur, quia fratres qui nunc in eo consistunt, et sedulas Deo laudes persolvunt, orantes pro salute omnium in Christo credentium, ab inimicis vicinis perturbantur, omnisque illorum, imo nostra familia crudeliter assidue vexatur et opprimitur; ita sane ut neque arare neque cætera quæ ad terræ culturam pertinent, possit exercere. Quapropter et vestrum auxilium eidem sancto loco impendatis, et contra Dei atque ejus adversarios manum vestræ potentiæ, pro amore Dei et sanctorum apostolorum Petri ac Pauli nostraque dilectione extendatis, quatenus vestro potenti brachio freti, salvi in omnibus et securi consistant, ut et in præsenti dignas a nobis retributiones et in futuro multiplicem a Domino valeatis mercedem cum sanctis recipere.

CCLVI.

AD HUGONEM ET RADULFUM.

(Anno 879.)

Quod Vendoaram villam sancti Petri Pultariensis nulli concesserit, et Arembertum, qui a Bosone eam accepit, excommunicari jusserit, nisi ab ea abstineat.

Hugoni et Radulpho dilectis fidelibus nostris.

Cognoscat pro certo fidelitas vestra quia nos ipsam villam nostram Vendoaram, quam dicitis esse invasam a Bosone comite, quasi nos eam cum illo commutassemus accipientes alteram ab eo, neque beneficiali more, neque alicujus commutationis tenore, neque alio quocunque modo, cum eodem Bosone vel alio quocunque homine, dedimus neque commutavimus. Ideo in fidelitate et servitio sanctorum apostolorum Petri ac Pauli devota mente permanentes, ipsam villam sub nostro jure tenentes, defendite et cum Domini auxilio gubernate, nec aliqui homini credatis nos aliquando præfatam villam quolibet modo daturos. Direximus vero, pro nostro adjutorio ac defensionis auxilio, litteras nostras jam dicto Bosoni comiti, ut pro amore Dei, et S. Petri, ac nostro, et suos homines inde removeat, et ipsam villam nullatenus invadere nec invasam retinere præsumat : quin potius suo vos brachio tueatur, et ab omnibus erga vos male agentibus dignetur defendere, si gratiam Dei et principis apostolorum cupit habere. Arembertum autem, vassallum ejus, cui ipsam villam beneficio dederat, omni ecclesiastica communione per Isaac venerabilem episcopum jussimus esse privatum, si in eadem villa ulterius temere intrare aut aliquam ibi contrarietatem facere præsumpserit.

CCLVII.

AD BOSONEM COMITEM.

Ut Arembertum et quosvis alios a Vendoara villa removeat, eamque Pultariensibus restituat et monasterium ipsum tueatur.

Dilectio filio Bosoni glorioso principi.

Quanta vos dilectione quantoque nostræ paternitatis dilexerimus affectu ex eo quo vestram sublimem cognoverimus gloriam, ipsi abundanter recolitis, quoniam et vestra nos excellentia veluti patrem spiritalem in omnibus colere et honorare animo tranquillo curavit. Quo videlicet mutuæ dilectionis fœdere confisi, ea quæ sub jure sanctorum apostolo-

rum principum Petri ac Pauli per totius Galliæ provincias immobilia loca consistunt, cum hominibus omnibusque sibi pertinentibus, ut vestro potenti brachio defensa manerent rogavimus, vestroque auxilio secura consisterent, quod vos pro amore Dei et S. Petri nostroque honore nobis libentur facere promisistis. Nunc autem, sicut audivimus, villam nostram Vendoaram absque nostro consensu et voluntate occupatis, et uni vestro vassallo, nomine Aremberto, in beneficium dedistis, et, si verum est, non bene, sicut vos decebat, egistis. Ideo rogamus, fili charissime, celsitudinem tuam ut propter amorem Domini et S. Petri, cœlestis regni clavigeri, ipsam villam nostris, qui ibidem resident, hominibus sub nostro jure, sicut nos eam ordinavimus, liceat habere securiter, omnesque vestros vel alienos homi- B nes ab ejusdem villæ habitatione vel dominatu removeatis, nec vestris diebus aliquam a quocunque homine contrarietatem patiamur. Simili etiam modo petimus ut monasterium S. Petri, quod appellatur Pultariense, et Gerardus quondam comes de rebus suis perfecit atque dotavit, et sancto Petro tradidit, vestra in omnibus tuitione adjuvetur, quia fratres qui in eo consistunt, et sedulas Deo laudes persolvunt, orantes pro salute omnium in Christo credentium, ab inimicis vicinis perturbantur, omnisque illorum, imo nostra familia crudeliter assidue vexatur et opprimitur, ita sane ut neque arare, neque cætera quæ ad terræ culturam pertinent, possit exercere. Quapropter et vestrum auxilium eidem sancto loco impendatis et contra Dei atque ejus ad- C versarios manum vestræ potentiæ, pro amore Dei, et sanctorum apostolorum Petri ac Pauli, nostraque dilectione extendatis, quatenus vestro potenti brachio freti, salvi in omnibus et securi consistant, ut et in præsenti dignas a nobis retributiones et in futuro multiplicem a Domino valeatis mercedem recipere.

CCLVIII.

AD GUAIFERIUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

Monet ut a molestiis desistat quas Capuanis inferebat; significat se in ejus regiones iturum et discordias sedaturum.

Nobilissimo viro GUAIFERIO glorioso principi.

Relatu quorumdam didicimus quod, suadente humani generis inimico, qui totius inimicitiæ et mortis est auctor, cupiatis multiplicia damna et adversa C inferre Capuanis, et propter discordiæ malum quod sæculi quotidie livore generatur, et inter propinquos atque amicos accrescit, cogitetis generale discrimen præbere, unde scilicet non modica turbatio his vestris in partibus oriatur et longi temporis scandalum maneat. Et dum non desint extranei hostes, cum quibus assidue luctamen habeatis, vultis contrarietatis discrimina præbere propinquis, quos in axilium vobis opportunum poteratis habere fautores. Nos idcirco, more paterno, vos quasi dilectum filium admonemus, et ex Dei omnipotentis auctoritate beatorumque apostolorum Petri et Pauli potestate prohibemus, ut non habeatis licentiam super A præfatos Capuanos ire neque aliquam illis contrarietatem inferre usque ad nostrum specialem adventum. Quoniam, Deo auxiliante, cum hujus æstivi temporis fervor transierit, pro omnium vestrum salute, concordia et unanimitate, has vestras in partes veniemus, quatenus. nobis præsentibus, omnis vis sopiatur omneque scandalum, quod ex vipereo semine inter vos et illos accrevit, de medio vestri auferatur. Nos namque salutem vestram, ne in æternum pereatis, cupimus, et ideo volumus ut ea quæ pacis sunt sectemini semper. Nam pro vestro cum venerimus amore, ipsum quem vultis Capuanæ plebi, Domino favente, antistitem ordinabimus, ut vester principalis honor indiminutus permaneat. Quod si forte aliter vos facere cognoverimus, scitote quia nostræ vos non habebimus communionis consortes.

CCLIX.

AD PANDENULFUM CASTALDUM.

(Anno 879.)

Significat se Guaiferio scripsisse ut ab inferendo Capuanis damno desisteret.

Nobili viro PANDENULFO glorioso castaldo.

Relectis industriæ tuæ litteris, quas per talem fidelem hominem tuum nobis mandasti, ea quæ nostro pontificio supplicare studuisti, apostolica duntaxat benignitate audivimus, ac, prout ratio exigebat, partim complevimus. Direximus namque nosti apostolatus litteras Guaiferio, et admonendo increpando atque excommunicando eum non habere licentiam ex Deo et sanctorum apostolorum Petri ac C Pauli nostraque auctoritate permissum venire contra urbem Capuanam, neque aliquam in omnibus suburbanis et finibus ejus contrarietatem inferre, nullasve moliri insidias, usquequo istas in partes, auxiliante Domino, post hujus æstivi temporis fervorem veniremus.

CCLX.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 879.)

Scribit se litteris eum, ut ad imperium promoveret, ad Urbem advocasse, Ravennam usque ad eum processisse, sperasseque se auxilium ab eo adversus Romanæ Ecclesiæ hostes recepturum: quæ spes ita eum frustrata est, ut nunquam hostes magis sævierint: petit ut Ecclesiæ opem ferat, et dum iter parat, legatos ad se mittat; suosque legatos commendat.

Dilecto ac spiritali filio CAROLO glorioso regi.

Quod bene vestra regalis cognoscit sublimitas, a longo jam tempore vos pro utilitate et exaltatione sanctæ sedis apostolicæ matris vestræ ad culmen imperii, Deo propitio, volentes perducere, auctoritatis nostræ litteris missis vocavimus, ac postmodum præ magnitudine amoris vestri, relicta nostra Ecclesia inter sævas hostium non solum paganorum, sed etiam malorum Christianorum manus, ad vos Ravennam pervenimus, quod nullus antecessorum nostrorum gloriosissimis progenitoribus vestris aliquando fecisse recolitur, sperantes scilicet omnem honorem pristinumque vigorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ per vos ad augmentum perfectum perducere,

atque inimicorum sanctæ Dei Ecclesiæ et nostrorum ferocem severitatem omni modo comprimere facileque superare putabamus. Sed quia de his omnibus nihil apud magnitudinem vestram, ut volebamus, peregimus, revertentes prioribus pejora repperimus. Nam inimici nostri, majori audacia elevati, non solum ea quæ sancti Petri sunt diripere, sed etiam homines nostros in sua potestate recolligere et retinere non dubitant. Quapropter, fili charissime, pro certo scitote quia nos vestrum honorem et gloriam toto conamine desideramus perficere, et ideo vos ea quæ utilitati et exaltationi sanctæ sedis apostolicæ proficua sunt, pio intuitu menteque devota debetis peragere. Unde obnixe precamur ut nobis dirigatis Luithbardum venerabilem episcopum, Manigoldum filium Adelberti, et Adelbertum protopincernam vestrum, qui, antequam vos has in partes veniendi iter sumatis, nos et sanctam matrem vestram Romanam Ecclesiam certificent, et ad vestrum honorem et gloriam placabiles et lætos efficiant, quatenus Deo auxiliante, vobis venientibus Romam, unum de pactis, et privilegia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, more parentum vestrorum, renovare et confirmare studeatis: et petimus ut de hoc quod pro honore Dei et sanctæ Ecclesiæ, seu vestro vos facere monemus, aliquid inimicis nostris non credatis, neque his qui magis ea quæ sua sunt quam vestram gloriam quærunt, eo quod honor et exaltatio sanctæ Romanæ Ecclesiæ vestra protectio est in omnibus vestraque contra omnes inimicos defensio. Hos autem missos nostros, Marinum videlicet venerabilem episcopum et arcarium sedis nostræ, atque Petrum æque episcopum Senogalliensem vobis direximus, quos ut benigne recipiatis rogamus, et ea quæ vobis verbotenus dixerint, quasi nobis credere non dubitetis. Data *ut supra*.

CCLXI.

AD EUMDEM.

(Anno 879.)

Dolet se non posse cum eo colloqui. Arnulfum legatum ad eum mittit, petens ne Romanam Ecclesiam ab hostibus lædi patiatur, ideoque ejus legatum cum Arnulfo ad se mitti jubet.

Dilecto ac spiritali filio CAROLO glorioso regi.

Audivimus quod debeatis nunc Alpes transire, atque cum charissimo fratre vestro communi eloquio frui; unde valde turbati existimus eo quod secundum commune placitum sperabamus nos vobiscum simul convenire, et magnum ac proficuum opus exaltationis sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ vestrique honoris et totius terræ sancti Petri salutis peragere. Idcirco direximus vobis hunc charissimum nepotem nostrum Farulfum deliciosum consiliarium nostrum, per quem vestræ regali suggerimus magnificentiæ ut nullo modo prætermittatis ita ordinare atque disponere terram S. Petri; quatenus salva et defensa non solum a paganis, sed etiam a malis Christianis, quod ipsi procul dubio scitis, permaneat, donec, Deo auxiliante, revertentes ad gremium sanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ veniatis; quia si hoc prætermiseritis, tanta undique adversa vix ferre valemus. Quapropter vestra regalis magnitudo prævideat ne vestris diebus eadem Ecclesia aliquam minuitatem patiatur, sed per vos magis augmentetur, quoniam ipsius augmentum vester est honor. Ideo petimus ut cum præsente jam dicto nepote nostro idoneum e latere vestro nobis dirigatis legatum, qui ad salutem et justitiam terræ nobiscum interim pariter et promptissime in omnibus, prout opus fuerit, desudet; ut et nos omnem vestrum honorem libentissime valeamus perficere, cui ea quæ vobis dixerit, quasi nobismetipsis credere non dedignemini. Quamobrem rogamus, ut libenti animo hoc facere, et secundum promissum vestrum adimplere omnimodis satagatis, nam certos vos esse volumus quia vestrum honorem et gloriam tota mente desideramus perficere.

CCLXII.

AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 879.)

Miratur quod injuriis lacessitus ad se non confugerit; nuntium Ravennam mittit, qui omnia contra eum gesta diligenter inquirat, et eos qui injuriam intulerant, Romam venire compellat; quibuscum ipse ad synodum proficiscatur, ubi ejus causa agetur: eumque arguit quod in sua Ecclesia non resideat.

Reverendissimo et sanctissimo ROMANO archiepiscopo sanctæ Ecclesiæ Ravennatis.

Audientes tales vobis a quibusdam insidias et injurias accidisse, mirati sumus quomodo ad Romanæ Ecclesiæ gremium et ad nostram apostolicam non statim veneritis præsentiam; nam si venissetis, pro certo scire potestis quia nos, diligenter inquistis omnibus, omnem tuam causam ad optatum et prosperum finem, Deo favente, omnimodo perduceremus. Nunc autem pro hujus rei causa missum prudentem dirigimus Ravennam, cui ea quæ nobis mandastis contra te acta fuisse, diligenter inquirere jubemus, ut eos qui talia, ut asseritis, egerunt, sub fidejussore talique legato obliget, quatenus ipsi de præsenti Romam compellantur venire. Quibus sane venientibus, volumus ut et vos pariter veniatis Kalendis Octobris, sicut tibi pro celebranda etiam synodo jam præceptum est, quia in præsentia nostra causam tuam volumus deliberare, quoniam nos, secundum datam nobis divinitus potestatem, more prædecessorum nostrorum vos adjuvare omnino curabimus; nam volumus ut honor sanctæ Ravennatis Ecclesiæ semper indiminutus permaneat. In hoc tamen redarguendus es, quia dimissa Ecclesia tua Ravennæ, per alienas Ecclesias contra tuam sponsionem discurris et resides; nam pro his quæ tibi evenis et dicis *. Data *ut supra*.

* Deest aliquid.

CCLXIII.

AD OMNES FIDELES.

(Anno 879.)

Præcipit ut Ticinensi episcopo, cui potestem excommunicandi tribuerat, obediant.

Omnibus reverendissimis et sanctissimis episcopis, seu eximiis marchionibus et comitibus, cunctisque sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus.

Habentes omnium Ecclesiarum Dei, secundum Apostolum *(II Cor.* XXI), sollicitudinem, dignum duximus vestram industriam his apostolatus nostri litteris admonere atque apostolica benignitate magnopere exhortari quatenus potentiæ munus, quod divina largitate habetis, utilitati Ecclesiæ et honori sacerdotali prodesse debeat semper. Quapropter reverentiam et honorem sanctæ Ticinensi Ecclesiæ, quæ speciali quodam modo sedi apostolicæ pertinere videtur, ejusque antistiti, Joanni videlicet confratri nostro, cui vice nostra transgressores excommunicandos commisimus, eo videlicet tenore at quos ipse excommunicaverit, ipsi excommunicati existant, ut ei auxilium alacriter impendatis monemus, nullam contrarietatem vel invasionem in rebus vel hominibus ipsius Ecclesiæ quamlibet facere permittatis; quin potius vestro eos solatio tueri pro Dei nostroque amore diligentissime studeatis; sed et clericos illius nemo vestrum in commendatione, aut sub alicujus defensionis obtentu, absque prædicti episcopi sui licentia recipere præsumat. Quod si contra hoc nostrum apostolicum statutum aliquid suorum clericorum agere tantaverit, ecclesiastica sit, tam acceptor quam acceptus, communione privatus. Data *ut supra.*

CCLXIV.

AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

(Anno 879.)

Præcipit ut Romam ad synodum veniat.

Reverendissimo et sanctissimo archiepiscopo sanctæ Ecclesiæ Revennatis.

Sicut jam olim vestræ præcepimus reverentiæ, ut pro multis Ecclesiarum Dei necessitatibus quarto Idus Octobris Romam venientes, synodum pariter celebraremus, nunc iterato his apostolatus nostri litteris fraternitati vestræ jubemus ut, omni mora vel occasione postposita, ad denominatam synodum, quam, Deo auctore, in prædicto tempore celebraturi erimus in ecclesia beati Petri principis apostolorum, cum suffraganeis tuis episcopis occurrere nullatenus prætermittatis; quia nos omnium Ecclesiarum Dei utilitati et exaltationi, sicut oportet, pari consensu et decreto more prædecessorum nostrorum consulere volumus. Et ideo vestram, secundum sacros canones unanimitatem adesse volumus, quatenus Ecclesiæ Dei vigor, Christo favente, per synodalem censuram illibatus permaneat. Quapropter si in veniendo nunc aliquam moram vel negligentiam admiseritis, scitote quoniam canonica vos redarguemus censura. Optamus sanctitatem tuam, etc. Data XI Kalendas Octobris, indictione XIII.

CCLXV.

AD CLERUM MEDIOLANENSEM.

(Anno 879.)

Præcipit ut in locum Ansperti archiepiscopi in Romana synodo privati alium a se consecrandum sufficiant; mittit legatos qui una cum ipsis electioni intersint, quibus in omnibus obediri jubet.

Omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, et omni clerc sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis.

Deo dilectæ unanimitati vestræ fraternitatis, charissimi, notum esse volumus quia nos una cum sancta synodo Idibus Octobris in ecclesia beati Petri apostoli peracta. Anspertum dudum archiepiscopum vestrum pro suis negligentiis ac multiplicibus præsumptionibus jam in priori synodo, post secundam et tertiam vacationem, atque post canonicas sibi datas inducias pro se satisfaciendo nolentem occurrere, virtute sancti Spiritus, et auctoritate sanctorum Petri ac Pauli apostolorum principum, et canonica atque synodica sanctione, episcopali honore privavimus, quia ante audientiam communicare pertinaciter præsumpsit, et ante legitimum suæ purgationis examen ministerium sacrum contra statuta majorum temere agere non dubitavit. Et ideo præsenti vobis statuto jubemus ut omnes uno animo unoque voto convenientes atque convocantes pastores vel populum civitatis, de electione alterius, qui de cardinalibus presbyteris aut diaconibus dignior fuerit repertus, cum Christi solatio, ad archiepiscopatus honorem promoveatis: quo scilicet decreto solemniter facto, atque ad hanc urbem transmisso, ne antea quislibet episcoporum aliquem ibidem ordinare præsumat, antequam nobis omnia fuerint renuntiata, cum, Deo favente, nos ibi secundum morem pristinum, et secundum regiam concessionem, velumus archiepiscopum consecrare. Nam si aliter præsumpseritis, ecclesiastica vos communione privabimus; et qui contra hoc nostrum statutum fecerint, apostolico judicio erunt omnino correpti. Sane reverendissimos fratres et coepiscopos nostros Joannem Ticinensem, et Weltonem Ariminensem illuc vice nostra dirigimus, qui vobiscum pariter eamdem electionem feciant; quos nemo vestrum impedire in aliquo præsumat, si quidem justum fore cernitis ut nobis in omnibus obedire procuret: cui quisquis hoc superbiendo resistens agere tentaverit, a Christianorum collegio separatus erit [a]. Et quia nondum a vinculis excommunicationis absolutus in Vercellensi ecclesia episcopum enormiter ac pervicaciter ordinare, contra regiam etiam voluntatem præsumpsit. Data *ut supra.*

[a] Hæc verba superius transferenda videntur.

CCLXVI.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 879.)

Significat Anspertum dudum archiepiscopum Mediolanensem in Romana synodo privatum, ac Josephum, quem ille in Vercellensi episcopum ordinaverat, depositum ; rogat ut Conspertum in Vercellensi ecclesia episcopum a se consecratum tueatur.

Dilecto ac spiritali filio CAROLO glorioso regi.

Regiæ magnitudini vestræ notum esse volumus, fili charissime, quia Anspertum Mediolanensem archiepiscopum, in prima quidem synodo in ecclesia beati Petri apostoli habita pro suis evidentissimis negligentiis et præsumptionibus, una cum reverendissimo episcoporum cœtu regulariter excommunicavimus : sed mentem suam in superbiam erigens, non solum pro perpetratis veniam humiliter non quæsivit, verum etiam ante audientiam et nostram apostolicam absolutionem, sacrum præsumpsit ministerium celebrare, atque contra sacros canones contraque regiam et nostram apostolicam voluntatem, episcopum in Vercellensi ecclesia enormiter consecrare præsumpsit. Pro quibus videlicet tantæ temeritatis præsumptionibus, et ipsum Anspertum dudum archiepiscopum in ea, quæ nuper acta est synodo, omni episcopali honore privavimus, et eum, quem illicite ordinavit episcopum, decrevimus synodali judicio depositum esse ab ordine episcopatus : intuitu tamen misericordiæ in pristinum quo erat antea gradum reverti. Porro nos, secundum voluntatem et petitionem dilecti filii nostri Carolomanni gloriosi regis hunc Conspertum reverendissimum, de quo jam olim vobis per vestrum fidelem missum innotuimus, in eadem Vercellensi Ecclesia, consentientibus omnibus comprovincialibus episcopis, antistitem consecravimus, quem petimus obnixe ut pro amore Dei et sancti Petri, ac nostro, vestræ potentiæ brachio tueamini, et, prout ei opus fuerit, dignum semper in omnibus præbeatis solatium. Regalem excellentiam vestram Dominus conservet incolumem, charissime fili. Data *ut supra.*

CCLXVII.

AD VERCELLENSES.

(Anno 879.)

Præcipit ut Conspertum a se illis episcopum constitutum recipiant, et congruo honore colant. Josephi invasoris acta nulla esse declarat.

Omnibus presbyteris, diaconibus, subdiaconibus et omni clero ac primatis, omnique populo Vercellensi.

His nostris apostolicis litteris vobis cognitum facimus quia Anspertum dudum archiepiscopum Mediolanensem pro suis multis præsumptionibus et negligentiis jam olim una cum sancta synodo sacra communione privavimus ; sed ipse contra canonica statuta et contra nostrum apostolicum synodicumque judicium agens, ante audientiam, et absolutionem ministerium sacrum agere atque adhuc excommunicatus in hac Vercellensi Ecclesia vestra, quemdam virum Joseph nomine, ut audimus, contra regiam et A nostram apostolicam voluntatem, episcopum ordinare temere præsumpsit. Ideo et eumdem archiepiscopum, et hunc ipsum Joseph invasorem ac præsumptorem, non intrantem per ostium, sed aliunde quasi furem ingredientem in ovile Domini, cum virtute sancti Spiritus, et auctoritate beatorum Petri ac Pauli apostolorum principum, nostroque apostolico judicio una cum synodali cœtu reverendissimorum episcoporum, omni episcopali honore decrevimus esse privatos et alienos : tamen intuitu misericordiæ, decreto synodali statuimus, jam fatum Joseph, invasorem Ecclesiæ vestræ, de ordine episcopali dejectum, in gradum et ordinem quo prius exstitit omnimodo reverti. Nam cum prædictus Anspertus dudum Mediolanensis archiepiscopus esset regulari B ter excommunicatus, aliquam vel minimorum in Ecclesia Dei consecrationem graduum facere nullo modo potuit ; quia quod non habuit, dare profecto nequivit. Quare omnium vestrum cognoscat sagacitas, et laudanda fidelitas, quoniam dilectus ac spiritalis filius noster Carolomannus, gloriosus rex istius Italici regni, ipsum Vercellensem episcopatum, more præcessorum suorum regum et imperatorum, concessit huic Consperto vero nobilissimo, præsentibus missis nostris, nostramque apostolicam clementiam suis et litteris deprecatus ut eum vobis episcopum consecraremus. Nos autem, ejus precibus inclinati, nolentes vos diu sine proprii ac legitimi esse cura pastoris, hunc ipsum sanctæ Vercellensi Ecclesiæ vestræ apostolica duntaxat auctoritate episcopum consecravimus, dedimusque vobis pro invasore illo C istum pastorem, pro mercenario ignavo providum satis rectorem, qui scilicet nostris vos apostolicis doctrinis admonitus, quasi populum Domini sibi commissum more veri pastoris pabulo vitæ perpetuæque salutis pascere atque in virga æquitatis et mansuetudinis regere vigilanti semper cura et sollicitudine solerter procuret. Quem itaque vos omnes uno voto et pio affectu quasi patrem et rectorem animarum vestrarum, utpote charissimi filii, ut recipiatis præsenti statuto nostro jubemus ; et abjecto ac reprobato supradicto invasore, hunc, quem ordinavimus vobis, habetote episcopum. Nam magna vos laude dignos fore videmini, quod de beati Petri apostoli consecratione meruistis habere antistitem : et hoc in augmentum honoris Ecclesiæ Vircellensis D sine dubio proveniet, si vos devota mente nostris obtemperatis præceptis. Nos enim, vestram cupientes salutem, ideo monemus ut mente et corpore salvi esse possitis. Jubemus etiam omnes scripturas, vel dationes cujuscunque tenoris, quas fecit de plebibus, casalibus et villis ipsius Ecclesiæ Vercellensis, nullam habere firmitatem ; sed omnia quæ fecit esse judicamus vacua et inania, quia legitimus ipse non fuit episcopus, et ideo quippiam dare non potuit : eum vero qui ex his quæ fecit aliquid firmum esse dixerit, Ananiæ et Sapphiræ anathemate feriendum fore censemus. Nam si cujuslibet consilio vel hortatu aliter facere, non de præsenti ipsum invasorem

abjicere studueritis, atque hunc quem nos consecravimus vobis, alacri cum voluntate non receperitis, omni ecclesiastica vos communione privabimus dignoque anathemate feriemus. Data *ut supra*.

CCLXVIII.

AD NOTINGUM NOVARIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 879.)

Monet ut res Angelbergæ restituat; sin minus, denuntiat illi excommunicationem, nisi intra duos menses ad reddendam de his rationem Romam veniat.

NOTINGO Novariensi episcopo.

Audivimus te res spiritalis filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ injuste tenere, quas volumus, et apostolica auctoritate præcipimus, ut continuo reddere studeas : et quod tibi retinere debere nulla lege B conceditur, sub omni celeritate dimittas, ut ei cui pertinere videtur, his perfrui modis omnibus liceat. Nam si continuo præfatas res non reddideris, monemus, et apostolica auctoritate præcipimus, ut intra spatium duorum mensium Romam ad reddendam pro his rationem occurras, et coram nobis congruam satisfactionem exhibeas : alioquin tandiu excommunicatus existas quandiu huic nostræ commonitioni obtemperans, hæc quæ statuimus adimplere procures. Data XIV Kalendas Novembris, indictione XIII.

CCLXIX.

AD AMALFITANOS.

(Anno 879.)

Significat se eos excommunicasse donec se a paganis separent; minatur illis alias pœnas, nisi quamprimum pareant.

Reverendissimo et sanctissimo PETRO episcopo, seu PULCARI præfectorio, atque universo populo Amalfitano.

Notum esse volumus dilectioni et unanimitati vestræ quia contra divina statuta, et nostra apostolica monita, quibus vos frequenter monuimus, et ex auctoritate Dei et sanctorum apostolorum Petri ac Pauli, præcepimus ut nullum cum impia Saracenorum gente pactum haberetis, habitumque omnimodo rumperetis, in tali scelere, et in consortio inimicorum Dei manere non formidatis : virtute sancti Spiritus, et auctoritate sancti Petri, cui ligandi et solvendi in cœlo et in terra a Domino est concessa potestas (*Matth.* XVI), omni sacra communione, sancto D videlicet corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, vos una cum totius apostolicæ sedis consensu privavimus, et ab Ecclesiæ Dei societate separavimus, ut in eadem excommunicatione maneatis, donec resipiscentes ab impia vos paganorum præda separetis; et nisi puro corde et devota voluntate citius fueritis conversi ad gremium sanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ, majoris damnationis sententia vos procul dubio feriemus. Vestram denique nos salutem quærimus, vestras cupimus in conspectu Domini animas apostolica benignitate salvare, et quasi oves dominicas ad pascua salutis æternæ desi- A deramus perducere : si tamen bonis operibus dediti nostra solatia, voluntatem, jussionem et admonitionem studueritis perficere, et in tali placito nequitiæ contempseritis manere. Optamus vos in Christo bene valere. Die 24 mensis Octobris, indictione XIII.

CCLXX.

AD HELMOINUM EPISCOPUM PENNENSEM.

(Anno 879.)

Arguit quod ad synodum non accesserit; jubet statuta die ad se venire, et interim quemdam absolvere, quem injuste excommunicaverat.

Reverendissimo et sanctissimo HELMOINO episcopo Pennensi.

Secundum sacros venerabilium Patrum canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, pro ecclesiasticis duntaxat necessitatibus atque utilitatibus ad eas, quas nuper statutis diebus celebravimus, synodos, missis ex more auctoritatis nostræ litteris, fraternitatem tuam debere occurrere modis omnibus decrevimus : sed quia, cæteris devote valde venientibus, te minime venisse, neque excusationem tuam in tractoria regulari tenore conscriptam nobis et sanctæ synodo, causa videlicet temeritatis et inobedientiæ, ut etiam evidenter apparet, non direxisse comperimus, ne dilectionem tuam de hoc indiscussam præteriisse videamur, hoc nostro apostolatus statuto jubemus, eam infra octavum diem Decembris mensis, sine aliqua mora vel ambiguitate ad nos debere venire nostrisque se obtutibus præsentare. Nam et Oteramus filius qui C [*f.* quondam] Corvini cum aliis suis concivibus, nostris apostolicis, coram venerabili episcoporum cœtu super te questus est, auribus, quod dum a te ipse impetitus ecclesiastice de contemptione, post præstito sacramento, se cum suis sacramentariis purgasset, tua eum fraternitas, sicut professus est, quasi perjurum excommunicaverit; regula canonica præcipiente quod hanc episcopus sibi cognitionem nullo modo debeat vindicare, Dominoque dicente ad Moysen, ad unius testimonium neminem condemnari oportere. Quod si ita est, quia temere illum excommunicare non debuisti, præcipimus ut eum de præsenti absolvas tuæque communioni restituas : nam si ausu improbo aliter feceris, non quidem eum auctoritate apostolica procul dubio absolutum esse jubemus. Et si hanc jussionem nostram parvipendens, temerario ausu præsentiæ nostræ adesse contempseris, ecclesiastica te communione velut inobedientem esse noveris privandum, quousque pro tuis negligentiis dignam veniens nobis satisfactionem humiliter feceris. Data XIII Kalendas Decembris.

CCLXXI.

AD PAULUM EPISCOPUM.

(Anno 879.)

Jubet ecclesiam in villa Carpana sitam restitui, ibique sacerdotem constitui, et sacrum chrisma annuatim in eamdem mitti.

Reverendissimo et sanctissimo PAULO episcopo sanctæ Ecclesiæ Regiensis.

Dilectioni tuæ venerandis sanctorum Patrum regulis edoctæ mandamus, atque his præsulatus nostri litteris jubemus, ut ecclesiam Dei positam in villa Carpana, jam nuper incendio crematam restaures, atque in pristinum decorem et ordinem restituere nullatenus prætermittas, atque sub proprii cura sacerdotis eam constituas, qui sedulas ibi Domino laudes quotidie persolvat, ac pro salute fidelium omnipotentem Dominum valeat exorare, sacrumque illic, Deo propitio, annue chrisma mittere indesinenter procures, quod est totius Christianitatis salus et perfectio vera. Nam si aliter feceris, nos ex apostolica auctoritate alteri episcopo præfatam ecclesiam ad restaurandum et canonice ordinandum procul dubio committemus. Data XIII Kalendas Decembris.

CCLXXII.

AD THEODORICUM, HEODICIUM, ETC.

(Anno 879.)

Ostendit mulierem, quæ vi minisque coacta religiosum habitum susceperat, ad vota servanda non teneri; hujus tamen causam illis definiendam committit. Quod si qua oriatur difficultas, eos vel eorum legatos cum ipsa muliere ad se venire jubet.

THEODORICO Teatio, HEODICIO Firmano, JOANNI Aprutiensi et HELMOINO Pinnensi episcopis.

Quædam vestrarum diœceseon femina, nomine Theoderona de Vivelata, relicta quondam Tresigii. sedem apostolicam nostrumque simul pontificium adiens, questa est nobis quod, viro suo defuncto, velamen sibi sacri habitus ab ejusdem viri sui fratris duntaxat gemani vi, non scilicet dilectione vitæ spiritualis, sed ambitione prædiorum ducti, impositum fuerit, et ipsa plurimum renitens contra propriam sponsionem, pollicitationem, expetitionem, electionem, propositum, votum atque spontaneum judicium sine benedictione sacerdotis idem velamen susceperit. Cujus professionem coram coepiscopis et fratribus nostris conferentes, inquisivimus etiam idoneos viros Opteramum, Scattoimum, Erfemarium, Amedeum et Cerisium, vicinos scilicet ipsius feminæ, qui casu præsentes aderant, utrum se ita res haberet an non. Sed illi non solum ita fuisse testificati sunt, verum etiam parati exstiterunt omnem super hanc causam satisfactionem præmittere. Nos igitur habentes eumdem quem et patres nostri spiritum fidei, et per gratiam Christi, zelum justitiæ, eadem super legitime velatis quæ et illi sentimus eademque omnino decernimus; et quod non propria voluntate, non arbitrio, non voto, non expetitu vel spontaneo judicio, quin potius coacte admittitur, cassandum esse sancimus: præcipue cum hæc eadem femina non nisi minis perterrita, plus minus diebus quindecim idem velamen gestasse se dixerit, et nullo sacerdote benedictionem tribuente hoc violenter susceperit. Quod licet ad hujus absolutionem sufficere posse speremus, quia si ita est, totius violentiæ ac necessitatis vinculis absoluta, suum licenter et impune sequi debet arbitrium, et quod non elegit, ut perferat, non est cogenda: tamen sanctitati vestræ committimus ut, in unum convenientes, ipsius feminæ causam secundum Deum discutiatis, et omnem super hac querimonia veritatem subtili indagatione reperientes, ad liquidum finiatis. Verumtamen dignum non esse sancimus ut jugum cui non suo proposito mota, sed ambitione et violentia oppressa subacta est, portare cogatur, quia et sanctus papa Gregorius in epistola ad Athanasium [*al.* Anastasium] presbyterum Isauriæ, inter cætera ita refert: (*epist.* lib. V, epist. 67). Quanquam ea quæ vi impulsionis fiunt, canonum minime censura recipiat, et jure habeantur infirma quia ipse ea dissolvit, qui injustum fateri compellit, sed magis illa est suscipienda et amplectenda confessio, quæ ex spontanea monstratur voluntate procedere. Et rursus scriptum est: *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII); et alias: *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine* (*Psal.* CXVIII). Porro jam fato Joanni reverendo Aprutiensi antistiti etiam verbis injunximus ut, ascita vestra fraternitate, omne de hac re negotium vobiscum pariter ventilet, et canonice, sicut prædiximus, diffinire procuret. Super quo si aliqua ambiguitas fortassis emerserit, tunc jubemus ut aut vos, aut vestri legati vices vestras agentes, cum eadem femina nostris præsentialiter obtutibus præsententur, ut coram nobis jam diligentius omnis rei veritas inquiratur et æquitatis regula terminetur. Postremo si præfatæ feminæ aliquod invidiose objectum crimen quoquomodo fuerit, vos, Deo præ oculis habito, hoc non admittatis; et si accusator illius in sua obstinatione permanserit, tam accusata quam accusator in nostram cum vestris pariter missis accelerent properare præsentiam. Verumtamen si accusator ejus defuerit, jam illa crimine illo coram nobis veniens non tenebitur, secundum Carthaginensis concilii nonum decimum capitulum, ita inquiens (*Conc. Carth.* III, cap. 7): Accusator ejus si nunquam diebus causæ dicendæ defuerit, a communione non removeatur; restituto in communione accusato, ipse removatur a communione accusator. Data XII Kalendas Decembris, indictione XIII.

CCLXXIII.

AD ATHANASIUM, PULCAREM, ETC.

(Anno 879.)

Præcipit ut fœdus cum Saracenis ictum rumpant; quod nisi Kalendis Decembris fecerint, eis excommunicationem minatur. Pulcarem monet ne Pandenulfo Capuano judici molestiam inferat.

ATHANASIO episcopo Neapolitano, PETRO episcopo, seu PULCARI præfectorio Amalfitano, episcopo Cajetano, seu Decibili, et JOANNI gloriosis hypatis, a paribus.

Pudet, ut ita dixerim, pontificium nostrum vos jam commonere super hoc quod tam multoties a nobis commoniti resipiscere noluistis, et cum Deo odibilibus Saracenis habitum pactum dissolvere hactenus contempsistis. Verum quia quanta crudelitatum genera, ac desolationum terræ istius cala-

mitatum nimis ex hoc mala lugenda provenerint atque proveniant, exaggerare differimus, ne interim, quod dignum est, judicare cogamur. Adhuc obsecramus, adhuc sicut spiritales filios exhortamur, et paternis visceribus vos amplecti conantes, Dei ac principum apostolorum Petri ac Pauli auctoritate præcipimus, ut jam jamque disciplinam percipientes, ab eisdem iniquis et ancillæ filiis saracenis vos separetis, et pactum cum eis habitum modis omnibus dissolvatis, si vel nostræ communionis, vel ipsius Christianitatis vultis esse participes; in quos jam daremus ecclesiastici mucronis sententiam, nisi nos apostolica patientia retineret. Idcirco vobis inducias usque Kalendas Decembrias istius tertiæ decimæ indictionis ad idem pactum cum Saracenis frangendum largimur, et tam vos quam Cajetanos atque Amalfitanos lucrari volentes, si usque ad idem tempus omnem Saracenorum amicitiam, nec non et omne fœdus dissolvere solito contempseritis, utrosque sententiæ ecclesiasticæ jaculis feriemus, et perpetuo anathemati submittemus, ut qui socii disciplinæ esse non vultis, communionis quoque nostræ non sitis participes. *Hoc addendum est in epistola ad Pulcarem.*

Postremo nobilitatem tuam monemus ut Pandenulfo judici Capuano in nullo molestus existas; et quod nobis ipse devotus est, tu ei devotione et amicitia copulatus, in quo posse tibi fuerit, contra adversitates illius te murum opponas; quatenus patris illius qui proprio genitore salvando suffigiit, reminiscens, pro utriusque amore, si de nobis tibi cura est, ipsius Pandenulfi profectibus potius hæreas, quam obviare quoquomodo videaris.

CCLXXIV.

AD ARPALDUM EPISCOPUM ASCULANUM.

(Anno 879.)

Arguit quod ad synodum non venerit; jubet ad se venire, ut iis quæ a suis clericis objiciebantur, respondeat.

Reverendissimo et sanctissimo ARPALDO episcopo Asculano.

Secundum sacros venerabilium Patrum canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, pro ecclesiasticis duntaxat necessitatibus ad eas, quas nuper statutis diebus celebravimus, synodos, missis ex more auctoritatis nostræ litteris, fraternitatem tuam debere occurrere modis omnibus decrevimus. Sed quia, cæteris devote valde venientibus, te minime venisse, cum etiam et auditu didiceris nos synodum celebrare, neque excusationem tuam regulari tenore in tractoria conscriptam nobis et sanctæ synodo, causa temeritatis et inobedientiæ tuæ, ut evidenter apparet, non direxisse comperimus; ne dilectionem tuam de hoc indiscussam præteriisse videamur, hoc nostræ auctoritatis statuto jubemus, eam de præsenti sine aliqua mora vel ambiguitate ad nos debere venire nostrisque se obtutibus præsentare. Nam et clerici tuæ nos Ecclesiæ adierunt, reclamantes multa se a tua perpessos fraternitate enormiter adversa, et contra regulam ecclesiasticam injuste fore oppressos; quorum videlicet objectionibus coram nostro præsulatu assistentem te oportet procul dubio respondere. Et ideo hac jussione nostra percepta occurrere studeas, antequam Ecclesia tua majus schisma vel scandalum patiatur: quoniam si venire jam modo contempseris, dignam excommunicationis a sede apostolica prolatam sustinebis omnino censuram. Data VIII Kalendas Decembris.

CCLXXV.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 879.)

Miratur quod cum Papiam venerit, ubi simul convenire debebant, legatos ad se non miserit: petit illos, destinet, ut se ad eum conferre possit.

Dilecto ac spiritali filio CAROLO glorioso regi.

Sicut nostro præsulatui vestris jam olim regalibus direxistis apicibus, ut his Kalendis Novembribus jam transactis vobis Papiam obviam venire deberemus: quatenus communi simul tractatu ea quæ sanctæ Ecclesiæ Dei utilia sunt, et regni stabilitati proficua, pariter considerassemus, stabilitateque perpetua firmassemus; hoc quidem avida ex tunc perficere mente parati existimus: sed quia vos in Italiam introisse audimus, valde mirati sumus quamobrem vestrum nobis adventum, per excellentiæ vestræ mellifluos apices et idoneos legatos, cognitum minime feceritis; nam paterno vos affectu diligentes, speciali duntaxat intuitu magnitudinem vestram cernere desideramus, filiorum charissime. Nunc itaque, si omnino verum est jam Papiam venisse, volumus ut eximios ex latere vestro nobis dirigatis legatos, honorificas sedi apostolicæ litteras deferentes; quibus videlicet perspectis, ad vestram properare serenitatem communeque colloquium indubitanter valeamus: quia cum, Deo propitio, vobiscum fuerimus conjuncti, omnia quæ ad exaltationem sanctæ sedis apostolicæ matris vestræ, et ad vestrum ac nostrum videntur pertinere honorem, Deo favente, facile poterimus perficere. Pro quibus vobis et in hoc sæculo gloria multipliciter augeatur a Domino, et in cœlesti postmodum regione merces perpetua procul dubio tribuetur. Data *ut supra.*

CCLXXVI.

AD EUMDEM.

(Anno 879.)

Gratias agit quod cum a se fuerit Conspertus Ecclesiæ Vercellensis episcopus ordinatus, ejus ordinationi libenter aquieverit; se excusat quod Anspertum archiepiscopum Mediolanensem ejus precibus non absolvat.

Dilecto ac spiritali filio CAROLO glorioso ac excellentissimo regi.

Multiplices gratias vestræ referimus magnitudini, quia pro Vercellensi episcopatu, in quo nos Conspertum una cum synodi decreto episcopum ordinavimus, nostram libenter perfecistis voluntatem. De cætero autem, hoc est Mediolanensi archiepisco-

patu, o fili charissime, sicut nobis nunc mandasti, ut Anspertum archiepiscopum, quem in synodo pro nonnullis suis negligentiis et præsumptionibus judicavimus, reconciliare deberemus. Quod quidem nos pro vestro amore alacri mente omnimodo perficeremus, si sententia damnationis, quam in eumdem archiepiscopum protulimus, sub tenore aliquo non fuisset prolata. Dictum est enim tandiu eum fore ab honore et ministerio sacerdotali suspensum, donec, auctore Deo, suam specialem nobis ad satisfaciendum exhiberet præsentiam. Et quia Ecclesiæ Dei privilegium nos decet immutilatum solemniter conservare, ne in aliquo patrum terminos præterire videamur, contra statuta majorum agere nequivimus. Unde benignitatis vestræ excellentiam paterno affectu monemus ut ob hoc quod irreprehensibiliter agere non possumus nullo modo turbemini, quoniam vestram in omnibus cupimus pro honore perficere voluntatem. Data *ut supra*.

CCLXXVII.

AD LUDOVICUM ET CAROLOMANNUM REGES.

(Anno 879.)

Gratias agit de ipsorum erga Romanam Ecclesiam affectu, et mutuum studium pollicetur.

Dilectissimis filiis Ludovico et Carolomanno gloriosissimis regibus.

Audita per venerabilem episcopum devotione vestra, quam circa sanctam Romanam Ecclesiam habere totoque conamine exercere cupitis, maximas Deo et vobis gratias agimus. Unde a nostra parte vos certos existere volumus quia sicut dominus Carolus divæ memoriæ imperator avus vester, ac postmodum genitor vester Ludovicus rex, sub protectione Romanæ Ecclesiæ nostraque apostolica tui - tione vos commendaverunt, ita nostrum apostolicum affectum circa vos in omnibus ostendere vosque adjuvare ac protegere paterna dilectione atque amore semper parati existimus. Præterea de his quæ per jam dictum coepiscopum verbo tenus mandastis, ita vobis per eum dictis respondendo direximus. Nam ea quæ nostro consilio reperimus et vobis innotescendo mandavimus, ad vestrum honorem proficua esse omnimodo credite.

CCLXXVIII.

AD HUGONEM ET ALIOS COMITES.

(Anno 879.)

Gratias agit de fide quam Ludovico et Carolomanno regibus servabant.

Hugoni eximio abbati, seu Bernaldo, Guitoni, et aliis regi gloriosis comitibus.

Audientes bonam famam de vobis, quod protectores, defensores atque fideles Ludovico et Carolomanno excellentissimis regibus, qui nobis a progenitoribus suis commissi sunt, in omnibus existitis, gratias referimus maximas. Quapropter his apostolicis nostris litteris magnificentiam vestram exhortamur ut more fidelium parentum vestrorum, magis ac magis circa eos vestram sincerissimam devotionem ostendatis, quoniam et nos, Deo propitio, in eorum adjutorio vobiscum pariter in omnibus prompti existimus: ut dignam exinde vos non solum a Deo et a nobis, verum etiam et ab illis retributionem percipere mereamini.

CCLXXIX.

AD JOANNEM EPISCOPUM TICINENSEM.

(Anno 879-880.)

Præcipit ut ecclesiam in Carpana villa sitam, quam Paulus Regiensis episcopus reficere neglexerat, restituat, ibique sacerdotem proprium constitua et sacrum chrisma annuatim mittat.

Reverendissimo et sanctissimo Joanni episcopo Ticinensi, dilectoque confratri.

Quia Paulus Regiensis Ecclesiæ episcopus, et canonicis admonitus institutis, et nostris apostolicis præceptionibus exhortatus, ut ecclesiam Dei positam in villa quæ dicitur Carpana, igne crematam restaurare, ibique suum, secundum jus ecclesiasticum, omne officium vel ministerium rite peragere debuisset, temere contempsit, nostræque salubri præceptioni obedire contempsit, nec debitum in hoc Deo nostro reddidisse videtur honorem. Præcipientes igitur ex apostolica auctoritate dilectionis tuæ jubemus, ut de præsenti, et absque omni protelatione, ipsam ecclesiam restituas in pristinum decorem et ordinem, atque sub proprii cura sacerdotis eam constituas, qui sedulas ibi Domino laudes quotidie persolvat, ac pro salute fidelium omnipotentem Dominum valeat exorare, sacrumque illic, Deo propitio, annue chrisma mittere indesinenter procures, quod est totius Christianitatis salus et perfectio vera. Data *ut supra*.

CCLXXX.

AD TEUTMARUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 879 vel 880.)

Miratur eum morari et ad se non venire: monet ut statim veniat.

Reverendissimo et sanctissimo Teutmaro archiepiscopo dilecto confratri nostro.

Sicut nobis dilectus ac spiritalis filius noster Carolamannus gloriosus rex suis regiis direxit apicibus, ut vos ad nostram apostolicam venire debuissetis præsentiam, vestrum quotidie præstolantes adventum miramur cur tantum moremini: nos enim almitatis et prudentiæ vestræ favore repleti fraternitatem vestram pio cupimus jam contemplari intuitu. Unde his nostris apostolicis litteris vos monemus et exhortamur ut libenti ad nos animo properare omnimodis studeatis, quatenus una vobiscum ea quæ sanctæ Dei Ecclesiæ utilia sunt, prout necesse fuerit, pariter ordinare valeamus. Data *ut supra*.

CCLXXXI.

AD ANTONIUM EPISCOPUM ET BERENGARIUM COMITEM.

(Anno 879-880.)

Liutfredum comitem, quia monialem quæ e monasterio effugerat, suscepit, et bona Angelbertæ imperatricis diripuit, excommunicat, nisi statuto tempore satisfecerit: monet ne quisquam cum eo communicet.

Reverendissimo Antonio episcopo Brixiensi, et

nobilissimo viro dilectoque filio BERENGARIO glorioso comiti.

Quia dilectus ac spiritalis filius noster Carolomannus gloriosus rex suis regalibus litteris, et missorum nostrorum verbo, nostro præsulatui pio mentis affectu commisit, ut nos curam hujus Italici regni haberemus, tam pro divinitus nobis commissa pastorali sollicitudine omnium Christi ovium, quam etiam pro præfati regis vice cura concessa, illa quæ contra Deum et jura legis alicubi cognoscimus præsumptione commissa, omni volumus conamine compescere, et unam ovem morbidam gladio percutere spiritali, ut ad salutem quoquomodo anima vulnerata perveniat, antequam totus grex unius contagione maculetur. Audientes igitur veraciterque scientes Liutfredum comitem suscepisse quamdam sanctimonialem, nomine Gerlindam, de Placintino monasterio fuga lapsam, et post nostram super hac causa admonitionem salubremque prohibitionem, eam detinuisse, atque cum propria uxore suisque illi pariter communicasse; nobilitati vestræ paterna duntaxat dilectione mandamus ut et tam pro eadem sanctimoniali [*deest aliquid*], quam facultatibus dilectæ filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ, cui debitam omnino debuit fidem conservare, latenter recepit; et hactenus contra nostrum ei reddere distulit interdictum; quamque etiam, quia cortex ipsius sub nostra apostolica tuitione ac defensione perenniter susceptas, deprædari temere præsumpsit, nos eum a communione fidelium sequestramus, ita scilicet ut si infra Italicum regnum consistit, intra dies triginta habeat omnia sub vera satisfactione reddita quæ violenter abstulit, et si extra regnum Italicum esse videtur, infra dies sexaginta; ac deinde si, hæc omnia parvipendens, in sua pertinacia manere nihilque studuerit emendare, anathematis vinculo sit innodatus, donec ad nostram apostolicam præsentiam venerit et pro illicitis his omnibus veram coram nobis satisfactionem facere studuerit. Idcirco volumus ut nullatenus ei communicetis, si nostro apostolico vultis, ut dilecti filii, consortio frui. Data *ut supra*.

CCLXXXII.

AD EGILBERTUM EPISCOPUM.

(Anno 879-889.)

Arguit eum quod cum excommunicatis a sede apostolica communicarit: jubet ne cum Liutfredo et Odebrico excommunicatis comminicet.

Reverendissimo et sanctissimo EGILBERTO episcopo.

Beatissimi Apostolici præcepto (*Ephes.* IV) jubemur deponere veterem hominem cum actibus suis et induere novum, qui secundum Deum creatus es in justitia et sanctitate veritatis: propter quod dilectionem tuam audientes cum eis qui a sede apostolica, in qua beatorum Petri ac Pauli semper auctoritas vivit, pro suis manifestis sceleribus excommunicati merito existunt, contra jus ecclesiasticum, ante audientiam et veram in reddendo satisfactionem, communicare, non mediocri animi dolore turbati existimus; cum idem de talibus cavendis doctor egregius dicat: *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, ut non commisceamini cum eo* (*II Thess.* III). Hinc etiam et coapostolus ejus Joannes, hujusmodi nec Ave dicendum concedit: *Si quis*, inquiens, *venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in Domino, nec Ave ei dicite. Qui enim dixerit ei, Ave, communicat operibus illius malignis* (*II Joan.* I). Item beatus Clemens Jacobo fratri Domini scribens, ita de se apostolum Petrum populum admonuisse commemorat: Si inimicus est alicui pro actibus suis. vos nolite exspectare ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse; quibus videlice salubribus exemplis et canonicis etiam institutis edocti, ne simul pariter cum eis excommunicatus existas, ex apostolica tibi auctoritate jubemus, ut nullam deinceps cum Liutfredo et Odebrico, a nobis regulariter excommunicatis, vel in communi eloquio communionem habere præsumas: si debitam in te non vis provinere sententiam, sane (*f.*, cave) ut infra dies triginta post hujus nostræ apostolicæ epistolæ denuntiationem, reddant ipsi omnia eidem dilectæ filiæ nostræ Angelbertæ Augustæ quæ violenter ac fraudulenter auferre præsumpserunt.

CCLXXXIII.

AD EGIFRIDIUM ET ALIOS.

(Anno 879 vel 880.)

Rogat ut bonorum Angelbergæ imperatricis curam sustineant.

Nobilissimis viris dilectis filiis EGIFREDO, SUPPONI. ERIPALDO, BERARDO Bonifacii filio, et COTEPHREDO gloriosis comitibus.

Scientes profecto ea quæ sagacitati vestræ committimus, vos pro amore Dei et sanctorum principum reverentia, nostraque dilectione, pio mentis affectu perficere; ideo pro parte dilectissimæ ac spiritalis filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ his apostolatus nostri litteris gloriam vestram magnopere deprecamur ut omnium rerum ejus ubicunque consistentium curam et sollicitudinem maximam habeatis: quatenus vestro prudenti consilio ingentique solatio ejus omnia salva et indiminuta, secura et defensa consistant, ita sane ut nulli easdem res invadere ac deprædare sinatis. Quia et nos cum qui facere vel favere facienti præsumpserit, spiritali procul dubio gladio feriemus, quatenus ex hoc et nos secundum collatum nobis divinitus apostolicum magisterium dignas atque multiplices nobilitati vestræ gratias habeamus, benedicentes vobis omni benedictione spirituali in Christo Jesu Domino nostro, et vestræ fidei laudabilis rumor per ora fidelium semper ubique resonet ad augmentum vestræ perpetuæ remunerationis. Data *ut supra*.

CCLXXXIV.

AD EUNIBERTUM COMITEM.

(Anno 879 vel 880.)

Minatur illi excommunicationem, nisi res sancti Petri et Angelbergæ imperatricis restituat.

EUNIBERTO glorioso comiti.

Veraci relatione comperimus te res sancti Petri apostoli, quas spiritali filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ concessas habemus, cum aliis ejusdem filiæ nostræ proprietatibus, contra legem invadere ac retinere : et ob hoc tu ipse admonitus ab invasione illa non te subtraxeris, quin potius hactenus in hac eadem pravitate persistere nequaquam omiseris. Idcirco tibi præcipimus ut, omni occasione postposita te compescens, easdem res omnino relinquas, et te sive tuos ab ipsis removeas, quatenus eidem filiæ nostræ liceat omnes illas suo dominio vindicare atque disponere, et ut ei libitum fuerit, sub nostro speciali mandeburdio retinere : alioquin noveris te apostolica nostra auctoritate sancta communione privatum, et quousque sub congrua satisfactione quæ alterius sunt restituas, a Christianorum consortio separatum. Data *ut supr a.*

CCLXXXV.

AD GISULFUM ABBATEM.

(Anno 879-880.)

Ejus curæ monasterium Angelbergæ imperatricis committit.

Gisulfo venerabili abbati monasterii sanctæ Christinæ.

Auctoritate sanctæ sedis apostolicæ tuæ reverentiæ committimus ut curam perspicuam et sollicitudinem habeas monasterii dilectæ filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ, siti in civitate Placentia, sicut idoneus Christi minister et gregis Domini provisor eximius, quatenus secundum regulam sancti Benedicti jure abbatis quæ ordinanda vel disponenda sunt disponas et ordines, et quæ corrigenda perspexeris subtili duntaxat indagatione, ut Domino placeas, ex nostra auctoritate corrigere procures. Data *ut supra.*

CCLXXXVI.

AD GREGORIUM, THEOPHYLACTUM ET DIOGENEM, ETC.

(Anno 879 vel 880.)

Gratulatur de victoria contra Saracenos parta; miratur cur Romam non venerint : mandat ut contra Saracenos sibi auxilio veniant.

Dilectis viris Gregorio spathario, Theophylacto turmacho, atque Diogeni comiti imperialibus.

Audientes vos per Dei auxilium, et secundum spiritalis filii nostri imperatoris voluntatem Neapolim venisse ac multitudinem Saracenorum ibi consistendem potenti brachio superasse, læti sumus effecti et statim debitas omnipotenti Domino gratias egimus super victoria vestra et inimicorum contritione. Sed iterum mirati sumus quia Romam venire nostramque apostolicam neglexistis videre præsentiam, ut pro vestri laboris certamine multiplicem gratiam et benedictionem a nobis et a sede apostolica super vos reciperetis effusam, quatenus sanctorum apostolorum Petri et Pauli orationibus adjuti, omnique spiritali benedictione muniti, contra eosdem perditionis filios victrici semper dextera valeretis efficaciter dimicare : quod tamen ut salubriter facere possitis, ut terra marique de inimicis et infidelibus victores feliciter existatis, ideo mandamus vobis ut cum aliquantis dromonibus pro honore jam dicti spiritalis filii nostri Augusti has nostras in partes iterum venire omnimodis satagatis, quatenus contra eosdem nefandos Agarenos congruum nobis adjutorium præbere possitis, ut ex hoc laus et merces imperatori accrescat, et a nobis dignas retributiones sine dubio recipiatis. Quapropter monemus et hortamur vos ut nostris monitis libenti animo attendatis, et quidquid acturi estis, per vos velociter cognoscamus. Data *ut supra.*

CCLXXXVII.

AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

(Anno 879 vel 880.)

Commendat ejus erga sedem apostolicam observantiam; hortatur ut, sicut promiserat, pactam cum Saracenis ictum frangat. Amalfitanos per legatum suum ea de re admonitos, si parere neglexerint, excommunicandos significat.

Reverendissimo et sanctissimo Athanasio episcopo Neapolitanæ Ecclesiæ.

Sanctitatis vestræ devotionem semper in omnibus circa sedem apostolicam et nostram paternitatem sinceram atque præclaram esse cognovimus, quod etiam et præsentis legationis vestræ tenore inspecto nobis est luce clarius manifestum. Quamobrem his apostolatus nostri litteris multiplices almitati vestræ gratias agimus, paterno vos affectu monentes ut juxta indultum vobis officium in his quæ Dei sunt, et Ecclesiæ Christi utilia, toto conamine desudare non desinatis : ac sicut nobis per legatos vestros mandastis, quod sive ruperint Amalfitani pactum cum Saracenis, sive non, vos omnino frangetis, volumus ut indesinenter id agere studeatis. Nam et missum nostrum, Dominicum videlicet venerabilem episcopum, illuc direximus, eos admonentes ut patienter nostram in hoc perficiant voluntatem : quod si ipsi nostram in hoc fuerint voluntatem secuti, habeamus eos complices et amicos ; sin autem, velut exteros inimicos non solum visibili sed etiam invisibili gladio pariter persequamur, ut et a nobis et ab omnibus Christianis perpetuo digni odio habeantur. Nam et per præfatum missum nostrum Dominicum episcopum, eos obaudire nolentes præsentialiter excommunicare præcipimus, ac postmodum nos ipsi digno anathemate feriemus. Vos igitur estote nobiscum, et pactum iniquum corrumpite : quia et nos vobiscum in omnibus erimus, et quod jam dare promissimus, auxiliante Domino, annis singulis vobis procul dubio tribuemus ; quia si vos fœdu cum Saracenis non habueritis, nil, Domino juvante, de Amalfitanorum perfidia curabimus, quos videlicet gladio poterimus spiritali persequi et facile humiliare. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

CCLXXXVIII.

AD AMALFITANOS.

(Anno 879 vel 880.)

Monet ut rupto cum Saracenis fœdere ad Ecclesiæ gremium revertantur, et eam ob rem singulis annis decem millia mancosorum et eo anno mille daturum se promittit; nisi paruerint, minatur excommunicationem.

Reverendissimo PETRO episcopo, seu PULCARI præfectorio, et omnibus sacerdotibus, ac clericis, atque universo populo Amalfitanæ civitatis.

Multa vobis bona facere alacrique mente tribuere sæpe promisimus, decertantes ut pactum quod cum impia Saracenorum gente habetis, omnimodis rumperetis, ne ex consortio gentis malignæ Ecclesia Dei per vos sic crudeliter affligeretur, et animabus vestris non solum temporale exinde discrimen, sed etiam æternum acquiretis supplicium. Nunc autem vos, quasi filios dilectos corpore et spiritu salvare volentes, his apostolatus nostri litteris monemus et hortamur unanimitatem vestram ut, relicta nunc penitus Saracenorum societate, corruptoque fœdere quod cum eis ad perditionem animarum vestrarum et terræ sancti Petri habetis, alacri mente piaque devotione, jam modo ad gremium sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ matris vestræ revertamini, et ad societatem et communionem nostram redire studeatis. Et dabimus vobis nunc et per singulos annos, sicut inter nos statutum fuit, decem millia mancosorum argenti; et isto præsenti anno damus vobis pro benedictione supra mille mancosos, et teloneum quod in portu nostro dare debetis, vobis concedimus. Quod si in tali impio scelere, diabolo suadente, amplius permanere præsumpseritis, et ipsum pactum de præsenti non corruperitis, præcipimus huic episcopo nostro Dominico ut vice nostra omni ecclesiastica vos communione privare procuret; ipsoque revertente, synodice vos iterum perpetui anathematis vinculis alligabimus: et omnium terrarum aditus, in quibus negotiari soliti estis, vobis omnino claudemus, ut illic nulla possitis exercere negotia. Sane si de aliis civitatibus dubitatis quod pactum non rumpant, credimus quia nostram facient voluntatem: nam modo per vos habeant excusationem. Et si aliqua de illis fuerit quæ sicut vos facere voluerit, una vobiscum ejus perditionem ordinabimus. Porro scitote quia Leonem presbyterum vestrum penes nos retinuimus. Data *ut supra.*

CCLXXXIX.

AD CAROLUM CRASSUM REGEM ITALIÆ.

(Anno 880.)

Rogat regem ut Hieronymum episcopatum Lausanensem pacifice retenere permitta, et Hubonem res Ecclesiæ Bisuntinæ ablatas reddere jubeat.

Dilecto ac spiritali filio CAROLO glorioso regi.

Magnitudinem vestram ingenti nobis amore dilectam nosse volumus, quia Hieronymus sanctæ Lausanensis Ecclesiæ episcopus, apud B. Petrum apo- A stolorum principem nostrumque pontificium veniens, humilitatis devotione petit quatenus Lausanensem Ecclesiam, quam jam olim regendam susceperat, ei deinceps vobis foventibus habere liceret. Nos autem ejus precibus moti, juxta quod omnium Ecclesiarum Dei curam habemus commissam, et quia nostra exhortatione illum vobis fidelem in omnibus, propriumque, sicut cæteri regni vestri episcopi existunt, esse cupientes agnovimus, his apostolatus nostri litteris excellentiæ vestræ suggerimus ut eum pro amore Dei et sancti Petri et nostro, et benigne recipiatis, et jam dictum episcopatum Lausanensem, sibi divinitus concessum, nostraque apostolica etiam auctoritate commissum, sub omni integritate recipere habereque securiter permittatis, ne amplius eadem B Ecclesia contra statuta Patrum sine proprio restore consistat. Nam regulariter illum electum, e proprio archiepiscopo causa infirmitatis præbente consensum, et episcopos consecratores illius litteris, quas nobis ostendit, rogante, consecratum fuisse jam dictæ Ecclesiæ episcopum, incunctanter agnoscimus. Et idcirco volumus et rogamus ut absque temporis protelatione, vel aliqua contracdictione, suum, ut diximus, episcopatum habeat, teneat atque cum Dei reverentia disponat, quoniam nos in alterius nominis electione vel consecratione isto vivente consentire nullo modo patiemur eo quod præcipua sanctorum Patrum auctoritas jubeat, duos simul in una civitate non debere esse episcopos. Quamobrem, charissime fili, hortamur nihilominus et obsecramus regiam gloriam vestram, ut Deo auxiliante ipsa C Ecclesia, proprio nunc recepto pastore, sub vestræ clementiæ tutamine pacifica jam et quieta consistat, ut ejus precibus adjuti, post hoc regnum terrenum vobis concessum, sempiternum percipere mereamini. Præterea et Theodoricus sanctæ Chrysopolitanæ sedis archiepiscopus multas nostris apostolicis auribus super Hubonem fidelem vestrum querelas direxit, eo quod res Ecclesiæ illius invaserit. Pre quo etiam precamur ut easdem res ecclesiasticas jam dicto archiepiscopo sub integritate reddere faciatis pro amore Dei et nostro, et nulla deinceps ei permittatis adversa vel contraria inferre. Data die 20 mensis Junii, indictione XIII.

CCXC.

D AD LIUTWARDUM EPISCOPUM VERCELLENSEM.

(Anno 880.)

Ut Hieronymi episcopi Lausanensis causam apud Carolum regem procuret.

Reverendissimo et sanctissimo LIUTWARDO episcopo sanctæ Ecclesiæ Vercellensis.

Dilectioni vestræ familiari quodam modo pioque affectu, veluti fidelissimo nobis, mandantes committimus ut recipientes hanc nostri apostolatus epistolam, legatione nostra dilecto ac spiritali filio nostro Carolo excellentissimo regi, pro Hieronymo videlicet Lausanensi episcopo directa fungamini: vestro que ingenti certamine, prudentique consilio, ipsius

regis magnitudinem admonere atque exhortari magnopere studeatis, quatenus eumdem Lausanensem episcopatum, illi jam olim divinitus concessum, pro amore Dei et nostro de præsenti reddere et securiter quasi suo fideli habere permittat. Nam eo vivente in alterius electione vel episcopali consecratione assensum nullo modo præbebimus, quin potius apostolica hoc fieri auctoritate modis omnibus inhibebimus, ne contra statuta Patrum duo in una videantur civitate esse episcopi. Quapropter nobis justa mandantibus omni annisu et voluntate favere nullo modo prætermittatis, quo minus nostræ voluntatis legatio apud serenissimum regem salutis et pacis ecclesiasticæ per vestrum certamen effectum obtineat, quatenus eadem Ecclesia Dei, proprio recepto pastore, salva in omnibus et quieta consistat. Data die 20 mensis Junii, indictione XIII.

CCXCI.

AD THEODORICUM ARCHIEPISCOPUM BISUNTINENSEM.

(Anno 880.)

Significat se de ipsius causa Carolo regi scripsisse ; ac de Hieronymo episcopo Laudunensi hortatur, ut adjuvare illum studeat.

Reverendissimo et sanctissimo THEODORICO archiepiscopo sanctæ Chrysopolitanæ Ecclesiæ.

Pro tot et tantis perturbationibus et calamitatibus quas ab iniquis et Deum non timentibus viris Ecclesiam tibi commissam quotidie pati vestris litteris referentibus agnoscimus, plurimum condolemus et congruum cupimus, Deo favente, vobis præbere solatium, quatenus sedis vestræ vigorem pristinum indiminuto jure feliciter obtineatis. Nam dilecto ac spiritali filio nostro Carolo glorioso regi pro tuæ causa utilitatis proque vestræ plebis salute suggessimus ; ut pro amore Dei et nostro, suo vos auxilio ac defensione in omnibus tueatur, et de his qui res Ecclesiæ vestræ invadere præsumpserunt, justitiam facere dignetur, resque ipsas sub integritate vobis restitui jebeat. Vos tamen, more boni pastoris, sicut in prosperis humiles, ita quoque in adversis fortes existite, ut populum Domini tibi commissum pro malorum infestatione, quam patimini, strenue regere non omittatis. Pro ipso etiam Hieronymo episcopo eidem regi direximus ut Lausanensem episcopatum illi divinitus concessum, et nostra apostolica auctoritate largitum, securiter amodo retinere permittat. Et ideo vestra fraternitas eum in hoc adjuvare pro viribus non prætermittat. Data die 20 mensis Junii, indictione XIII.

CCXCII.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 880).

Commendat ejus erga Romanam Ecclesiam observantiam ; rogat ut legatum sibi auxilio mittat.

Dilecto ac spiritali filio CAROLO glorioso regi.

Multiplices regiæ magnitudini vestræ his nostris apostolicis litteris gratias agimus pro vestra tam ingenti cura et sollicitudine quam circa sanctam Romanam Ecclesiam matrem vestram habetis, atque pro vestræ devotionis sinceritate qua nos puræ mentis affectu more parentum vestrorum diligitis et in omnibus adjuvare alacriter cupitis. Et quia pro exaltatione atque utilitate sedis apostolicæ, totiusque terræ sancti Petri defensione, vos prompta mente desudare velle cognoscimus, in quo scilicet vestri desiderii affectu piissimo et divinam circa regiam gloriam vestram habebitis adjutricem et placabilem majestatem, et dignam non solum in hoc sæculo, sed etiam in cœlesti postmodum regione retributionem procul dubio recipietis. Quod vero mandastis, ut marchiones vestri qui circa nos existunt, ad defensionem necessariam peragendam nobiscum pariter decertare debuissent, hoc autem sine vestræ majestatis præsentia, vel sine idonei optimatis vestri, nullo modo sicut oportet proderit nobis, eo quod ipsi marchiones homines de civitatibus et propriis finibus nostris, cum quibus territorium sancti Petri poteramus satis defendere, in suo assiduo servitio habent, et nonnullos eorum potentia sua defendunt, et ita impediunt, ut nostrum servitium secundum voluntatem nostram minime perficere valeant. Unde precamur excellentiam vestram ut pro amore Dei et principis apostolorum honore, talem nobis de præsenti missum dirigatis, cum quo per vestræ auctoritatis potentiam, ea quæ sanctæ Dei Ecclesiæ et nobis pertinent, incunctanter valeamus perficere, quatenus eosdem homines nostros, qui nobis sublati sunt, omnimodis recipiamus, ut omnis honor et vigor sanctæ Romanæ Ecclesiæ vestris diebus in omnibus integer accrescat, et indiminutus permaneat, quoniam ipsius honor et exaltatio, vestra hic et in æternum est salus et gloria. Nam et nos ea quæ vestræ gloriæ proficua sunt, libentissime perficere cupimus, et nostris assiduis precibus vos Domino commendare, apostolorum suffragantibus meritis, semper satagimus. Hæc itaque pro utilitate sanctæ Ecclesiæ modo fieri petimus, ut cum vestrum gloriosum adventum, favente Domino, conspexerimus, optata et ingenii pariter lætitia exultare valeamus. Data die 23 mensis Junii, indictione XIII.

CCXCIII.

AD SFENTOPULCRUM COMITEM.

(Anno 880.)

Gratulatur de ejus et subditorum illius observantia erga sedem apostolicam, recipit eos in fidem suam: ostendit Methodium archiepiscopum orthodoxam fidem fuisse professum ; cujus jura et privilegia confirmat, eumque ad eos regendos mittit. Nitrensis Ecclesiæ episcopum consecratum significat, et alium ad se vult mitti, quem alii ecclesiæ præficiat: jubet omnes ipsi archiepiscopo obedire ; concedit ut divina officia Sclavonica lingua recitari possint, dummodo Evangelium Latina prius recitetur.

Dilecto filio SFENTOPULCRO glorioso comiti.

Industriæ tuæ notum esse volumus quoniam, confratre nostro Methodio reverendissimo archiepiscopo

sanctæ Ecclesiæ Moravensis una cum Semisisno fideli tuo ad limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli nostramque pontificalem præsentiam veniente, atque sermone lucifluo referente, didicimus tuæ devotionis sinceritatem, et totius populi tui desiderium, quod circa sedem apostolicam et nostram paternitatem habetis. Nam, divina gratia inspirante, contemptis aliis sæculi hujus principibus, beatum Petrum apostolici ordinis principem vicariumque illius habere patronum et in omnibus adjutorem ac defensorem pariter cum nobilibus viris fidelibus tuis, et cum omni populo terræ tuæ amore fidelissimo elegisti, et usque ad finem sub ipsius et vicarii ejus defensione colla submittens, pio affectu cupis, auxiliante Domino, utpote filius devotissimus, permanere. Pro qua scilicet tanta fide ac devotione tua et populi tui, apostolatus nostri ulnis extensis, te quasi unicum filium amore ingenti amplectimur; et cum omnibus fidelibus tuis paternitatis nostræ gremio, veluti oves Domini nobis commissas, recipimus, vitæque pabulo clemente nutrire optamus, atque nostris assiduis precibus omnipotenti te Domino commendare studemus : quatenus, sanctorum apostolorum suffragantibus meritis, et in hoc sæculo adversa omnia superare, et in cœlesti postmodum regione cum Christo Deo nostro valeas triumphare. Igitur hunc Methodium venerabilem archiepiscopum vestrum interrogavimus coram positis fratribus nostris episcopis, si orthodoxæ fidei symbolum ita crederet, et inter sacra missarum solemnia caneret, sicuti sanctam Romanam Ecclesiam tenere, et in sanctis sex universalibus synodis a sanctis Patribus, secundum evangelicam Christi Dei nostri auctoritatem, promulgatum atque traditum constat. Ille autem professus est se juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, sicuti sancta Romana Ecclesia docet, et a patribus traditum est, tenere et psallere. Nos autem illum in omnibus ecclesiasticis doctrinis et utilitatibus orthodoxum et proficuum esse reperientes, vobis iterum ad regendam commissam sibi Ecclesiam Dei remisimus, quem veluti pastorem proprium ut digno honore et reverentia lætaque mente recipiatis jubemus, quia nostræ apostolicæ auctoritatis præcepto archiepiscopatus ei privilegium confirmavimus, et in perpetuum, Deo juvante, firmum manere statuimus, sicuti antecessorum nostrorum auctoritate omnium Ecclesiarum Dei jura et privilegia statuta et firmata consistunt : ita sane ut juxta canonicam traditionem omnium negotiorum ecclesiasticorum curam habeat ipse, et ea velut Deo contemplante dispenset. Nam populus Domini illi commissus est, et pro animabus eorum hic redditurus erit rationem : ipsum quoque presbyterum nomine Wichinum, quem nobis direxisti, electum episcopum consecravimus sanctæ Ecclesiæ Nitrensis, quem suo archiepiscopo in omnibus obedientem, sicuti sancti canones docent, esse jubemus, et volumus ut pariter cum ipsius archiepiscopi consensu et providentia, alterum nobis apto tempore utilem presbyterum vel diaconum dirigas, quem similiter in alia Ecclesia, in qua episcopalem vestram (*f.* sedem *vel* cathedram) noveris esse necessariam, ordinemus episcopum, ut cum his duobus a nobis ordinatis episcopis præfatus archiepiscopus vester, juxta decretum apostolicum, per alia loca, in quibus episcopi honorifice debent et possunt existere, postmodum valeat ordinare. Presbyteros vero, diaconos, seu cujuscunque ordinis clericos, sive Sclavos, sive cujuslibet gentis, qui intra provinciæ tuæ fines consistunt, præcipimus esse subjectos et obedientes in omnibus jam dicto confratri nostro archiepiscopo vestro, ut nihil omnino præter ejus conscientiam agant. Quod si, contumaces et inobedientes existentes, scandalum aliquod, aut schisma facere præsumpserint, et post primam et secundam admonitionem se minime correxerint, quasi zizaniorum seminatores ab ecclesiis et finibus vestris auctoritate nostra præcipimus esse procul abjiciendos, secundum auctoritatem capitulorum quæ illi dedimus et vobis direximus. Litteras denique Sclavonicas, a Constantino quodam philosopho repertas, quibus Deo laudes debite resonent, jure laudamus; et in eadem lingua Christi Domini nostri præconia et opera ut enarrentur, jubemus. Neque enim tribus tantum, sed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate sacra monemur, quæ præcipit dicens : *Laudate Dominum, omnes gentes, et collaudate eum omnes populi* (*Psal.* CXVI). Et apostoli repleti Spiritu sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei (*Act.* II). Hinc et Paulus cœlestis quoque tuba insonat, monens : *Omnis lingua confiteatur quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II) De quibus etiam linguis in prima ad Corinthios Epistola satis et manifeste nos admonet, quatenus linguis loquentes Ecclesiam Dei ædificemus (*I Cor.* XIV). Nec sane fidei vel doctrinæ aliquid obstat sive missas in eadem Sclavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium, vel lectiones divinas Novi et Veteris Testamenti bene translatas et interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia psallere, quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam scilicet, Græcam et Latinam, ipse creavit et alias omnes ad laudem et gloriam suam. Jubemus tamen ut in omnibus ecclesiis terræ vestræ propter majorem honorificentiam, Evangelium Latine legatur, et postmodum Sclavonica lingua translatum in auribus populi Latina verba non intelligentis, annuntietur sicut in quibusdam ecclesiis fieri videtur. Et si tibi et judicibus tuis placet missas Latina lingua magis audire, præcipimus ut Latine missarum tibi solemnia celebrentur. Data mense Junio, indictione decima tertia.

CCXCIV.

AD LANDULFUM EPISCOPUM SURICORUM.

(Anno 879.)

Objurgat quod violaverit quæ ipse inter eum et Landenulfum Capuanum episcopum de frugibus illius ecclesiæ decreverat; minatur illi excommunicationis pœnam, nisi suis decretis pareat : præcipit

ut si se læsum sentiat, cum eodem episcopo causam dicturus ad se veniat.

Reverendissimo et sanctissimo LANDULFO episcopo Suricorum.

Nostra (*f.* Vera) relatione comperimus quod quidquid tempore consecrationis tuæ in nostro conspectu de frugibus illius ecclesiæ congrua deliberatione fuerat inter te et Landenulfum Capuanum episcopum diffinitum, tu ingenti usus temeritate violaveris; et quod nos juxta temporis qualitatem moderari decreveramus, tu adimplere neglexeris. Quo audito, valde noster animus est commotus quod tam audacter nostra præcepta parvipenderis et terminos paternos excesseris. Quapropter hujus nostri pontificii auctoritate ab hujuscemodi te factione compescere volentes, præcipimus, et modis omnibus tibi injungimus, ut, omni obstinatione deposita, quidquid nos illic positi inter te et eumdem episcopum, vel illius fratrem Pandenulfum fidelem nostrum, de divisione vel frugibus illius ecclesiæ deliberavimus, sine mora adimplere procures, hoc sciens quia si aliter agere præsumpseris, sicut invasorem rerum sacrarum te canonicis jaculis feriemus. Quod si aliquam querimoniam aut justam excusationem te habere confidis, tunc cum eodem episcopo causam dicturus, jubemus ut nostram petas præsentiam. Nam et nos præsenti legato nostro Walperto reverendissimo episcopo dilecto consiliario nostro præcipimus, ut si nostra salubria monita adimplere contempseris, ex nostra auctoritate te excommunicare procuret quatenus, sicut prædiximus, Romam in nostra (*f. add.* præsentia venias). Data XV Kalendas Augusti, indictione decima tertia.

CCXCV.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 880.)

Gratulatur de ejus erga Romanam Ecclesiam observantia, cujus eum defensorem elegit; monet ne adversariis fidem habeat: laudat quod ditionem sancti Petri ab hostili incursu defendi jusserit. Bosoni tanquam tyranno auxilium se non daturum affirmat; optat ejus adventum, et rogat ut legatos mittat.

Dilecto ac spiritali filio CAROLO glorioso regi.

Regiæ magnitudinis vestræ receptis apicibus ac diligenter perlectis, quia more Christianissimorum principum parentum vestrorum admonitionis et exhortationis nostræ doctrina repleri vos velle cognoscimus, nostroque consultu ea quæ pro sanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ et totius Christianitatis defensione salubria ac utilia esse videntur, animo libenti cupiatis perficere, valde gratulamur et immensas Domino gratias referimus, et optamus ut cuncta circa vos semper prospera, divina favente gratia, existant. Ea etenim quæ de vestris causis et eventibus vestris nobis litteris non retulistis, fideli relatione communis fidelis et reverendissimi episcopi Wibbodi luculenter didicimus; eique omnem familiaritatis aditum pio affectu præbentes, vestræ voluntatis arcana cognovimus, per quem et nos A celsitudini vestræ aliqua verbotenus intimanda direximus. (Aimoinus, *l.* V, *c.* 39, 40; Regino, *l.* II.) De oppressionibus autem Græcorum (sicut vobis a quibusdam æmulis nostris nuntiatum est) nos aliquid nullo modo scimus; si vero certissime sciremus, dilectioni vestræ cum omni devotione celeriter nuntiassemus, quoniam Dei omnipotentis procul dubio inspiratione et voluntate, vos præ omnibus eligere et inclytum in omnibus negotiis sanctæ sedis apostolicæ nostrisque profectibus patronum ac defensorem habere omnino curavimus, et ideo, vita comite, longa per tempora optamus possidere. Quapropter inimicis nostris, quos nobis adversarios et zizaniorum seminatores esse cognoscitis, aurem clementiæ vestræ nullatenus accommodetis. Nam inimicus semper B contraria loquitur. Tamen bene vos fecisse laudamus, quod omnibus episcopis et comitibus, qui circa nos consistunt, auctoritate vestra mandastis atque jussistis ut terminum sancti Petri ab hostili nempe incursu, nostro pariter instructi mandato, defendere debeant. Valde necessarium est ut non solum a malis Christianis, verum etiam et a Saracenis ubique diffusis, ubique et undique nos sine intermissione deprædantibus, et more furum nostra diripientibus, tueri procurent. Pro qua videlicet necessitate, quam supra modum patimur, ipsius Wibbodi episcopi hortatu, in quamdam cortem nostram exivimus, et una cum Widone comite Lamberti filio loqui voluimus hujus rei causa; sed ipse adesse prætermisit, sicut jam dictus fidelis noster ac vester vobis poterit enarrare. De Bosone quoque certos vos esse volumus C quia neque aliquem familiaritatis locum, aut receptionis nostræ auxilium apud nos habebit neque poterit invenire, eo quod vos, ut prælibavimus, amicum et adjutorem quæsivimus, et loco charissimi filii retinere toto mentis conamine volumus. Nam nihil nobis de parte ipsius pertinere videtur, qui talem tyrannidem præsumpsit committere. De vestro quoque adventu, quem, Deo favente, adesse mandastis, valde sumus gavisi effecti, et pro tantis calamitatibus, quibus circumdati et oppressi existimus, optamus et vehementer rogamus vestram specialem citissime, Deo propitio, contemplari præsentiam. Joannem vero reverendissimum episcopum Tritiensem penes nos hac vice retinuimus, ut si aliquid novi nobis evenerit, et necesse fuerit per eum vestris mandare fide- D libus, ac per ordinem quæ opportuna fuerint, significare possimus. Pro justitiis autem faciendis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ut idoneos et fideles viros e latere vestro nobis de præsenti dirigatis obnixe deposcimus, qui nobis pariter cum missi nostris proficiscentibus, de omnibus justitiam plenissimam faciant, et vestra regali auctoritate male agentes corrigant et emendent : præterea, sicut vestro proprio nobis ore, fili charissime, promisistis, ut in hoc duntaxat opere vestram voluntatem vestræque mentis affectum circa nos purissimum fore luce clarius agnoscamus, ut et nos vestrum desiderium pio semper valeamus affectu perficere. Data *ut supra.*

CCXCVI.

AD IMPERATORES AUGUSTOS.

(Anno 880.)

Commendat eorum studium in Ecclesiæ concordia stabilienda; monet ut in eo persistant: agit gratias de dromonibus auxilio missis: de monasterio sancti Sergii, et de Bulgarorum diœcesi sedi apostolicæ restituta; rogat ut Dei Ecclesiam tueantur: demum ea quæ pro Photio in synodo Constantinopoli acta sunt, se approbare significat, si tamen legati contra sua jussa non egerint.

Imperatoribus Augustis.

Post innumeras sollicitudines quibus nimirum oneratur imperiale fastigium, laudabile clementiæ vestræ cognoscimus Christianissimi imperatoris esse propositum, per quod submotis omnibus discordiarum atque zizaniorum seminibus, quæ in agro Dominico humani generis inimicus asperserat, sanctæ catholicæ Ecclesiæ piissimo mentis affectu consulere voluistis. In quo scilicet animi voto ac desiderio, quantum rebus humanis favere providentia divina dignetur, sollicitudo clementiæ vestræ Spiritu Dei incitata demonstrat, quæ in catholica Ecclesia misericordem per auctoritatem et judicium sedis apostolicæ, quæ Christo Domino delegante, totius Ecclesiæ retinet principatum, nihil impacatum, nihil voluit esse diversum: cum omnes schismatica pravitate divisos, vel zelo quolibet separatos atque dispersos, clementi affectione vel studio ad veræ pacis soliditatem, concordiæque sincerissimæ unanimitatem evocare, et in uno Christi ovili cum proprio pastore, Photio videlicet confratre et comministro nostro, aggregare curavit. Pro quibus videlicet nostri pastoralis magisterii officium est, apud serenitatis vestræ Augustalem clementiam assidua semper sollicitudine omnimodis intercedere; ut vestræ pietatis majestas, more Christianissimorum imperatorum, benigna circa omnes existat; et quasi Deo contemplante, populum Domini sibi commissum felici regat semper et gubernet intuitu, nec amplius patiatur eos aliquibus sæculi hujus procellis illidi, aut malignis perturbationibus concuti: quatenus post hoc vitæ præsentis, imperium cœleste adipisci et in æternum cum Domino retinere valeatis. Nunc itaque pro tanta devotione animique vestri sinceritate, quam non solum verbis, sed lucifluis etiam operibus circa Ecclesiam sancti Petri et nostram paternitatem ostendistis, immensas post Deum serenitati vestræ gratias agimus. Primo quidem quod dromones vestros, qui pro defensione terræ sancti Petri in nostro manerent servitio, nobis misistis. Secundo autem quod monasterium sancti Sergii intra vestram regiam urbem constitutum, quod sancta Romana Ecclesia jure proprio quondam retinui, divina inspiratione repleti, pro honore principis apostolorum nostro præsulatui reddidistis. Tertio vero vobis grates multas referimus quia Bulgarorum diœcesin pro amore nostro gratanti animo sancto Petro, ut justum erat, permiseritis habere. Unde obnixe petimus ut vestro potenti solatio sanctam Romanam Ecclesiam in hoc periculoso tempore in omnibus adjuvare defendereque non dedignemini, quatenus ex hoc vestra imperialis gloria, apostolicis suffragantibus meritis, per cunctas mundi partes magis ac magis accrescat, et apud omnipotentem Dominum dignam retributionem percipiat. Et iterum humiliter petimus ut in hujus bonæ voluntatis ac pietatis affectu, quem pro amore Dei circa Ecclesiam Christi habetis, immobiles permaneatis, quoniam nos Augustalem excellentiam vestram ulnis extensis amore paterno amplectimur, et honore debito veneramur, atque assiduis orationibus nostris, juxta sacrosancta beatorum apostolorum Petri ac Pauli corpora fuisis, omnipotenti Domino commendare studemus, ut pro tantis beneficiis quæ sancto Petro impenditis, ipse vobis et in hoc præsenti sæculo vestrum sanctum imperium cum omni prosperitate magis ac magis conservet incolume, clarisque semper dignetur ubique decorare triumphis; et in cœlestis postmodum regione sempiternam gloriam et beatitudinem cum sanctis et electis suis habere concedat. Nam et ea quæ pro causa restitutionis reverendissimi Photii patriarchæ synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recipimus: [a] Et si fortasse nostri legati in eadem synodo contra apostolicam præceptionem egerint, nos nec recipimus nec judicamus alicujus existere firmitatis. Data Idibus Augusti, indictione XIII.

CCXCVII.

AD PHOTIUM (*ut videtur*).

(Anno 880.)

Gratulatur de concordia Ecclesiæ Constantinopolitanæ: miratur multa, quæ statuerat, mutata esse; approbat quæ Constantinopoli in concilio pro causa Photii acta sunt, si tamen legati contra sua mandata non egerint.

Hoc nostri semper certaminis et laboris fuit, hoc nostri voti existit, ut pro orthodoxæ fidei integritate, seu pro statu et pace omnium Dei Ecclesiarum, quarum cura constringimur, adeo operam demus, quatenus dispersa congregentur, congregata conserventur, et ut quidquid inhonestum vel aliter quam se rectitudo habet per providentiam Dei, sanctorum apostolorum meritis suffragantibus, corrigatur, omni conamine, juxta officium nobis commissum, speculando satagimus. Hujus rei gratia more apostolico sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ misereri volentes, decrevimus ut unius incrementum nullius fieret detrimentum, quin potius omnium manifestum existeret adjutorium. Convocata nostra Ecclesia, quantum ad præsens tempus coegit necessitas, auctoritate et potestate apostolica dictæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ consuluimus, et legatis nostris directis, ut inoffenso pede incederent, instituimus.

[a] *Et si fortasse nostri legati.* Hanc synodum pseudooctavam a Joanne VIII cæterisque ejus successoribus pontificibus, et a concilio Florentino reprobatam fuisse, præter alia, indicant ista verba. SEV. BIN.

De cujus scilicet unitate pacis sive concordia gratulamur, et cunctipotenti Domino laudes innumeras referentes, licet ei qui tanta bona servis suis largitur, condignas grates agere non possimus, hunc benedicimus et assiduis vocibus glorificare studemus. Gloria namque sit illi, et omnis laus ac virtus, cujus majestate et semper perlaudabili gratia certata [*f.* curvata] ad rectitudinem reducuntur, prava diriguntur; contumacia retunditur, humilitas exaltatur, zizania quandoque velluntur, scandala amputantur, et omnis bonitas augmentatur : unde non in nobis, sed in eodem Domino gloriemur, jucundemur et exsultemus in misericordia ejus qui dicit : *Confidite, quia ego vici mundum* (*Joan.* XVI); et in alio loco : *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere* (*Joan.* XV); sed cum nos scriptis et verbis misericorditer tecum specialiter agendum esse decreverimus, mirandum valde est cur multa quæ nos statueramus, aut aliter habita aut mutata esse noscantur, et, nescimus cujus studio vel neglectu, variata monstrentur. Cæterum scribens subintulisti quod, te innuens, non nisi ab iniqua gerentibus misericordia sit quærenda; quod et nos de his qui Deum se scire non fantur, licet dispensatorie fatemur, tamen nos quod lectum est exaggerare nolumus, ne quod dignum est judicare cogamur; ideoque talis excusatio sileat, ne hoc dicentes illa sententia tangat qua dicitur : *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum* (*Luc.* XVI); igitur laudabilis tua prudentia, quæ dicitur humilitatem scire, non moleste ferat quod ab Ecclesia Dei miserationem jussa est postulare; quin potius se, ut exaltetur, humiliet, et fraternum discat erga sui miserentem servare affectum. Quia nos, si tu debitam devotionem et fidelitatis incrementa erga sanctam Romanam Ecclesiam et nostram parvitatem observare studueris, et ut fratrem amplectemur et ut charissimum proximum retinebimus. Nam et ea quæ pro causa tuæ restitutionis synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recipimus. Et si fortasse nostri legati in eadem synodo contra apostolicam præceptionem egerunt, nos nec recipimus nec judicamus alicujus existere firmitatis.

CCXCVIII.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 880.)

Gratias agit de ejus erga sedem apostolicam observantia; suam erga eum benevolentiam testatur: adventum ejus pro Ecclesiæ necessitatibus exspectat, monetque ut aliquem legatum mittat. Queritur de Georgio quodam excommunicato, qui, ipsius imperatoris auctoritate fultus, bona Romanæ Ecclesiæ invaserat; rogat ut promissa auxilia mittat.

Excellentissimo et dilecto filio CAROLO glorioso regi.

Relegentes regalis excellentiæ vestræ litteras, devotionem vestram quam circa sanctam Ecclesiam matrem vestram et circa nostrum pontificium habetis, luce clarius novimus, unde multiplices gloriæ vestræ gratias referimus. Nam et nos vos semper quasi dilectum et spiritalem filium retinemus, et pio mentis affectu desideramus amplecti, et pro augenda gloria vestra assidue solliciti incunctanter existimus. Quod autem nobis mandastis, ut vestrum optatum præstolaremur adventum, pro eorum adversitatibus emendandis qui nobis contraria inferre et qui a nostra ditione homines nostros subtrahere præsumunt, nos quidem vestrum adventum toto desiderio pro tantis Ecclesiæ Dei necessitatibus, quæ ad augmentum gloriæ vestræ sunt emendandæ, omnimodo optamus inspicere. Sed sicut vobis nostris jampridem apostolicis litteris suggessimus, ut vestrum idoneum missum nobis direxissetis, cum quo aliquid ecclesiasticis utilitatibus potuissemus perficere, pro qua causa non eum miseritis, miramur. Quamobrem petimus ut eumdem missum, antequam veniatis, nobis dirigere non omittatis, ut cum, Deo auxiliante, veneritis, nobis simul convenientibus, vera inter nos dilectio, utpote inter spiritalem Patrem et charissimum filium possit existere. Præterea postquam Georgius excommunicatus et anathematizatus cum homine Widonis est a vobis reversus, assiduo sumus mœrore turbati; eo quod audacter veniens, quasi vestra fultus auctoritate, in proprietates olim suas, quæ ad jus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, (Carolo divæ memoriæ imperatore patruo vestro concedente), conlegaliter pervenerunt (et nunc usque juri nostro defendebamus et tenebamus), temere pariter cum aliis introivit; et nostros, qui in circuitu homines existunt, affligere, et deprædari non cessat. Unde obnixe rogamus vestram magnitudinem, ut sicut nobis ore proprio promisistis, et per epistolam vestram, atque legatos nostros, Liutwardo venerabili sanctæ Vercellensis Ecclesiæ episcopo mediatore existente, mandastis, præsentialiter nobis adimplere satagatis : quia nos ea, quæ vobis promisimus, omnimodis adimplebimus, aut eosdem infideles nostros procul a nobis expellatis, ut nulla nobis adversa, vel contraria valeant aliquatenus moliri, quousque, Deo propitio, vos veneritis. Quarto Idus Septembris, indict. decima quarta.

CCXCIX.

AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

(Anno 880.)

Jubet eum Romam ad synodum causa dissolvendi quasdam quæstiones advenire.

ROMANO archiepiscopo Ravennati.

Quia bellica, imo Saracena impediente angustia, juxta sacros canones, quarto scilicet Idus Octobris, synodum sicut volueramus celebrare nequivimus, opportune valdeque necessario sane prævidimus ut hanc eamdem VI Idus Novembris istius quartæ decimæ indictionis, adjuvante Domino, convocemus. Quapropter sanctimoniam tuam hortamur ut ad idem tempus sine omni mora, imo omni occasione postposita, Romam occurras, quatenus ea quæ ad honorem sive utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ pertinent, nobiscum ordines et diffinias, et sancti Spiritus gratia revelante,

voto communi decernas. Interea negotium viri illustris Deusdedit gloriosi ducis, qui nostrum pontificium adiit, dicens se a tua solertia pro conjugio suæ uxoris, quam illius consanguineam fateris existere, communione privatum, est procul dubio ventilandum, ut quidquid rei veritas hinc demonstraverit, omnimodis exsequamur. Qui pro eo quod tam diu apud nos est immoratus, et de tua parte, qui rationem redderet, non est inventus, rationabiliter erat a nobis interim absolvendus : tamen quia in proximo, sicut diximus, synodum (qua hoc cum unanimitate aliorum consacerdotum fratrumque nostrorum et tua est inter alia pertractandum) celebrare debemus, dignius judicavimus, quod et ipsæ res expetunt tuum præstolari adventum, ut hoc synodali discutiamus collegio, et alterna visione congratulantes, pari sententia decernamus : in qua etiam quidquid supra generum suum habueris, similiter diffiniri jubeamus. Præterea jam dicti viri cunjux, Maria nomine, libellum suæ reclamationis per Paulum legatum suum nostro præsulatui dirigere procuravit, asserens tuam sanctitatem in nuptiis per consensum patris de ea habitis, consciam exstitisse ; et tam virum suum quam se, postquam una caro effecti sunt, tam ad spiritalem, sive Dominicam, quam etiam ad communiorem mensam, sæpe non solum admisisse, sed etiam invitasse. Sed et hoc per eumdem suum libellum reclamando innotuit quod Majoranus, qui et Maginpertus diaconus dicitur, in necem sui patris consenserit, petens a nobis ex hoc convenientem justitiam, et obnixe postulans hoc indiscussum non derelinqui, quem videlicet sæpissime Bononiensis episcopus suæ Ecclesiæ famulum quærere studuit. Hujus rei gratia, præcipimus ipsum diaconum tecum nobis omnimodis exhiberi, ut quidquid rationis ordo poposcerit, adjuvante Domino, canonice ventilemus et synodice statuamus. Data III Kalendas Octobris, indictione decima quarta.

CCC.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS.

(Anno 880).

Ut Romam ad synodum adveniant.

Omnibus episcopis per ducatum Spoletanum et Cameriensem, et ad omnes episcopos per diversas provincias constitutos.

Nolumus ignorare vestram fraternitatem quia pro multiplicibus sanctæ Dei Ecclesiæ necessitatibus, VI Idus Novembris istius quartæ decimæ indictionis synodalem conventum, Domino adjuvante, celebraturi sumus ; et cum diversis, præcipue Saracenorum, impedimentis implicati essemus, nequivimus eum suo tempore congregare, dignum duximus ad augmentandas atque perficiendas ecclesiasticas utilitates, vel præfato tempore non prætermitti, quominus tanta necessitas sine consultu aliorum confratrum nostrorum indiscussa non remaneret, ut vestris salubribus consiliis fulti, quidquid ad honorem Dei et communem utilitatem pertinet, communiter perficere satageremus. Quapropter hujus nostræ commonitionis sanctitatem vestram exhortamur apicibus, ut, solita desidia deposita, ad eamdem synodum Romam venire non differatis, quatenus, sicut diximus, ea quæ agenda sunt, Christo juvante, communiter peragamus, et quæ juxta nostri ministerii officia statuenda sunt, salubriter statuamus. Videte itaque ne solito negligenter agatis, ne si per vos ea quæ honori et statui sanctæ Dei Ecclesiæ sunt proficua, inordinata remanserint, et, quod non oportet, venire contempseritis, canonicis ictibus non immerito feriamini. Data pridie Kalendas Octobris, indictione XIV.

CCCI.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 880.)

Lætatur de ejus incolumitate, Deumque orat ut omnia ei prospere eveniant : nuntiat Saracenos a Græcis victos, seque Saracenis, et aliis etiam valde premi : quare petit ut sibi quam citissime auxilio veniat.

CAROLO glorioso regi.

Susceptis gloriæ vestræ, spiritalis atque desiderabilis fili nobis directis apicibus, atque relectis, quia vos, Deo gratias, sanitate vigere cognovimus, ineffabili et ultra quam dici possit jucunditate refecti, in Domino gratulati sumus : et ut magis ac magis vobis Dominus Deus noster prosperitatem tribuat, triumphum de adversantibus concedat, et felicia tempora ad regnum pacifice atque justissime disponendum multiplicet, continuis votis eumdem Dominum deprecamur. Quia nihil est omnino, fili charissime, nobis dulcius nihilque amabilius, quam ut vos semper ad defensionem et exaltationem sanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ cognoscamus esse promptissimos, et et eis qui eam diversis modis impugnant, libera correctionis ac disciplinæ sententia contraire. Nos autem, licet in innumeris infirmitatibus atque augustiis constituti, Deo gratias, utcunque valemus ; sed tunc potius nostra sanitas erit, si vos omni prosperitate, ut diximus, pollere cognoverimus, et ad nobis conferendum solatium festinanter occurrere, ut alterna visione loquamur, non pati moras advertimus. Cæterum, quod dicitis ut Liutwardum venerabilem episcopum communem fidelem nostrum ad nos præmittatis, valde in Domino gratulamur ; et cum eum pro communi utilitate semper desudare cognoverimus, magnum nobis gaudium in adventu illius nascetur, eo quod in ipsius præsentia vestram intuebimur excellentiam. Postremo, fili charissime, quod sciscitamini de Græcis, atque Ismaelitis, et cæteris quibusque exteris nationibus, vel concivibus, qualiter res agatur, brevissime respondemus. Sed ut hæc omnia ex intimo corde atque dolenter advertatis, omni mentis conamine exhortamur : tamen Deo sint grates et laudes quia Græcorum navigia in mari Israelitarum victorisissime straverunt phalanges, et eos, prout Dominus voluit, debellati sunt. Sed nos tamen tam ipsi jam dicti Ismaelitæ quam alii concives no-

stri impugnant ac persequuntur, ut extra muros Urbis nullatenus vel qui labore manuum suarum vivere valeant, vel qui, ut ita dixerim, Christianitatem suam, sicut decet, observent, egredi libere possint : ac per hoc, imo pro his omnibus, si citissime et, omnibus occasionibus omnibusque excusationibus postpositis et contemptis, ad omne nobis et huic regioni valde afflictæ conferendum solatium non veneritis, procul dubio scire potestis quia ad peccatum vestrum et damnum omnium hæc terra peribit. Unde pro Deo festinanter iter ad nos veniendi assumite, et ut bella Domini vice illius præliemini, ad beatorum apostolorum limina, Deo præduce, pro Christianorum omnium auxilio properate. Data III Kalendas Novembris, indictione XIV.

CCCII.

AD EUMDEM.

(Anno 880.)

Deusdedit Ravennatem injuste excommunicatum absolvit; confirmat illius cum Maria uxore conjugium : jubet eum defendi.

Reverendissimo et sanctissimo ROMANO archiepiscopo Ravennati pro causa Deusdedit Ravennatis, et Leoni venerabili episcopo misso et apocrisiario summæ sedis nostræ apostolicæ, [necnon quibusvis missis imperatoris et omnibus judicibus, et populis Romani territorii constitutis, cunctisque fidelibus sanctæ Ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris.

Omnium reverentiam omniumque industriam scire hortamur quod Ravennas Romanus archiepiscopus, et ore, cum Ravennæ fueramus, dixerit, et scriptis transmiserit, quod nonnulla incesta conjugia in sua parochia fuissent, et quotidie fierent. Deinde per suum legatum, Dominicum videlicet presbyterum, ut ipsi triginta et duo essent, dicendo significavit, suggerens ut nostra auctoritate ipsi eos liceret canonice omnes judicare. Qui omnibus dimissis, quos etiam nominatim dixerat, et sola inductus invidia, ut remur, et postea in sancta patuit synodo, Deusdedit fidelem nostrum (qui, dum Ravennæ fuimus, ipse penes nos quotidie fuit, et coram me, et ipso archiepiscopo causas, ut debuerat, judicavit), postquam sedem apostolicam appellavit, excommunicare non formidavit. Ipse Deusdedit vero dux pro nostra fidelitate his obedivit, et ad apostolicam præsentiam venire modis omnibus festinavit. Nos suam causam audientes, et qui eum accusare non debuerant, ex parte archiepiscopi non invenientes, poteramus ipsum absolvere ; sed noluimus, usquequo archiepiscopo misissemus, imo cui misimus, dicentes : ut ipse archiepiscopus pro statutis sanctarum Dei Ecclesiarum, VI Idus Novembris ad synodum celebrandam veniret, deferens secum accusatores et testes, quatenus his delatis negotium Deusdedit inter alia canonice finissemus. Qui pro se sui cardinis Dominicum presbyterum, et Joannem diaconum misit, transmittens cum illis scriptas accusationes : quibus scriptis coram sancta synodo lectis, ad ea Deusdedit respondit, et se incestum atque nefarium commisisse negavit ; sed coram omnibus se innocentem ostendit, et divini mundanique juris auctoritate se conjugatum probavit. Quapropter una cum sancta synodo illum absolvimus, et eum communioni nostræ recepimus, et Mariam conjugem suam illi uxorem esse legitimam firmavimus cum benedictione Dei omnipotentis et nostra ; et si præfatus archiepiscopus, aut ministri ejus, in rebus suis suorumque hominum invasionem et fortiam facere voluerit, vos Ravennates pro ipso illum in suis defendite. Data *ut supra*, indictione decima quarta.

CCCIII.

AD ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

(Anno 880.)

Inobedientiæ eum arguit, præcipitque ut Rhodoaldum et Warlenum monachos, quos injuste in carcerem conjecerat, ad eorum monasterium honorifice remittat.

ANSPERTO archiepiscopo Mediolanensi.

Decuerat te, frater charissime, pura animi sinceritate eam reverentiam eumque honorem sanctæ sedi apostolicæ, cui Deo auctore præsidemus, quotidie impendere, quæ usque ad tua tempora omnes tui prædecessores laudabiliter viventes, huic Ecclesiæ obtulerunt prona mentis devotione. Pro qua re ejus gremio suscepti, quidam præ nonnullis amore dilecti sunt ; sed ecce, quod sine dolore dici non potest, nescio qua antiqui hostis fraude, a die ordinationis tuæ, et tempore senectutis, contra sanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam non destitisti nunc inobediens, nunc dolosus te patefacere : qua necessitate compulsi, te corripere apostolico flagello operæ pretium duximus ; sed iterum paterna miseratione te ad nos reducere non prætermisimus, sperantes in te de reliquo nullum vestigium circa nos culpæ aliquo modo reperire, quia et professio tua hoc coram nobis jurejurando spoponderat. En, bone vir, aliquid deterius committere non formidasti, cum quosdam monachos nostros nomine Rhodoaldum, et Warlenum, Roma ad suum monasterium Pultariense iter carpentes, comprehensos jusseris diu sub custodiæ vinculis reservari. Quod quanti piaculi sit sano intellectu ipse perpende, quantumque dedecus sedis apostolicæ, quæ Christo auctore, etiam in barbaras nationes libera semper visa est fungi legatione : quod nefas malum sub omni celeritate emendare hortamur, et prædictos Dei famulos cum omnibus suis illæsos abire patiaris ad locum, miserante Deo, suæ habitationis. Et sicut tuo consilio pro certo eos cognovimus esse innocenter custodiæ mancipatos, ita, te faciente, sciamus eosdem funditus et cum competenti honore dimissos. Data mense Novembris, indictione XIV.

CCCIV.

AD SALOMONEM PROCURATOREM PAPIÆ.

(Anno 880.)

Ejusdem argumenti.

SALOMONI procuratori Papiæ.

Apostolica tibi auctoritate præcipimus ut monachos nostros, id est Rhodoaldum et Warlenum, quos, spreto Dei timore, a liminibus sanctorum apostolorum ad suum monasterium revertentes, et simpliciter per viam gradientes, comprehendere ausus fuisti et in custodia retinere, sine omni mora et dilatione dimittas cum omnibus suis reverti ad suum monasterium sanos atque illæsos. Quia tantum scelus et injuriam pro hac re in sedem apostolicam commisisti, pro quibus juste carere debueras consortio omnis Christianitatis : et fatemur, si hoc continuo non emendaveris, a perceptione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi et introitu ecclesiæ te prohibebimus. Data mense Novembri, indictione decima quarta.

CCCV.

AD ADELBERTUM MARCHIONEM.

(Anno 880.)

Ab excommunicatione eum absolvit, ejusque homines, si spatio quindecim dierum intra mensem Martium Ecclesiæ satisfecerint.

ADELBERTO marchioni.

Te vero quia conversum et fidelem circa sanctam Romanam Ecclesiam et nos cognovimus, absque tenore ab omni excommunicatione absolvimus ; hominibus tuis sub eo tenore sacram reddimus communionem, ut omnem emendationem, sicut promissum est, facere ad quindecim dies intra mensem Martium omnino accelerent. Quod si hoc facere neglexerint, omnes sub eadem excommunicatione permaneant, donec iterum de perpetratis malis plenam faciant satisfactionem. Data *ut supra*, indictione XIV.

CCCVI.

AD OTERAMUM VIENNENSEM EPISCOPUM.

(Anno 880.)

Arguit quod faveat sociis Bosonis, idque a se imperari asserat; præcipit ut Romam accedat ut crimina quæ ipsi objiciuntur diluat.

OTERAMO [a] Viennensi episcopo.

Inter eximios nunc usque Christi Dei nostri sacerdotes te habere tenereque omnimo volumus ; sed quia ecclesiasticæ paci et utilitati contraria agere audimus, valde miramur, nihilominus et turbati existimus, eo quod, sicut fidelium relatu comperimus, his qui cum Bosone præsumptore et regni perturbatore tyrannidem exercere non cessant, ausu temerario favere eorumque malis operibus communicare præsumas, et in superbiam eorum sequax existens, falsa opinione sanctam nostram Romanam Ecclesiam infamare non dubitas, quod ad talia peragendum ipsius auctoritatem habere te certifices ; quod quam evidenter ostendere non poteris, pro qua scilicet Romana Ecclesia te murum opponere omnibus iniqua agentibus debueras. Pro quibus nimirum tot malis tantisque præsumptionibus, tibi ex auctoritate Dei, et sanctorum apostolorum ac nostra, A præcipimus ut de præsenti Romam ad limina sanctorum apostolorum nostramque præsentiam venire procures, ut de talibus te criminibus secumdum auctoritatem sanctorum Patrum coram nobis et sede apostolica satisfaciendo purgare valeas, quatenus te inter fratres et consacerdotes retinere valeamus. Nam, quod non credimus, si aliter feceris, et venire distuleris, donec hanc nostram jussionem impleveris, scias te omni episcopali officio esse privandum.

CCCVII.

AD BARNIMERUM COMITEM, SACERDOTES, ETC.

(Anno 880.)

Ostendit sibi gratissimam fuisse eorum in sedem apostolicam observantiam; hortatur ad perseverantiam. Jubet legatos ad se mitti, quibus B *revertentibus legatum suum missurum pollicetur, cui ipsi fidelitatem juxta Ecclesiæ ritum promittant.*

Excellentissimo viro BARNIMERO glorioso comiti et dilecto filio nostro atque omnibus religiosis sacerdotibus, et honorabilibus judicibus, cunctoque populo pax et gratia a Domino Jesu Christo.

Audita per Theodosium venerabilem episcopum vestrum fide et devotione, quam circa sedem beati Petri apostoli et nostri pontificii vos habere cognoscimus, immensas Deo gratias referentes, in magno gaudio sumus repleti ; qui vos nunc ad tantam gratiam perducere, et inter oves suas connumerare dignatus est, secundum quod Dominus ipsi principi apostolorum commisit, dicens : *Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas (Joan.* XXI). Unde vestram C fidelitatem, et Christianissimam devotionem, his nostris apostolicis litteris admonemus et exhortamur, ut sicut divina inspiratione agere cœpistis ; usque ad finem perficere et observare non prætermittatis, quatenus qui sub ala et regimine atque defensione beati Petri apostoli et nostra toto conamine vos subdere, atque in ejus servitio perseverare, quasi dilecti filii procurastis, apertius hoc ostendatis atque impleatis, ut Dominus in Evangelio dicit : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V). Et ut ita hoc per orbem terrarum vestræ sponsionis diffametur, ut auxiliante Domino, et sanctorum apostolorum suffragantibus meritis, ea quæ saluti et utilitati omnium vestrum proficua sunt, possimus ad honorem et exaltationem D sanctæ sedis apostolicæ incunctanter perficere, sicut nomine vestro scripta nobis mandastis, ita in libro cœlesti scripta permaneant. Quapropter mandamus ut revertente ad vos dilecto episcopo vestro, idoneos legatos vestros præsentialiter ad nos dirigere non prætermittatis, qui pro parte omnium vestrum nos et sedem apostolicam consulant de his quæ mandastis, ut et nos cum illis missum nostrum dirigamus ad vos, quibus secundum morem et consuetudinem Ecclesiæ nostræ universus populus vester fidelitatem promittat. Interim monemus ut constantes perma-

[a] *Ottramno*, qui sæpe postea occurret.

neatis, quoniam scriptum est : *Melius est votum non vovere, quam post votum promissa non implere* (*Eccli.* v). Spiritus Domini, qui orbem terræ replevit, repleat vestrum cor omni pace et gaudio in Christo Jesu Domino nostro.

CCCVIII.

AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

(Anno 880.)

Miratur quod legatos non miserit, quemadmodum jam diu promiserat; monet ut id quamplurimum faciat.

Dilecto ac spiritali filio Michaeli glorioso regi Bulgarum; gratia vobis, et pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo.

Miramur quod tanto jam tempore transacto, missos vestros ad sanctam Romanam Ecclesiam matrem vestram et ad nos non transmisistis. Modo vero, sicut nobis retulit Theodosius venerabilis episcopus, missos tuos cum eo dirigere promiseras, sed pro qua causa eos dirigere prætermiseris, ignoramus. Unde vos jam recognoscere oportebat, etiam ad pastorem et pontificem animarum vestrarum reverti tota devotione debueratis; unde his nostris apostolicis litteris vos quasi charissimos filios admonemus et exhortamur, ut de præsenti vestros idoneos missos nobis transmittere non dubitetis, quatenus ab uberibus matris vestræ sanctæ videlicet Romanæ Ecclesiæ satiemini omnique bono repleamini. Quia nos more paterno ulnis extensis vos amplecti, et quasi oves Christi nobis commissas alere et salvare parati existimus, secundum quod Dominus dicit beato Petro : *Pasce oves meas;* quidquid enim vobis dirigimus, credere omnino potestis, quia pro salute vestra semper agere ac perficere incunctanter cupimus. Optamus vos in Christo nunc et semper bene valere.

CCCIX.

AD QUEMDAM (*f.* CAROLUM CRASSUM REGEM).

(Anno 881.)

Monet ut perficiat quæ per legatos mandavit.

Susceptis litteris gloriæ vestræ, quibus vos plena intentione monstratis ad limina apostolorum festine, imo potius præcipiti gressu et velle convolare; quapropter attoniti, vel magis stupefacti miramur decentiam vestram terminos Patrum transcendere, et lineam generis vestri superbo spiritu conculcare, et in deterius, non in melius prorsus convenire. Et ecce dolenter cum Apostolo compellor dicere : *In novissimis temporibus instabunt tempora periculosa, in quibus erunt homines semetipsos amantes, et quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi* (*I Tim.* III). Sed nos te, fili charissime, in viscere Christi plurimum diligentes, ad ea te provocare gestimus quæ animæ vestræ proficiant ad salutem. Legatos sane e latere nostro plene instructos direximus, quibus omnia ad purum credere non ambigatis in his quæ verbotenus et scriptis capitulariter dedimus in mandatis. Qua de re paterno affectu monemus ut omnia sicut vobis direximus per eosdem legatos, adimplere omnino curetis. Ideoque scitote quoniam si pleno jure cuncta quæ destinavimus non adimpleveritis, nos enimvero quantum in nobis est, zelo Dei succensi ea quæ ad honorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertinent exaggerare penitus satagemus : a quibus nos nulla ferocitas, nulla malorum hominum comminatio donec spiritus reget artus, poterit sequestrare. Quod jussionem nostri pontificii ingenti præsumptione absurdam posuisti, omnimodis temetipsum proprio jaculo reverberasti, et velut aspis surda saluti tuæ congruentibus aurem non accommodasti. Sed quid plura? Iterum atque iterum inhibendo apostolica auctoritate præcipimus, terminum S. Petri ad ingrediendum animum vestrum non incitetis, quousque prædicti legati nostri ad nos revertantur, omnia nobis renuntiaturi, itemque alios ad nos transmittere cures. Data octavo Kalendas Februarii, indictione XIV.

CCCX.

AD ANSPERTUM MEDIOLANENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 881.)

Confirmat Josephi episcopi Astensis ordinationem, qui alias contra canones Vercellensis Ecclesiæ fuerat episcopus constitutus.

Ansperto Mediolanensi archiepiscopo.

Consultationis tuæ qua nos super Joseph, nuper in Vercellensi Ecclesia ordinati, nova nunc electione vel ordinatione in Ecclesia Astensi, consulere voluisti, perspectis suggestionibus, quibus super hoc nostræ auctoritatis consultum requiris, canonicum judicavimus, et nostris tibi decretis convenienter, propitia Divinitate, respondimus. Fuerat autem de illo primum, ut ipse mecum advertis, quoddam irregulariter institutum; sed nos apud B. Petrum apostolum cum sancta synodo residentes, salubri potiti consilio, et animositatem illius correximus et misericordiæ fomenta, gratia Sancti Spiritus revelante, protinus adhibuimus, scilicet ut, eo in pristinum ordinem reducto, si alium episcopatum ei concedere voluisses, et cleri vel populi vota hunc sibi concorditer in episcopum expeterent, et eligeretur, et sicut qui nihil ab ordinatore prius acceperit, in episcopum crearetur. Interea accidit ut, Astensis Ecclesiæ rectore proprio obeunte, permissu Caroli gloriosi regis idem Joseph, post electionem cleri et expetitionem populi in eadem ecclesia deberet ordinari episcopus, tua fraternitas, tam nostra absolutione quam etiam ipsius regis exhortata monitionibus, hoc libenter admisit et canonice jussa complere conata est. Quod quia nunc sententiam nostram tu quoque secutus, et regalem permissionem devote, sicut condecet, es amplexatus, præfatum Joseph presbyterum sanctæ Ecclesiæ Astensi episcopum præfecisti, et ordinationem illius ratam haberi decernimus, et omnium ora contra hoc quoquo modo mussitantia apostolica auctoritate obstruimus : quia sicut de irregulariter quibuslibet habitis nos ad hæc corrigenda zelus justitiæ excitat, ita de bonorum virorum laudabilibus factis gratia divina lætificat. Nam et sedes apostolica, juxta quod S. Leo papa scribit, hanc temperantiam servat, ut et severius

agat cum obduratis et veniam cupiat præstare correctis : et ideo his omissis, de prælibati Joseph iterata creatione sanctitas tua in nullo penitus hæsitet, quia hanc et nos approbatam admittimus et ab omnibus admittendam esse mandamus : quia quod non ostenditur factum per impositionem manus illius, cui tempore suæ legationis, quod dare visus est, ut ita dixerim, non habuit, ratio non sinit ut videatur iteratum. Data xv Kalendas Martii, indictione xiv.

CCCXI.

AD ATTONIUM.

(Anno 881.)

Excommunicat eum, nisi Ecclesiæ Mediolanensi bona quæ abstulerat restituat, et ad obedientiam sui archiepiscopi cum sociis redeat.

Attonio excommunicato.

Missa præsulatui nostro ab Ansperto sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ archiepiscopo relatione atque suggestione, didicimus te multa per horrendæ temeritatis impudentiam sive audaciam egisse illicita, et in contemptum beati Ambrosii atque ipsius antistitis contrarietatem, in locis et rebus ei pertinentibus mala et quæcunque poteras enormiter una cum filiis tuis commisisse adversa. A quorum scilicet perpetratione assidua te quasi ovem gregis Dominici, multis jam vicibus arguendo, obsecrando et increpando convenire atque removere curavit, ne antiqui hostis callida persuasione semel deceptum in profundum mortis barathrum lapsum jacere omitteret. Sed quia te sanctæ admonitionis verbis salubribus humili prorsus devotione non obedire, neque aurem cordis, velut aspidem surdam, inclinare vel acquiescere nolle aspiciens, post tot correptiones una cum venerabilium coepiscoporum cœtu a sacrosancti corporis et sanguinis Domini, secundum institutionis paternæ censuram, communione separavit et ab Ecclesiæ Dei societate merito removit; et adhuc in eadem sorde iniquitatis fetidum et vulneratum te dolet jacere, cordeque impœnitenti nolle ad te percutientem reverti aspiciens, clamat ut per salutis medicamenta animi tui valeat vulnera male inflicta sanare. Unde et nos pastorali sollicitudine, atque confratris nostri archiepiscopi hoc præsenti dilectione commoti, auctoritatis nostræ statuto jubemus ut, tanta perversitate et cordis duritia jam procul abjecta, quoniam hactenus, Dei timore postposito, multos tuæ iniquitatis lepra coinquinasti, et tantorum malorum auctor esse non dubitasti, præcipimus te cum omni celeritate reverti ad veram præfati pontificis tui satisfactionem eum filiis et tuis omnibus complicibus, quorum incentor adhuc malorum post tantas correctiones esse non timuisti, et ejus salubribus monitis subditus et subjectus existas, omnibus tamen Ecclesiæ deprædationibus in integrum restitutis, et secundum ipsius Ecclesiæ privilegium emendatis atque solutis. Quod si post hujus nostræ præceptionis relectam epistolam in tua iniqua obstinatione perdurans, ut dictum est, ad præfatum A pontificem tuum redire satisfaciendo contempseris, ex auctoritate Dei Patris, et Filii, ac Spiritus sancti virtute, beatorumque apostolorum Petri ac Pauli, et omnium sanctorum Patrum, nostraque apostolica sanctione, secundum jam dicti dilecti confratris nostri archiepiscopi et episcoporum sententiam jam olim in te prolatam, jubemus te cum filiis et complicibus tuis omni ecclesiastica esse communione privatum, et a cœtu atque societate omnium Christianissimorum, utpote tantorum malorum perpetratores inconvertibiles, seclusos et damnatos existere; quousque omnia, quæ perperam gessistis, emendando, canoniceque satisfaciendo, veniam condignam percipere mereamini. Data xv Kalendas Martii, indictione xiv.

B

CCCXII.

AD ANSELMUM MEDIOLANENSEM ARCHIDIACONUM.

(Anno 881.)

Minatur illi excommunicationis pœnam, nisi ad sui archiepiscopi obedientiam redeat.

Anselmo archidiacono Mediolanensi.

Missa præsulatui nostro suggestione, Anspertus sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ reverendissimus archiepiscopus, cujus minister esse videris, super te questus est quod inter cæteras perturbationis molestias a te sibi temere illatas, et post rerum suarum damna non modica, non propria derelicta Ecclesia, ab ejus te obsequio et consortio separare, et velut schismaticus per alienas parochias contra canonica statuta commorari præsumpseris, necnon et C apud principalem potentiam properando, noxias illi præparare insidias callida persuasione decretas. Unde his nostris apostolicis litteris dilectionem tuam paterno affectu convenimus, nihilominus et cum omni jubemus imperio, ut de præsenti ad sinum et gremium sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ matris tuæ, quam furibundo animo reliquisti, valde devotus redire festines, atque sub proprii pastoris regimine vel præsentia esse omni mentis alacritate decertes, et, utpote idoneus minister, humili prorsus devotione debitum, juxta ordinis tui locum, reverenter impendas obsequium et obedientiæ famulatum, quatenus, ejus gratia potitus, omnipotenti Domino de officii tui assiduitate semper placere valeas. Quod si aliter contra præcipuas et D non violandas sanctorum Patrum institutiones, atque contra hanc nostram saluberrimam jussionem agere præsumpseris, et ad tuam Ecclesiam tuumque pastorem, sicut regula ecclesiastica docet, redire contempseris, scias te Dei omipotentis virtute et beati Petri apostolorum principis nostraque auctoritate, atque canonico Patrum judicio, fore omni ecclesiastica communione privatum, quousque, ut prædictum est, ad tuam Ecclesiam redire tuoque pastori humilitatis colla subdere omnino studueris, quoniam ferro necesse est ut abscindantur vulnera quæ ut illis manum adhibueris fomentorum non senserint medicinam.

CCCXIII.

AD JOANNEM, EGILULFUM, ETC.

(Anno 881.)

Causam inter Tridentanum et Varonensem episcopos versantem eis committit; monet ut eam jure definiant, et ad se sententiam mittant, ut eam confirmare possit.

JOANNI Bononiensi, EGILULFO Mantuano, et EICARDO Vicentino, et VIATORI Ferrariensi episcopis.

Sanctitamen vestram nolumus ignorare quoddam olim inter sanctam Veronensem Ecclesiam et Tridentanam de quibusdam rebus Asianæ villæ exortum fuisse litigium, quas Veronensi Ecclesiæ pertinuisse probavimus, sicut a legatis nostris, qui tempore illo in Italiæ partibus legationis nostræ fungebantur officio, veraci relatione comperimus: quorum et judicii diffinitionem vidimus, et eorum subscriptiones manuum lectione percurrimus, quo manifestius declaratur easdem res ad sanctam Veronensem Ecclesiam juste pertinuisse, et eas in perpetuum possidendas diffinitum fuisse. Sed quia sæpe contentio solet generare discordiam, nunc, sicut dicitur, Adelchisius venerabilis Tridentanus episcopus, contra diffinitionem ipsam peragens, atque contra professionem, manusque suæ subscriptionem movere præsumpsit, reverentiæ vestræ super hoc negotio vicem nostram committimus, ut ad illas partes accedentes, cum Adelardo, et eodem Adelchisio, venerabilibus episcopis, hoc litigium (licet hoc, quia cum legatis nostris deliberatum est, superfluum judicemus) rursum audientes deliberetis, et ad legitimum finem perducere modis omnibus satagatis: quo rite et secundum seriem scripturarum suarum peracto, quidquid illud fuerit, nostro apostolatui scriptis vestris volumus intimari, ut nos et libenter accipiamus, et nostra auctoritate stabilire non omittamus. Quia et primum coram apostolicis missis aliisque reverendissimis episcopis in synodo Ticinensi, et post in Tridentina ecclesia, nihilominus coram nostris legatis et aliis imperialibus judicibus de hoc judicatum fuit et legaliter diffinitum. Data IV Nonas Martii, indictione XIV.

CCCXIV.

AD ADELCHISIUM EPISCOPUM TRIDENTANUM.

(Anno 881.)

Arguit eum quod bona Veronensis episcopi invaserit; ejus causam quibusdam episcopis se commisisse significat: monet ut eorum acquiescat sententiæ.

ADELCHISIO episcopo Tridentano.

Suggerente coepiscopo nostro Adelardo Veronensi episcopo, didicimus sanctitatem tuam aliter egisse quam se canonica, imo Christiana observantia habere videtur. Quia scilicet, contempto præcedentium Patrum judicio, cui ipse interfuisse dignosceris, res quasdam ad sanctam Veronensem Ecclesiam pertinentes invasisse diceris, et contra manus tuæ subscriptionem te egisse quodammodo suspicaris: in quarum rerum diffinitione, si sedis apostolicæ legati non interessent, speraremus adhuc posse nos
A aliorum certificari super hoc attestationibus. Sed quia hoc non esse opportunum prævidimus, Joanni Bononiensi, Egilulfo Mantuano, Eicardo Vicentino, et Viatori Ferrariensi venerabilibus episcopis, ad hoc secundum Deum providendum, et quantum ad contemptum inobedientium pertinet, rursum diffiniendum, vicem nostram super hanc quæstionem commisimus, ut in id ipsum convenientes, hoc litigium cum sanctitate tua determinent, et irreprehensibiter, Deo præ oculis habito, diffinire procurent. Quapropter fraterno te amore monemus ut in hoc ita peragas quatenus a nobis merito reprehendi non possis et canonicam sententiam non excipias: verumtamen ad locum quem prædicti venerabiles episcopi tibi significaverint, occurrere non omittas. Et
B de eisdem rebus Asianæ villæ respondeas, ut ex hoc jam nulla quæstio prorsus ramaneat vel renascatur. Data *ut supra*.

CCCXV.

AD LUDOVICUM ET CARLOMANNUM REGES.

(Anno 881.)

Rogat ut cum Carolo imperatore consentiant de revocanda et Romam mittenda Angelberga, ubi eam ita se custoditurum pollicetur, ut contra ipsos moliri nihil possit.

LUDOVICO et CARLOMANNO regibus; et HUGONI abbati.

Nosse volumus vestram dilectionem qui spiritalem filium nostrum Carolum serenissimum imperatorem Romæ nobiscum degentem rogavimus ut spiritalem filiam nostram Angelhergam Deo devotam,
C quæ se sancto Petro apostolo et nobis cum suis omnibus commendaverat, quam etiam conjux illius divæ memoriæ Ludovicus Augustus adhuc vivens nostræ tuitioni specialiter submiserat, ab exsulatu reduceret, et apud nos eam Romam, ubi nulla jam de illa sinistra suspicio oriri posset, pro amore Dei et Christi, clavigeri ipsius beati Petri apostoli simulque nostro dirigeret. Quod ille libenter se facturum promittens, quantum comperimus, vestrum super hoc præstolatur assensum. Et quidem nos de communi dilectione et pace sive concordia vestra gaudemus, et Deo pro hoc innumeras grates referimus. Sed tantum de ipsius spiritalis filiæ nostræ recuperatione et reditu vos deprecamur, quantum, si ipsa ad nos reducta fuerit, ut nihil penitus jam vel
D contra eumdem imperatorem, vel contra vos agere possit, nostris vos attestationibus certissimos reddimus. Idcirco juncta vestra devotio cum ejusdem Augusti obedientia, absque omni protelatione, jam dictam Deo devotam feminam, quam ad limina apostolorum, a quorum confessione altarium nostro semper tuendam præsidio suscepimus, pro amore Dei et nostro remittere, quantum in vobis est non omittatis. Quia si hic apud nos rediens habitaverit, tanta custodia circumspecta, nobis credite, erit, ut nec Bosoni, nec alio homini, ad perturbationem imperii sive regni, quodlibet adjutorium vel auxilium verbis aut scriptis præbere quoquomodo valeat. Ve-

cumtamen unum est quod vobis veraciter et unde occasionem vos ad nos contemnendum non possitis assumere, hoc ecce proponimus, scilicet, si eamdem Angelbergam vel in modico contra imperialem aut nostram voluntatem adversi quippiam moliri aut velle manifestis cognoverimus indiciis, præsentialiter illam reddere ac remittere imperialibus satagemus obtutibus, quatenus quæ disciplinam forte recipere, quod nec optamus, distulerit, non solum mundana vestra judicia non evadat, verum etiam nec nostram miserationem, quæ delinquentibus parcere consuevit, inveniat. Ideoque, charissimi filii, estote in hoc nostri cooperatores et adjutores, et audiat nos continuo excellentia magnitudinis vestræ, ut et vos a Domino exaudiri mereamini, et per felicia tempora regni gubernacula moderantes, cum Christo regnum, quod finis nullus angustat, intercedentibus beatis apostolis, capescere valeatis. Data IV Idus Martias, indictione XIV.

CCCXVI.

AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ET COMITES ITALIÆ.

(Anno 881).

Hortatur dent operam ut Carolus imperator Angelbergam Romam venire patiatur, quam se ita custoditurum promittit, ut nihil contra ipsum Carolum cum Bosone moliri possit; et si quid tentaverit, se eamdem remissurum pollicetur.

Omnibus reverendissimis et sanctissimis archiepiscopis et episcopis hujus Italici regni, et omnibus gloriosis comitibus filii nostri imperatoris.

Si ea quæ saluti et utilitati proximorum necessaria sunt, secundum sollicitudinem et curam gregis Dominici nobis ab bene regendum commissi, divinæ pietatis memores agere studemus, omnipotentem Deum in his quibus et ipsi ex humana infirmitate quotidie indigemus, habebimus omnino propitium, et in bonis omnibus procul dubio adjutorium. Igitur sanctitatem vestram nosse volumus quoniam missis et apostolatus nostri litteris, dilecti ac spiritalis filii nostri Caroli gloriosissimi imperatoris clementiam obnixe rogamus ut Angelbergam filiam nostram, quam divæ memoriæ Ludovicus rex pater imperatoris, et Ludovicus imperator vir ejus nobis Veronæ commendaverunt, ac postmodum ipsa se sancto Petro tradidit, et de ipsius altaris confessione tuendam recepimus, de loco in quo nunc esse constat, pro amore Jesu Christi Domini nostri, et pro sanctorum apostolorum Petri ac Pauli reverentia, nostraque paterna dilectione præsentialiter reduci, et ad nos eam dirigere jubeat. Unde vos fratres et comministros nostros pio mentis convenimus atque hortamur affectu, quatenus in hujus feminæ reversione vel salute nobiscum cooperari pariterque desudare studeatis, ut vestro consilio vestroque instanti hortatu, ipse Augustus nostræ petitionis affectum more parentum suorum libenti perficiat voluntate. Nam sicut illud regnum, in quo nunc illa sub custodia manet, ejus est, ita et istud; et sicut ibi custoditur, ne aliquod solatium, vel consilium dare, facereque possit Bosoni, ita et nos eam in tali loco habitare faciemus, quo nihil adversi moliri, nihilque valeat machinari contrarium ad hujus regni, et imperii perturbationem. Et si contra ejus ac nostram voluntatem aliquatenus eam agere, aut velle cognoverimus, illico ad imperialem remittemus præsentiam, nec nostro erit amplius adjuta consilio. Quod nimirum, ut nobis sine omni dubitatione credatur, unum ex his legatis nostris venerabilibus episcopis, quos pro ea imperatori direximus satisfaciendo, repromittere jussimus ita nos esse incunctanter facturos. Neque enim, sicut cum coepiscopis, et primatibus ejus promissum est, nullum temporale adjutorium et consilium jam fato se fore præbiturum Bosoni; et quod, sicut prædiximus, diligentissime custodita, non poterit de his omnibus quidquam agere. Idcirco per Dominum vos adjuramus, ut toto conamine in hoc opere nobiscum pro amore Dei desudare, eique manum porrigere procuretis, ut et nos in vestris proficuis utilitatibus et necessitatibus esse prompti possimus; et cui manum porrigere vobiscum omnimodis porrigamus, dignasque vestro Deo dilectæ sanctitati pro vestro labore, atque devotione gratias habere valeamus.

CCCXVII.

AD CLERUM MEDIOLANENSEM.

(Anno 881.)

Recipit Hadericum sub tutela sedis apostolicæ, et excommunicat omnes qui illi vel ejus ecclesiis molestiam intulerint.

Omnibus reverendissimis episcopis et sacerdotibus seu clero, ac populo sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ.

Boni patrisfamilias, quem bene et fideliter laborantes remunerasse cognoscimus, informati exemplo, et apostolicæ auctoritatis et miserationis magisterio, seu benovolentia, omnibus, quos pro Ecclesiæ Dei utilitatibus fideliter desudare conspicimus, subvenire debentes, opportunum ac necessarium nos oportet præbere auxilium. Igitur quia te Hodericum venerabilem presbyterum et abbatem sacrorum monasteriorum beatorum, scilicet Gervasii et Protasii, atque Simpliciani, nec non ex xenodochii (*aliquid deest*) sanctorum Cosmæ et Damiani, quod Romanorum dicitur, et alia tua beneficia vel patrimonia intra vel extra civitatem Mediolanensem constituta fideli devotione, totoque mentis comanine pro pristino statu et vigore atque restitutione sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ ter quaterque in obsequie Ansperti reverendissimi archiepiscopi tui atque confratris nostri devotum atque in omnibus fidelissimum permanere atque decertare omnino et evidenter comperimus, et legationem Ambrosianæ Ecclesiæ catholica fide te, et prout vires suppleverunt, ardentissimo ardore explere, crebo cognovimus. Et ob hoc aliquos contumaciæ livore adversum tuam commotos esse dilectionem, vel ob alias causas invidiæ, qui et modo labiis dolosis zeli contra te con-

citati, et postmodum callidis argumentis nocivam tibi moliuntur, nostro statuto decernimus, atque Dei omnipotentis auctoritate beatique Petri apostolorum principis et nostra sanctione statuimus, nulli unquam archiepiscoporum, vel sacerdotum, aut cujuslibet ordinis clericorum ejusdem sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, nec aliarum Ecclesiarum, neque alicui magnæ parvæque personæ, cujuscunque honoris præditæ dignitate esse licitum, pro tuæ laudabilis devotionis affectu et pro tuæ fidei sinceritate atque charitatis certamine, quod pro ipsius Ecclesiæ utilitate nostris te diebus habuisse cognovimus, aliquam tibi quocunque modo vel sub ecclesiasticarum rerum obtentu, inferre calumniam aut his præfatis, quæ pro tui digni laboris merito retines beneficiis et patrimoniis, vel a quibus propriis rebus mobilibus privare : sed diebus vitæ tuæ, secundum auctoritatis nostræ decretum, pro amore Dei et mercede animæ nostræ tuaque fidelitate, quam tuæ te novimus habere Ecclesiæ, liceat tibi sub apostolicæ sedis successorumque nostrorum tutamine, cum propriis beneficiis, et cum omnibus tuis hominibus utriusque ordinis, manere quietum atque securum. Porro quicunque contra hoc nostrum statutum temerario ausu agere teque pro hujusmodi negotio calumniare præsumpserit, omni eum ecclesiastica judicamus communione carere, quousque per congruam satisfactionem in nostra successorumque nostrorum præsentia, quod perperam læserat, emendare curaverit. Et ideo nostra etiam apostolica auctoritate præcipimus te nusquam cujuslibet episcopi vel sacerdotis subjacere judicio, quousque in nostram vel successorum nostrorum, libere ac securiter, sine alicujus obstaculo vel impedimento præsentiam venias. Data *ut supra*.

CCCXVIII.

AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

(Anno 881.)

Arguit eum quod non fregerit fœdus quod cum Saracenis fecerat, cum promiserit illud rumpere : ostendit multa mala ejus causa a Saracenis Christianis fuisse inflicta ; minatur illi excommunicationem, nisi fœdus illud rumpat.

ATHANASIO episcopo Neapolitano.

Jam quia te lactantium et ab ipsis cunabulis educantium sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ oblitus es uberum, vel nostræ benevolentiæ non debueras oblivisci, quam tibi paternaliter exhibentes, et salutis tuæ consulta prævidimus, et in temporalibus commodis juxta qualitatem temporis, præsidia quæque contulimus ; et quoniam cooperatorem nostrum in his quæ Dei sunt, te habere volumus, nimisque tuam sanctimoniam diligimus, monemus ut vel nunc ad cor redeas, ut prava quæque juxta tuum ministerium diluas, et inimicorum Christianorum nominis fœdus exsecrando devites, quatenus et animæ tuæ lucrum acquiras, et nostris magis ac magis affectibus perfrui valeas, et blasphemiis ac maledictionibus reliquiarum populi Christiani, Divinitate propitia, careas. Memento, quæso, quid es ; memento quid, si non resipueris, eris; et judiciorum Domini memor esto, ne pro tantis Deo rationem reddere cogaris, quanti per tuam desidiam interempti sunt, et captivi ducti diversis mortibus perierunt. De quorum crudelitate quid dicere possumus? Cum tanta hinc flenda sint et lugenda, ut si scribere velimus, et lacrymarum rivuli crescent, et primum charta quam verba deficient. Denique apud Cajetam olim nobis necessario constitutis, legati tui promiserant ut intra spatium viginti dierum non solum cum Agarenis habitum pactum dissolveres, verum etiam Saracenos caperes, et nobis eos transmitteres ; sed ecce, quod promissum est, fide hactenus caruit, et omnium sponsionum tuarum dicta cassata sunt, et, ut apparet, frustrata. Unde, sicut diximus, cesset jam, cesset hæc immanissima pestis, ut reliquiæ Christianæ funditus non depereant, et tu animæ tuæ dispendia non incurras, quia si populo Dei compassus fueris, et Deum tibi propitium facies, et nostram paternitatem solito more percipies, et ministerium tuum custodies : alioquin non solum nostra tibi non dimittemus, sed etiam canonicam in te sententiam juxta nostrum ministerium jaciemus. Sed et hoc nostri apostolatus auctoritate monemus, et excommunicando modis omnibus interdicimus, ut quia *ecce tempus acceptabile est, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI), nullam seditionem, nullam commotionem, nulla discrimina vel læsionem cum his qui in Berolassi commorantur aut facias aut facientibus omnino consentias, quatenus pacem sectando, ab omni nequitia purgatus, munus Dei immaculatum offeras, et charitatem Dei in tuo vase diffusam cohabitare permittas : quia nos, quibus de omnibus cura est, Deo juvante, congruenter illuc properabimus, et inter vos, te potissimum cooperante, pacem et amicitiam reformabimus. Data pridie Idus Martii, indictione XIV.

CCCXIX.

AD METHODIUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 881.)

Gratulatur de orthodoxæ fidei cultu, et de ejus erga religionem studio et cura ; precatur in dies spiritualem profectum majorem, eumque consolatur.

METHODIO archiepiscopo, pro fide.

Pastoralis sollicitudinis tuæ curam, quam in lucrandis animabus fidelium Domino Deo nostro exhibes, approbantes, et orthodoxæ fidei te cultorem strenuum existere contemplantes, nimis in eodem Domino jucundamur, et ei immensas laudes, et gratias agere non cessamus, quia te magis ac magis in suis mandatis accendat, et ad sanctæ suæ Ecclesiæ profectum ab omnibus adversitatibus clementer eripiat. Verum auditis per tuas litteras vanis casibus vel eventibus tuis, quanta compassione tibi condoluerimus, ex hoc advertere poteris, in quo te coram nobis positum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ doctrinam, juxta sanctorum Patrum probabilem traditionem, sequi debere monuimus, et tam symbolum quam

rectam fidem a te docendam et prædicandam subdidimus; nostrisque apostolicis litteris glorioso principi Sfentopulco, quas eis asseris fuisse delatas, hoc ipsum significavimus, et neque aliæ litteræ nostræ ad eum directæ sunt, neque episcopo illi palam vel secreto aliud faciendum injunximus, et aliud a te peragendum decrevimus, quanto minus credendum est ut sacramentum ad eodem episcopo exegerimus, quem saltem levi sermone super hoc negotio allocuti non fuimus. Ideoque cesset ista dubietas, et, Deo cooperante, sicut evangelica et apostolica se habet doctrina, orthodoxæ fidei cultum fidelibus cunctis inculca, ut de labore tui certaminis Domino Jesu Christo fructum afferas abundantem, et gratia ejus remuneratus, mercedem recipias competentem. Cæterum de aliis tentationibus quas diverso modo perpessus es, noli tristari, quin potius hoc, secundum Apostolum, omne gaudium prorsus existima, quia si Deus pro te, nemo esse poterit contra te. Tamen cum Deo duce reversus fueris, quidquid enormiter adversum te est commissum, quidquid jam dictus episcopus contra suum ministerium in te exercuit, utramque audientiam coram nobis discussam, adjuvante Domino, legitimo fini trademus, et illius pertinaciam judicii nostri sententia corripere non omittemus. Data decimo Kalendas Aprilis, indictione decima quarta.

CCCXX.

AD CAROLUM IMPERATOREM.

(Anno 881.)

Nuntiat imperatori se iis malis a Saracenis affici, ut amplius sustinere non possit; rogat eumdem ut sibi subsidio exercitum mature mittat, eique palmam cum benedictione mittit.

Carolo [a] imperatori.

Multarum oppressionum nostrarum, fili charissime, vobis oblivisci non convenit, et calamitatum nostrarum, quas sancta mater vestra Romana Ecclesia patitur, oportet vos reminisci, et tunc demum ad aliquam consolationem nostram manum vestræ pietatis porrigere et auxilium nobis præbere quantocius debetis. Scitis namque quæ, quanta et qualia, præcipue a paganis, mala quantasque etiam miserias patimur; et in nobis commissis, quantum quotidie affligamur, et vos estis experti, et nos partim vestræ clementiæ paulo ante significavimus. Et cum quotidie hæc eadem mala non minui sed magis ac magis crescere ac dilatari cernamus, dolor et gemitus, ac sine fine tristitia imminet, ac per hoc libet magis mori, quam, proh dolor! jam talia tolerare. Proinde, spiritalis fili semperque Auguste, gloriam vestram summopere deprecamur ut pro amore Dei omnipotentis et reverentia principum apostolorum Petri ac Pauli hostilem [*f.* vestrum] exercitum, quem istas in partes venturum esse dixistis, moram perpeti non sinatis, sed cum omni velocitate ad auxilium nostrum, quæsumus, dirigatis, ut, Domino adjuvante, ad respirationem nostram Agarenos expugnet, et nobis quantulamcunque de ipsis paganis tranquillitatem valeat ferre. Sed et e latere vestro, qui eidem exercitui præesse possit, tam strenuum tamque idoneum missum modis omnibus tribuatis, qui et ductor exercitus vestri existat, et quam defensionem vel adjutorium nobis faciant, ipse prævideat, et quidquid vestra vice est peragendum potestateve perficiat. Alioquin non solum ex hoc maxima negligentia erit, et omnis vestra utilitas deperiet, sed etiam novissima nostra erunt pejora prioribus; et vos, quantum ex hoc habeatis peccatum, dici non potest. Ideoque propter Deum succurrite nobis, succurrite, ut non dicant in circuitu nationes: Ubi est imperator eorum? Præterea honorificentiæ vestræ cum benedictione apostolica palmam, per quam signum datur victoriæ, ecce ex more direximus, exoptantes, omnipotentemque Deum deprecantes, ut hanc cum lætitia vos in die tantæ solemnitatis gestare faciat atque permittat. Et ad omnium nostrum utilitatem et profectum aures præcordiorum vestrorum divinitus inclinare dignetur. Data IV Kalendas Aprilis, indictione XIV.

CCCXXI.

AD DIVERSOS EPISCOPOS.

(Anno 881.)

Athanasium Neapolitanum episcopum, qui sæpe monitus, nunquam, sicut promiserat, fœdus cum Saracenis ictum rumpere voluit, a se cum omnibus ei consentientibus excommunicatum significat.

Omnibus episcopis Cajetam, Neapolim, Capuam Berolassim et Amalfim, Beneventum et Saternum incolentibus, a paribus.

Quæ et quanta ab Athanasio Neapolitano episcopo Christi Ecclesia patiatur adversa, optaremus vobis non esse dicturos, nisi essent supra modum gravia. Ecce enim, ut ipsi jam ex maxima parte non ignoratis, ad perditionem totius Christianitatis, a multis retro temporibus cum filiis Ismael et Deo scilicet odibilibus Saracenis pactum faciens, omnem istam terram ita ad nihilum redegit, ut jam non sit qui eam prorsus inhabitet. Super quo scelere eum sæpissime commonuimus, et corpori nostro omnimodo non parcentes, usque Neapolim properavimus, multumque argenti ei contulimus, et rogavimus ut ab eorum se societate divideret, ut tandem aliquando resipiscens, tantam pestem deleret. Qui, ut ita dixerim, importunitatem nostram, licet ficte, non tolerans, promisit se ita esse facturum, et pactum cum Saracenis habitum soluturum, sub ea duntaxat conditione ut si deinceps hoc malo se quocunque modo misceret, et sacerdotio esset privatus et anathemati subjaceret. Sed, heu! pro turpis lucri commodo, quod ab ipsis Saracenis, de præda eorum partes recipiendo, hujus promissionis oblitus, noluit adimplere, quod multis coram positis scriptis et verbis promisit. Rursum nobis, non modici argenti adauctis ponderibus, et apud Cajetam pervenientibus,

[a] Ejus nominis tertio, cognomine Crasso.

per suos legatos ei mandavimus ut si intra triginta dierum spatia cum Saracenis habitum fœdus non rumperet, aut ea quæ nobis tergiversando abstulerat, non retransmitteret, nostro judicio iterum sententiam, quam ipse in se pertulit, prorsus exciperet; sed tam varia juramenta quam absolutas promissiones postponens, nos de die in diem delusit, et foris omnibus dissipatis, intus vero per suam calliditatem multis nostris ablatis, hactenus nec cum Saracenis habitum pactum dissolvit, nec reliquiæ Dei populi voluit misereri. Quin potius cum ipsis conversans, de ipsis malis in pejus crevit, et Dei mandata contemnens, sacerdotii etiam sui oblitus, non solum similis illis effectus est, sed etiam in multis deterior. Hujus rei gratia apud beatum Petrum apostolum synodice in eum sententiam protulimus, et cum omnibus sibi consentientibus sive faventibus omni ecclesiastica communione sub anathematis interpositione privavimus. Modus autem excommunicationis hic est : Athanasium Neapolitanum episcopum sæpissime admonitionibus, et multis argenti ponderibus datis, ut pactum cum Saracenis habitum disrumperet, admonuimus. Ille autem idem pactum se omnimodo soluturum et ab eorum societate separaturum esse promittens sub ea conditione, ut si denuo cum illis quolibet modo fœdus habuisset, omni esset sacerdotali honore privatus et anathematizatus; sed hæc omnia parvipendentem, et ad perditionem Christianorum cum eis pactum habentem, et nos sæpissime deludentem, et de præda eorum partem recipientem, judicio et auctoritate Dei omnipotentis, et beatorum apostolorum Petri ac Pauli simul et nostra, cum omnibus sequacibus suis, et omni ecclesiastica communione privamus, et quousque se ab ipsis Saracenis penitus separaverit, velut totius Christianitatis inimicum anathematizamus. Data mense Aprili, indictione XIV.

CCCXXII.

AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

(Anno 881.)

Arguit quod Albericum comitem Ravennam asciverit, et nobiles Ravennates contra jusjurandum sibi præstitum vexarit : cum Neapoli reversus fuerit, ait se ea omnia curaturum : jubet Dominicum archidiaconum Faventinæ Ecclesiæ episcopum consecrari.

ROMANO archiepiscopo Ravennati.

Ea quæ nostro præsulatui pro utilitate et neccessaria sanctæ Ravennatis Ecclesiæ restitutione perficienda mandasti, lucifluis antecessorum nostrorum informati exemplis, congruum et opportunum eidem Ecclesiæ libenter volumus, Deo favente, præbere solatium et defensionis auxilium, præcipue cum ipsius nos tibi commissum habeamus regimen. Sed quia multi nobilium Ravennatium crebris duntaxat querimoniis apostolatus nostri aures pulsare non desinunt, circa te clementiæ nostræ benevolentia commota non immerito habetur. Nam, ut cætera omittamus, quia Albericum comitem quasi ex parte A imperiali Ravennam asciscere, et nobiles cives ipsius, nobis inconsultis, ausu temerario distringere enormiter coegisti, miramur, eo quod te adversum tuam promissionem jurejurando coram nobis et sede apostolica prolatam, penitus egisse cognoscimus. Pro quo nimirum te valde cavere oportet, ne pro talibus tua sententia velut transgressorem ulciscatur. Nos enim te gregem Domini pascere, non perturbare; salvare, et non perdere statuimus. Tamen cum nos, Deo volente, Neapoli, quo nunc proficiscimur, fuerimus reversi; et aut tu, secundum nostram tibi jussionem directam, Romam veneris, aut nos vel missus noster istas in partes venerimus, plenariam de omnibus quæ tuæ Ecclesiæ cognoverimus esse necessaria justitiam omnimodo faciemus. B Defuncto prætcrea Ecclesiæ Faventinæ episcopo, prævidimus hunc Dominicum venerabilem archidiaconum, sedis ipsius honore episcopali dignum existere. Hoc auctoritatis nostræ statuto præsenti dilectioni tuæ præcipimus ut, absque omni mora vel protelatione, eumdem archidiaconum studeas secundum morem episcopum consecrare. Nam si aliqua temeritate depravatus, hoc contra tuæ sponsionis juratoriam paginam præsentialiter facere contempseris, pro certo scias quia nos ipsius Ecclesiæ curam et sollicitudinem habentes, jam fatum archidiaconum ad nos ex nostra præceptione illico revertentem episcopum consecrabimus. Data *ut supra.*

CCCXXIII.

AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

(Anno 881.)

C *Arguit eum quod alterius legitimam uxorem raptori tradi consenserit, et Romanæ Ecclesiæ ausus fuerit adversari; has ob causas illum a conferendis sacris ordinibus suspendit, donec a synodo, ad quam eum jubet venire, ejus causa cognoscatur.*

ROMANO archiepiscopo Ravennati, missa per Deltonem venerabilem episcopum.

Inter cætera quæ de te audivimus, veniens Deusdedit dux retulit nobis quod uxorem illius, de qua legaliter diffinitum est, ad te callide venire fecisses, et alteri viro raptori in stupro utique tradidisses : quod nimirum tanti flagitii scelus te, juxta tuum ministerium, omnimodis prohibere ac funditus resecare oportebat : tu autem consensum illicite præbuisti. Cognoscimus etiam multis indiciis quod ausu D temerario contra sanctam et dominam tuam Romanam Ecclesiam recalcitrare, et contra tuæ juratoriæ sponsionis tenorem luculentissime agere nullatenus dubitasti. Unde auctoritate Dei et beati Petri nostraque tibi præcipimus, et præsenti statuto jubemus, ut nullam omnino sacerdotalem ordinationem pro talibus, quibus es irretitus, criminibus, facere quoquomodo præsumas, donec VIII Kalend. Octobris futuræ quintæ decimæ indictionis, ad synodum quam, Deo favente, pro ecclesiasticis videlicet utilitatibus, secundum sanctorum Patrum statuta celebraturi erimus, omni postposita occasione, venire procures; quatenus synodali decreto ea, quæ de te didi-

cimus, examinata, canonicum finem percipiant. Data *ut supra.*

CCCXXIV.

AD EUMDEM.

(Anno 881).

Jubet Placentinos clericos, quos sine commendatitiis litteris ad eum confugientes receperat, ad eorum episcopum remitti; ejusdem etiam Ecclesiæ clericos absolvi, donec cum eis ad synodum veniat.

Reverendissimo et sanctissimo ROMANO archiepiscopo Ravennati.

Inter cæteras proprii affectus, rationes incongruas, quibus teipsum quotidie mente improvida insertiri [*f.* irretiri] non dubitas, Paulo charissimæ Placentinæ Ecclesiæ antistite ad aures apostolatus nostri humiliter reclamante, didicimus quod clericos ipsius Ecclesiæ regulæ normam sectari nolentes, et idcirco sine commendatitiis utique litteris ad te confugientes, contra sacra beatorum Patrum statuta recepisses, receptosque tibimet famulari decernas. Quod nimirum propter multam perturbationem, et seditiones quæ sæpe fiunt, auctoritate apostolica et sanctorum Patrum præcipua institutione amputare volentes, reverentiæ tuæ jubemus prædictæ Ecclesiæ Faventinæ [Placentinæ *ut supra*] clericos, quos penes te enormiter habere videris, et præcipue Gausum diaconum, de præsenti suo reddere vel dirigere procures episcopo. Quia non licet quemlibet clericum in duarum civitatum conscribi simul Ecclesiis, et in qua ab initio exstitit, ad quam confugit quasi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem : et ideo eos ad suam Ecclesiam revocari decernimus, et de illis amplius agere cavere prorsus oportet, ne sanctorum Patrum judicio, quod contra hujus regulæ transgressores prolatum est, damnari omnino merearis. At si aliquid inter eos adversi exortum fuerit, canonice inter eos diffinias, salvo sedis apostolicæ honore, atque vigore, salvoque tuæ Ecclesiæ privilegio. Et præterea sacerdotes et clericos Placentinæ Ecclesiæ, quos excommunicasti, ut ab eadem excommunicatione absolvas, quousque tempore congruo tu cum eis Romam ad synodum pariter veniatis. Data mense Julio, indictione XIV.

CCCXXV.

AD CONSTANTINUM SACERDOTEM.

(Anno 881.)

Excommunicat eum quod absque sua licentia ab archiepiscopo Ravennate ad Faventinæ Ecclesiæ episcopatum promotus fuerit : prohibetque eum illius Ecclesiæ administrationem attingere, donec ad synodum Romanam veniat.

CONSTANTINO sacerdoti Ecclesiæ Faventinæ de plebe sancti Petri Transilvani.

Audientes te esse quasi ad episcopalem honorem a Romano Ravennate archiepiscopo, sine nostri pontificii auctoritate, seu licentia, et absque canonicæ institutionis regula enormiter promotum, his apostolatus nostri litteris ex Dei omnipotentis sanctorumque Petri ac Pauli apostolorum principum A auctoritate, nostroque apostolico jure, te excommunicamus, ut nullo modo habeas licentiam aliquid de episcopali officio peragere, aut ipsam Faventinam Ecclesiam quoquomodo invadere, neque in plebibus, vel rebus, seu hominibus ipsius Ecclesiæ, aliquod dominium agere præsumas, usquequo cum eodem Romano archiepiscopo tuo, (*aliquid deest*) octavo Kalendas Octobris quam, Deo favente, celebraturi Romæ erimus, tuam specialem rebus præsentiam exhibere procures. Nam si contra hanc nostram apostolicam jussionem, et post hujus nostræ excommunicationis sententiam, aliquid de ipso episcopali ministerio agere præsumpseris, vel in omnibus quæ ad eumdem episcopatum pertinent, temerario te ausu intromittere tentaveris, atque ad denomi- B natam synodum occurrere postposueris, scias pro certo quia non solum omni ecclesiastica te communione privabimus, sed etiam synodali decreto a sacerdotali honore te sanciemus alienum existere. Data XVI Kalendas Augusti, indictione decima quarta.

CCCXXVI.

AD JOANNEM EPISCOPUM FICOCLENSEM.

(Anno 881.)

Visitationem Faventinæ Ecclesiæ pastore destitutæ, ejusque curam ei committit, donec novus pastor eidem præficiatur.

JOANNI episcopo Ficoclensi.

Obitum Romani Faventinæ civitatis antistitis directa dudum relatio patefacit : quapropter visitationis destitutæ Ecclesiæ fraternitati tuæ operam solemniter delegamus. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil C de provectionibus [*f.* proventibus] clericorum, reditu, ornatu ministeriisque, vel quidquid illud est in matrimonio eodem, a quoquam præsumatur Ecclesiæ ; et ideo Ecclesia [fraternitas] tua ad prædictam Ecclesiam ire procuret, ut quidquid utilitati illius congruit, interim solerti cura prævideat, quousque, qualiter se habeat electio, vel ordinatio succedentis episcopi coram nobis synodali discutiatur examine, et apostolica terminetur, Deo juvante, censura. Data XIII Kal. Augustas, indictione XIV.

CCCXXVII.

AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 881.)

Ad synodum Romam sub pœna excommunicationis venire jubet, ut ad ea quæ objiciebantur respondeat.

D Reverendissimo et sanctissimo confratri nostro ROMANO archiepiscopo.

Quia jampridem missis tibi per Joannem venerabilem episcopum Montis Feretrani apostolatus nostri litteris, ad synodale te collegium pro ecclesiasticis duntaxat utilitatibus nobiscum pariter celebraturum occurrere jussimus, et tuam nobis contempsisti præsentiam exhibere ; nunc multis criminibus irretitum, multorumque hominum accusationibus horrendis impetitum, et præcipue manifesto perjurio esse pollutum, agnoscentes, hac secundæ vocationis nostræ auctoritate ad venerabilem synodum, quam, Deo favente, octavo Kalendas Octobris

futuræ quintæ decimæ indictionis, crimus celebraturi, omni occasione vel mora postposita, una cum omnibus suffraganeis tuis episcopis venire jubemus, quatenus ibi coram fraterno et venerabili episcoporum cœtu, pro omnibus tibi objectis rite examinatis ore proprio valeas respondere et te innoxium demonstrare; nam si aliqua temeritate tumidus, vel inobedientiæ stimulis motus, hanc nostram apostolicam et canonicam vocationem, quam tibi primitus per Deltonem, seu et modo per Joannem Callensem venerabiles episcopos direximus, parvipendendo, ad præfatam synodum venire contempseris, scias pro certo quoniam omni te communione ecclesiastica privabimus, et fugiendo tuæ damnationis sententiam, utique honoris patieris jacturam. Data VI Kalendas Augusti, indictione XIV.

CCCXXVIII.

AD CAROLUM IMPERATOREM.

(Anno 881.)

Petrum et Zachariam legatos ad eum mittit; causa corrigendi mala, quæ se, eo regnante, perpessum queritur.

CAROLO imperatori.

Quia nunc eadem omnibus vobis, jam Deo favente, per humilitatis nostræ officium regnantibus, ubique patimur et sustinemus adversa, quæ ante vestræ imperialis gloriæ provectionem nos sustinuisse quotidie recordamur, his apostolatus nostri apicibus directis, dignum duximus Augustali serenitati vestræ pro utilitate ac multiplici necessitate Ecclesiæ universalis, cui per Dei gratiam præsidemus, suggerere, atque cognitum omnimodis facere, quoniam secundum commune placitum atque decretum direximus Petrum, insignem palatii nostri, super ista deliciosum consiliarium nostrum, communemque fidelem, cum Zacharia venerabili episcopo et bibliothecario sedis nostræ, pro recipiendis de omnibus, quæ hactenus perperam acta fuerant, justitiis et emendationibus, ac pro totius terræ S. Petri salute, pristinaque restitutione; quatenus in præsentia missorum vestrorum ea quæ necessario emendanda et corrigenda erant, jure legitimo corrigerentur, ut tam diuturnum malum finem acciperet.

CCCXXIX.

AD RAVENNATES.

(Anno 881.)

Præcipit ut se a Ravennatis archiepiscopi in synodo excommunicati communione separent: quousque eum absolutum cognoverint.

Omnibus venerabilibus sacerdotibus et clero atque universis judicibus populoque Ravennati.

Nosse volumus fidelitatem et unanimitatem vestram quia Romanum archiepiscopum vestrum pro perjurii reatu manifeste pollutum, aliisque nefandis criminibus impetitum, et idcirco ad synodum pro sui purgatione vocatum, occurrere contemnentem, omni ecclesiastica communione una cum sanctæ synodi decreto privavimus, quousque suam specialem studuerit nobis exhibere præsentiam. Quamobrem his apostolatus nostri litteris vobis jubemus, et ex auctoritate Dei et beati Petri apostolorum principis et nostra præcipimus, ut omnes vos ab illius consortio et communione modis omnibus separetis, donec per nostræ apostolicæ miserationis officium, ab hujus excommunicationis vinculo eum cognoveritis absolutum existere. Quicunque autem ei ante audientiam et absolutionem nostram aliquatenus communicare præsumpserit, eodem excommunicationis laqueo, secundum sanctorum Patrum institutionem, maneat irretitus, usque dum a nobis fuerit misericorditer, absolutus. Data mensis Octobris die quarta, indictione duodecima [decima quinta].

CCCXXX.

AD CAROLUM IMPERATOREM.

(Anno 881.)

Gratulatur de ejus observantia erga Romanam Ecclesiam: lætatur ipsum Ravennam venire velle, ut de Ecclesiæ et imperii statu agat: rogat ut ante diem quem præstituerat accedat.

Ad imperatorem.

Receptis serenitatis vestræ litteris atque perlectis, ac sicut nobis per Joannem Venticinensem episcopum verbotenus mandastis, quia cognovimus vos honorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ et salutem terræ ipsius toto conamine velle perficere, exsultantes sumus animo gavisi. Porro sicut mandastis ut die purificationis beatæ Mariæ semper virginis Ravennæ venientes simul conjuncti fuissemus pro ad considerandum, cum Dei auxilio, et peragendum profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, et statum imperii vestri; nos autem et hoc libenti animo recipientes, volumus quarto die ante jam dictam festivitatem vos ibi adesse, quia et nos ita desideratissime cupimus vobiscum simul conjungi, et vestram petitionem libenter adimplere, si, Domino annuente, sanitas corporis divinitus concessa fuerit. Et quoniam, sicut audivimus, vos laborem atque certamen pro Ecclesiarum Dei statu et imperii vestri incolumitate, atque communi Christianorum salute, pio affectu cupitis perficere, his apostolatus nostri litteris admonemus et exhortamur ut magis ac magis in hoc vestra imperialis sollicitudo proficiat: hoc gloriam vestram obsecramus et magnitudinem vestram ut cum in has partes venire cœperitis, Supponem gloriosum comitem et communem fidelem vobiscum venire jubeatis.

CCCXXXI.

AD WILIBERTUM ARCHIEPISCOPUM AGRIPPINENSEM.

(Anno 881.)

Commendat ejus vigilantiam, et presbyterum quemdam excommunicatum, nunc ipsius testimonio longa pænitentia purgatum, ejus precibus commotus absolvit, et sacerdotali ministerio restituit: causam Gedeonis adulteri ei committit, ut sententiam canonice ferat.

Reverendissimo et sanctissimo WILLIBERTO archiepiscopo Agrippinensi.

Almitatis tuæ prudentiam sacerdotali vigilantia pro gregis Dominici sibi commissi salute, atque de

fauce hostis maligni, qui semper incauto ad æternæ mortis profunda pertrahere avide certat, liberatione, juxta pastorale magisterium reverentiæ tuæ divinitus delegatum sollicitam fore, litteris vestris inspectis luculenter agnoscentes laudamus, cum apostolicæ sedis privilegium perspicaci mentis intuitu conservando hunc tuæ diœceseos presbyterum, nomine Tal (*aliqua desunt*), Ingeltrudæ Bosonis quondam comitis uxori torum conjugalem, contra divinæ legis præcepta relinquenti. Et idcirco ab antecessore nostro beatæ memoriæ papa Nicolao legitime excommunicatum improvide communicasse reperiens, sacra jam olim communione privasti. Quem scilicet, cum tuæ fidelis devotionis attestatione nostro præsulatui dirigens, professus es per annos undecim illatam sibi excommunicationis sententiam humiliter sustinuisse : et quod ex polluto consortio feminæ venenum attraxerat, longa pœnitentiæ satisfactione purgasse, a vinculo suæ obligationis ut absolveremus mandasti. Nos vero misericordiæ intuitu, precibus tuis inclinati, interni arbitrium judicis sequentes, ab ipsius excommunicationis vinculo, si ita est, eum absolvimus, et omne officium vel ministerium sacerdotale, juxta præcedentem consuetudinem, jubemus solemniter ac libere cum Domini semper timore peragere. Præterea de Gedeone, cujus uxorem cum germano istius adulterium perpetrasse fateris, ex parte dubii existentes, utrum verum sit quod de hoc dicitur necne, dilectioni tuæ committimus ut omni ex parte diligentique cura, rei hujus veritate comperta, quid super hoc excellentissimus doctor beatus Augustinus in libris de adulterinis Conjugiis ad Pollentium dixerit, quidque beatus Innocentius papa vicesimo sexto capitulo statuerit (*epist.* 2) relegens, secundum horum sanctionem ita diffinire procuret ; quatenus animabus eorum per pœnitentiæ remedia subveniri possit, et corpora per tuæ sanctitatis providentiam secundum Deum in omnibus dirigantur.

CCCXXXII.

AD LEONEM, LANDULFUM ET LANDONEM.

(Anno 882.)

Ut Auxentii filium, ab Attinulfo captum, patri restituendum curent.

LEONI episcopo Thienensi, item LANDULFO episcopo, et LANDONI gastaldio patri ejus.

Auditu certiori comperimus quod filium Auxentii Capuani, nostrum duntaxat proprium hominem, Attinulfus caperet, et non bene tractans eum violenter teneret, quod admodum admiramur : et quod tale quid præsumpserit agere, moleste quippe accepimus. Unde vobis nostri apostolatus litteris injungere dignum duximus, ut omnem operam detis, et ex nostra parte ipsi Attinulfo tandiu insistatis quousque eumdem Auxentii filium, hominem scilicet nostrum, patri suo salvum restituat, et cum suis hominibus reddat illæsum. Alioquin sententiam nostram evadere non poterit, qui nostrum hominem tam simpliciter ambulantem affligere non contempsit. Vos tamen, rogamus, tam strenue agite, ut vobis gratias referamus, et majora vobis committere invitemur.

CCCXXXIII.

AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

Hortatur ut ad fidem et obedientiam Romanæ Ecclesiæ redeat et legatos mittat.

MICHAELI regi Bulgarorum.

Cum non tam initia sint in bonis laudanda quam finis, Deo omnipotenti factori omnium visibilium et invisibilium gratias agimus, qui vestrum bene velle hactenus in soliditate veræ fidei solidavit, et sui amatorem efficiens, tanquam re vera ex tenebris olim lumen splendescere fecit, et ad salutem multorum benignissimum cor vestrum gratia suæ potentiæ illustravit. Sed et hinc devotioni vestræ dignum duximus congruas grates referre, quod partim finis ostendit, quam fidelitatem erga sanctam Romanam Ecclesiam omnium terrarum matrem et caput observare curetis. Cum hanc et initio vestræ conversionis quæsieritis, et ad præsens auxiliatricem habere ad perpetuam scilicet vestram salvationem monstrare non omiseritis, sanctos videlicet apostolos visitando, et eorum, ut diximus, suffragia postulando. Igitur absurdum valde est ac inconveniens quod pia vestra voluntas aliter se post habere voluit quam, sicut omnibus notum est, primum. Vos enim divinitus inspirati matrem omnis religionis, sanctam quippe Romanam Ecclesiam ductricem, et viam per quam ad æternitatis pascua duceremini, merito expetistis ; et illa, quia omnibus fidelibus viscera materna præbet ac præbuit, vos expansis ad Deum ulnis, Christo gratias agens, recepit : consequens fuit ut a recti gressu itineris, in partem non flecteremini, nec manum mittentes in aratrum, retroaspicere cujuscunque forte suasionibus niteremini. Nunquid non, fili charissime, sanctum Evangelium surda aure auditis, quo legitur : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit ?* (*Matth.* X.) Aut si audistis et obauditis : *Redite ad mentem vestram, redite ad cor ?* (*Isa.* XLVI.) Et vestræ sponsionis reminiscimini. Quia plus amor et timor Dei vos fecit esse credulum apostolici privilegii, quam, ut ita dixerim, exempla multorum. Si enim quod quicunque Deo vovit, hoc debet et reddere, valde oportet ut vos quod sanctæ Romanæ Ecclesiæ sponte vovistis, fine tenus reddere studeatis, non ignorantes quod beatus Petrus apostolus regni cœlestis claves a Domino Jesu Christo acceperit, et quibusque fidelibus aperiendi, aliis autem claudendi promeruerit potestatem. Hac igitur, sicut et nostri prædecessores, nos potestate, licet indigni, utentes, cogimur, si non emendaveritis quod gessistis, et ad præsens vos in hoc sæculo digne corripere, et ut in futuro, quantum in nobis est, maledictionibus repleamini, non prætcrire. Hujus rei gratia, fili charissime, festinate corrigere quod inique gessistis ; et omni occasione omnique mora postposita, nobis per vestrum legatum quidquid super hoc

emendare vultis, mandate : quia nos, Deo juvante, omnem voluntatem vestræ correctionis implebimus, et vos anima et corpore salvos existere cupientes causam secundum Deum ordinare studebimus.

CCCXXXIV.

AD IMPERATOREM ET IMPERATRICEM.

Fragm. — (An. 882.)

Cum reversi fuissemus, omnia littora nostra deprædata etiam et in Fundis et in Terracina, velut in domo propria multos Saracenos invenimus residere, pro quibus non plus quam quinque diebus in Urbe manentes, quamvis corporis non modica detineremur molestia, exivimus cum fidelibus nostris, quorum, Domino adjuvante, cœpimus naves octodecim. Saraceni vero multi occisi sunt, captivos autem fere sexcentos liberavimus. Ideo vobis venientibus necesse valde est ut talis in littoribus marinis fortitudo virorum remaneat, quorum virtute nostra omnia salva consistant, et ea quæ necdum deprædata sunt loca non prædentur.

CCCXXXV.

AD ANGELBERTAM IMPERATRICEM.

Fragm. — (An. inc.)

Ad hoc usque malum crevit et incrassatum est, ut factione Ravennatis archiepiscopi Maurinus cum suis complicibus, qui excommunicati et anathematizati a nobis jam sunt, Ravennam ingrederetur, et fidelium nostrorum res cum eis funditus raperet ac devastaret, adeo ut claves civitatis Ravennæ a Vestarario nostro violenter subtraheret et pro libitu suo, nescimus cujus auctoritate, ipsi archiepiscopo, quod nunquam factum fuisse recolitur, potestative concederet.

CCCXXXVI.

AD EAMDEM.

Fragm. — (An. inc.)

Siquidem cum virtute Dei, melius quam Naletam, quæ nostra sunt defendemus et illorum in nullo penitus indigemus, dromones videlicet cum cæteris navibus construentes, et cætera vasa bellica et apparatus, quin potius et ipsos animos hominum præparantes, et adversus hostiles incursus indesinenter armantes.

CCCXXXVII.

AD EAMDEM.

Fragm. — (An. inc.)

Excusat Joannem episcopum removeri de militia.

[Apud Grad., *Decr.* II, c. 23, q. 8, c. 1.]

Nimium [*al.* nimirum] certe veretur, et jure formidat contra professionem sui ordinis sæcularem militiam exercere : terram defendere, de præliis tractare, de armis terrenæ potestatis est.

CCCXXXVIII.

AD DOMASOLEM DUCEM GLORIOSUM.

Fragm. — (Inc. an.)

Præterea devotionis tuæ studium exhortamur, ut contra marinos latrunculos, qui sub prætextu tui A nominis in Christicolas debacchantur, tanto vehementius accendatur, quanto illorum pravitate famam tui nominis obfuscatam fuisse cognoscis, quoniam licet credi possit quod, te nolente, illi navigantibus insidientur, tamen quia a te comprimi posse dicuntur, nisi eos compresseris, innoxius non haberis. Scriptum quippe est : Qui crimina, cum potest emendare non corrigit, ipse committit.

CCCXXXIX.

AD ROSTAGNUM ARCHIEPISCOPUM ARELATENSEM.

Fragm. — (An. inc.)

Communione privetur sponsa, nisi raptorem deserere et ad sponsum suum redire voluerit.

Atho præsentium lator, dum in nostro servitio fideliter excubaret, quemdam virum feminam sibi B desponsatam queritur rapuisse. Et ideo fraternitas tua, auctoritate nostra suffulta, suffraganeos suos episcopos præsentialiter convocet ; sicque unanimi sententia, si sponsam huic raptor non reddiderit, tam idem quam rapta, si ad sponsum pristinum remeare noluerit, omni communione priventur.

CCCXL.

AD SIGIBODUM ARCHIEPISCOPUM NARBONENSEM.

Fragm. — (An. inc.)

De examinanda causa cujusdam presbyteri.

Præsentium litterarum gerulus, sedi apostolicæ præsentatus, se presbyterum esse querula et lamentabili voce perhibuit, et a sanctitati tuæ subjectæ diœceseos episcopis ab officio presbyteratus suspensum, et aliis quibusdam epitimiis usque ad speciale C judicium nostrum submissum, pro eo quod, inquit, facto tumultu, quidam se apprehensum, et a terra brachiis sublevatum, in proprium fratrem forti jactaverit impetu, ut idem germanus suus tanti operis male [*leg.* ponderis malo] impulsus in terram ruerit, et prostratus atque oppressus vitæ flatum violenter amiserit. Denique illi reverendi antistites, cum sibi, ut iste retulit, res in dubium veniret, utrum commisso sibi dudum carere necue, penitus debuisset officio, non ipsi hanc deliberare, sed nostro decerni et diffiniri judicio voluerunt. Sed tunc hoc solemniter agerent, si primum ipsi plenario, et ex canonibus in causa presbyteri delegato judicio, quatuor deputatis ex venerandis decretis et legibus personis præsentibus, hanc ventilassent et subtili examine discus-D sissent ; ut ita facta scripto relatione, si quid dubium sibi seu difficile ingessisse videretur, nostrum super hoc more prisco decretum exposcerent. At ubi nobis et persona relatoris incognita, et nullo episcoporum scripto commendatio approbata est, et rursus ubi nulla est accusatoris objectio, nec accusati reatus confessio, nec fidelium comprobatio testium, nos nec illius solius narrationi creduli esse possumus, nec rursus in eum definitivam damnationis sententiam proferre valemus. Ergo saltem nunc fraternitas tua, metropolitani jure potita, ex episcopis sub se degentium vel vicinorum sex, una cum episcopo, cujus est iste parœciæ, sibi socians, tantum negotio subtili

ventilet discussionis ventilabro et invento, quod justum est canonice decernat et communi fratrum censura diffiniat.

CCCXLI.

AD CENNEMOCUM EPISCOPUM VENETENSEM.

Fragm. — (An. inc.)

Quod sacerdos homicida non potest in sacerdotio manere.

Miror minus doctam scientiam tuam sacerdotem putare post perpetratum homicidium posse in sacerdotio ministrare ; imo, quod est pejus, nobis suadere velle, ut ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim tam demens tamque perversi sensus tale quid æstimaret, vel post quantamcunque pœnitentiam concedendum, cum omni sit canonicæ disciplinæ contrarium ? Debet ergo sacerdotio privatus lacrymarum fonte flagitium tam immane diluere, ut talibus saltem remediis curatus, salutis possit invenire suffragium.

CCCXLII.

AD EPISCOPOS BRITANNIÆ.

(An. inc.)

De ordinatis ab Heclocaro abbate monachis.

(Mart. Thes. Anecd., tom. III, p. 867.)

Joannes Romanæ sedis episcopus, dilecto atque præclaro filio Maino [a] archiepiscopo, necnon et cæteris episcopis per Britanniam commanentibus [*al* commorantibus] salutem et apostolicam benedictionem.

Notum sit vobis quomodo Resgallon et Corvili [*al.* rex Gallon et Gorvili] cum aliis monachis corpora apostolorum visitarunt, nostraque in præsentia venerunt. Postea de illorum ordinatione et aliorum monachorum per ignorantiam ab Heclocaro abbate accepta judicavimus, ut si ipse indigne usurpavit, qui [*f.* quod] a nemine illius officii ordinatore minime acceperit ; istis tamen sit perfecta ordinatio, quia mali possunt bona bene ministrare, cum sint nequam. Ille vero amplius neminem ordinet quousque sit sui contagii nodis solutus. Hos suademus de cætero suam procurantes regulam, ut fratres ac filiis [*f.* filios] alacriter, omni occasione postposita, in suo monasterio recipiat, ad deinceps bonum erga se studium suosque subjectos faciat, ne sator zizaniorum sui gregis sit sparsor, et ne nostris iterum auribus de illo proclametur, ut regula rite judicabit, ed eis peragat.

CCCXLIII.

AD PETRUM EPISCOPUM.

Fragm. — (An. inc.)

Si Deodatus et Gregorius statuto jam tempore ad nos venire et omnia juste atque canonice emendare contempserint, gravioribus eos perpetui anathematis vinculis innodabimus, eorumque scelera et excommunicationes, et anathemata scribentes ante sanctissimam beati Petri apostoli imaginem suspendemus ut omnibus de toto mundo ad limina apostolica venientibus illorum sit nota iniquitas et consortio sacræ Ecclesiæ videantur extranei.

CCCXLIV.

AD MARINUM ET PULCHAREM.

Fragm — (An. inc.)

Sed et provinciis vestræ fidelitatis vobis injungimus, ut cum aliquibus navibus vestros milites robustissimos præsentialiter destinetis, qui quadraginta Saracenos, qui dudum Græcorum nostrorum navibus in mare fugere, quique postea terrestrium nostrorum militum exspoliati armis omnibus virtute, in montis Circel latibulis evaserunt, una cum nostris pedestribus apprehendant, quia nos pro tantillis Saracenis dromones nostros fatigare nolumus, dum de vobis confidere (sicut et ipsi velle dicimini) provocamur modis omnibus confidentes. Quia si obedientiæ vestræ constantiam et fidei puritatem cum virtutis efficacia circa S. R. E. amodo consenserimus, non solum de his tribus quibus vos ultra consuetudinem prægravatos dicitis, in quantum ratio postulaverit, levigabimus, verum etiam ut propriam S. Petri familiam terra marique vos tueri, Domino confortante, studebimus.

CCCXLV.

AD COZILEM COMITEM.

(An. inc.)

De illis qui, uxoribus suis dimissis, ad alias nuptias transierint.

Porro eos qui uxores suas dimiserunt, vel ad alias, illis viventibus, nuptias migraverunt, tandiu eos cum consentaneis eorum excommunicamus, quousque, posterioribus remotis, priores pœnitendo receperint. Sicut enim nuptiæ a Deo, ita divortium a diabolo est, teste sancto Augustino, repertum. *Quod enim Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XV) : præcipue cum hæc pessima consuetudo ex paganorum more remanserit, quorum in talibus non alias nisi ipse diabolus erat magister et auctor.

Prudentissime vir, stude et prævide ut duo viri illi qui uxores suas, quas Deus illis præparavit et junxit, abjecerunt , eas repellere minime permittantur : quia impium est ut qui, auctore Deo, legali fœdere copulati sunt, pro humano libitu, imo fraude diabolica separentur. *Idem commonitorium Paulo episcopo.* Prævide ut de separatione conjugatorum maximam curam geras, ita ut qui a susceptione sedis apostolicæ litterarum separati sunt, inculpate reducant priores uxores, injuncta convenienti pœnitentia, dimissis quas postmodum sunt sortiti. Quod si noluerint, extra ecclesiam facite una cum his qui eos in communione recipiunt , donec emendent quæ admiserunt.

CCCXLVI.

CONSTITUTIO DE JURE CARDINALIUM.

(An. inc.)

Itemque ex nostra præsenti constitutione bis in mense vel eo amplius, vel apud illum vel illum ti-

[a] Merito Turonenses in responsis ad objecta Dolensium asserunt scriptoris incuria nomen archiepiscopi irrepsisse in titulo hujus epistolæ ; idque arguit titulus sequentis, ubi Dolensis episcopus solum nominatur.

tulum, sive apud illam vel illam diaconiam, sive apud alias quaslibet ecclesias vos convenire mandamus. Et ob vestram et inferiorum clericorum vitam, et mores, et qualitates, et habitus vestium perscrutandum, et qualiter quilibet præpositi se erga subditos habeant, vel quod subditi suis præpositis non obediant, et ad quæque illicita amputanda, clericorum quoque et laicorum querimonias, quæ ad nostrum judicium pertinent, quantum fieri potest, definiendas. Quippe cum sicut nostram mansuetudinem Moysi, ita et vestram fraternitatem septuaginta seniorum, qui sub eodem causarum negotia dijudicabant, vicissitudinem gerere, certum habeamus. Idem monasteria abbatibus viduata et abbatum, nostra præcedente conscientia, substitutionem his qui sunt inter nos [vos], vel fuerint monasticæ professionis, disponenda committimus.

Propter sollicitudinem autem ecclesiarum et clericorum eorumdem disciplinam, sive laicorum querimonias definiendas, bis in hebdomada ad sacrosanctum palatium, juxta decreta prædecessoris nostri Leonis quarti, vos convenire mandamus.

Item sancimus de parochiis nostris, quantumque pontifici competit, pontificali beneficio vos in perpetuum possidere, et in principalibus ecclesiis juxta primatum vestræ consecrationis vicissim officia divina peragere, et earum oblationibus, salva semper cardinalium diaconorum prisca consuetudine, æqualiter participare, tam propter usum vestrum quam in ecclesiarum vestrarum luminarium concinnationes.

CCCXLVII.

Fragm. — (An. inc.)

Contra violatores domus Dei.

Si quis domum Dei violaverit et aliqua sine licentia illius, cui commissa esse dignoscitur, inde abstulerit, vel in ecclesiasticis personis injuriam fecerit, donec in conventu admonitus legitime satisfaciat, sciat se communione fore privatum. Si vero post secundam et tertiam conventionem coram episcopo satisfacere detrectaverit, sacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur, ita ut secundum Apostolum nemini fidelium misceatur.

CCCXLVIII.

AD THEIBERGAM ET ALDERICUM.

(An. inc.)

Illos hortatur ut Radulfo suam uxorem reddant.

(Apud Ivonem, VIII, c. 118.)

Iterum iterumque vos admonemus, et præsentibus apostolatus nostri litteris hortamur feminam suam nobili viro Radulfo, sicut jam ante diximus, maturius restituere, et viro suo adhærere, secundum legem Domini facere : non enim lex ulla permittit quominus aut injectum sibi crimen confiteatur, aut certe a crimine injecto, legitima præmissa purgatione, solvatur. Quod neutrum agere illa delegerit, sed sola obstinatione usa, nulli satisfactioni dare operam procuraverit, liquet aperte quia crimen quod non deluit, procul dubio confitetur. Solæ namque, ut sanctus papa scribit Hormisda, examen effugiunt conscientiæ, quæ recta sunt non tenentes. Ergo si is, vel illa, vel vos, apostolatus nostri decretis obedire postponentes, sæpe memoratam feminam aut a viri potestate, aut a legis examine, nulla rationabili causa exstante, subducere amplius conati fueritis, tam illa quam vos, Theiberga et Alderice, quousque sanctioni nostræ pareatis, Dei omnipotentis judicio, et beatorum Petri et Pauli apostolorum sententia principum, excommunicati et a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi sitis alienati, una cum fautoribus, consentaneis, sequacibus et complicibus vestris, utpote divinarum et humanarum legum violatores, sedisque apostolicæ decretorum contemptores, et toties ac multipliciter infractores.

CCCXLIV.

AD BERRARIUM ABBATEM.

Fragm. — (An. inc.)

De reverentia erga summos pontifices.

(Apud Ivonem IV, c. 102)

Absit a piis mentibus quid de Romani culminis pontifice sinistrum sentire, cum beato Ennodio confessore Ticinensis urbis antistite scribente doceamur quia Deus omnipotens aut claros ad tanta fastigia erigit, aut certe quos elegit, illustrat.

CCCL.

AD PHOTIUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM [a].

(Anno 879-882.)

De processione Spiritus sancti.

Joannes episcopus, servus servorum Dei, Photio reverendissimo et catholico fratri patriarchæ Constantinopolitano, gratiam desuper ad opera salutarem.

Non ignoramus quod nonnulli eorum qui apud vos sunt, pacis parum studiosi, de nostra Ecclesia et de nobis ipsis, veritate neglecta, male loquuntur. Resque eo progressa est, ut parum absit quin tua fraternitas de nobis et de iis qui nobis sunt subditi male sentiat. Et illi quidem nacti sunt occasionem,

[a] Photius inter alias etiam hanc Joanni papæ affingens calumniam, quasi eadem cum Græcis de Spiritus sancti processione senserit, finxit hanc epistolam sub nomine Joannis papæ VIII ad se Photium scriptam de processione Spiritus sancti : quam vel ab ipso Photio, vel alio quodam effictam esse oportet. His enim temporibus in Romana Ecclesia absque aliqua ambiguitate usu receptum fuisse ut Spiritus sanctus a Patre Filioque procedere diceretur, post alias ea imprimis ratione manifeste probatur, quod Joannes sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus, scribens ad hanc ipsum Joannem pontificem quatuor a se elaboratos libros Vitæ sancti Gregorii papæ, ubi agit de Dialogis ab eo scriptis, et in Græcum a Zacharia papa translatis, juste queritur quod cum ipse sanctus Gregorius in eis asseruerit disertis verbis Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, illi textum corruperint, allaque verba *Filioque* abradendo inde abstulerint ; illos magnopere redarguens, quod audacter nimis sicut et impudenter sancti Gregorii textum ita corruperint : plane significans Romanam Ecclesiam nihil diversum ab ipso sancto Gregorio sentire, nec Joannem, ad quem scribit, ab ea sententia discrepare.

sicut etiam ego ipse affirmarem hujusmodi proposito satis congruam, veritas tamen ipsa, uti se habet, nullo pacto est adulterata neque vitiata, ut procedens sermo rem manifestam faciet, et Deus hoc ipsum nobis suo testimonio desuper confirmabit. Verum illi, instar eorum qui vinum aqua miscent et adulterantur, nonnulla a seipsis falsa fingentes et excogitantes adhibent. Oportet enim ut dæmon, qui ab initio mali opifex fuit et inter nos et Deum inimicitias posuit, ac deinde nostrum primum parentem a Dei amore separavit, et creatori suo inimicum illum constituit, etiam nunc aliquos habeat sui ministros,et hos ipsos impellat ut inter Ecclesias scandalum aliquod concitent.

Ego vero ad Deum potius auctorem et largitorem oculos dirigens, qui inimicitias etiam in cruce sua morti tradidit, pro viribus illorum hominum qui malis delectantur, ora obstruere contendo. Et hac de causa etiam antequam tua fraternitas aliquid mihi significet, hæc tibi manifesta facere decrevi, ut de rebus nostris satis edoctus, aures minus præbeas iis qui contendere et conviciari student; sed ipsos rejicias potius et respuas; efficias præterea,ut alii eorum verbis fidem non adhibeant.

Novit etiam tua fraternitas quod cum nuper ad nos accessit qui a te missus est, et de sancto symbolo nos consuluit, quomodo invenit nos illud inconcussum, sicut nobis ab initio traditum est, conservare, neque aliquid addidisse vel detraxisse, cum recte noverimus quod eos qui talia facere audent, gravis condemnatio exspectat. Reverentiæ itaque tuæ iterum significamus, ut de hac additione in Symbolo (ex Filio scilicet) tibi satisfacimus, quod non solum hoc non dicimus, sed etiam quod eos qui principio hoc dicere sua insania ausi sunt, quasi transgressores divini verbi condemnamus, sicut theologiæ Christi Domini eversores, et sanctorum Patrum qui synodice convenientes sanctum Symbolum nobis tradiderunt, et una cum Juda illos collocamus, quod eadem ipsa quæ ille patrare non sunt veriti; non quia Dominicum corpus morti tradiderunt, sed quia Dei fideles, qui sunt ejus membra, schismate segregarunt et invicem diviserunt, et ita æterno igni illos præcipites dantes, et multo magis seipsos, ut fecit prædictus Judas indignus Christi discipulus, suffocarunt.

Arbitramur autem tuam reverentiam recte nosse, cum sis sapiens et doctrina præditus, quod dum, ut reliqui nostri episcopi nobiscum idem sentiant, totis viribus contendimus, non mediocrem id nobis molestiam affert. Et revera rem adeo gravem cito commutare, nullus id facere posset, licet brevi tempore ortum habuerit, nec multorum annorum spatio fuerit confirmata. Et hac de causa rationi congruum nobis visum est, ne violenter aliquis cogatur a vobis additionem illam dimittere, quam ipse adjecisse Symbolo se noverit, sed potius mansuetudine aliqua hujusmodi homines admonere, et paulatim a blasphemia revocare: *Pascite*, inquit summus apostolorum Petrus, *qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis (I Petr.* v). Qui igitur ita nos accusant ac si talia mala sentiamus, non jure nos accusant. Tuam itaque decet fraternitatem neque scandalum aliquod adversus nos pati, neque a reliquo Ecclesiæ corpore proscindi, sed potius nobiscum fidei agones sustinere cum prudentia et longanimitate; et alios qui a veritate declinaverunt, ad illam amplectendam revocare,ut pro his eamdem nobiscum mercedem recipias. Vale in Domino, reverendissime et catholice frater.

CCCLI.

AD QUEMDAM [*f.* ROMANUM ARCHIEP. RAVEN.].

(Anno 880.)

Laudat ejus studium erga sedem apostolicam, eumque monet ut perseveret; pollicetur eum a se in amicorum numero referri: præcipit ut Romam veniat.

Sicut nobis per litteras tuas et verbotenus per Deusdedit religiosum presbyterum tuum mandasti, ut fidem et devotionem, quam circa sedem apostolicam habere debes, te velle toto conamine conservare indiminutam asseras, gratanter suscepimus. Unde te omnimodis admonemus, et his apostolicis litteris exhortamur, ut nulla inimicorum calliditas vel seductio amplius a nostra fidelitate quoquomodo valeat te removere; sed secundum sponsionis tuæ tenorem in ea devotissime permanere procures. Quapropter scito quia sine omni dubietate inter dilectos nostros te retinere volentes, volumus etiam et præcipimus ut et pro necessitate Ecclesiæ, et pro tuæ causa utilitatis, Romæ ad nostram apostolicam præsentiam præsentialiter venire indubitanter procures, quia et statum sanctæ Ravennatis Ecclesiæ incolumem conservare, tuumque profectum et honorem perficere, auxiliante Domino, cupimus.

CCCLII.

AD ATHANASIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

(Anno 881-882.)

Ab excommunicatione eum absolvit, et ministerio sacerdotali restituit, dummodo pactum cum Saracenis initum, sicut promiserat, rumpat, et ex eis aliquos, cæteris jugulatis, captos mittat, nec deinceps cum eis fœdus feriat.

ATHANASIO episcopo Neapolitano.

Boni pastoris eximio informati exemplo, qui venit quærere et salvare quod perierat, tanto tempore te per devia errantem, abjecto Christi levi jugo, cum infidelibus jugum obscena cupiditate ducere non dubitantem, quamvis sero ad te percutientem reverti velle mandasti, alacriter recipimus, et inter cæteros consacerdotes nostros præcipue honorabilem cupimus retinere, prout ipse nos jam olim fecisse procul dubio reminisceris. Sed quia, tua exigente sceleris tanti audacia, sancti Spiritus judicio te a consortio nostro divini mysterii jure submovimus, nunc secundum preces tuas et relationem Petri venerabilis diaconi tui, si modo pactum quod hactenus cum

impiis Agarenis habuisti, manifesta devotione fregeris, et ab eorum nequissima societate conamine te separaveris; atque si præsentibus his missis nostris, Marino videlicet reverendissimo episcopo et sanctæ sedis nostro arcario, et Siconi egregio viro, majores Saracenorum quantos melius potes, quos nominatim quærimus, cum aliis omnibus ceperis, et jugulatis aliis, eos nobis direxeris, a vinculo excommunicationis absolvimus, et juxta præcedentem consuetudinem episcopale officium reddimus. Eo scilicet modo, vel tenore, ut captis et traditis antea, ut dictum est, Saracenis, deinceps nullum cum eis ulterius fœdus quoquo modo inire præsumas. Nam si cum illis iterum pactum aliquod facere tentaveris, in eadem te excommunicatione manere sancimus, et auctoritate Dei omnipotentis et beati Petri apostolorum principis et nostra, omni episcopali honore te privandum et perpetuo anathemate damnandum esse decernimus.

CCCLIII.

AD GENEVENSES.

(Anno 882.)

Præcipit ut Optando episcopo a se consecrato obediant.

Clero et populo Genevensi.

Dilectissimi filii nostri Caroli imperatoris, principumque ipsius relatu, vestram Ecclesiam viduatam cognoscentes pastore, et propter dissensionem Bosonis, cui sociatus ejusdem sedis videtur metropolitanus, ordinationem electi vestri Optandi differre, auctoritate et potestate apostolica, secundum deprecationem ejusdem serenissimi imperatoris, filii scilicet nostri spiritalis Caroli atque optimatum ejus præcognita vestra omnium in eodem Optando electione, et qualiter idem serenissimus imperator eidem Ecclesiæ electionem perenniter de proprio clero donaverat, diutius ipsa Ecclesia ne viduata maneret pastore, consecravimus cum sancti Spiritus gratia; et ad regendum vos pastoraliter instructum direximus; quem devote et unanimiter suscipientes, obedientes ei, utpote proprio patri spiritali sitis in omnibus; salvo deinceps ejusdem loci privilegio antiquo propriæ metropolis, sancimus, ut quicunque huic nostræ auctoritati et apostolicæ deliberationi contra stare, aut resistere, aut non obedire, vel quod absit, electionem ipsius Ecclesiæ aliquando pervertere, aut infringere, quam, Deo propitio, justa est assecuta, tentaverit, gladio utique canonicæ disciplinæ noverit se feriendum, atque omnipotentis Dei vindictam non evasurum, si digna celeriter non fuerit satisfactione sanatus. Confirmamus denique, nostri apostolatus auctoritate, omnes res ejusdem Ecclesiæ pacifice ac quiete perpetualiter possidere. Et quicunque easdem invadere ac dissipare ausus fuerit, postquam a proprio episcopo canonice admonitus fuerit, si secundum divinas et humanas leges non emendaverit, sub anathemate sit damnatus.

CCCLIV.

AD CAROLUM IMPERATOREM.

(Anno 882.)

Queritur multa bona Ecclesiæ Romanæ a Widone quodam marchione erepta; rogat ut Ecclesiam defendat, et ipsemet adjutor veniat.

Ad imperatorem Carolum.

Cum et ante susceptum imperium, et post Augustale sceptrum, per humilitatis vestræ ministerium vobis divinitus attributum, nos quidem multoties pro innumeris necessitatibus et multiplicibus oppressionibus, quas sancta mater vestra Romana Ecclesia quotidie patitur, ingenti mœrore afflicti reclamassemus, nullum usque adhuc optatæ consolationis valuimus promereri auxilium vel defensionis solatium, quia de omnibus immobilibus rebus territorii sancti Petri, quas nobis Ravennæ consistentibus, in præsentia serenitatis vestræ uterque Wido marchio pro reinvestitione reddidit, nec unum recepimus locum; sed ipsi et homines eorum contra jus et æquitatem omnia retinere præsumunt: nam nobis in Pentapoli, hoc est in urbe Fano consistentibus, Adelardus reverendissimus episcopus, et deliciosus vester communisque fidelis, secundum vestræ delegationis jussum advenit, et ibi præfati Widonis et satellitum ejus, qui nostra violenter tulerunt ac retinuerunt, præsentiam præstolati sumus: quatenus vel inde omnis emendationis et justitiæ cœpto initio, per cæteras urbes, de omnibus juxta clementiæ vestræ decretum, recipiendo coram legato vestro justitias, pariter proficisceremur; sed illo semper fugiente judicium, et vestræ jussionis piissimam sanctionem callide declinando, non veniente, quia nobis sine profectu aliquo per ipsas civitates quæ illorum gravamine apprimuntur, proficisci evidenter exstitit manifestum, direximus cum eodem Adelardo venerabili episcopo misso vestro Valpertum reverendissimum episcopum et fidelem consiliarum nostrum, qui vice nostra recepisset consolationem justitia nobis in vestra præsentia reddita, et legitimam de aliis omnibns emendationem, qui videlicet profecti nullum justitiæ fructum recipientes, ad nos reversi sunt. Nos autem omnem excusationis eorum defensionem penitus auferre volentes, decrevimus eos iterum mittere ut saltem postmodum reciperemus justitiam. Qui cum ad prædictum Widonem rursum abiissent, nihil emendationis nihilque redditionis ab eo vel sequacibus ejus, sicut promissum fuerat, recipere potuerunt. Sed ut antea sine aliquo ad nos effectu reversus est, et vester ad vos absque justitiæ contemplatione omnimodo rediit, quamvis ingenti et fideli devotione ipse confrater noster Adelardus ad justitiam exigendam multimodis decertasset. Nunc igitur pro certo scientes nullam nos de tantis malis posse habere justitiam et emendationem per quemlibet celsitudinis vestræ legatum, nisi per vestram imperialem præsentiam, rogamus obnixe, atque per omnipotentem Dominum adjuramus, ut ad defendendam et liberandam de manibus malefacto-

rum, qui eam atrociter devorant, Ecclesiam beati Petri apostolorum principis vobis commissam, quæ vos divino nutu adjutores ac defensores in omnibus elegit habere, ipsi, Deo auxiliante, venire libenter dignemini: quatenus Dei et vestro solatio freta, quæ sua sunt valeat securiter retinere cum pristinæ dignitatis decore, ad laudem et perpetuam animæ vestræ mercedem.

CCCLV.

AD RICCARDEM AUGUSTAM.

(Anno 882.)

Queritur nullam sibi contra Saracenorum excursiones opem ferri; rogat ut ab imperatore celeriter postulet auxilium : legatum suum commendat; petit det operam ut Angelberga ab exsilio revocetur et Romam mittatur.

RICCARDI Augustæ, seu LIUTWARDO Vercellensi episcopo, a paribus.

Tanta cordis angustia tantusque dolor et gemitus hinc et inde cum irriguis lacrymarum rivulis nostram ætatem quatiunt et conquassant, tantusque etiam luctus pro desolatione terræ istius, quam jam funditus a Christiani nominis inimicis et Deo odibilibus Saracenis deprædatam cernimus, nos afficit et intima nostra dissolvit, ut et somnus ab oculis et a gustu cibus effugiat. Etiam cum Jeremia decantare compellor : *Quis dabit capiti meo aquam? aut oculis meis fontem lacrymarum?* (*Jer.* IX) Et reliqua. Siquidem exspectavimus lucem, et ecce tenebras; quæsivimus adjutorium, et muris Urbis egredi non audemus. Nam ante vestrum Romam adventum qualiscunque nobis erat tranquillitas; modo vero intolerabilis et importabilis persecutionis exstat tempestas, quia neque spiritalis filius noster Augustus, neque alicujus alterius gentis homo nobis confert auxilium; et nisi divinitas summa subveniat, aut in desperationem aliquam lapsi (quia non solum duplum, sicut Dominus dicit, sed etiam triplum et quadruplum exercitum contra nos venire conspicimus), ea quæ pacis sunt postulabimus. Aut certe non solum jugo illorum coacti subdemur, sed etiam ab eis capti impie jugulabimur. Quia, sicut scitis, sæpissime reclamavimus, et neque ipse Augustus, ut prætulimus, qualemcunque defensionem nobis exhibuit, neque homines civitatum nostrarum, qui contra Deum et contra omne privilegium nostrum ab alienigenis, ac si nostri non fuerint, detinentur, ad servitium sanctæ Romanæ Ecclesiæ faciendum, sicut solitum erat, ab eorumdem alienigenarum jugo subtraxit. His ergo, charissima filia, clamoribus ac ululatibus nostris auditis, quia sapientibus loquimur, continuo propter Deum et propter sanctos ejus apostolos, jam dicto spiritali filio nostro Augusto, flexo poplite, suggere ut, omnibus omnino necessitatibus aut omissis aut certe suspensis, sanctæ matris suæ calamitati subveniat, et conculcationem, imo perditionem illius advertens, antequam pereamus, citissimum conferat adjutorium, aut congruum sine mora donet consilium : quia vita nostra nobis non prodest, et in extremo positi, etiamsi non optaremus, jam mors se palam A præbet videndam. Præsenti quoque Petro venerabili episcopo valde nobis credulo, et dilectissimo familiari nostro summam benevolentiam, quæsumus, exhibe, et ei utpote a tanta sede directo, familiaritatis locum apud domnum Augustum congruentissimum tribue, atque ut nobismetipsis illi credulitatem penitus adhibens, ea quæ verbis retulerit, studio tuo operibus impleantur. Sed et hoc deprecamur ut pro eo quod apud Ticinum eodem episcopo ea quæ nos illi commiseramus, ipsi Augusto necessaria exponente, animus illius contra hunc est turbatus, tua instantia quidquid illud fuerit omnino aboleatur. Et ad hunc eumdem episcopum pie tractandum imperialis animus placabilis in cunctis reddatur, quoniam non hæc contumaciter aut contra Augustalem B dignitatem protulerat, sed zelo Dei ductus ad nos inefficax redire nolebat. Postremo Christi cultrix et Deo amabilis filia, moleste accipimus, cur multoties deprecantes, spiritali filiæ nostræ Angelbergæ nullam per vos potuimus conferre medelam, ut dissoluto exsilio, ad sanctum Petrum apostolum eam reducere faceremus. Unde etiam nunc summopere deprecamur ut pro amore Dei et nostro sancta sedes apostolica de hoc honoretur. Et sicut jam dictus Augustus vobiscum pariter repromisit, a captivitate, qua frustra tenetur, salva et incolumis reducatur. Quia postquam nobis quibus fuerat commendata et defensioni sancti Petri apostoli protectoris sui commissa, reddita fuerit, nullam de ea sinistram quis habere poterit, crede nobis, suspicionem.

C CCCLVI.

(Anno 882.)

Privilegium pro monasterio Montis Cassini.

[Apud Cocquilin., Bull. Dipl., etc., ampl. Collect., tom. I, p. 881.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, BERTHARIO religioso abbati venerabili monasterio B. Benedicti confessoris Christi sito in Cassino et per eum in eodem venerabili monasterio, vel cunctæque congregationi in perpetuum.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationalibus congruunt desideriis, oportet ut devotio in me petitoris humiliter acquisita in privilegiis concedendis minime denegetur a nostra clementia. Igitur quia petisti a nobis quatenus monasterium B. Benedicti confessoris Christi, atque monasterium B. Scholasticæ, D seu et ecclesiæ per singula loca constructæ, prædictis monasteriis pertinentes, privilegiis apostolicæ sedis infulis decorentur, ut sub jurisdictione sanctæ cui, Deo auctore, deservimus Ecclesiæ constitutæ, nullius ecclesiæ cujuslibet episcoporum ditionibus promoveatur, vel submittatur. Pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id quod exposcitur petitione, mancipamus : et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ episcopum in præfata venerabilia loca quamcunque ditionem habere omnino prohibemus, præter ad sedem nostram apostolicam habeant respectum amodo et deinceps; amissa videlicet omni novitate, et violentia, ex

eisdem monasteriis prohibemus, ita ut nisi quis ab abbate monasterii fuerit invitatus, neque ad consecrandam ecclesiam, vel sacerdotem de præfatis monasteriis sive in omnibus cellis ibidem pertinentibus præsumat ingredi, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam episcoporum præsumat omnimodo inibi celebrare. Ad consecrandam autem ecclesiam in suis monasteriis, vel cellis quemcunque episcoporum invitare voluerit ipse abbas, sine cujuslibet impedimento concedimus potestatem, ut profecto juxta id, quod subjecti apostolicis privilegiis consistunt, inconcusse donanda permaneant, sed ei constituentes una cum sacerdotali nostro collegio, per hoc nostrum apostolicum privilegium omnia loca, quæ aliquando possederunt ipsa venerabilia monasteria, vel quæ nunc eis, aut postea a fidelibus hominibus fuerint concessa per diversa territoria, nulli castaldio, aut episcopis, non magno, vel parvo homini per quodlibet ingenium, aut argumentum liceat quomodocunque easdem invadere possessiones, vel censum tollere, aut affligere monachos, vel servos, sed magis ad laudem Christi, et æternam memoriam largitoris perpetuo tempore maneat intacta ab omnibus, et deserviant solummodo S. matri Romanæ Ecclesiæ, et nullus præsul audeat amodo in his monachis subjectis S. nostræ Ecclesiæ quamcunque ingerere excommunicationem : sed liceat illis ita peragere deificos cursus, sicut a B. Benedicto per illius regulam habent in mandatis; atque constituimus, ut quispiam præsul non præsumat segregare ab ecclesiis ex dictis monasteriis pertinentibus populum ibidem percurrentem ad audiendum verbum Dei, et confitentem delicta sua tam in urbibus quam extra urbes, sed canonice ingrediatur ibidem, et egrediatur devotus populus, et ecclesiæ vestris ditionibus subditæ omnibus pateant. Sed quoniam pastoralis propterea nobis a Deo cura commissa est, ut viriles in omnibus existere, mereamur, ne quod absit, Dominicæ oves luporum morsibus lanientur; qua de re omnibus venerabilibus episcopis, presbyteris, abbatibus, diaconibus, ducibus, tribunis, comitibus, castaldiis, actoribus, vel cunctis Deum timentibus nostræ apostolicæ auctoritatis , sub contestatione beati Petri principis apostolorum , præcipimus, atque jubemus ; qui ligandi, solvendique peccata hominum in cœlo, ac terra a Domino Deo nostro potestatem percepit, cujus nos gratia divina vices gerimus, statutum est, per hujus decreti nostri paginam interdicimus omnibus omnino cujuslibet Ecclesiæ præsulibus, vel cujuscunque dignitatis præditis potestate sub anathematis interdictione, et æterni judicii obligatione, qui ei præsumpserit præsenti constitutioni a nobis præfati monasterii indulti quolibet modo existere temerator. Scriptum per manum Anastasii notarii regionarii, et scriniarii S. Romanæ Ecclesiæ in mense Maii, indictione quinta decima. Bene valete. Undecimo Kal. Junii per manus Walperti, episcopi S. Portuensis Ecclesiæ, anno, Deo propitio, pontificatus domini nostri Joannis summi pontificis, et universalis papæ, in sacratissima sede B. Petri apostoli, decimo, imperante domno piissimo Carolo Augusto a Deo coronato magno imperatore anno secundo.

CCCLVII.

AD ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM.

(Anno 882.)

Arguit quod, detruso in carcerem Optando episcopo, alium in Ecclesia Genevensi constituerit; præcipit ut illum sedi suæ restituat, atque ad synodum veniat ad diluenda ea quæ ipsi objiciebantur.

OTERAMO Viennensi archiepiscopo.

Relatu veraci didicimus sanctimoniam vestram in Genevensi Ecclesia episcopum consecrasse, cui nos, necessaria temporum qualitate perspecta, jam primum clericis ejusdem Ecclesiæ suggerentibus, auctoritate apostolica præfeceramus episcopum nomine Optandum. Quo audito, audaciam et temeritatem vestram nimium admirantes, ob id maxime turbati sumus, eo quod non solum super ordinationem nostram obices manus habuistis, sed etiam ad contemptum et injuriam sedis apostolicæ præfatum episcopum turpiter capientes, arcta custodia retrusistis, et, rebus omnibusque suppellectilibus ejus direptis, [*f. add.* contra *vel* per] ministerium vestrum, quod nulli Christiano licet, sacerdotem Domini tetro carcere maceratis : non habentes præ oculis scilicet, quod sacerdotes Domini sacra Scriptura aliquando deos, aliquando angelos nominet, et qui eos tangit, tangat pupillam oculi Domini (*Zach.* II). Quapropter auctoritate Dei omnipotentis et principum apostolorum Petri et Pauli, simulque nostra, vobis præcipimus ut accepta hac nostra epistola, aut quoquomodo tenore illius audito, si intra octo dierum spatia jam dictum episcopum propriæ sedi proprioque honori et dignitati reddere restituereque contempseritis, a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, cum omnibus vobis in hoc facto faventibus, sitis prorsus extorres, quousque juxta hanc nostram dispositionem perficere satageritis. Et quia alia multa vobis a quibusdam objiciuntur quæ synodali discussione sunt corrigenda, decernimus ut, omni excusatione remota, VIII Kalendas Octobris futuræ primæ indictionis Romam ad synodum occurrere non omittatis, ut tunc et de vobis objectis rationem reddatis, et si adversus eumdem episcopum a nobis consecratum aliquam querimoniam habetis, canonico valeamus, quidquid illud fuerit, Deo juvante, libramine diffinire. Hoc etiam scientes quia si ad eamdem synodum præfato tempore venire distuleritis, canonicæ in vos censuram sententiæ proferemus.

CCCLVIII.

AD OTERAMUM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPU

(Anno 882.)

Agit de Optando episcopo, ejus litteris respondens, et de litteris quas scribit episcopo Mauriennensi ut Romam veniat.

OTERAMO Viennensi archiepiscopo.

Susceptis vestræ fraternitatis apicibus, quod essent alicujus, ut ita dixerim, rectitudinis zelo com-

positi, satis ubertim cognovimus : quia post plurima in Ecclesia Genevensi fatemini vos consecrasse episcopum, et ut quidam Optandus nomine clericus advenerit, qui in Ecclesia Genevensi nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus unquam exstiterat, Ecclesiam illam invaserit. Multipliciter admiramur cur illa nescire vos dicitis, quæ totus, ut remur, Occidens non ignorat. Præcedenti siquidem tempore nobis fuerat nuntiatum ut vos in eadem Ecclesia episcopum consecrare contempseritis ; ideo nos, necessaria temporum qualitate perspecta, clericis ejusdem Ecclesiæ suggerentibus, auctoritate apostolica illic episcopum Optandum nomine consecravimus. Qua ex re non bene vos fecisse probamus, qui super ordinationem nostram obices manus habuistis, et alterum episcopum ibidem ordinastis. De hoc autem quod dicitis, quod ipse Optandus in Genevensi Ecclesia nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus unquam exstiterit, interim silentio est tegendum, eo quod, cum charitate vestra loquamur, nihil horum habens vestra sanctitas in Viennensi Ecclesia est consecrata. Verumtamen, his interim necessario prætermissis, sanctimoniam vestram jam dudum litteris nostris monuimus ut quia quædam vobis a quibusdam objiciuntur, quæ synodali discussione sunt corrigenda, omni excusatione remota, VIII Kalendas Octobris futuræ indictionis primæ Romam ad synodum occurrere studeretis. Nihilominus autem iterato decernimus ut eodem tempore apostolicæ nostræ vos præsentetis præsentiæ, ut tunc et de vobis objectis rationem reddatis, et si adversus eumdem episcopum a nobis consecratum aliquam querelam habetis, nos canonico valeamus, quidquid illud fuerit, Deo juvante, libramine diffinire. Cæterum Adalberto Mauriennensis Ecclesiæ episcopo auctoritatis nostræ litteras, quas ei a vobis dari mandamus, ecce transmisimus, ut cum Barnerio Gratianopolitanæ sedis episcopo eodem VIII Kalendas Octobris Romam occurrat, quatenus de iis quæ irreverenter tam temerario ausu sui ordinis immemor intulit, coram nobis plenissimam satisfactionem exhibeat.

CCCLIX.

AD ADALBERTUM EPISCOPUM MAURIENNÆ.

(Anno 882.)

Jubet ut Romam veniat cum episcopo Gratianopolitano, quem ignominiose tractarat.

ADALBERTO Mauriennensi episcopo.

Tristis nos nuntius perculit quando audivimus quod tu, ordinis tui immemor, Barnerium Gratianopolitanæ sedis episcopum, hora matutinali in ecclesia sua publice agentem officium, cum multitudine populi, et armata manu, absque reverentia ecclesiam ingrediens, nulla ab eo tibi culpa illata, irreverenter tecum abstuleris, et ignominiose tractaveris ; quod tantum nobis displicuit, quantum te temere egisse modis omnibus comprobamus. Ideoque nostri apostolatus litteris tibi mandamus ut, omni excusatione remota, VIII Kalendas Octobris futuræ primæ indictionis cum eodem Barnerio venerabili episcopo Romam ad synodum nostram occurras, ut quidquid inter vos litigii est exortum nos æquitatis regula potiti, Deo juvante, discutere et diffinire aliquo modo studeamus.

CCCLX.

AD ANSELMUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

(Anno 882.)

Mediolanensis Ecclesiæ privilegia confirmat; hortatur ut in Romanam Ecclesiam sit fidelis : narrat Saracenorum et iniquorum Christianorum injurias; rogat ut pro Ecclesia ad Dominum preces effundat.

ANSELMO archiepiscopo sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ.

Privilegii sane auctoritati Ecclesiæ vestræ, eo quo fraternitas tua poposcit modo, pernecessario apostolica fulti moderatione, libenti annuimus animi charitate, simulque optantes ut semper ea quæ ad animæ tuæ salvationem tuique gregis custodiam sunt congrua atque proficua, Spiritus sancti infusione postulare, quærere atque operari... ne desinas. Ut ante tribunal æterni judicis dignam, gratia suæ misericordiæ cooperante, ratiocinationem positurus, meritum perennis vitæ cum sanctis accipias. Inter hæc dilectionem tuæ fraternitatis hortamur, sanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ, quæ pro vobis omnibus vestraque salute, utpote caput pro suis membris, laborare non cessat, toto adnixu mentis, omnique devotione fideles existere omnimodis satagatis ; quoniam in ejus exaltatione, atque incolumitate, sicut ab initio, erit omnium vestrum apud Deum et præsens sæculum certa salvatio. Nos enim in hac terra tam paganorum quam malignantium Christianorum tantas persecutiones patimur ut has verbis explicare non valeamus. Inter innumeras rapinas, deprædationes et mala quamplurima, ad augmentum doloris nostri quidam sceleratus Longobardus nomine, homo Widonis marchionis, octoginta tres homines cepit : manibus singulis detruncatis, apud Narniensem civitatem, plures ex tali sunt incisione sine mora perempti. Unde communi ad Dominum prece supplicamus ut ille Ecclesiam suam sanctam de præsentibus malis eripiat, pro qua unigenito Filio suo non pepercit. Nosque pastorali sollicitudine baculum in manibus tenentes, lupis rapacibus, Domino protegente, resistere non omittemus. Data mense Augusto, indictione XII [*f.* XV].

CCCLXI.

(Anno 882.)

AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Præcipit ut Joannem diaconum benigne excipiat, et res ei ablatas restituat.

Reverendissimo et sanctissimo ROMANO archiepiscopo Ravennati.

Quia non solum tempore ordinationis tuæ te scriptis et verbis secundum morem et canonicam sanctionem, sed postmodum sæpissime admonere curavimus, quatenus cum filiis, et membris sanctæ tuæ Ecclesiæ tranquilla semper mente et alacri affectione, ceu idoneus pastor existeres, valde mira-

mur dilectionem tuam, monita nostra contemnendo, eis præjudicium, sicut audivimus, et importabiles gravitates inferre minime recusasse. Unde iterum præsenti apostolatus nostri statuto jubemus fraternitati tuæ ut huic Joanni venerabili diacono commendato nostro, qui ad nostram apostolicam sedem confugiens, præjudicium a te sibi illatum ferre non valens, nostro se petiit apostolico præsidio adjuvari, et ideo nos solita misericordia moti, apostolica tibi benignitate mandamus, ut eum in gremio sanctæ tuæ Ecclesiæ benigne recipias, et monasteria seu res quas illi tui occupaverunt ministri, libenti animo pro amore nostro præsentialiter reddas. Et quæ de ipsis rebus a tuis ablata sunt, modis omnibus restituas. Ita sane ut ei deinceps ad nostras apostolicas aures non sit necessarium reclamare. Simili etiam modo tibi mandamus ut Joanni venerabili diacono et chartulario Ecclesiæ tuæ monasterium sancti Martini, quod a te dudum promeruit obtinere, de præsenti reddere studeas : nos enim hoc patienter ad te peragendum apostolica benignitate direximus. Verum, quod non credimus, si aliter fraternitas tua peregerit, hi nostri legati, nostra apostolica fulti auctoritate, hoc procul dubio explere studebunt, quoniam justum fore decernimus, eos post longa obsequia et diuturna servitia, quæ in sancta Ravennate Ecclesia peregerunt, non solum digna remuneratione non privari, sed potius acquisitis beneficiis alacriter gratulari ; et in hoc ita peragat fraternitas tua ut quæ a nobis pro Ecclesiæ tuæ utilitate petieris, assequi omnimodis valeas. Data quinto Kalendas Septembris, indictione decima quinta.

CCCLXII.

AD CLERUM RAVENNATEM.

(Anno 882.)

Ut Maimbertum quemdam, quem alias ab Ecclesia Ravennate expelli jusserat, comprehensum, legato suo et Joanni duci tradant, et ad se mittendum curent.

Omnibus venerabilibus sacerdotibus, seu subdiaconibus, et universo clero sanctæ Ravennatis Ecclesiæ.

Audita sæpe afflictione atque miseria vestra, quam per Maimbertum Bononiensem clericum incessanter patimini, jam pridem nostram apostolicam misimus vobis auctoritatem per Joannem diaconum et chartularium, præcipientes ut omnes uno animo constantique devotione prædictum Maimbertum, manifestissimum zizaniorum seminatorem, ab archiepiscopo et a vestra sancta Ecclesia, tanquam ovem morbidam, expelleretis ; sed miramur quare hactenus a vobis hoc prætermissum sit ; unde nunc vestra iterum petitione moti, et divino amore succensi, per hanc nostram apostolicam auctoritatem vobis omnibus præcipimus ut, relecta priori epistola, unanimiter juncti et cum præsenti misso nostro fideliter conglobati, eumdem Maimbertum adversatorem vestrum, si sponte venire ad nos contempserit, vel in partem aliquam ire voluerit, audacter comprehendere studeatis ; et huic misso nostro seu et Joanni duci fideli nostro ad exigendum ab eo, secundum nostram jussionem, nobis ad deducendum contradite, sicut gratiam Dei omnipotentis sanctorumque apostolorum et nostram vultis habere. Nam si quis vestrum in hoc se quoquo modo subtrahens pro cujuslibet rei gratia hanc nostram jussionem pro statu et pace sanctæ Ravennatis Ecclesiæ directam gratanter ad effectum perducere contempserit, et ex Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, et ex nostra apostolica auctoritate a vino et cocto, etiam et a proprio ministerio suspensus maneat usque ad nostram præsentiam. Data v Kal. Septembris, indictione xv.

CCCLXIII.

AD JOANNEM MARTINUM, ETC.

(Anno 882.)

Ejusdem argumenti.

Joannes episcopus, servus servorum Dei, Martino, Joanni, seu Demetrio, atque Romano gloriosis ducibus, necnon et aliis fidelibus nostris.

Omnium vestrum noscat fidelitas quia sæpissime Romanum archiepiscopum tam per venerabiles episcopos quamque etiam nostris apostolicis litteris admonuimus, ut Maimbertum Bononiensem clericum a sua superstitiosissima familiaritate separasset, et ad propriam Ecclesiam, ut canonicum est, remisisset, et ipse Maimbertus multoties, ut recederet, a nobis est protestatus : sed minime acquiescere nostræ voluerunt apostolicæ jussioni. Idcirco præcipientes præcipimus, et jubentes expresse jubemus, ut unanimes juncti simul cum isto fideli misso nostro, omni occasione postposita et dilatione remota, prædictum Maimbertum comprehendatis, et vi coactum ab archiepiscopo separetis, et huic nostro misso simul et Joanni duci ad exigendum secundum nostram apostolicam auctoritatem validissime contradatis. Quod si in hoc negligentes vos, quorum nomina suprascripta sunt, fueritis, et ipse quoquomodo effugerit a vobis, scitote per unumquemque vestrum centum aureos dabitis nostræ parti. Insuper ex Dei omnipotentis sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, et nostra apostolica auctoritate a vino et cocto suspensi manete usque ad nostram præsentiam : cæteri vero, si hoc quod jubemus assequi noluerint, aut subtrahendo quoquo modo se huc illuc diverterint, et usque ad effectum rei non perseveraverint, superiori excommunicationi subjaceant. Data v Kalendas Septembris, indictione xv.

CCCLXIV.

AD JOANNEM DUCEM.

(Anno 882.)

Ut Maimbertum captum ad se ducat, et mulieres quæ apud ipsum sunt detineat, et Romano archiepiscopo epistolam deferendam curet.

Joanni duci delicioso fideli seu et misso nostro.

Gratulatos nos non modice credas eo quod fidelitas tua erga sanctam Romanam Ecclesiam nostrum

que apostolatum constanter reperimus [reperitur] vigilare; et ideo per hos nostros apostolicos apices tuæ fidelitati jubemus ut de Maimberto modis omnibus sicut misisti, pariter cum isto misso nostro explere decertes, ut nullo modo effugere possit, sed separatum ab archiepiscopo vi coactum, postquam ab eo omnia sua constanter exegeritis, ad nostram præsentiam districtum deducere studetote: etiam et illas mulieres, quas nunc in sua mansione collectas detinet, in nostro rectorio retinere jubemus usque ad nostram notitiam. Epistolam vero quam Romano archiepiscopo mittimus, ut res aut monasteria quæ ab isto, Joanne diacono fidele commendato nostro quoquo modo occupavit, restituere, et investire eum in omnibus studeat, et quæ de rebus ejus sui famuli abstulerunt, reddere huic per omnia faciat, ipsi archiepiscopo deportate, et coram sacerdotibus et judicibus ipsam legere facite; similiter autem et monasterium sancti Martini secundum nostram jussionem, Joanni diacono et chartulario pro nostro reddat amore. Nam et mansionem quam Maimbertus ab ipso diacono suam per fraudulentiam abstulit, simili modo eum cum Petro nepote suo investire studete. Data *ut supra*, indictione XV.

CCCLXV.

AD CAROLUM IMPERATOREM.

(Anno 882.)

Gratulatur de ejus incolumitate; gaudet ipsum adventurum esse statim in Italiam: hortatur ut mature Romanæ Ecclesiæ auxilio veniat, et Guidonem prædatorem ab Ecclesiæ finibus ejici jubeat.

CAROLO imperatori.

Cognoscentes de vestra incolumitate, quod oppido videbamus, Deo gratias egimus, et ut magis ac magis prosperitatibus et innumeris gaudiis fulciamini, majestatem divinam supplicibus votis omnimodo flagitavimus, scientes et multis experimentis discentes quod vos eadem vultis, eadem quippe desideratis: quoniam si nostra mediocritas viguerit, et valuerit illa, vos facturos hortabitur, unde et sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ defensio augmentabitur, et vobis copiosa merces in cœlo in perpetuum reponetur. Quod autem dicitis, ut, postpositis cæteris curis, iter vestrum in Italiam recto itinere ordinatum habeatis, grato animo suscepimus, et ut utinam non solum Papiæ, verum etiam propius essetis, necessitas maxima deposcit. Ideoque quod cœpistis, cum Dei adjutorio, velociter vestra sublimitas perficere studeat, et ad defensionem, imo securitatem sanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ, sicut dixistis, cæteris curis postpositis, mente et brachio potenter occurrat, quia quantis affligatur et conculcetur angustiis, jam dicere non valemus. Cæterum de Widone Rabia, invasore scilicet et rapaci, vestra gloria subveniat, et eum de finibus nostris, ut aliquantulum populus noster relevari valeat, ejicere modis omnibus jubeatis. Data III Idus Novembris.

CCCLXVI.

AD LIUTWARDUM EPISCOPUM.

(Anno 882.)

Gratias agit quod dederit operam ut imperator in Italiam ad Ecclesiæ defensionem veniret.

LIUTWARDO episcopo.

Studio tuo (quod cum spiritali filia nostra imperatrice, sicut asseris, ut domnus imperator pro defensione sanctæ Romanæ Ecclesiæ ingrederetur Italiam, habuisti) gratias agimus, et ut quod deest stet, quod te minime latet, tua instantia perficiat, multum hortamur: quia tantum nobis necesse est, quantum docere non valemus. Unde ita age ut tibi magis ac magis gratias referamus et in temporalibus commodis vicissitudinem reddere invitemur.

CCCLXVII.

AD OMNES EPISCOPOS.

(Anno 879-882.)

Monet ut sua instituta observent, justeque judicent.

Allocutio pontificis et exhortatio ad omnes episcopos.

Ecce, sanctissimi sacerdotes, præmissis precibus fraternitatem vestram cum pia exhortatione convenio, et per divinum nomen obtestor, ut ea quæ a nobis de Deo et de sacris ordinibus vel sanctis moribus fuerint dicta, cum omni pietate suscipiatis, et cum summa reverentia perficere intendatis. Quod si forsitan aliquis vestrum aliter quam dicta fuerint, senserit, sine aliquo scrupulo contentionis in nostrorum omnium copulatione, ea ipsa de quibus dubitaverit conferenda reducat, qualiter, Deo auxiliante, aut doceri possit aut doceat. Deinde simul vos obtestatione conjuro vel obsecro ut nullus vestrum in judicando aut personam accipiat, aut quolibet favore, vel munere pulsatus, a justo judicio scienter avertatur aut discedat; sed tota pietate eum qui cœtui nostro se judicandum intulerit, retractate. Ut nec discordans contentio ad subversionem justitiæ inter nos locum inveniat, nec in perquirenda æquitate vigor vestri ordinis vel sollicitudo tepescat. Data *ut supra*.

CCCLXVIII.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno incerto.)

Embolum ut Carlomannum regem in Ecclesiæ Romanæ dilectione confirmet.

Jam quod te, charissime fili, tantæ devotionis tantæque fidelitatis erga vestræ matris Romanæ Ecclesiæ pontificium esse videmus, tanquam utero natum monentes rogamus, flagitantes hortamur, ut pro amore apostolorum principum, quasi vestro proprio consulto, nec repræsentaliter, Carolomanno glorioso regi mittatis, consilium dantes ut antiquos honorans amicos, fruens charitate, ad parentum consilium redeat, et de epistolis quas illi ex maritimo itinere remisimus, respondeat, et Romanam Ecclesiam, quæ vobis utrisque omnibus decus regale et imperiale intulit, venerando diligat, mittens præsentialiter ipsis anathematizatis Lamberto et Adalberto. Data *ut supra*.

CCCLXIX.

AD MICHAELEM REGEM BULGARORUM.

JOANNES VIII MICHAELI regi Bulgarorum.

Si ab his quos excommunicatos habebamus sacramenta quæcunque suscipitis, constat quia idololatriam, non ut catholici essetis, sed ut schismatici efficeremini, deliquisse [*pro* dereliquisse, HARD.] videmini.

CCCLXX.

AD LUITBERTUM ARCHIEPISCOPUM MAGONTINUM.

Fragm. — (An. inc.)

Engeltrudem uxorem Bosonis noveris non solum excommunicatione quæ a fraterna societate separat, sed et anathemate, quod ab ipso corpore Christi, quod est Ecclesia, recidit, crebro percussam.

CCCLXXI.

AD LUDOVICUM IMPERATOREM.

Fragm. — (An. inc.)

Vides, fili charissime, quia quod contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur. Item, facientis procul dubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe est : Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, participes judicantur. Et libat Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa. Et negligere, cum possis deturbare perversos, nihil aliud est quam fovere ; nec caret scrupulo consentionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Et probat odisse se vitia, qui condemnat errantes ; nec relinquit sibi locum deviandi, qui non pepercerit excedenti. Et primus innocentiæ gradus est odisse nefanda. Et latum pandit delinquentibus aditum, qui jungit cum pravitate consensum ; et nihil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato.

CCCLXXII.

AD EPISCOPOS BRITANNIÆ.

(Anno incerto.)

Quid agendum de monachis ab abbate suo ordinatis.

JOANNES servus servorum Dei, episcopus Romanæ urbis, in Christo fratribus universis episcopis citerioris Britanniæ salutem in Christo et visitationem.

Quia vice B. Petri apostolorum principis, Domino Deo dignante, omnium Ecclesiarum curam suscepimus, sollicitudinem, quæ uniuscujusque fides integra in eodem Domino reservetur, sine qua nullus ei placere valebit, ubique severe observare debemus ; ideoque notum sit vobis quoniam charissimus frater noster Arduinus, sanctæ Turonensis Ecclesiæ archiepiscopus, veniens ad apostolorum limina Romam oratum, interpellavit nos quod jura sui archiepiscopatus, quæ ab antiquis temporibus per decreta sanctorum pontificum sanctæ Romanæ matris Ecclesiæ suis prædecessoribus concessa et confirmata fuerunt, a vestro archiepiscopo et suis decessoribus per violentiam et paganorum Nortmannorum contrarietatem sublata videntur ; unde apostolica auctoritate vobis sciatis interdictum ne illius ullo modo juri resistatis deinceps, de omnibus quæ prædictus archiepiscopus confirmat archiepiscopatui sui pertinere debere, quousque ille vester archiepiscopus, aut aliquis ex vobis cum Arduino archiepiscopo, sive cum suo suffraganeo, vel alio fideli misso ad nostram sanctam matrem Ecclesiam veniat, ut ibi præcognitis causis inter vos et illum, quod æquum comprobabimus diffiniatur ad laudem Dei et Domini nostri Jesu Christi. Quod si aliter quam jubemus contra voluntatem ejus feceritis, cognoscatis vosmetipsos Dei et B. Petri principis apostolorum, per nostræ humilitatis mandatum, auctoritate excommunicatos ab omni ecclesiastico officio.

Quod si vere debitam reverentiam circa prædictum fratrem nostrum observare vobis placuerit, secundum justitiæ decretum a sancta Romana Ecclesia statutum, permaneatis cum Dei benedictione in unitate nostræ catholicæ communionis. Interea sciant regni vestri homines, maxime nobiliores, nominatim Berengarius, et filius suus Conanus, et Hoel cum fratre suo Guerech, cum cæteris majoribus, ut si contra justitiam inobedientes fuerint huic nostræ jussioni, et contrarii seu rebelles exstiterint prædicto fratri nostro Turonensi episcopo, sint et ipsi excommunicati et nostra benedictione apostolica privati.

CCCLXXIII.

AD QUEMDAM.

Administratores secularium dignitatum, qui ad ecclesiarum, ac viduarum tuitionem rapaciumque refrænationem sunt constituti, quotiens ab ecclesiasticis viris conventi fuerint, eorum querimonias attentius audiant ; et quod necesse illis fuerit diligenter et cito perficiant ; quod si neglexerint vindicare vel corrigere post tertiam admonitionem priventur a communione.

CCCLXXIV.

AD ALIUM INCERTUM.

Præsides, cum ad præsidiatum promoti fuerint, litteras accipiant ecclesiasticas, communicatorias ; ita tamen ut in quibuscunque locis præsidiatum gesserint, ab episcopis ejusdem loci cura de illis agatur, ut si cœperint contra publicam agere disciplinam, a communione secludant divina.

CCCLXXV.

Allocutio pontificis ad episcopos sub finem synodi Tricassinæ.

Vos confratres et coepiscopos meos volo unanimiter mecum in defensione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam constat esse caput omnium Ecclesiarum, convenire, donec, Deo auxiliante, in sedem beati Petri apostolorum principis revertamur, cum omnium hominum vestrorum armata bellico apparatu manu : et de hoc, non differendo, sed sub omni celeritate et certitudine sponsionis, hic mihi, quæso, absque ulla dilatione continuo date responsum.

CCCLXXVI.

Item allocutio pontificis ad regem.

Vos, charissime fili Ludovice gloriose rex, precor, in defensionem, liberationem, atque exaltationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut predecessores vestri fecerunt, et vobis sub attestatione facere mandaverunt, sine procrastinatione et ulla dilatione succurrite ; quia ministri Dei estis, vindices in ira in his qui male agunt, et non sine causa gladium portatis : ne forte, quod absit, illa vos aut regnum vestrum culpa contegat, quod quosdam veteres reges inimicis et infidelibus Dei quondam parcentes damnabiliter strinxit. Vel si aliud placet, præsentialiter in isto loco date, per Deum et per beatum Petrum, vos conjuro, sine mora responsum.

CCCLXXVII.

Allocutio Joannis papæ ad Patres synodi Tricassini II, de Lantberti et Adalberti aliorumque sequacium excommunicatione.

Charissimi, condolete mihi et sedi apostolicæ quæ caput et magistra est omnium Ecclesiarum Dei, quæ et vos religioso utero genuit, reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ, sacrique confratres et consacerdotes Dei, venerabiles Ecclesiarum Christi antistites, et totius sacrati ordinis viri, et mecum tantas injurias Ecclesiæ sancti Petri apostolorum principis, cœlestique regni clavigeri, cui ligandi et solvendi data est a Deo potestas, simul flentes requirite, tantasque invasiones atque contumelias civitati Romanæ illatas cum ingenti dolore lugete, et mecum, qui curam et sollicitudinem omnium vestrum habeo, et secundum Domini vocem, quoties causa exegerit, conversus vos in omnibus bonis debeo confirmare : ac necessariæ consolationis opem conferre, viriliter state quærentes simul et judicantes tantæ patratores iniquitatis, tantæque temeritatis præsumptores, ut digna ultione temporaliter puniti, spiritu salvi sint in die Domini nostri Jesu Christi, quoniam eos prædictos Lantbertum et Adalbertum sequacesque eorum, pro quibus tantis sceleribus tantisque perjuriis patefactis, in ecclesia B. Petri apostoli, una cum coepiscopis et confratribus nostris Italicis, excommunicavimus ; et quia in his perseveraverunt, Christianæ communionis immunes esse decrevimus. Quodque decretum in prædicta beati Petri ecclesia scriptum, ut ingredientes et exeuntes legant et doleant, eosque anathematizatos teneant, posuimus. Et vos fratres charissimi, ut decrevimus, nostræ communionis alienos tenete, et anathematizatos fautores eorum mecum facientes consternite.

CCCLXXVIII.

Responsio episcoporum.

Domine sanctissime et reverendissime Pater Patrum, Joannes, catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ videlicet Romanæ primæ sedis papa, nos famuli ac discipuli vestræ auctoritatis, Galliarum et Belgicarum episcopi, his quæ super vulnera dolorum vestrorum maligni homines ac ministri diaboli addentes, A in sanctam matrem nostram ac magistram omnium Ecclesiarum commiserunt, compatimur, et dolori vestro couflentes condolemus, atque judicium vestræ auctoritatis, quod privilegio beati Petri et sedis apostolicæ in eos et complices eorum, juxta sacros canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, et secundum ejusdem Romanæ sedis pontificum decessorum vestrorum decreta pretulistis, voto, voce et unanimitate nostra, atque auctoritate sancti Spiritus, cujus gratia in episcopali ordine sumus consecrati, gladio spiritus, quod est verbum Dei, eos interimentes persequimur. Scilicet quod excommunicastis excommmunicatos tenemus, quos ab Ecclesia abjecistis abjcimus, quos anathematizastis anathematizatos esse judicamus, et quos B regulariter satisfacientes vestra auctoritas et apostolica sedes receperit, recipiemus. Sed ut in sacra historia de plaga Ægyptiaca digne a Deo illata legimus (*Exod.* XII), quia non erat domus in qua non jaceret mortuus, et non erat qui alium consolaretur, quoniam in domo sua unusquisque quod lugeret habebat, nos quoque in nostris Ecclesiis lugenda lugemus. Et ideo vestra auctoritate nobis subveniri cum omni mentis humilitate deposcimus, petentes ut promulgetis capitulum vestræ auctoritatis, qualiter nos erga Ecclesiarum nostrarum pervasores agere debeamus, ut, censura apostolicæ sedis muniti, robustiores et promptiores deinceps, Domino opem ferente, contra perversos ecclesiasticarum rerum ac facultatum raptores ac vastatores sacrique ministerii episcopalis contemptores nos successoresque C nostri persistere concordi sententia valeamus : ut juxta egregii prædicatoris vocem, et vestræ auctoritatis promulgationem, traditi Satanæ spiritu salvi fiant in die Domini nostri Jesu Christi.

CCCLXXIX.

Excommunicatio adversus pervasores rerum ecclesiasticarum in eadem synodo lata.

De pervasoribus quippe rerum ecclesiasticarum, quos sacri canones, Spiritu Dei conditi, et totius mundi reverentia consecrati, et decreta pontificum sedis apostolicæ, sub anathemate usque ad regularem satisfactionem esse debere constituerunt, sed et de raptoribus, quos Apostolus, Christo in se loquente, regnum Dei non possidere testatur D (*I Cor.* VI), et cum hujusmodi omni veraciter Christiano nec cibum sumere præcipit, quandiu in ipso crimine permanent (*I Cor.* V), per virtutem Christi et judicio Spiritus sancti decernimus ut si ante proximas Kalendas Novembris easdem res quas quique usurpatores injuste pervaseruut, ecclesiis suis regulariter satisfacientes non restituerint, a communione corporis et sanguinis Christi usque ad restitutionem rerum ecclesiasticarum et satisfactionem, alieni habeantur, et sacris episcopalis ministerii excommunicationis ecclesiasticæ contemptores, secundum evangelicam et apostolicam auctoritatem (*Matth.* XVIII), ab episcopis quorum interest

commoniti, si regulariter satisfacientes non resipuerint, anathematis vinculo innodati usque ad satisfactionem permaneant. Et si in ipsa pertinacia permanentes obierint, nemo corpora illorum cum hymnis et psalmis sepeliat, nec memoria illorum ad sacrum altare inter fideles mortuos habeatur, docente apostolo et evangelista Joanne : *Est peccatum ad mortem : pro illo non dico ut quis roget* (*I Joan.* v). Peccatum enim ad mortem est perseverantia in peccato usque ad mortem. Et sacri antiquorum Patrum canones de his qui sibi mortem voluntarie inferunt, et qui pro suis sceleribus puniuntur, sancto inspirante Spiritu, decreverunt, ut cum hymnis et psalmis eorum corpora non deferantur ad sepulturam. Quorum decreta sequentes, ea quæ præmisimus de pervasoribus et raptoribus rerum et facultatem ecclesiasticarum, si non resipuerint, judicio Spiritus sancti decernimus, sicut beatus decrevit Gregorius, dicens quia tales Christiani non sunt, quosque et ego, et omnes catholici episcopi, imo et universalis Ecclesia anathematizat.

CCCLXXX.

Joannis papæ iterata excommunicatio adversus Formosum episcopum, Gregorium nomenclatorem, et Georgium magistrum militum.

Auctoritate apostolica parem sententiam iterato damus in Formosum, nuperime Portuensem episcopum, et Gregorium magistrum militum, anathematis et perpetuæ obligationis. Et quia non desinunt inquietare aures regum ac principum, et malis prioribus, juncti cum prædonibus et subversoribus ecclesiarum, nova et recentia mala addere quotidie student, insolubiliter vinculo perpetuo et irrecuperandæ spei, sancti Spiritus Dei nostri virtute damnamus, omnemque illis suspicionem obtinendæ indulgentiæ irreserabiliter excludimus, et omnes qui illis communicaverint adjutoriumve præbuerint, de quocunque ordine, sive episcopali aut laicali, potentes, mediocres ac pauperes, in eorum prolatis maledictionibus involvantur, quorum consortio uti non metuant, et nisi resipuerint, sint anathema maranatha.

CCCXXXI.

Statutum Joannis papæ adversus laicos qui, viventibus uxoribus, alias ducunt, et contra episcopos qui de minore ad majorem Ecclesiam ambitus causa demigrant.

Inter nonnulla necessitatum a sancta synodo reclamatum est quod laicorum quidam, sortitis primo legaliter conjugiis, postposito Dei timore, secundi vel tertii, adhuc uxore vivente, conjugii copulam contrahant. De quibus Otilo quidam intra parochiam Rostagni Arelatensis episcopi, et Eooldus intra Ottramni Viennensis archiepiscopi, talia fecisse multorum fama refertur. Ad augmentum quoque earum transgressionem, quod flebiliter dicimus, additum est quod episcoporum quidam intra septem provincias Galliarum, calcato ter- A mino Patrum, spretoque sancitu canonicæ auctoritatis, de minori ad majorem ambitus causa demigrant episcopalem cathedram. Quibus canones Spiritus sancti gratia concorditer contradicunt. Nos quoque eorum, quos veneranter imitamur atque complectimur, quorumque statutis consentimus, Ecclesiarumque gubernationem tenemus, fulti virtute interdicimus, et in hærendo prohibimus, ne quisquam catholicorum taliter audeat amodo et deinceps agere, et si, ut non optamus, hactenus quidquam taliter actum est, digna pœnitudine ecclesiastica corrigatur. Denique hac auctoritate apostolica virtute Dei nostri intercedimus ut episcopi ad pristinam sedem sine mora redeant, quia si tardaverint, continuo omni sacerdotali honore B spoliabuntur; et laici redeant ad primum conjugium : sin autem, vinculo anathematis innodentur.

CCCLXXXII.

AD CLERUM ET POPULUM AUGUSTODUNENSEN.

(An. inc).

Privilegium concedit unum ex suis, quem clerus et populus proclamaverit, sibi præponendi, non obstante contrario regum vel principum delectu.

Joannes episcopus, servus servorum Dei, omnibus filiis sanctæ Eduensis Ecclesiæ et per vos successoribus vestris in perpetuum.

Auditum est nostris apostolicis auribus et crebro intimatum frequenter Ecclesiis Galliarum contra decreta canonum in electione suorum episcoporum C violentiam inferre. Quod nos, cui Ecclesiarum omnium cura commissa est quamvis indignis, visceraliter condolentes, ab universis Ecclesiis hanc insertam violentiam auctoritate Dei et beati Petri recidere cupientes, præcipue vobis, sanctæ videlicet Eduensi Ecclesiæ, hujus nostri decreti privilegium scribere sancivimus, reges Francorum primum observatores orantes ; in quo decernimus et regulariter ordinamus ut deinceps nemo regum vel principum vel aliqua persona vobis superponere vel ordinare aut successoribus vestris præsumat nisi ex filiis ipsius Ecclesiæ secundum scripta canonum, quem clerus elegerit et populus proclamaverit, si in ea dignus reperiri potuerit. Quod si in ea, quod forte accidere non credimus, inventus non fuerit, unanimi eorum consilio tam cleri quam populi de aliis dignissimus expectatur. D Vestrumque denique honorem, quem de seniore adepti fueritis, de vestris domibus et de vestris canoniis et de communi causa fratrum et de omni proprietate vestra in hæredibus legitimis statuendis et eligendis ex ipsa domo nostra apostolica auctoritate licentiam vobis concedimus ordinandi absque alicujus controversia impedimenti. Si quis vero, magnus vel parvus, contra hoc nostrum decretum et concessivam largitionem in aliquo surgere nostramque apostolicam auctoritatem violare vel infirmare præsumpserit, sciat se anathematis vinculo sanctæ Trinitatis invocatione et beati Petri apostoli potestate ac nostra auctoritate æternaliter

cum inimicis Dei et ejus contradictoribus usque ad satisfactionem profligatum ac in perpetuum damnatum. Conservatores autem hujus nostri decreti pax et gaudium et benedictio a largitore omnium bonorum Deo consequantur et vitam æternam habere mereantur. Scriptum per manus Theodori scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Martii et indictione sexta. Datum..... Bene valete.

ANNO DOMINI DCCCLXXXIV.

MARINUS PAPA I

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Mansi, Sacrorum Concil. ampl. Coll.)

Marinus Gallesio oppido oriundus, post triduum ab obitu Joannis VIII Kalen. Februariis unanimi consensu totius cleri, non ex diacono sed episcopo electus est pontifex, anno Domini 882, tempore Caroli III et Basilii imperatoris. Sedit annum unum et dies viginti. Hic dum sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis esset, missus est cum Donato atque Leone Constantinopolim ad insinuandam Photio anathematis sententiam, qua a Nicolao papa perculsus erat. Cum Donato et Stephano tempore Adriani II iterato munere legationis apostolicæ sanctus, Constantinopoli Photium deposuit, Ignatium restituit, atque sacrosanctæ œcumenicæ synodo octavæ præsedit. Bulgari eum sibi episcopum dari apud Adrianum II institerunt; sed non impetrarunt. Creatus a Joanne pontifice episcopus, tertiam legationem obiturus, tertio missus est Constantinopolim, ad ruinam illam reparandam, quæ per Potrum, Paulum et Eugenium tres sedis apostolicæ isthuc pro Photio restituendo ad synodum ablegatos facta erat. Cumque ibidem summa animi constantia coram Basilio imperatore, cuncta quæ prædicti tres legati perperam gesserant, irrita reddidisset, triginta diebus, inquit Stephanus in epistola ad Basilium imperatorem, carcere detentus fuit. Hac confessionis gloriosa corona redimitus, ab eodem Joanne VIII ablegatus est ad Athanasium Neapolitanæ urbis episcopum et principem, ut si fœdus, quod ille cum Saracenis initum habebat, dissolveret, eumdem Athanasium a sententia excommunicationis, quæ synodali judicio in eum lata erat, absolveret. Fuisse eumdem sedis apostolicæ arcarium indicat Joannes papa epistola 294. Initio pontificatus sui Photium, omniaque ejus acta ad munus episcopale spectantia damnavit, atque acta conciliabuli pseudooctavi plane reprobavit. Qua de causa Basilius imperator graviter offensus, furore gravi incensus, Romam scribens dicebat, Marinum non esse pontificem, eo quod alterius Ecclesiæ episcopus jam ante ordinatus fuisset, aliaque multa adversus eumdem papam sanctissimum effutiens, solio pontificio eum dejicere satagebat. Quid autem pro eodem defendendo Stephanus papa successor Marini ad Basilium rescripserit, ex epistola ejusdem Stephani infra patebit. Ea, quæ Joannes papa perperam egerat, rescissurus, inter alia Formosum episcopum Portuensem munere apostolatus apud Bulgaros præclare functum, ac aliarum legationum meritis exornatum, quem Joannes episcopatu deposuerat, et juramento obstrinxerat, se nunquam ad sedem episcopalem rediturum; sed laica communione contentum deinceps quieturum, in urbem et episcopatum revocavit, atque eumdem in pristinum statum restituit. Qua de causa a Joanne depositus, quove modo a Marino restitutus fuerit, non constat : potuit sine dubio eum a juramento injuste exacto absolvisse, et sententiam Joannis papæ velut iniquam, privatoque affectu fortasse prolatam, retractasse. Utrum horum factum fuerit, incertum est; ideoque mirum, quod rerum gestarum ignari, ob reassumptum pontificatum Formoso obloquantur. *Hæc ex diversis epistolis pontificum Baronius.* Fulconi Rhemensi archiepiscopo, qui Hincmaro subrogatus erat, post emissam orthodoxæ fidei professionem, pallium concessit. *Flodoardus in vita Fulconis.* Scholam Anglorum Romæ existentem rogatu Aelfredi regis a tributo liberam fecit *Matthæus Westmonasteriensis.* Cumque locis omnibus supra allegatis Marinus nominetur, recte Platinam erroris redarguit Onuphrius, quod aliter quam Martinum appellantes similitudine nominis deceptos esse scribat. Hujus temporibus Northmanni Trevirorum, Tungrorum, Ubiorum, aliorumque circumjacentium populorum urbes et oppida incendiis et rapinis devastarunt. *Ex actis sanctæ Gudilæ et annalibus Francorum Baronius.* Photius schismaticus hoc tempore Aquileiensi archiepiscopo imperito et schismatico de processione Spiritus sancti respondens, causam dedit; quod sicut jamdiu ante hæc tempora Hispaniarum et Galliarum Ecclesiæ, ita etiam ad retundendam Photii ejusque sectariorum de processione Spiritus sancti hæresim, Romana Ecclesia additamentum illud, *Filioque*, ad symbolum Constantinopolitanum posterioribus hisce sæculis adjecerit, et in ecclesia publice decantaverit. Quo tempore et fine, quove auctore et modo id factum fuerit, ex Ætheriano, et concilio Florentino refert Baronius anno 833, numero 34 et sequentibus. Marinus apostolico munere laudabiliter perfunctus migravit ex hac vita xv Kalendas Februarii anno Redemptoris 884, cum in pontificatu annum unum et dies viginti sedisset. Post obitum ejus sedes biduo vacavit.

PRIVILEGIA MARINI PAPÆ

I.

PRO MONASTERIO SOLEMNIACENSI.

(*Anno* 883.)

[Apud Mansi, Conc. Collect.]

MARINUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto abbati DANIELI ex cœnobio sancti Petri Solemniacensis, quod olim a beato viro Eligio constructum, successoribusque tuis ac monachis inibi nobiliter degentibus in perpetuum.

Convenit enim nostro pontificio, ut quantum præ omnibus eminet dignitate, tanto supra universo eniteat serenissima pietate. Postulastis itaque a nobis, ut præfatum cœnobium sub defensione ac tuitione beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra statueremus, sicut factum legimus ab antecessore nostro beato viro papa, postulante nobilissimo Francorum rege Dagoberto, et constructore ipsius loci sanctissimo viro Eligio episcopo Noviomagensi, quatenus quieti ac tuti esse per futura tempora valeatis. Nos vero, vestram sanctitatem agnoscentes, vestræque religioni assensum præbentes, tanta alacritate læto animo concedimus, quanto vos Deo propinquiores in sacra conversatione cognoscimus fore. Igitur juxta petitionem vestram, hujusmodi privilegium præsentis auctoritatis nostræ decreto eidem venerabili monasterio vestris futurisque temporibus indulgemus, concedimus, atque confirmamus. Et sicut nobilissimus Francorum rex Dagobertus, et gloriosissimi Augusti, Carolus et filius ejus Ludovicus, et filii et nepotes eorum, Carolus imperator, et ejusdem Caroli filius Ludovicus, necnon et Carlomannus Ludovici filius, qui nunc regnum Francorum feliciter gubernare videtur, ducti divino amore, de villis ac facultatibus seu stipendiis propriis, vel quolibet modo ibi a fidelibus viris condonatæ res, a vobis quoquomodo acquisitæ sunt, sicut in præceptis prædictorum regum continentur, vel in charta ejusdem monasterii fundatoris insertum est, scilicet Eligii episcopi, omnia illibata et inconvulsa nostræ auctoritatis privilegio confirmamus. Damus etiam licentiam, propter persecutionem infidelium Christianitatem devastantium, munitionem ibi fieri. Constituimus alia auctoritate beati Petri, ut nullus regum, nemo antistitum, vel abbatum, seu quilibet sua præditus dignitate, de iis quæ in prælibatis præceptis continentur, vel in futuro ab eis, vel a quibuslibet de proprio fuerint his specialibus usibus jure collata, sub cujuslibet causæ occasione sive specie, quidquam minuere vel auferre, vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione præsumat concedere. Sed cuncta, quæ usibus monachorum, vel ecclesiæ oblata sunt, vel offerri contigerit, perenni tempore absque ulla inquietudine ipsis, quibus concessa sunt, profutura permaneant. Statutum etiam, ut nullus episcoporum, seu comitum, mansionaticum ibi, vel paratas, vel stationes requirere seu exigere præsumat, sed liceat servis Dei sine aliqua inquietudine Deo servire, et hospitalitatis benevolentiam, prout eis libuerit, cunctis fidelibus impendere. Placuit huic paginæ inseri, ut obeunte abbate prædicti cœnobii, nullus ibi, quacunque subreptionis ambitione, abbatem statuere præsumat, nisi quem ejusdem loci monachi secundum authenticam et regularem institutionem ex seipsis elegerint ordinandum. Si quis autem hanc paginam constitutionis agnoscens contra eam venire tentaverit, sit alienus a sacratissimo corpore Domini Jesu Christi, et nisi præsumpta correxerit, vel male ablata non restituerit, ultionem cum Juda proditore excipiat, et beatum Petrum sentiat hostem. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis inveniant. Scriptum per manum Zachariæ scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ mense Maio, indictione prima. Bene valete. Pridie Idus Junias, per manum Valentini Ecclesiæ Portuensis episcopi, regnante in perpetuum Domino Deo nostro. Anno pontificatus domni Marini universalis papæ primo, indictione prima.

II.

PRO MONASTERIO SAVINIENSI.

(*Anno* 883.)

[Ex Ughelli, Italia sacra t. IV, pag. 657.]

MARINUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto, reverendissimo, et sanctissimo GERARDO sanctæ Laudensis Ecclesiæ episcopo et præsenti in eadem Ecclesia et monasterio Savinionis in perpetuum.

Te narrante cognovimus munificentia imperatorum, et regum, qui nostris fuerunt temporibus, quique erga eos industria obsequii cœnobium Savinionis Ecclesiæ tuæ concessum, atque præceptis suis firmatum esse eo videlicet ordine seu tenore quod semper in eodem cœnobio regularis institutio disciplinabiliter observaretur, salvo jure concessarum sibi rerum in usus proprios. Tu vero præcavens ne post discessum tuum quilibet successorum tuorum, aut alia sæcularis potestas a propriò statu et ordine idem cœnobium subvertere possit, res aut familias ibidem subvertendo, vel invadendo, petisti fideliter auctoritate sedis apostolicæ, et privilegio ea, quæ ad usus monachorum, ac totius ejusdem cœnobii utilitatem cunctis possessionibus, ac recordandæ memoriæ piissimo Ludovico quondam Augusto per

præceptum suum dudum delegata, atque concessa A et postea diligenter provisa æquanimitate sibimetque, firmari, et quæ deinceps a quibusdam timentibus Deum ibidem collata fuerint, videlicet ab urbe Derthona quidquid de ipsa est abbatiola usque ad ipsum monasterium in eodem comitatu Derthonensi, Januensi, maris littore et Tuscia, necnon vicum Arderatum, et Pasqualini, et casam de Papia cum massario in aurello. Reliquum vero ipsius abbatiolæ Laudunensis episcopus ad utilitatem suæ ecclesiæ pro defensione, et excusatione eorumdem monachorum retineret, ac possideret, implorasti scilicet pro omni excubia et expeditione tam palatina quam et hostili. Nos igitur per gratiam, et potestatem, quæ nobis a Deo apostolorum meritis collata sicut superius continetur ambabus partibus juxta commune B votum, et moderationem æquam, apostolicaque confirmantes auctoritate statuimus auctore Domino Jesu Christo inviolabile amodo sic permanere. Sancimus quoque ut cum præsens ejusdem loci abbas Adalbertus, vel ejus successores ab hac luce divina vocatione subtracti fuerint, non aliunde, sed de ipsa congregatione concorditer substituatur alter, si vero pro ipsa electione, aut fratrum dissensione, vel etiam alia qualibet ipsius loci necessitate Laudensis episcopus utique non alius, vel ejus missi idem monasterium aut cellas, aut curtes ejus vocati in adjutorium venerint non plusquam triginta homines, et caballos quadraginta conducant, quibus ex ipsis monasterii rebus dentur stipendia, et ultra triduum non ibi morentur, nisi cogente charitate, aut necessitate abbas cum fratribus postulaverint, ter siquidem per annum aut abbas, aut ejus inde monachi Laudensem episcopum in sua ecclesia honorifice et visitent, et recipiantur. Præterea decernimus ut si ejusdem monasterii abbas se aliquando prægravari injuste cognoverit ab eodem episcopo, vel aliis, libere ad nostram sedem apostolicam appellet, atque ad eam confugium faciat, ut sua mereatur obtinere irrefragabiliter jura apostolica sibi clementia roborata. Quæ si quis præcognita corrumpere, ipsamque sanctam congregationem perturbare, vel inquietare prætermisso apostolico, seu regulari judicio tentaverit, et hoc nostrum privilegium quoquo modo corrumpere, in virtute sancti Spiritus, se beatorum apostolorum a communione omnium sit separatus justorum quoadusque digna satisfactione humiliatus emendare studuerit, quæque contra ipsum reverendum locum ad periculum sui deliquit. Qui vero custos et observator hujus apostolici nostri privilegii fuerit, benedictionem et gratiam a Domino consequatur. Scriptum per manum Georgii scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, mense Junio, indictione I. Bene valete.

Datum x Kal. Juli per manum Zachariæ episcopi et bibliothecarii, atque missi S. sedis apostolicæ, imperante domino nostro piissimo perpetuo Augusto Carolo a Deo coronato magno imperatore anno III, et post consulatum ejus anno III, indict. I.

MARINI PAPÆ I

EPISTOLA AD MONACHOS J. ÆGIDII.

(Anno 883.)

Præficit Amelium presbyterum.

(In probat. novæ hist. Nemaus, pag. 15, apud D. Bouq. Script. rerum Franc., t. IX.)

MARINUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidelibus nostris monachis de monasterio quod vacatur Vallis-Flaviana, salutem et apostolicam benedictionem.

Cognitum facimus omnibus vobis quia præsens Amelius religiosus presbyter noster commendatus factus est. Unde et nos pro sua fidelitate concedi- C mus et ipsum vestrum monasterium, cum omnibus suis pertinentiis, ad tenendum, et vos regendum atque gubernandum, salva pensione nobis annua persolvenda. Unde vobis præcipimus ut eum honorifice suscipiatis, et eum ut prælatum cum omni religione habeatis, qui eum ad salvandum et regendum super vos ordinavimus. Bene valete.

ANNO DOMINI DCCCLXXXV.

ADRIANUS III

PONTIFEX ROMANUS

VITA ADRIANI PAPÆ III

Adrianus III, natione Romanus, XIII Kalendas Februarii, anno Redemptoris nostri 884, temporibus Caroli III et Basilii imperatoris creatus est pontifex : sedit annum unum, menses tres, dies decem et novem. Sollicitatus a Basilio imperatore ut cum Photio in rebus fidei et religionis communicaret, non tantum non petitioni ejus acquievit, verum exemplo prædecessoris sui Marini eumdem tanquam laicum acerrime est insectatus. Quo facto imperator gravissime contra eum commotus, hostiles ei litteras contumeliis plenissimas transmisit. Adriano prius hac vita defuncto, quam litteras imperatoris minacissimas accepisset, accepit eas Stephanus reddiditque ad Basilium eam epistolam quam supra in appendice octavæ synodi impressam invenies.

De electione pontificis decrevit, ne in ipso creando imperatoris auctoritas exspectaretur ; idque ideo, ut cleri et populi libera sint suffragia. Ejus tempore Cassinense monasterium a Saracenis incensum esse scribit Leo Ostiensis libro I, capite 45. Magno cum luctu universæ Ecclesiæ mortuus est anno Domini 885 : sepultus in basilica sancti Petri. Quanto tempore sedes apostolica post mortem illius pastore destituta fuerit, non satis liquet, etc.

ADRIANI PAPÆ III PRIVILEGIUM

PRO MONASTERIO PLACENTINO.

(Apud Mansi, sacrorum Concil. ampliss. Collect., tom. XVIII.)

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, Angilbergæ dilectæ imperatrici Augustæ, et per te tuo venerabili monasterio Placentiæ noviter constructo, in perpetuum.

Omnibus quidem justa petentibus apostolica sollicitudine, præcipiente Domino favere debemus ; præcipue tamen devotioni tuæ, dulcissima ac spiritalis filia nostra Angilberga, olim imperatrix Augusta, quam merito honore atque reverentia sancta mater nostra Romana Ecclesia, ut dilectissimam et principalem prolem, amplectitur semper et refovet. Quapropter monasterium et xenodochium, quod ad honorem Dominicæ resurrectionnis et BB. apostolorum, et martyrum Bartholomæi, Sixti et Fabiani, prudenti provisione a fundamentis nuper Placentiæ ædificare voluisti, laudabili complectimur desiderio paternoque affectu... Apostolica illud auctoritate ratum ac stabilitum perenniter instituentes, et ut ab omni impulsione, atque inquietudine quorumlibet infestantium beatissimi Petri tuitione illæsum semper, et inconcussum, Domino protegente, permaneat; hoc etiam omnimodo providemus, et stabiliter decernimus, ut universa, quæ ibidem in rebus mobilibus et immobilibus, intus forisque, in familiis utriusque sexus cunctoque ornatu ecclesiastico, atque omni supellectili semel Domino a vobis distributa sunt, futuris temporibus inconvulsa in eodem sacrato loco persistant, omnium penitus diminutione, vel invasione sopita ; in eis etiam familiis, quas ob redemptionem animæ vestræ prudenti respectu liberate donatis, vel in reliquum donaveritis, simili modo nos vobis favemus, aspiramus, et apostolicum præbemus assensum, quatenus et illi secura libertate potiti, gratia Dei duce sempiternæ suscipiant gaudia vitæ. Consecrationem porro abbatissæ loci ipsius, ut filia devota petisti, secundum quod in tuo testamento a te prudentissime ex eodem monasterio tuo coaptato continetur, modis omnibus fieri concedimus : scilicet cum ordinanda ibidem fuerit abbatissa, Mediolanensis archiepiscopus, qui eo tempore fuerit, vocatus ab illis personis, quas ex progenie tua ipsi loco præfeceris, quibusque curam potiorem dimiseris, ad eligendam, et consecrandam abbatissam simpliciter ibidem adveniat, et non ultra, quam a te statutum est, in eodem moretur loco, aut amplius exigendo stipendia præterquam præfixum est, idem monasterium gravet. Similiter quoque, si ortum fuerit discordiæ aut cujuscunque dissensionis malum, veniens sedare illud, et formare pacem studeat cum moderamine disciplinæ. Si autem qualibet occasione, aut tuæ institutionis prævaricatione Mediolanensis archiepiscopus neglexerit hanc habere curam et sollicitudinem, ut præposuimus ; Aquileiensis patriarcha, similiter, ut supra, vocatus, hæc omnia fideliter prosequatur. Et si aliquando aut pro præscriptis negotiis, aut pro aliqua temporis necessitate, aut etiam pro malignantium hominum gravedine oportuerit hanc nostram apostolicam sedem appellare, obsecramus et obtestamur omnes successores nostros per merita BB. apostolorum, quatenus ad

sublevationem et defensionem loci ipsius operam viriliter usque ad effectum dare, donec omnes ejus sopiantur controversiæ, studeant.

Inter hæc Ravennate archiepiscopo cum Ticinense, et Placentino, et Regiense, et Mutinense cum Mantuano, et Veronense cum Laudense, et Vercellense, aliisque coepiscopis nobisque sanctam synodum celebrantibus, et tuæ voluntati assensum præbentibus, volumus atque instituimus, ut cujuscunque ordinis clericos, qui in eodem sacrato loco missarum solemnia celebrantes deserviunt, et eos qui in ejusdem monasterii capellis ubicunque divina jugiter officia faciunt, liceat præcipue Mediolanensi archiepiscopo, aut patriarchæ supradicto promovere, et consecrare, vel alii etiam cuilibet episcopo, quem abbatissa loci illius voluerit rogare. Hæc et alia ecclesiastici officii ministeria sint in abbatissæ voluntate, ut possit videlicet chrisma, et ecclesiarum suarum consecrationem, a quocunque ei libitum fuerit, omni tempore impetrare : ita tamen, ut si aliquando ad hæc forte rogabitur Placentinus episcopus, in prædicto cœnobio, et xenodochio rebusque ipsorum nullum se noverit amodo et deinceps jus potestatis habere, neque etiam ad missas celebrandas juxta Patrum instituta, nisi invitatus, adveniat.

Decimas vero universi fundi pertinentis ad ipsum monasterium, quas episcopi qui...... esio sunt, et in quorum quidem adjacent parochiis, pro Dei amore, vestrorumque bonorum recordatione, devote atque libenter supradicto venerabili loco largiti sunt : volumus, et apostolica corrobamus auctoritate, et absque refragatione, tam ipsorum, quam et successorum eorum, velut ipsa instituisti, sacra xenodochio, et capellis perpetualiter habeantur. Insuper statuimus, et apostolica auctoritate stabilimus, ut juxta quod nostri prædecessores tam Adrianus, quam Joannes et Marinus præsules suis tibi privilegiis concessisse, et roborasse noscuntur, universa, quæ olim divæ memoriæ Ludovicus serenissimus imperator, dominus et vir tuus, per suam magnificentiam augustalibus apicibus tibi dum adviveret contulisse probatur, seu etiam et ea quæ ipsa postmodum imperialibus largitionibus, vel etiam quibuslibet justis acquisitionibus, emptionibus, vel commutationibus in proprios, sive jam dicti monasterii tui usus acquisisti, seu in posterum acquisitura es ; simulque et ea, quæ ad supplementum ejusdem sacrati loci, et tam regum, quam aliorum quorumlibet fidelium donatione, vel liberalitate nunc, vel postmodum addita fuisse comprobantur : eodem tenore et ordine, quo tibi, vel tuo prænominato cœnobio advenerunt, illibata et inviolata, atque inconcussa permaneant, et secundum tuæ ordinationis statuta persistant. Et si quis, quod non optamus, contra hæc statuta in Dei omnipotentis oblata, vel concessa servitium agere tentaverit, vel quippiam horum infringere temerario ausu voluerit, excommunicationi submissus omni ecclesiastico consortio careat, et nisi se continuo a tali nequitia corrigat et resipiscat, S. Petri nostrique apostolatus auctoritate anathematis vinculo innodatus, reus in futuro judicio permaneat, et pro excessu suæ tantæ transgressionis cum Juda traditore infrunitus, atque rebellis sancti Spiritus sententia, qui semper fictum et mendacem effugit, noverit se habiturum portionem in gehenna ignis æterni. Scriptum per manum Leonis scrinarii S. R. E. in mense Aprili, indictione tertia. Bene valete. Dat. XV Kal. Maii per manum Gregorii nomenclatoris, missi, et apocrisiarii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno piissimo Augusto Carolo a Deo coronato magno imperatore, anno ejus quinto, indictione tertia.

ADRIANI PAPÆ III

EPISTOLA AD SIGIBODUM NARBONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Apud D. Bouquet, ibid.)

Moneat Girbertum Nemausensem episcopum ut nullam inferat molestiam monasterio sancti Ægidii.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo Sigibodo Narbonensi archiepiscopo.

Sanctitati tuæ notum esse volumus quia monasterium sancti Ægidii, cum omnibus suis pertinentiis, sub nostra apostolica potestate consistit, una cum Leone religioso abbate et monachis ipsius monasterii : ideo monemus fraternitatem vestram ut Gibertum episcopum Nemausensem moneatis ut nullam forciam, nullamque contrarietatem et nullam oppressionem facere præsumat in ipso monasterio, aut in monachis, vel in familiis ejus, neque suis sequacibus oppressionis eorum materiam relinquere : quia certissime ipsum monasterium, cum omnibus suis rebus, sub ditione et potestate B. Petri apostoli et nostra consistit. Et volumus ut eidem episcopo dicas ut omnia reddere studeat quæ ab ipso monasterio per vim abstulit. Et sciatis quia ipsum monasterium in potestate Amelii presbyteri jam concessimus ad protegendum et ad defendendum. Et si ipse Gibertus episcopus acquiescere noluerit nostris et vestris monitis, sciatis illum esse excommunicatum et damnatum inrecuperabiliter. Vos ita agite sicuti nos per vos bene confidimus. Bene valete.

ANNO DOMINI DCCCLXXXIV.

S. BERTARIUS

ABBAS CASSINENSIS

NOTITIA HISTORICA IN BERTARIUM.

(Fabric. Bibl. med. et inf. Lat.)

BERTHARIUS sive *Bertarius* ex regum Francorum stirpe, abbas Cassinensis et a Saracenis obtruncatus martyr anno 883, 22 Octobris; scripsit ex Veteris Codicis fide et teste Leone Ostiensi lib I, cap. 32, et Petro diacono cap. 12, *libros duos ἀντικειμένων Sententiarum Veteris et Novi Testamenti*, editos sine nomine auctoris; Basileæ, 1530, in-fol.; Parisiis, 1530, in-8°; Coloniæ, 1533, in-8°; et Parisiis, 1556, in-12, cum libris Junilii Africani: et in Bibliothecis Patrum in quibus ex Felicis Toletani fide Juliano Toletano tribuuntur; cujus non magis sunt quam Salviani A Massill. cum quibus eos anno 1530 edidit Johannes Alexander Brassicanus; vel Ricardi Cluniasensis, ad quem referuntur a Sixto Senensi, lib. IV Bibliothecæ sacræ, pag. 371. De cæteris Berthari scriptis nolo repetere quæ jam notata a Petro diacono et in Johannis Baptistæ Mari ad eum notis, et apud Caveum; nisi quod *versus de vita, obitu ac miraculis S. Benedicti*, etiam editos monere juvat in Actis SS. Benedict. tom. I, pag. 29; Trithemius, cap. 326; et illustr. Benedictin. II, 72, tantummodo sermones ejus elegantes commemorat.

SANCTI BERTARII

CARMEN DE SANCTO BENEDICTO.

(Apud Mabill. tom. I, Act. SS. ord. S. Bened., ex Prosperi Martinengii tom. III.)

O Benedicte pater, cunctis celeberrime terris,
Qui confessorum culmen honoris habes:
Te Deus a puero delegit cœlitus, atque
Instituit sancti Germinis esse patrem.
Tu via, tu ductor, tu pastor, doctor eorum,
Qui, spretis terris, cœlica regna petunt.
Tu, studiis spretis, orbis dominam fugis urbem,
Et Domini subdis mitia colla jugo.
Tu precibus vasis solidas fragmenta dirempti,
Obsequiis vestris quod pedagoga tulit.
Æs lapidis jactu confregit lividus hostis,
Signa dabat mensæ quod, Benedicte, tuæ.
Sed minime solitam tibi tradere desinit escam,
Romanus furtum subripiendo pium.
Aptarat Paschæ sibi prandia magna sacerdos,
Sed tibi cum dapibus destinat hunc Dominus.
Tetra nimis volucris se vultibus ingerit almis,
Et visa quondam concremat in specie.
Sed spinis recubans, stimulis et punctus earum,
Exsuperas vulnus illico vulneribus.
Frangitur arte crucis vas, virus quo latitabat,
Cum signat tanti dextera sancta Patris.
Quem puer a sanctis precibus niger eliciebat,
Virga Patris sistit, ac puer ater abit.
Suscipe, sancte Pater, pueros, quos gloria Romæ
Ad tua transmisit limina mente pia.
Fratribus ipse tibi commissis mons dedit amnem,
Rupe latex exit cum rogitas Dominum.
Ferrum dum vepres resecat Gothus, insilit undis,
Sed repetit manicam mox, ubi tinguis aqua.
Assiduam Placibus dum ferret gurgitis undam,
Obsequiis sanctis hunc tulit unda fluens.
Pergito, Maure celer, Pater illico providus, inquit,
Jam trahit unda laci præcipitem puerum.
Jussa ferens properat super undas, atque recurrit
B Erepto puero, ceu per humum gradiens.
Promptus ad omne malum dira cum mente sacerdos,
Toxica quæ misit, sustulit ipse prius.
Corruit ecce miser collapsi culmine tecti,
Corpore confractus tartara sæva petit.
Talia discipulus dum perfert nuncia cursim,
Concussit sancti intima corda Patris.
Cui pater indixit ob talis gaudia mortis,
Ut lacrymis culpam defleat ipse suam.
Panem tollit avis, quo virus texerat ille,
Abdit ubi nullus cernere possit homo.
Tu meritis almis falsorum templa deorum,
Vertisti in laudem, sancte, decusque Dei.
Perfidus ille draco cœlo demersus ab alto,
In famulum Christi talia dicta dabat.
Quid, maledicte, tibi mecum est? Quid non, Benedicte,
Quid me persequeris? quid mea jura rapis?
Stat lapis immotus nimio præ pondere fixus,
Quem residens hostis impius ille premit.
Tollitur at subito Benedicti voce beati,
Itque procul sessor, postmodo flamma vorax.
Fratribus est falso comburere visa culinam,
At Pater ut venit, visio falsa fugit.
Attritus puer est murali mole peremptus,
Suscitat hunc, et opus jussit adire Pater.

Non licitis domibus sumpserunt prandia fratres,
 Absens ipse videt arguit et nimium.
Hospes adest simplex, quem cepit calle viator,
 Mollibus in pratis prandia quo facerent.
Arguit hunc pastor tali pro crimine sanctus,
 Mox veniam culpæ expetit ille suæ.
Veste venit splendens fraudantis Riggo tyranni,
 Non tua sunt, inquit, quæ tua dorsa gerunt
Totila rex veniens prostrato corpore supplex,
 Præscivit vitæ commoda cuncta suæ.
Bis quinis annis retinebis culmina regni,
 Mors his succedet, moribus esto pius.
Desinit in factis extunc existere sævus,
 Blandior et vixit tempora dicta sibi.
Excole, Roma, tuo vatem de dogmate doctum,
 Qui tua per sæclum mœnia salva canit.
Turbinibus multis quassaberis, atque coruscis,
 Hostis nullus erit, qui tua septa ruat.
Non escam carnis, sed nec sacris ordinis unquam,
 Excipias quæstum, clerice, salvus eris.
Hæc ubi contempsit, repetit quem liquerat olim,
 Ut vates sanctus dixerat, ille malus.
Omnia quæ monachis congessi munere Christi,
 Gentibus arbitrio tradita sunt Domini.
Vix potui precibus Dominum exorare supernum,
 Ut mihi vel fratrum cederet ipse animas.
Post Langobardi venientes tempore noctis,
 Cætera vastantes cuncta tulere simul.
Æterni regis salvati munere fratres,
 Illo nec lædi de grege quis potuit.
Vas retinet serpens absconsum tramite, fili,
 Admoneo ut solers vergere mox studeas.
Mappula testis adest, retines quam pectore, frater,
 Cur ingressa tuum nequitia est gremium?
Non clam Patre manent, quæ voluit mente superba,
 Præbens cœnanti luminis officium.
Fratres en hodie nullus est panis in areis,
 Cras pietate Dei copia panis erit.
Iis sacra cœnobii satagunt qui ponere septa,
 Astans per somnum condere monstrat opus.
Redduntur tumulis per eum, quæ more sorores
 In famulum Christi noxia verba dabant.
Patria namque puer dum tecta requirit anhele,
 Injussus pergens mortuus est inibi.
Hujus non potuit corpus retinere sepulcrum,
 Sed Domini famulus id sociavit humo.
Ore patens anguis medio stat calle malignus,
 Quem cernens frater ad pia septa redit.
Rusticus adveniens variato corpore lepra,
 Abcessit sospes glorificando Deum.
Aurea dona Patri funduntur cœlitus almo,
 Ut poscens habeat, debita quo redigat.
Vas vitreum montis per saxa patentia mersum,
 Illæsum perstat omne tenens oleum.
Post Dominum rogitans dolium complevit olivo,
 Ante quod hoc penitus exstiterat vacuum.
Quo properas, Satana, medicorum more paratus?

A Vado tuis potum fratribus ut tribuam.
Dextera sancta senem mox illo dæmone captum
 Salvavit Patris, depulit et Satanam.
Rusticus adveniens constrictus brachia loris,
 Ad primum sancti solvitur intuitum.
Postulat orbatus reddi sibi pignus ademptum,
 Cum rogitat sanctus, vita redit puero.
Sacra soror precibus diffundens cœlitus imbrem,
 Invitum secum nocte Patrem retinet.
Post triduum frater gaudens de morte sororis,
 Hanc tumulat proprio protinus in tumulo.
Unica sanctorum retinet nunc arca duorum
 Pignera, [a] quos æthræ junxit, humoque Deus.
Sanctorum hic animas ad cœli gaudia cernit
 Angelicis ulnis hoc per inane vehi.
B Totus adest orbis collectus solis ab instar,
 Tempore sub noctis visibus, alme, tuis.
Testis adest meriti, Servandus nomine, magni,
 Lucis enim partem cernit et ipse simul.
Regula, sancte Pater, multos tua mittit ad æthram,
 Consocians sanctis hoc super astra choris.
Flans Domini famulus animam cum laudibus almis
 Mirifica scala scandit ad astra poli.
Pallia sternuntur divino lumine mixta,
 Qua sacer ascendit ad sacra regna Pater.
Perdita mente manens mulier per devia scandens,
 Hujus salva fuit cum specus introiit.
Plurima signa tibi concessit gratia Christi,
 O Pater insignis, quæ modo nemo sciat.
Sed quæ noscuntur per mundi climata, quisnam
 Ut tua facta decet, pangere rite queat?
C Quæve micant hodie signorum facta priorum,
 Temporibus nostris gesta tuis meritis?
Andreas etenim Germano germine cretus,
 Rectis non unquam gressibus ire valens;
Mox ut promeruit tua limina tangere templi,
 Extemplo sospes dante fuit domino.
Alter serpentem gestans in ventre latentem,
 Obstaclum nullum cui medicina dabat;
Concitus huc scandens pietatis munera poscens,
 Ad tua parvenit lumina sancta, Pater.
Evomito colubro postquam tua limina scandit,
 Perstitit incolumis hic pietate Dei.
Corpore contractus genuit quem Cimbrica tellus
 Erigitur templi, David, in æde tui.

D Eia, beate Pater, tanto qui lumine præstas,
Sedibus in superis tanta pietate coruscus,
Esto tuis famulis custos, doctorque per ævum:
Ne lupus insidians, hostis ne pestifer unquam
De grege tollat ovem, proprio quem jure retentas.
Bertharíumque tuum famulum me protege, serva,
Ductus amore tuo qui carmina vilia prompsi.
Hoc Deus omnipotens, salvos qui vis fore cunctos.
Qui cœlum terramque regis per sæcula, Christe
Des petimus, nec non paradisi gaudia nobis,
Omnibus et veras tribuas sine fine coronas.

[a] *Al.*, quos terris junxit et æthre Deus.

APPENDIX AD SCRIPTA S. BERTARII

VITA S. SCHOLASTICÆ VIRGINIS

S. BENEDICTI SORORIS.

Ex homilia in ejus natali habita, quæ Bedæ Venerabili vulgo, sed immerito, tribuitur.

1. Quia beatæ Scholasticæ natalitia colimus, fratres charissimi, libet de ejus vitæ meritis aliquid de vita beatissimi Benedicti huic opusculo introducere, ut quantæ excellentiæ sanctitatis fuerit, silentio non tegatur. Sed primitus omnipotenti Deo preces mitiamus, qui omnia in sapientia fecit, ut ipse donare dignetur, quia dignatus est dicere : *Qui sitit veniat, et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 37), ut cœpta sic digne prosequamur, ut tantæ festivitatis pertineat ad honorem, et vestræ charitati præbeat incrementum.

2. Soror namque ejus Scholastica (ex Greg. M., lib. II *Dialog.*, c. 23) omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dicata, ad eum semel per annum venire consueverat. Primitus quidem virtutem tanti nominis inquiramus, ut suo decore oratio decurrat. Scholastica enim a Schola derivatur, quæ est sapientiæ nutrix : ab ipsa virtutum onmium norma concrescit, et tota virtus animæ procax fit ad discendum bona et mala, ut recto limite currere possit viam salutis, qualiter peritura mundi despiciat, ne oberrans bonum ducat pro malo, malum pro bono, tenebras pro luce, et lucem pro tenebris, amarum pro dulci, et dulce pro amoro, et discernere possit quæ virtus sit spiritus, quæ carnis, ne indiscrete cuncta peragens, ibi bonum eligere speret, ubi tota est malitiæ norma ut est illud : Qui non fuerit discipulus veritatis, erit magister erroris.

3. Sed videamus quis hujus tantæ sororis possit esse germanus per omnia Benedictus non solum nomine, sed opere, non solum in terris, sed etiam in cœlis. Ista non in philosophorum schola Scholastica facta, sed Christi, mundi ludibria ab infantia fugiens, cœlestem sibi sponsum aptavit : iste vero a pueritiæ suæ tempore abrupta vitiorum et litterarum mundanarum Romæ studia cernens, senili corde eum quem in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem. Quam felix Nursiæ tellus, tales quæ mittit alumnos ! Nam Canopica regna aurea mittunt tyrannos : tu Christo proles super æthera dignos. O felicia tantæ viscera matris, quæ tali germine soboles mundo dedere, id est benedictionis et sapientiæ. Vere ista est illa fertilis gleba, quæ sumpto semine aliud centesimum, aliud sexagesimum fructum produxit.

4. Sed cur semel in anno sancta soror veniebas ? forsitan longitudine itineris a tua tenera planta formidabas ? an munus parabas quod ferres ? an forsitan tantum et semel in anno fecundabat bonus frater rore verbi cœlestis, ut madefacta mentium prata sufficeret ad incrementum salutis ? an in mente habebas illud Salomonis, *Prohibe pedem tuum de domo proximi tui, ne forte satiatus oderit te ?* (*Prov.* XXVII, 6.) Et illud : *Mel invenisti, fili mi, comede quod sufficit tibi ne forte satiatus evomas illud ?* (*Prov.* XXV, 16.) Sic sic agant omnes sorores, non densis gressibus fratrum limina frequentent, non carnalia basia requirant, non ineptas resonent fabulas, non munus deferant tantum, quod tela depingit, vel magistra manus adornat : non olfactoriola, non variorum placentas saporum, sed cum Scholastica sacra Benedicti fratris requirite scholam, ut magis cibo cœlesti, quam dono terreno satiati, reverti ad propria queatis. Sequitur :

5. Ad quam vir Dei non longe extra januam in possessione monasterii descendebat. Quam sanctus, quam pudicus, quam discretus accessus ! ut fragilis sexus non lascesseret, obvius frater occurrit, ne forte labor itineris frangeret mentis devotionem. An illicitum cernebat, ut in tanti limen Cœnobii calcari femineo pede debuisset ? an forsitan sæcularium latratus vitabat, qui bonos monachorum mores canino more devastant, et hoc credant in illis quod suis malis actibus agere non recusant : et si hoc de tanto Patre sperare illicitum esset, de tenerioribus discipulis inflato gutture crisparent cachinnos ? Idcirco non in secularium, sed in propriis possessionibus descendebat Pater almificus. Sequitur :

6. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum discipulis venerabilis ejus frater descendit. Ex more enim venit, quia ex bona consuetudine mentis appropinquabat, et fide non ficta. Quam sanctus accessus, quam sanctus adventus, quam pius cursus, qui magis amore mentis currebat ad Christum, quam devotione pedum ad fratrem, imo et ad Christum fratrem ! Nam et ipse dicit : *Si quis fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror et mater est* (*Matth.* XII, 50). Sed quali devotione ista currat, Psalmista dicit : *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Psal.* XL, 2). Sed quare Psalmista metaphorice cervi proposuerit mentionem, ut ita currat anima ad Deum, ut cervus ad fontem, non vacua mysteriis

manent. Nunquid solus cervus et non columba, turtur et passer fontem requirunt ? Sed aliter cervus, aliter columba, ad fontis amnem recurrunt. Iste cursu pedum, ista aerio volatu descendi : iste insecutus frequenter arte venatorum lassabundus currit ad aquam, hæc vero infatigata solita accedit. Quod si mystice pensare volumus, invisibilis anima visibilis animalis habet formam, qua uno cursu fatigationis, hic pergit ad fontem terrenum, hæc ad fontem cœlestem : iste fatigatus vocibus canum, ista consecuta spiritibus malignis, pro quo ad fontem illum currendum est, qui est fons vivus, putens domus Jacob, ex quo aquæ vena salientis ebullit in vitam æternam. Certe tanta soror tali fide venit ad fratrem. Nam aliter æger, aliter sospes ad medicum vadit : iste ut sanus sanum visitet, iste ut languentem sanus procuret. Nam et ad fontem aliter sitiens festinat, aliter crapulatus a vino. Iste ut hausto refocillet mentem, ille ut recto itinere insitiens pergat. Soror vero ista in tanto fratre ambas gratias cernens, sapiente pede infatigata venit : prius, ut sana sanum visitet; sequenter, ut ægram non corpore, sed mente curet documento salutis, quia nec ipsa astra munda sunt in conspectu Dei, et secundum Apostolum, nec infans unius diei. Sequitur :

7. Qui totum diem in Dei laudibus sacrisque colloquiis, ducentes, incumbentibus jam noctis tenebris, simul accepere cibum. Beata talis visio parentum, præ oculis habentes Domini præceptum : *Primum quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, 33). Beata talia fercula, ubi prius ponitur panis angelorum quam hominum : et ubi prius refocillatur mens quam venter. Nam hic reponitur cibus, qui placere possit mensæ cœlesti : ibi vero esca manet, quam indigeries corporis mittit. Et beatus sermo qui toto diei spatio protelatur laude divina, et qui a primo lucis ortu usque ad occasum, alternatim reciprocantur prædicamina sacrosancta. Sequitur :

8. Cumque adhuc ad mensam considerent et inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis femina soror ejus eum rogabat, dicens : Quæso te ne ista nocte me deseras, ut usque mane aliquid de cœlestis vitæ gaudiis loquamur. Ad mensam sedent, cibum sumunt, uno dente charitatis ruminant panem et colloquia sacra, ut unum esset os, quo terrenum panem frangerent, et cœlestem. Nam venter plenus cibo, mens erat adhuc jejuna verbo salutis : idcirco quasi famelica rogat, ut divinis cibariis mentem satiaret perjucundus cœlestis usque in lucem, ut qui fuerat luce diei magister, fieret etiam inter tenebras doctor herilis. Sequitur :

9. Cui ille respondit : Quid est quod loqueris, soror? manere extra cellam nullatenus possum. Ecce percontatur frater sororem, magister discipulam, sanctus sanctam, quasi non sciens quid dixerit soror. Sed ista inquisitio magis irascentis est, quam interrogantis, dum bene Pater audisset quod soror rogaverit. Tanquam si diceret : Non bene est hoc quod rogas, ut insolitus extra cellam maneam, quod implere minime possum. O sanctitatis amator, quare germanæ denegas quod etiam extraneis præbes ? sed hoc religio facit, non causa doloris. Scis Domini præceptum : *Qui diligit patrem aut matrem aut fratrem, vel sororem plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* X, 37). Ideoque ad assuetum recurris orationis locum, ubi magis Deo quam sorori solitus es adhærere. Sed præsumenti voce dicimus : Nunquid non Deus hic est ubi bona soror sacramenta Dei perquirit, cum ipse dicat : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum* ? (*Matth.* XVIII, 20.) Ecce non rogat, ut longo te tempore cernat more parentum, sed unius noctis spatium poscit, quo præbeas colloquia sacra. Quam dure attendis, sancte frater, preces sororis, ob tuæ causam sacræ religionis. Illa bene quærit, ut a te habeat, tu similiter ut redeas : illa fide tu fide : illa amore Dei, tu pariter ut illa : illa ut cum sorore in prædicatione tempus noctis exsolvas, tu ut cum fratribus solitas Domino referas laudes. Sed quis e duobus melius, sequens sententia monstrat. Tanta vero erat cœli serenitas, ut nulla in aere nubes appareret. Vere nulla nubes esse potuit, ubi erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sequitur :

10. Sanctimonialis autem femina cum verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit, et caput in manibus omnipotentem Dominum rogatura declinavit. Dic, virgo beata, cujus te schola docuit, quæ contra magistrum sententiam proponis ? Nunquid non dicit : *Perfectus omnis discipulus erit, si sit sicut magister ejus?* (*Luc.* VI, 40.) Et in Evangelio inquit : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* VI, 3) : et tu ambas manus innectis ? et illud : *Mittite in dexteram navigii rete* (*Joan.* XXI, 6), et tu utroque latere recte immergis ? ille a dextris oves collocat, tu etiam in sinistra ? Psalmista hinc a dextris ponit dicens : *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis* (*Psal.* CIX, 1) : nec non *dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me* (*Psal.* CXVII, 16) ; et in Cantico : *Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute* (*Exod.* XV, 6), etc. ; et tu ista derogans, non solum manus implectis, sed etiam digitos inseris ? Dominus dicit in Evangelio : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum* (*Matth.* VI, 6) : et tu ad cœnam sedens, ante humanos oculos preces lacrymasque fundis ? Sed quam laudanda sunt tua facta, o sanctissima feminarum ! Quid tu in conclavi facis, quando talia patenti cœlo peragis? Nam ideo tibi una est dextra lævaque pars, quia fabricam attendis illius, qui nullam habet sinistram, ut dicit : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I) : Et in Cantico canticorum *Læva ejus sub capite meo et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* I). Et in Psalmo : *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, plasmavere me* (*Psal.* CVIII). Et illud in Cantico : *Manus meæ stillavere myrrham* (*Cant.* V, 5).

Hac quippe auctoritate quam pulchræ tuæ manus complexæ consistunt, super quas caput reclinans, imbrem cœlitus lacrymans effudisti. Sed quod caput, Apostolus dicat : *Caput mulieris vir, caput viri Deus* (*Zach.* VI, 12). Nam cujus viri nisi illius, unde Prophete dicit : *Vir Oriens nomen ejus?* (*I Cor.* XI, 3.) Ecce ille qui pro salute omnium in cruce inclinato capite tradidit spiritum, suo capite nunc tuas declinavit in palmas, ut sui mysterii quod mente quærebas arcanum, tibi manaret ab astris. Quæ tantum insertis digitis egisti miraculum, quid faceres si palmas extendisses ad preces? Cumque levaret de mensa caput, tantæ coruscationis et tonitrui virtus, tantaque inundatio pluviæ erupit, ut neque venerabilis Benedictus, neque fratres qui cum eo aderant, extra loci limen quo consederent, pedem movere potuissent. Quam nova miracula mundo, quam cunctis laudanda præconia sæclis! ubi nulla erat umbra nubis, aer intonat clamoribus omnes : et densa tonitrua sonant, ubi nullius erat concussio venti. Nam unus fons oculorum, et mensam rigabat lacrymis, et æther imbribus arva. Stet nunc sancta charitas fixa, stent immobiles pedes fraterni : quod soror poscit, non deneget dilectio fratris : da, volens nolens, pernox sacra colloquia, Pater. Ecce ista præceptum Domini complet, petit ut accipiat, quærit ut inveniat, pulsat ut aperiatur ei. Quid petit, ipsa dicat. Ut usque mane aliquid de cœlestis vitæ gaudiis loquamur. Nam ideo descendisti obvius, ut ista dona proferres : perfice quod cœpisti. Nam non initio præmium exstat, sed in fine operum bonorum. Idcirco e superis fudit Dominus imbrem, ut tu non deneges prædicaminum amnem. Vere non poscit munus caducum, sed regni cœlestis expetit lucrum. Sequitur :

11. Sanctimonialis autem femina, caput in manibus declinans, lacrymarum fluvios in mensa fuderat, per quos serenitatem aeris et pluviam traxit : nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est : sed tanta fuit convenientia orationis et inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitru levaret, quatenus unum idemque esset momentum, et levare caput et pluviam deponere. Quam bonus Deus Israel rectis corde, quam piæ animæ quærenti illum? Ecce qui scrutator est mentium et corda omnium cernit, qui per Psalmistam dicit : *Invocabit me et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione* (*Psal.* XC, 12) : ecce non distulit, non multas expedivit preces, sed in ictu oculi et puncto cordis petenti tribuit donum. Nam levato de manibus capite, una fuit convenientia orationis et inundationis. Gaude et lætare, virorum sanctissime, quia ecce tenes quod voluisti, ecce habes quod semper quæsisti : ecce miracula cernis insignia, cœlo terraque probata. Vere si non negasses quod expetebas, non fuerant signa humanis oculis nata, quæ toto semper mundo

A lectio sacra sonat. Ecce jam Scholasticæ nomen virtutum laude coruscat : ecce illius miraculo plebs sancta congaudet : ecce quam cultasti sarculo cœlesti, fructus fert signorum. Sequitur :

12. Tunc vir Dei inter coruscos tonitrus atque ingentis pluviæ inundationem, videns se ad monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus, dicens : Parcat tibi omnipotens Deus, soror, quid est quod fecisti? Quare quæris, vir Dei, quid soror fecerit? Nunquid non cernis quid ipsa fecerit? Nunquid non vides pluviæ guttas? Nunquid non audis concrepantes mugitus ætheris? Nunquid non sentis miracula coruscare, signa fluere, fundamina domus contremiscere, et dicis quid fecisti? Nunquid ipsa hoc fecit, quod magis tua sancta negatio fecit : B quia si non negasses, miraculum non eveniret. Hoc Christus gessit pietatis amator. Nam petenti Chananeæ mulieri preces audire distulit, ut ejus fidem faceret acutiorem, ut quærenti catello micas, filii daretur panis. Sed illa ut extranea a finibus tunc venit, jam non extranea a consortio Christi : ista vero a cunabulis Christo dicata, cum Maria gloriosa Virgine audire meruit : *Optimam partem elegit* (*Luc.* X, 42). Et quare Pater contristatus dicis : Parcat tibi omnipotens Deus, soror, quid est quod fecisti? O vir Dei, tibi hominum mentes patescunt, tibi aer numismata fundit, tibi arida dolia oleum manant, tibi alta profundi laci ferrum reducunt ab imo, ipsi inferi animam reddunt, et nunc quasi contristatus nesciens dicis, quid fecisti? O Pater beate, si fas est dicere, quantum fuerat justius dicere, C Parcat mihi omnipotens Deus, qui tuas bonas non audio preces : quam diceres. Parcat tibi omnipotens Deus, quid est quod fecisti? Hoc est illud Salomonis, *Argue sapientem et diliget te* (*Prov.* IX, 8). Sequitur :

13. Cui illa respondit : Ecce te rogavi, et audire me noluisti, rogavi Dominum meum, et audivit me. Subaudiatur : Te quidem rogavi ut fratrem, sed tu ut germanam noluisti audire. Sperabam ut mente haberes viscera matris, partus dolorem, lacteas mammas, cunas nutricis, lavacra obstetricis, fascias temporales, quibus infantia olim nutrivit. Sed tu me noluisti audire, et magis festinabas ad fratres, quos tibi sola charitas Christi facit germanos, quos etiam nescis a quo limite ad tua cunabula hos mundus transmittat. D Idcirco rogavi Dominum meum, et audivit me. Tu non attendebas quod unus pater amborum contulit membra, tu non cernebas unam nobis mansionem [a] esse [*al.* fuisse] inter uteri septa : idcirco ad illum patrem cucurri, qui nobis animam dedit, qui terrena tribuit, et cœlestia non denegavit. Modo ergo si potes, egredere, et me dimissa, ad monasterium redi. Modo enim præsentis est temporis : modo enim, quando tibi omnipotens Deus itinera

[a] Erant ergo gemelli Benedictus et Scholastica, uno scilicet partu editi : non enim una iis alicubi mansio est, qui sibi in eumdem locum post intervalla succedunt. Trithemius in lib. I, de Viris illust. Ord. S. B., c, 1., de Abundantia eorum matre agens : Hæc, inquit, periclitata in partu geminos edidit, filium scilicet Benedictum, et filiam nomine Scholasticam.

clausit : modo, quando aditum eundi denegavit : A modo, si potes, me dimissa, ad monasterium redi. Et cur, Pater, fatigaris? Nunquid non hic est monasterium ubi tu es, qui caput es omnium monasteriorum, et doctor omnium monachorum, dum non locus hominem, sed homo sanctificet locum? Sta nunc, Pater sanctissime, invitus, ut alterius diei sol tibi præbeat gressus. Sequitur :

Ipse autem exire extra tectum non valens, qui manere sponte noluit in loco, mansit invitus. Quam multis sanctis viris factus es vir Dei compar, qui inviti fecerunt bonorum facta. Nam Jacob invitus fratrem fugit, qui postea rediit cum multis. Sic Joseph invitus pergit ad sedem, ut doctor fieret populo Dei. Sic Daniel vadit Babylonam ad arcem, ut primus fieret sapientibus cunctis. Sic Saulus invitus B factus est Paulus, ut fieret gentium prædicator. Ideoque tua non requiescat charitas, sancte vir, stare invitus, ut Christi tribuas documenta salutis. Sequitur :

14. Sicque factum est, ut noctem totam pervigilem ducerent, atque per sacra spiritalis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent. Ecce nunc nova spiritalia gaudia surgunt, quia negans prius, factus est nunc attributor cœlestis : et colloquiis sacris vicaria relatione se satiant, qui prius erant a concordia discordes. Quanta sunt omnipotens tua mirabilia, Deus! Nam omnia proba voluisti, fecisti, et non est qui resistat tuæ majestatis potestati. Ideoque laudant te cœli, aer, terra, mare, et cuncta quæ in eis sunt : quia semper innovas signa et mirabilia C tua, ut te totus orbis agnoscat suum esse Redemptorem. Da jam plus pio Patri Benedicto iter redeundi ad cellam, stringe aerium amnem, tolle pluviæ guttas, da serenitatis solem, ut qui lætus accessit, gaudens recedat : ut simul ejus soror valedicens fratri, ad propria revertatur, ut simul gaudentes et exsultantes, tuo de munere ad sua tecta vehantur. Sequitur : Qua de re dixi eum voluisse aliquid, sed minime potuisse : qua si venerabilis viri mentem aspicimus, dubium non est, quod eamdem serenitatem voluerit, in qua descenderat, permanere : sed contra hoc quod voluit, in virtutes omnipotentis Dei ex femineo pectore miraculum invenit. Nec mirum quod plus illo femina, quæ diu fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit : quia enim juxta Joannis vocem, *Deus charitas est (I Joan.* IV, 16) : D justo valde judicio illa plus potuit, quæ plus amavit. Brevi sermone de his disserendum non est. Nam secundum grammaticos, charitas media species est, dum inter bonos et malos charitas esse possit, et inter latrones et pios : ut est illud : *Perfecta charitas foras mittit timorem* (*ibid.*, 17). Certe si perfecta est ista, quæ inter bonos foras mittit timorem : imperfecta nihilominus fore creditur, quæ inter malos ac superbos nequitiæ concordiam præstat. Sic in passione Domini Pilatus Jesum mittens Herodi, a quo Jesus ad Pilatum iterum remissus, amici facti sunt Herodes et Pilatus in ipsa die : nam antea inimici erant ad invicem. Sed hæc est perfecta charitas quæ Deus est, qua hic plus una potuit quam alter : de qua dicit Apostolus : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Sequitur :

15. Cumque die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasterium rediit : et ecce cum post triduum in cella consistens, elevatis in aera oculis, vidit ejusdem sororis suæ animam de ejus corpore egressam, in columbæ specie cœli secreta penetrare. Quam felices sunt oculi qui animas possunt contemplari beatas, qui carnali intuitu spiritalia cernere queunt? Ista luminaria non adjacent in fundamine frontis, sed intus renitescunt ad cordis fenestras de quibus dicit : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et sicut columbæ ad fenestras suas?* (*Isa.* LX, 8.) Ecce jam, Benedicte Pater, ista columba ad tuas jam, cordis volat fenestras, ut tuæ sororis anima per eas transiens, ad cœlestem illam deferat portam : ut illa fieret ductrix animæ tantæ, quæ fuit avis quondam portatrix ad arcam reddita pacis. Quam felix ales talibus mysteriis compta, quæ meruit etiam super Dominum Christum Spiritum sanctum ferre! Ista frequens obsequiis instat Regis æterni, ista assuetis pennis deargentatis auro dorsa refulgens, paradiso nuntia defer. De hac in Cantico Canticorum dicit : *Surge, amica mea sponsa, et veni : columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ* (*Cant.* II, 14). Sequitur :

16. Qui tantæ ejus gloriæ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis et laudibus gratias egit, ejusque obitum fratribus denuntiavit. Denuntiavit enim sanctus Pater fratribus, quod meruit sacro intuitu cernere secretum : et talibus congaudens votis, omnipotenti Deo gratias egit, quia quam ante triduum rore verbi cœlestis perfuderat, ad ætherea regna in columbæ specie scandere cernit. Sequitur :

17. Quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad monasterium deferrent, atque in sepulcro quod sibi ipse paraverat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in Domino fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret. Ecce, fratres, margarita cœlestis a negotiatore dudum empta, aptatur cœlestibus ornamentis, jam inter lilia candentia pascens, sequitur Agnum quocunque ierit. Ecce in paradiso Domini ab angelis collocatur, ecce in terris monachorum manibus aptatur in tumulo fratris, ut munus quod una mater contulit, nec cœli janua, nec terræ sepultura separaret : et quibus una fuit semper meus in Christo, una esset corporum arca. Ecce reparata sunt tua damna, paradise. Ecce virgo Dei manu formata, quam de tuo pestifer hostis, abstulit loco, jam redit ad culmina cœli, jam recognoscit sui palmam structoris; jam quia victa fuit, victrix calcat hostis colla maligni. Dic, dic, inferni minister, dic, tartaree miles, dic, orcigenum genus omnium venenorum fraude repletum, quid tibi fecit plasma sanctissimum Dei, quid tibi nocuit femina

bene formate? Quave causa ultro te consiliarius injecisti, ut manducaret quod tuum non fuit? Dic, pestifer fur, quia non potuisti rapere partem regni Dei, ideo voluisti rapere per serpentem creaturam Dei imo qualis Dominus, talem famulam mittit. Tu serpens lubricus, ille serpens tortuosus; tu omni dolore plenus, ille omni veneno; tu mortis consilia dans, ille suis organis sibilans, mortis consilia propinat. Nunquid non potuisti in paradiso Dei aliud animal invenire, quod tuis votis concordaret, nisi serpentem? Vere non. Tu callidior angelis sanctis, ille callidior animantibus cunctis; tu bonus in cœlo formatus es, sponte malus effectus es; ille bonus in paradiso creatus est, per te reus, effectus est. Virgo Dei, plasma Dei, femina Dei bona creata est, per te et serpeutem illicita gustando effecta est peccatrix. Qui demens de his tibi profuit? Tu tibi perpetuos ignes cumulasti, ille terram comedet cunctis diebus: tu catenis igneis illigatus; ille omnium ira premitur, calcaneis tunditur, verberibus flagellatur. Væ, væ per omnia vobis. Ecce femina reparata est sanguine Christi, ecce pro amissione terreni paradisi, illa nunc culmina cœli retinet, unde præceps ruisti. Versum est fel tuum in dulcedinem mellis, fraus maligna tua in reparationem omnium et salutem. Perforata est maxilla gutturis tui, neminem mordens, neminem vorans sine Deo volente. Et si quem voraveris, pietate Dei præfocatus cum sanguine rejicies illum, et de visceribus tuis abstrahet illum Deus.

18. Gaude jam, virgo Dei, tantis sublimata triumphis; exsulta, Benedicte Pater sanctissime Patrum, doctor dulcissime doctorum: quia, consummatis operibus sanctis, pariter congaudetis super regna cœlorum. Intercedite pro vobis commissis, postulate pro nobis afflictis, rogate pro nostris delictis, poscite Christum non solum pro monachis commissis, sed etiam pro vestris ancillis, ut omnis ætas, omnis sexus, omnis Ordo, qui vestris præceptis colla submittunt, peritura mundi despiciant, gaudia æterna concupiscant, regna beata appetant, prospera animarum et corporum percipiant. Nulla diabolica fraude molestentur, nullis incursionibus malignorum affligantur, nullisque calamitatibus annihilentur. Euge, Pater beate, fave precantibus, appone aures precibus famulorum tuorum, da veniam poscentibus, da dona quærentibus, parce peccantibus: quia tu pastor es, nos vero oves, audi tu balatus ovium tuarum, trahe nos post te, ut veniamus ad te, ut illic vera pascua inveniamus, ubi sunt vera gaudia sempiterna. Redde Deo talenta cumulata de nobis, reporta cum usuris credita dona doctrinarum, meque indignum hujus operis præsumptorem, tuis conjunge servulis sacris, ut cum omni grege commisso vitæ præmia assequamur, ut tibi dicatur a Deo: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra cum his omnibus tibi creditis in gaudium Domini tui, præstante ipso qui digna promittere gaudia dignatus est suis famulis, qui vivit et regnat per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

QUOMODO PER ANNUM JEJUNANDUM SIT.

cript. cod. Cassinensi, apud Mabill., tom. I Annal. ord. S. Bened., pag. 784.)

Quatuor tempora, quatuor sunt legitima jejunia in anno, scilicet mensis primi hebdomada prima, feria quarta et sexta et sabbato in duodecim lectiones jejunandum usque ad vesperum. Mensis quarti, id est Junii, hebdomada secunda, feria quarta et sexta et sabbato in duodecim lectiones jejunandum usque ad nonam. Mense Septembrio, id est mensis septimi hebdomada tertia, feria quarta et sexta et sabbato in duodecim lectiones jejunandum usque ad nonam. Mense decimo hebdomada quarta, feria quarta et sexta et sabbato in duodecim lectiones jejunandum est usque ad vesperum. Ista duodecim legitima jejunia per annum exusant pro peccatis centum solidos in auro cocto. Cumque studiose hæc duo ...... no pellit ... liberabit.... animam. Extra ea jejunia, quæ Prior indixerit pro quacunque tribulatione.

De reliquis jejuniis.

In vigilia sancti Matthæi et Natalis Domini et Epiphania jejunandum usque ad vesperum. In vigilia Ascensionis Domini, Pentecostes, et sancti Joannis Baptistæ, et sancti Petri, et sancti Laurentii, et sanctæ Mariæ; in vigiliis harum festivitatum semper jejunandum est usque ad nonam, et expleta missa reficiant. Si nominatæ vigiliarum reliquiæ die Dominico occurrerint, non licet jejunare. Octava Natalis Domini, octava Epiphaniæ, Purificationis sanctæ Mariæ, sed et sanctæ Scholasticæ, sanctorum Faustini et Jovitæ, sancti Germani, dedicatio sancti Benedicti sursum, et dedicatio Domini Salvatoris et sanctæ Mariæ deorsum. In istis omnibus festivitatibus non jejunatur usque ad vesperum, nisi si evenerit sanctæ Scholasticæ, aut sanctorum, Faustini et Jovitæ, vel sancti Matthiæ apostoli in quinquagesima, aut in quadragesima. Quod si evenerit, sic agatur sicut in aliis sacris jejunii diebus. Nam officia ut reliqua omnia de supra scriptis festivitanbus ita agantur, quomodo diximus, sicut et in Dominico die. In sancti vero Gregorii et sancti Benedicti, et Annuntiatione sanctæ Mariæ duodecim lectiones fiunt, et genua in oratione fratres non

flectunt, sed jejunium usque ad vesperum observant; tamen post vesperas refectionem faciunt de cotto et vino. In sancti Stephani et sancti Joannis evangelistæ, et in feria secunda, et in feria tertia post Pascha, novem quidem lectiones faciunt; nam missa ita agitur, sicut in die Dominico. In istis omnibus supra scriptis festivitatibus semper ad matutinum *Dominus regnavit* canitur, et genua non flectuntur, et capitulum et lectio ad seram non leguntur. Nam in aliis omnibus sanctorum novem quidem lectiones faciunt, matutinum et missa ita agitur, sicut in quotidianis diebus, genua flectent, jejunium observent usque ad horam statutam; *Miserere mei, Deus*, ad vesperas et matutinum et ad primam non cantent: nam cæteris horis cantatur, præter si in Dominico die venerit, si contigerit, celebratur sicut Dominica. De divisione matutini et nocturni ita agitur. A Kalendis novembris usque in vigiliam Cœnæ Domini, sicut sanctus Benedictus prædestinavit. Præterea in vigilia Natalis Domini, et in omnibus sanctorum et Dominicis diebus, quod minime licet dividere. A Natali Domini usque Epiphaniam genua non flectuntur: *Miserere mei, Deus*, in oratione publica ad nullum officium cantant usque in octavam Natalis Domini. Similiter a Pascha usque octavam Pentecosten; postea vero cantent. De refectorio autem omnia adimpleri debent, sicut sanctus Benedictus dicit, sive æstatis, sive hiemis, sive quadragesimæ, omnia secundum tempus suum. Præter quod consuetudo est, sive sursum, sive deorsum, ut non reficiant ad nonam, usque dum vindemiaverint. Cum autem liberi a vindemia fuerint, statim ad nonam horam reficiunt, et post vesperas gustum manducant, et bibunt iterum, quod in regula non est scriptum. Similiter et quinquagesima post refectionem secundum consuetudinem, antequam lectio legatur, tota hebdomada bibunt, quod nec istud in regula dicitur. Quando autem mandatum faciunt, si Dominus abundantiam vini dederit, semper bibunt; si autem exiguum fuerit, abstinebunt.

ANNO DOMINI DCCCLXXXIV.

HARMOTUS

SANGALLENSIS ABBAS

INSCRIPTIONES IN TEMPLO SANCTI OTHMARI

(Apud Canisium lect. antiq.)

Templum sancti Othmari pingi fecit Harmotus abbas, atque in pariete uno pingebatur Sapientia, cum hoc Patrum elogio.

O generosa parens, cunctis gratissima doctis.
O decus imperii, rectrix dignissima mundi,
Soleque splendidior, fulvo pretiosior auro
Quam præclara nites toto, Sapientia, mundo.
Aspice quam pulchro decorata est ordine mater
Natarum, clare dives Sapientia fulgens.

In pariete altero septem Sapientes.

Continet hic paries veterum monumenta sophorum,
Claro qui totum docuerunt tramite mundum.

In alia parte turba beatorum Deo assistentium.

Agmina sanctorum laudantia voce serena
Ante thronum Domini sistunt per sæcula cuncta.

In pariete super ostium.

Hic Deus est præsens puro poscentibus ore,
Dans miseris veniam, contritis corde medelam.

EPITAPHIUM GRIMALDI

AUCTORE HARMOTO

(*Hist. litt. de France*, tom. V, p. 404.)

Hic manet interius divinæ legis amator
Grimaldus humilis templum hoc qui condere jussit.

ANNO DOMINI DCCCLXXXVIII.

SANCTUS REMBERTUS

HAMBURGENSIS EPISCOPUS.

VITA SANCTI REMBERTI

AUCTORE ANONYMO, EJUS ÆQUALI.

(Apud Mabill. Acta SS. ordinis S. Bened.)

PROLOGUS.

Scripturi Vitam cum omni semper veneratione memorandi Remberti pontificis, et quæ officii ejus primitus occasio fuerit, aut quem ad hoc institutorem vel conversationis profectum habuerit, seu qualiter ad hoc electus deinceps vixerit, in quantum hæc comperimus, fideliter enarramus.

CAPUT PRIMUM.

Cum imperator Ludovicus Regni Francorum monarchiam teneret, auctori sublimationis suæ Deo talem devote vicem reddere curavit, ut ecclesiæ Dei in regno ejus constitutæ decenti vigori proficerent, servorum quoque et ancillarum Dei status cum honoris incremento latius excresceret. His ejus assiduis meditationibus ex divina inspiratione subintravit etiam memoriam, qualiter serenissimus pater suus Carolus cognomento Magnus, gentem Saxonum eotenus, infidelem ad fidem Christi converterit, usque ad huc ordinatis per ipsam provinciam sufficienti numero episcopis, et sedibus eorum provide distributis, extremum ad plagam aquilonarem ejusdem provinciæ partem ad hoc reservaverit, ut ibidem archiepiscopalis constitueretur sedes, unde prædicatio verbi Dei finitimis fieret populis, Sueonum, Danorum (a Norveorum, Farriæ, Gronlandan, Islandan, Scridwndan), Slavorum, necnon omnium septentrionalium et orientalium nationum quocunque modo nominatarum, qui paganicis adhuc erroribus involvuntur.

CAPUT II.

Sed ad hoc opus constructa est tantum et dedicata Hammaburgensis ecclesia in confinio Danorum et Slavorum, in extremis videlicet partibus Saxonum inter eos qui dicuntur Nordalbingi : et una cum incolis locorum eadem ecclesia jussu ejusdem A gloriosi imperatoris Caroli ad gubernandum est presbyteris commissa, donec opportuno tempore, deputatis prius ad locum episcopalibus sufficientiis, archiepiscopum faceret ibidem consecrari. Ipso autem ante hujus effectum voti ex hac vita sublato, piissimus filius ejus jam dictus Ludovicus cum fidelibus suis hanc ejus intentionem retractans, Ansgarium summæ sanctitatis virum, ut pater decreverat, privilegii archiepiscopalis et ordine et nomine sublimari, et jam dictæ novellæ ecclesiæ rudibusque adhuc in fide populis rectorem, ac gentibus, ut dictum est, necdum fidelibus erogatorem verbi divini fecerat ordinari. Cujus a pueritia in Dei timore conversationem, vel cum ætatis processu virtutum incrementa, aut quantis indiciis divinitus præmonstratum sit B pontificatus et prædicationis ejus officium, et quomodo per sedis apostolicæ privilegia ejus sit omnis causa munita, studiumque ejus et profectum in lucrandis Deo animabus, quas vel in fide roborare, vel de paganismo ad Christianitatem producere quotidie satagebat, quisquis scire cupit, legat libellum vitæ ejus, et quantæ sanctitatis vir ipse fuerit perpendet. Nos nunc de ejus sanctitatis imitatore simul et dignitatis successore Remberto scripturi, qualiter primo ei cognitus sit et consequenter ascitus, hinc jam sequi incipiamus.

CAPUT III.

Cum jam dictæ noviter institutæ Hammaburgensis ecclesiæ termini essent angusti, et ad tantum officium C quod episcopo ejus injunctum diximus, sumptus ex illius pertinentiis collecti non sufficerent, ipsosque etiam qui provenire possent reditus, frequens hostilis irruptio di iperet ; ne per hoc vir Dei impediretur a prædicationis officio, quod in gestis ejus legatio ad gentes vocari solet, memoratus imperator Ludo-

a Inclusa parenthesi inserta videntur a posterioribus, ut notatum est in Vita sancti Anscharii.

vicus quamdam in Gallia cellam, *Turholt* [a] vocatam, eidem legationi tradidit perpetuo servituram. Quodam autem tempore domnus pontifex ibidem degens, aspexit quosdam pueros ad ecclesiam cum joco et inanibus festinare discursibus : quorum quidam inter cæteros pene minimus graviter incedens, et pueriles levitates sollicite devitans, orationem cum reverentia et timore peregit, surgensque signo crucis frontem munivit, et quasi maturioris esset ætatis, suam per omnia continentiam exhibuit. Animadvertit ergo vir Dei sacram religiosi pueri infantiam divinæ jam servitutis amore flagrasse ; accitisque ad se parentibus ejus, et nomen pueri quod Rembertus vocaretur, edidicit, et consensu eorum accepto, tonsuram ei et ecclesiasticum habitum imposuit. Sicque eum ibidem paterna sollicitudine commendans, studiose erudire præcepit : paucisque diebus ibi transactis inde discessit, et suscepti pastoralis officii, suæque ad gentes legationis instanter operam egit.

CAPUT IV.

Post hæc puer jam Deo dilectus magis magisque in gravitate proficiens, et discendis liberalibus disciplinis ardenter instabat, et inter hæc orationibus cæterisque bonarum rerum occupationibus assuetus, in paucis annis omni maturitate et scientiæ et virtutum perfectus enituit. Et jam tunc juxta Psalmistam concaluit cor ejus intra ipsum, et in meditatione ejus exarsit ignis (*Psal.* XXXVIII, 4), invenire cupiens quid ei in hac vita consistenti exsequi maxime prodesset. Cui talia meditanti occurrit, juxta quemdam sapientem, primam philosophiæ definitionem meditationem esse mortis, idque toto pectore hausit, ut omni vitæ suæ tempore hanc summam sapientiæ consequi mereretur : quatenus tempore mortis suæ de neglectu præmeditationis ejus non constristari, sed potius per observationem Scripturæ monentis ac dicentis : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* VII, 40), quantum humanæ conditioni possibile esset, de peccatorum vel cautela vel remissione securus lætificari mereretur.

CAPUT V.

Venerandus igitur præsul, qui eum divino mancipavit servitio, sicut in gesti vitæ ejus legitur, quæ illi ventura vel ab ipso gerenda erant, pene omnia, vel per somnium, vel per intimam revelationem in mente prænoscere et præordinare solebat : quæ autem ipsa fuerit intima in mente revelatio, scriptores vitæ ejus tale quid esse arbitrantur, quale in Actibus apostolorum sæpius replicatur (*Act.* VIII, 10 et 11) : Dixit autem Spiritus illi, vel illi discipulo. Unde non est diffidendum, quod vir Dei, non ex eventu, sed divinæ admonitionis attractu, quem occultiori sensu, utpote vir spiritalis, in anima percipere solebat ; hunc felicem de quo loquimur puerum cum tantæ paternitatis affectu divinis asciverit ministeriis : quin potius in tenore conversationis et modo, quo

A semper deinceps apud illum tractatus et habitus est verisimile videtur, quod evidenter a Deo illi sit revelatum, quia successor illi in episcopatu futurus fuisset. Nam cum primo in discendis artibus et disciplinis scholaribus districtio magistrorum ei remitteretur, quod usitata locutionis egressum de schola dicimus, mox eum domnus episcopus indivisibilem suæ legationis comitem esse constituit : venientemque de præfato in quo eum nutriendum commendavit monasteriolo cum gaudio suscepit, consciumque suorum in omnibus permiserat esse gestorum, quibus ipse Deo cum omni pietate, sive occulte, sive manifeste famulabatur.

CAPUT VI.

B Denique cum quadam die juxta morem simul assisterent ad orationem, jamque supplicatione finita egredi de ecclesia pararent, quasi secretioris gratiæ munus in discipulo pontifex agnoscens, eum his verbis alloquitur : « Oportet te, inquit, o fili Remberte, semper illi gratias agere, qui de turbidis sæculi fluctibus ad portum quietis te vocavit : ad quem quia video te indubitanter animum applicasse, fateor amoris tui me affectu flagrare, eamdemque dilectionem finetenus ex mea parte circa te durare non dubites. Cui ille respondens : Indignus sum, inquit, domine, tanta gratia tua : quia tamen hanc in me ostendis clementiam, meritis tuis apud Deum mihi obtineri deposco, ut in futura vita præmiorum tuorum consortium adipiscar. » Tunc sanctus epi-
C scopus, cujus mentem gratia Dei sæpius illustrari diximus, ad prænoscenda quæ illi futura essent, his verbis dignissimi Remberti nullum quidem ad præsens dedit responsum : tertia vero die transacta, ipso jam sollicitudine cogitationum fatigato, quare scilicet ad hanc petitiomem suam reticuerit episcopus, talem ei reddidit consolationem : « Jam, inquit, obtinui a Domino, ut in futuro sæculo, sicut petisti, ab invicem non separemur : ubi ita beatitudinis æternæ participes erimus, ne nostra nos virtute ad hanc pertingere posse præsumamus, quod est reatus superbiæ, per quam ceciderunt qui operantur iniquitatem : nec rursum desidia torpentes obliviscamur quod dicitur : *In Deo faciemus virtutem* (*Psal.* LIX, 14) : sed quotidie studeamus, ut bonum opus,
D sicut admonet beatus Gregorius, habeatur nobis in voluntate ; ac sic consequenter confidamus, quia juxta eumdem doctorem ex adjutorio divino erit in perfectione. » Si quem autem movet hanc trium dierum dilationem ad hoc responsum fecisse episcopum ; meminerit nos prædixisse, mentem ejus a gratia Dei ad prænoscenda futura sæpius illuminari, de quo tamen his ipsis quæ subjecta sunt verbis in Vita ejus ita scriptum habetur. « Ad omnia ergo quæ forte præcipua definire debebat, spatium cogitandi habere voluit, nec quidquam temere disponebat, antequam gratia Dei illustratus, ipse in mente sua sentiret quid melius esset : sicque superna vi-

[a] Turholtum in Flandria prope Brugas, Remberti natalis sedes, ut constat ex hoc loco. Falluntur proinde qui eum ex Frisia natum esse dicunt.

sitatione certificatus in mente, sine cunctatione quæ agenda erant, disponebat. » Hæc de Vita ejus idoneus inseruisse lector intelligat, ut ex hoc testimonio comprobaretur, nihil eum ad petitionem hujus sanctissimi discipuli sui Remberti respondisse, nisi quod in hoc tridui spatio menti ejus Spiritus sanctus infudit, juxta sententiam, quam etiam superius de Actibus apostolorum protulimus.

CAPUT VII.

Accedit etiam ad præsagium virtutum beati viri visio quædam de ipso revelato procuratori antistitis prima mox nocte adventus ejus Hammaburgum, cum ipse adhuc in prima ætate adolescentiæ fuisset. Videbatur enim eidem procuratori conpexisse se, ipsum Rembertum sedisse in fastigio oratorii, signumque ecclesiæ unum, quod nos cloccam vocamus, in cœlo apparuisse, a quo ligamen lineum, ut assolet, in modum funis demissum usque ad ipsum dependeret Rimbertum, per quod ipse idem signum hilariter traxisse, et sono ejus dulciter delectatus esse videbatur. Cui somnio congruam ex divinis Scripturis interpretationem reperimus (*Exod.* XXVIII. Præcipitur Mosi a Domino, ut inter alia vestis sacerdotalis mystica indumenta hæc etiam fiant : *Deorsum,* inquit, *ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum quasi mala Punica facies ex hyacintho et purpura et cocco bis tincto, et,* ut in sequentibus invenitur, *ex bysso retorta, mixtis in medio tintinnabulis.* Quare autem hic tintinnabula adjungi præcepta sint, inferius ostenditur : *ut audiatur,* inquit, *sonitus quando ingreditur pontifex sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur.* Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur : quia iram contra se occulti Judicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Quia igitur futurum erat, ut summo ecclesiæ gradu conscenso, vir Domini ornamentis spiritualibus eniteret ; ut etiam prædicationis officium insigniter egisse probaretur, recte in fastigio templi, quod significat apicem pontificalem, cum doctrinæ suavissimo et cœlitus attracto sonitu ad convocandam servitio divino sacram Christi plebem sedisset videbatur. Hoc enim in hujus ostensione visionis personans attractu ejus signum cœleste significare potest, quod in veste pontificis tintinnabula monstrare probantur. Qualiter etiam cætera, quæ de Scriptura sacra proposuimus, sacerdotalis habitus ornamenta spiritualiter in sese semper exhibuerit, ad profectum simul et imitationem legentibus exponere judicavimus. Malis utique Punicis utebatur, in quibus multa interius grana uno foris cortice teguntur : quia ipse semper multifariam virtutum operationem uno charitatis munimine undiqueversum tectam gestabat. Hæc autem mala Punica ex purpura et hyacintho et cocco bis tincto et bysso retorta erant, quæ cuncta illi aptissime conveniunt. Omni enim desiderio semper quærebat cœlestia, quæ per hyacinthum significantur ; pro Christi nomine usque ad martyrium paratus, quod intelligitur in purpura ; amore Dei et proximi flagrans, quod per coccum bis tinctum exprimitur. Et sicut byssus de terra eruta longo exercitio, siccandi, tundendi, purgandi, coquendi, et nendi, gramineum solet perdere, et candidum in se recipere colorem : ita ipse cum magno continentiæ labore quasi nativum exsudans humorem, ad decorem dignæ Deo puratis solerti jejuniorum et vigiliarum et orationum et lectionis ; patientiæ et humilitatis instantia pervenit. Quibus omnibus tintinnabula habuit permista : quia raro aliud ab illo quam prædictarum virtutum suavissimus sonitus audiebatur, qui rursum operum ejus sublimitate audientium mentibus commendabatur, sicut et sequens de illo hujus opusculi textus manifestius ostendet.

CAPUT VIII.

Cum adhuc esset in obsequio decessoris sui domni Ansgarii, apparuit ei presbyter Arnulfus jam diu defunctus, et percontanti de ejus causa in alterius sæculi vita dolenter respondit : Ego, inquiens, dum adhuc in carne essem, negligenter de animæ meæ agebam salute, gravitatem personæ meæ competentem non servans, otio sæpius vacans, et aliquando etiam in indicto jejunio carnem manducans, aliaque similiter interdicta in esca et potu frequenter usurpans. Pro talibus commissis indignus fui hactenus ad præsentiam Dei venire : sed si tua, ait, fraternitas pane et sale et aqua contenta, a cæteris victualibus abstinentiam quadraginta diebus pro me facere vellet, crederem me per Dei misericordiam ab hujus repulsionis meæ sententia seu pœna liberari. Cui cum ipse, ut ei videbatur, ita se facturum esse polliceretur, expergefactus de somno, mox ut episcopum alloqui potuit, visionem ei omnem exposuit : acceptoque ab eo consilio, toto quadraginta dierum spatio nullo alio cibo vel potu est usus, nisi pane tantum et aqua. Eodem tempore tanto dentium dolore vexabatur, ut ipsis sibi panem ad reficiendum commotis sustinere non posset. Quamobrem ipsum panem comminutatim terendo, seu manibus confricando in ipsam aquam commiscebat, et ad levamen dentium quodammodo instar pultis emolliebat. In quo etiam ad augmentum abstinentiæ, ea quæ in simplici decoctione panis esse possent, plurimum defecerunt, et vis scilicet alimenti, et suavitas ac delectatio saporis. Expletis autem diebus istius abstinentiæ, ipse presbyter pro quo hæc agebantur, per visum apparuit cuidam feminæ, quæ multis diebus paralytica jacebat, nomine Helahvih, cui longa quidem infirmitas membra gravavit ; sed tamen, ut de quodam beatus Gregorius [a] dicit, ipsa infirmitas eadem membra a bono opere non ligavit. Quotidie enim se ad ecclesiam deportari faciens, verbum

[a] Scilicet de Servulo, in homilia 15 in Evangelia, et lib. IV Dial. cap. 14.

vitæ ibidem delectabatur audire, hymnisque et laudibus, prout potuit, die noctuque vacare. Huic, ut dictum est, per visum apparens presbyter memoratus, famulo Dei Remberto gratias referri petivit de parcimonia pro ejus salvatione exacta, quam et in tantum sibi profecisse mandavit, ut abnegatum sibi prius ad conspectum Dei accessum et aulæ cœlestis introitum per hanc condonatum constaret. Ipse vero Rembertus inter eos, inquit, ascribetur, de quibus dicitur : *Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent* (*Sap*. III, 7) et de quibus Psalmista ait : *Ibunt de virtute in virtutem* (*Psal*. LXXXIII, 8). Istiusmodi visionibus vir Dei nisi unquam anima extolli solebat : sed per humilitatis tutissimam semper viam incedens, ita quodammodo quotidie virtutum gradus ascendit, ut sæpe dictum semper attendere videretur beatum Gregorium, disentem : « Unusquisque vestrum, fratres, magnus esse studeat, sed tamen magnum se esse quodammodo nesciat : ne dum sibi magnitudinem arroganter attribuit, amittat. »

CAPUT IX.

Quandiu ergo fuit in corpore vir Domini Ansgarius, iste servus Dei Rembertus præ cunctis familiarius illi in omnibus adesse solebat, de quo aliquoties nobis in hoc opusculo mentio incidit, et libellus gestorum præfati pontificis ab ipso Remberto alioque condiscipulo ejus editus testatur. In quo videlicet libro ubicunque commemoratio fit cujusdam fidissimi discipuli ejus, quod frequenter ibi lector inveniet, ipsum sciat fuisse Rembertum. Sed quia, ut diximus, ipse cum alio quodam editor eorumdem exstitit gestorum, idcirco veritatem rei, suppresso nomine suo, exprimere voluit, ne de se familiariorem gratiam jactanter proferre videretur. Sic enim et beatus evangelista Joannes in Evangelio suo fecit, ubi suam semper personam maluit indiciis rerum accidentium, quam proprio designare vocabulo. Quatenus autem in hoc devotionis loco cum episcopo familiariter sanctus vir Rembertus perseverarit, ex verbis præfati libelli cognoscitur, quibus de transitu domni episcopi ita commemoratur : « Percepta, inquit, Dominici corporis et sanguinis communione, sanctus pontifex Dominum deprecabatur, ut quicunque in eum quoquomodo peccasset, divina hoc ei pietas remitteret. Deinde versiculos istos cœpit frequentius repetere : *Secundum misericordiam tuam memento mei, tu propter bonitatem tuam, Domine* (*Psal*. XXIV, 7); et : *Deus, propitius esto mihi peccatori* (*Luc*. XVIII, 13) ; et : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum* (*Psal*. XXX, *Luc*. 23). Cumque hæc sæpius repeteret, et frequenti anhelitu jam ea frequentare non posset, cuidam fratri præcepit, ut hæc vice illius frequentando caneret : sicque oculis in cœlum intentis Domini gratiæ commendatum spiritum exhalavit. » Hic ergo quem vice sua verba orationis pro se frequentare præcepit, Rembertus fuit : cui in loquelæ suæ defectu voti sui verba commendans episcopus, per eum se compensare credidit, quidquid ipse minus orationum jam moriens peragere posset : quoniam et propter vitæ ejus meritum pro se illum exaudiri non dubitavit ; et quod ille fecit, non discrevit ab eo quod a se ipso factum fuisset : quia cor unum et anima una, unus spiritus et una fides erat semper in eis.

CAPUT X.

Denique cum infirmitate ipsa, qua de hac vita migravit, consilium quæreretur ab eodem domno Ansgario de successore ejus eligendo, et quidam etiam de Remberto quid ei videretur, inquirerent ; respondisse fertur, quod hoc sui non fuerit ministerii decernere, quia forsitan ipse in episcopatu multorum animos offensos haberet, quod emendare magis debuisset, quam per hoc motum ipsum animorum augere, quod ipse talem ad successionem personam denominaret, quæ fortassis incommoditate sua gravaret subjectos, et amaræ fierent propter hoc contra ipsum querimoniæ. « De meritis tamen, inquit, Remberti sciatur, quia dignior ipse archiepiscopali, quam ego subdiaconatus officio. » Hæc de se magnæ humilitatis intentione sanctus prosecutus est episcopus, tanquam verus observator ejus, quam et ipse olim in profectione habuit monachorum regulæ (*cap*. 7), dicentis : « Septimus, inquit, humilitatis gradus est, si non solum omnibus se inferiorem sua lingua pronuntiet monachus, verum etiam intimo cordis credat affectu, humilitans se et dicens cum Propheta : *Ego autem sum vermis et non homo* (*Psal*. XXI, 7). Solent enim sancti viri cum fortia agunt, de semetipsis vilia sentire, juxta quod de semetipso David coram arca Domini saltando regni sui potentiam despiciens dixit : *Ludam et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis* (*II Reg*. VI, 22) ; de quo et Apostolus admonet, dicens : *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes* (*Philip*. II, 2). Quorum prius, hoc est Prophetæ testimonium, beatus vir Ansgarius ita in se custodire solebat, ut de semetipso intus humilia sentiens, honorem exterius non requireret, quasi dicens : Ludam et vilior fiam ; nec rursum per hoc quod vilem se exterius præbuit, interius intumesceret, implendo potius quod sequitur : Et ero humilis in oculis meis, id est qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me interius attendo. Qua despectus sui intentione implevit etiam quod de Apostolo proposuimus ; ut omni contentione et inani gloria carens, per humilitatem sibi alios superiores arbitraretur : unde et superius est scriptum, quod potioris quam ipse esset meriti, beato viro Remberto tantopere dedit testimonium. Sed quanquam ipse humilitatis causa de sese talia dixerit, nostrum tamen non est quemlibet eorum alteri præponere,

sed æquales fuisse meritis credere, quos et unius fidei devotio, et ejusdem officii licet diversis temporibus administratio commendet æqualiter. »

CAPUT XI.

Quanquam igitur, sicut nunc diximus, sanctus pontifex non libenter aliis, pro offensa eorum vitanda, de successuro sibi aliquid referre voluisset; ne suam tamen pœne in omnibus conscium hac gratia in fine defraudaret, triduo ante obitus sui diem aperuit secretum suum viro Dei Remberto, quod post se deberet ad pontificatus apicem promoveri. Tum ille reniti cœpit ad tantum ministerium, nec viribus nec meritis se idoneum esse proclamans. Cui sanctus episcopus Dei dispositionem esse commemorans quod ipsi prædixit, competentes admonitiones adjunxit, quod suam voluntatem ad divinæ dispositionis judicium inflectere deberet, juxta illud beati Thomæ Domino dicentis: Dominus meus es tu, et ego servus tuus, fiat voluntas tua. Ad hæc glorioso Remberto reniti vel contraire constantia defecit, quando episcopum divinitus hæc accepisse sciebat. Nec ulla ambiguitas fuit clero vel populo inter plures de electione: sed ipso mox die depositionis domni Ansgarii Rembertum omnes concorditer elegerunt. Cum cujus concordiæ pacto, ad gloriosum tunc temporis regem Ludovicum adduxerunt eum viri venerabiles, Thiadricus Mindensis Ecclesiæ episcopus, et Adalgarius abbas monasterii novæ Corbeiæ: susceptusque ab eo honorifice, cum pontificalis baculi juxta morem a commendatione episcopatus est sortitus dominium. In chartis autem apostolicorum Romanæ sedis pontificum, a quibus privilegium archiepiscopale sancitur sedi quam tunc ipse suscepit, etiam hoc continetur [b], ut quia propter novellam ejusdem sedis institutionem, et necdum conversos ad fidem populos suffraganei non habentur episcopi, a quibus decedente uno alter archiepiscopus consecraretur; palatinæ interim providentiæ succedentium per tempora pontificum consecratio sit commissa, donec numerus suffraganeorum episcoporum canonice eum consecrare debentium ex gentibus suppleatur. Cum hujus ergo ad ordinandum eum tenoris insinuatione venerabilem Rembertum gloriosus rex direxit ad Liudbertum Mongontiensem archiepiscopum, a quo jussu ejus ita est consecratus, ut provide actum sit, quatenus in adjutorium consecrationis, non unius metropolis, sed quarum convenirent suffraganei, Liudhardus videlicet Paderburnensis episcopus, pertinens ad Maguntiam; et præfatus Thiadricus suffraganeus archiepiscopi Coloniensis: quos ita permistim adesse idcirco placuit, ut tam hujus consecrationis actio, quam etiam domni Ansgarii primitus ad sedem ipsam simili modo facta ordinatio, in signum essent futuris temporibus, quod ad nullam nominatim condiœcesitatem quorumcunque episcoporum pertineat ad hanc sedem consecrare episcopum, sed tantum, ut diximus, palatinæ hoc commissum sit prudentiæ, donec consecrantium numerus ex gentibus suppleatur.

CAPUT XII.

Habuit autem hic sanctissimus vir olim hoc votum de se factum, ut post discessum domni Ansgarii monachicum mox et propositum acciperet et habitum. Unde cum consilio consecrantium se pontificum, mox post ordinationem ad monasterium novæ Corbeiæ properans, vestem quidem illius promissionis ex integro suscepit, conversationis autem illius promissionem ita fecit, ut conversationem [c] suam, et stabiliatem morum suorum, et obedientiam secundum regulam sancti Benedicti exhiberet, in quantum labor et occupatio suscepti pontificatus permitterent. Et ut in hujus promissionis effectu veracius assuesceret, aliquem de fratribus ejusdem monasterii sibi præstari rogabat, cum quo, quia ipsi in monasterio esse non licuit, solatium haberet assiduæ inde meditationis et usum continendi se juxta moderamen regulare quod promisit. Ad quod ei deputari placuit insignem conversatione virum, gradu diaconum, nomine Adalgarium [d], germanum videlicet et æquivocum abbatis ejusdem monasterii, de quo supra diximus. Hic vir venerabilis in conversationis ejus imitatione simul et successionis dignitate adhuc hodie superest, cum multis aliis attestans, quia sanctus pontifiex, cujus vitam scribimus, nihil ex occasione curæ pastoralis de monachica perfectione perdiderit, adeo ut nullus etiam intra

[a] Hæc verba in gratiam imperialis investituræ intrusa fuisse tempore Henrici quarti censet Henschenius, hæc maxime ratione ductus, quod in primariis ecclesiæ Hamburgensis et Bremensis privilegiis nullum hujus rei vestigium apparet. Et tamen Adamus, Henrici æqualis, hæc privilegia pro investitura imperiali laudat his verbis capitis 28: *Pallium Rembertus pontificale suscepit a papa Nicolao, ferulam pastoralem a Cæsare* (scribendum lege) *Lutherrico, sicut in privilegiis dignosci potest.*

[b] Nempe in privilegio Gregorii papæ IV, in quo habentur ea quæ sequuntur in hunc modum: *Consecrationem vero succedentium sacerdotum, donec consecrantium numerus augeatur ex gentibus, sacræ palatinæ providentiæ interim committimus.*

[c] Sic libri editi apud Philippum Cæsarem et Bollandum. Erit forsan qui legendum putet, *ut stabilitatem, et conversionem morum suorum*, etc., convenienter ad regulæ nostræ caput 58, ubi hæc verba: *Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, et conversione morum suorum, et obedientia coram Deo et sanctis ejus.* Et hanc quidem professionis formam hactenus sequimur Benedictini omnes. Verum alio modo editam a Remberto fuisse professionem puto. Quia enim ejus dignitas non sinebat ipsum in monasterio persistere; tantum *stabilitatem morum secundum regulam sancti Benedicti,* non stabilitatem in monasterio, Deo vovit. Quo fit, ut rectam hujus loci lectionem existimem. Porro in hoc facto illud observatu dignum est, Rembertum nulla probatione facta ad professionem vitæ monasticæ admissum fuisse. Lege superioris tomi præfationem.

[d] Hinc paret Adalgarium, qui Remberto successit, non fuisse Corbeiæ abbatem, ut recte contra Letznerum notavit Henschenius.

ipsa monasteria viventium, instrumenta bonorum operum, quæ eorum regula commemorat (*cap.* 4), æque ut ipse observaverit. Cujus facta quidem vix a nobis explicari possunt : sed quotidianam ejus cum Deo conversationem, et animum cœlo semper intentum, nostræ tenuitas scientiæ nequaquam edicere vel saltem perpendere valet. Grave ducebat ullum tempus vacuum absque opere Dei transigere : sed orationi lectio, lectioni semper apud illum successit oratio : et si aliquid accessisset, quod eum ab oratione impedire videretur, semper tamen quæ justa sunt agens, sine intermissione sentiendus est orasse, ut beatus docet Augustinus : Illi, inquit, qui in divino versatur officio, omnia gesta ejus dictaque pro oratione reputantur.

CAPUT XIII.

Vigiliarum usum moderanter agebat : abstinentiæ modum ita exercuit, ut semper illi essent quotidiana jejunia, et refectio satietatem fugiens. In quo videlicet hoc attendebat, ut juxta beatum Hieronymum ita corporis frangeret appetitum, ut tamen ad lectiones et psalmodiam atque ad altaris ac pontificatus sui officium vires ei non deficerent. « Nihil enim prodest, ut ait idem Hieronymus (*epist.* 22 *ad Eustoch.*), biduo triduoque vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate jejunium. Illico enim mens repleta torpescit, et irrigata humus spinas libidinum generat. » Quod vir Dei, ut diximus, in se cavere volens, moderamen jejunii ita custodivit, ut Dominus in Evangelio Judæos arguens, quod nec Joannem jejunantem, nec ipsum manducantem et bibentem susciperent, subjecit dicens : *Et justificata est sapientia a filiis suis* (*Matth.* XI, 19); ostendens per hoc filios sapientiæ intelligere, nec in abstinendo, nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, et temperantiam per abundantiam non se corrumpendi, atque opportune sumendi vel non sumendi ea, quorum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est.

CAPUT XIV.

Quidquid vero etiam ad usus et sustentationes pauperum beatæ memoriæ decessor suus institutum habebat, in nullo hoc ipse disjecit : sed omnem curam et diligentiam adhibebat, ut omnia ad id statuta nullum suis temporibus caperent detrimentum, sed potius suo quotidie studio his aliquid adderetur. Erat enim pro indigentium levamine hospitale constitutum in episcopatu ejus, ad quod tanta subsidiorum sufficientia deputata est, ut nusquam copiosius vel sapientius hoc ipsum procuratum esse sciamus. Sed et extra episcopatum, ubicunque fuisset, semper constitutos habebat, qui pecuniam in saccellis ad dandum pauperibus gestarent : ipse-
A que ad hoc ipsum in zona sua marsupio cum nummis semper utebatur, ut si quando dispensator eleemosynæ suæ in adventu egentis deesset, ipse sine mora haberet quod daret. Inerat enim ei sollicitudo, ne quis talium a se sine levamine abcederet; suisque similia jugiter adhortationem faciens, dicere solebat : « Non tardandum est ut cunctis pauperibus succurramus, quia quis sit Christus, vel quando ad nos venit, ignoramus. »

CAPUT XV.

Interea juxta admonitionem beati Gregorii, etiam eleemosynam verbi incessanter agens, doctrinæ salutaris studio jugiter instabat, recolens quod idem ait doctor (*hom.* 6) : Plus esse ut verbi pabulo victura
B in perpetuum mens reficiatur, quam venter moriturae carnis pane terreno satietur. Hujus rei gratia excerptum legentibus utile de nibris sancti Gregorii fecit, et propria manu conscripsit, epistolasque non nullas ædificationis plenas ad diversos composuit, quarum una est ad quamdam Dei ancillam in monasterio quod dicitur Herisi [a] constitutum, cæterasque sorores ibidem in Dei famulatu consistentes. Hæc autem famula Dei, de qua loquimur, neptis erat venerabilis episcopi Liuthardi, cujus supra mentionem fecimus, qui se sancto viro cum omni devotionis affectu ita devinxerat, ut non solum ipse sanctitatis ejus amator existere, verum etiam omnes ad se quoquo modo pertinentes illi commendare studuerit, præcipue istam de qua loquimur ab infantia Deo oblatam, et in virginitate permanentem
C neptem suam, quæ et propria devotione promeruit, ut unicam dilectionis suæ filiam vir sanctus eam nominare solitus sit. Quæ licet nomen suum vitandæ jactantiæ causa palam nolit edici, ipsam tamen ad ædificationem sacris virginibus, quamvis tacito nomine ejus ad quam specialiter scripta est, hic ponere decrevimus epistolam ita se habentem [b].

« Charissimæ filiæ cæterisque virginibus et sponsis Christi REMBERTUS, gregis Dei vilis servulus, in Domino salutem.

» Frater Adalgarius nuper a vobis rediens, dixit mihi graviter vos ferre, quod parvitatis meæ litteras raro suscipiatis. Quod modo mihi emendare cupienti, quid scribere debeam, nihil convenientius occurrit, quam ut vos de vestræ sanctitatis commoveam pro-
D posito. Si igitur ad sublissimam gloriam vultis pervenire, omni virtute incorruptionem corporis ac spiritus excolere debetis. Interioris enim fotu ac pabulo puritatis, subministrari necesse est etiam exterioris hominis castitatem, eamque jugiter ad perseverantiam perpetuæ incorruptionis animari. Illæ namque sunt veræ atque incorruptæ virgines Christi, non quæ metuunt, sed quibus non libet fornicari. Quod donum, si per Dei gratiam adeptas vos

[a] Modo Nova Herisia, vulgo *Nienherse*, collegium canonicarum, trium horarum itinere ab urbe Paterbrunna, ex Henschenio.

[b] Abhinc capitulum 16 orditur Philippus Cæsar; at sequens epistola pertinet ad capitulum 15, ut patet ex Adamo, cui capitulum 16 est id quod post epistolam sequitur, integrum ab ipso relatum in cap. 29.

senseritis, quanto magnæ estis, ut sacra monet Scriptura, humiliate vos in omnibus, et coram Deo invenietis gratiam (*Eccli.* III, 20). Ea enim via pervenire debetis ad Christum Dominum et sponsum vestrum, quia ipse dixit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 20). Curandum itaque est, ut omni custodia mens servetur a superbiæ tumore. Non enim ante oculos Dei vacuæ transvolant cogitationes vestræ. Intus ergo videt Deus quod mentem elevat : et idcirco foris permittit invalescere quod deponat. Hinc quippe per Osee contra Israelitas dicitur : *Spiritus fornicationis in medio eorum, et Dominum non cognoverunt* (*Osee* V, 4). Qui ut ostenderet, sicut dicit beatus Gregorius, quod causa libidinis ex culpa prorumpat elationis, mox subdidit dicens : *Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus;* ac si diceret : Culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto respondebit. Proinde per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis. Si enim spiritus sub Deo premitur, caro illicite super spiritum non lavatur. Habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen sub Domino recognoscit jura legitimæ servitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit, jure et a subjecta carne prælium suscipit. Hinc est enim quod longa continentia repente solvitur, hinc quod plerumque et usque ad senium virginitas servata vitiatur. Quia enim negligitur humilitas cordis, rectus judex respicit etiam integritatem corporis. Et quandoque per apertum malum reprobos annuntiat, quos dudum reprobos in occulto tolerabat. Nam qui diu servatum bonum subito perdidit, apud semetipsum intus aliud malum tenuit, ex quo aliud subito erupit : ac per hoc omnipotenti Deo etiam tunc alienus exstitit, quando se ei per munditiam corporis inhærere monstravit. Hæc ergo, filiæ, non ideo scribo, quod in vobis quidquam de qualitate superbiæ vel vanæ gloriæ cognoverim : sed quia vos opto in illarum consortio esse, de quibus legitur, quoniam sequuntur Agnum quocunque ierit (*Apoc.* XIV, 4). Ubi multos cecidisse doleo, vos caute ambulare desidero, optoque ut dicat vobis Dominus et sponsus vester : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (*Cant.* IV, 7). Itaque sequimini hic Agnum in præceptis suis, ut ipso auxiliante illum sequi valeatis in æterna vita, cantando canticum, quod nemo potest dicere nisi chorus virgineus. Hæc pulchre beatus Augustinus virgines admonendo exposuit (Aug., *de sancta Virg.* cap. 27). Pergite, inquit, sancti Dei pueri et puellæ, mares ac feminæ, cælibes et innuptæ, pergite perseveranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitastis uberius : sperate felicius, cui servitis instantius : amate ar-

A dentius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis et lucernis ardentibus exspectate Dominum, quando veniat a nuptiis. Vos afferetis ad Agni nuptias canticum novum, quod cantabitis in citharis vestris, utique tale, quale nemo poterit dicere nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ cæteris dilectus Agno, qui discumbere super pectus ejus solitus erat. Ipse vos vidit duodecies duodena millia sanctorum citharœdorum illibatæ virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in corde. Sequimini Agnum, quia et Agni caro utique virgo. Sequimini eum virginitate cordis et carnis, quocunque ierit. Quid est eum sequi, nisi imitari? de quo beatus Petrus : *Christus*, inquit, *Jesus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia*
B *ejus* (*I Petr.* II, 22). »

Hanc epistolam ideo hic posuimus, ut legentibus appareat, quantum, sicut admonet Apostolus, studium habuerit ejus quæ secundum pietatem est doctrinæ, et quam potens fuerit in ipsa doctrina etiam alios exhortari.

CAPUT XVI.

Præterea legationis suæ officium, quod ad prædicandum gentibus verbum Dei primitus a decessore suo susceptum est, et postmodum sibi successionis jure quasi hæreditarium provenit, impigre exsecutus est, ipse quidem per se quoties occupationes aliæ sinerent, eidem legationi insistens; semper autem constitutos habens presbyteros, per quos et verbum Dei gentiles audirent, et solatium captivi Christiani
C haberent, ad ecclesias inter ipsos paganos constitutas longe ab ecclesia sedis suæ, quodque gravissimum erat, marinis discriminibus adeundas. Quæ discrimina ipse frequentius et abundantius sustinens, sæpe tanquam de se testabatur Apostolus, naufragium pertulit, sæpe in proximo erat ut cum eodem dicere posset : *Nocte et die in profundo maris fui* (*II Cor.* XI, 25). Sed profecto aderat ei Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renovaret de die in diem, et spe futuræ beatitudinis omnia præsentis vitæ aspera deliniret, et gravia relevaret. Consolabatur enim continua meditatione sermonis apostolici : *Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in vobis* (*Rom.* VIII, 18) : ac sic quæcunque fierent dura laboranti, mitescere solebant eadem pro-
D pter Christum sustinenti [a].

CAPUT XVII.

Ad redemptionem captivorum cunctis pene quæ habebat expensis, cum multorum adhuc apud paganos detentorum miseriam cernere cogeretur, etiam altaris vasa ad redemptionem eorum impendere non dubitavit [b]. In quo dum quibusdam minus sublimiter

[a] Omittit hoc loco auctor factum quoddam insigne sancti Remberti, in Observationibus prævius relatum, de victoria Frisonum in Nortmannos reportata meritis sancti Remberti.

[b] Hæc verba ex hac Vita refert Adamus in cap. 32, capite vigesimo mendose citato : et post hæc verba addit, Rembertum dixisse cum beato Ambrosio : *Melius est animas Domino, quam aurum servare. Pretiosa sunt ergo illa vasa, quæ animas de morte redimunt.* Lege librum I de Vita sancti Cæsarii episcopi Arelatensis, num. 17 et sequentibus.

intelligentibus non recte videretur fecisse, quasi ad alios usus redigeret quæ sacris erant deputata mysteriis, et a quodam interrogatus fuisset, quare ita faceret, justa ratione sciscitanti satisfaciens : « Non ignoro, inquit, res ecclesiastici officii digne esse tractandas, et sub magna fore obligatione ad hoc opus depositas. Verumtamen plus est apud Deum per hæc subveniri captivis Christianis in angustia constitutis, quam esse possit depositum ista custodiendi. Et si necessitas incubuerit duorum bonorum unum eligere et alio carere, oportet assumere quod est melius, et relinquere quod habetur inferius. Unde et ego, ait, cum nullum aliud habeo consilium, non impie ago, si Christianum, qui filius Dei est, cum thesauris ecclesiæ redimo : cum et semper invenire possimus, quod ad usum sacri sufficiat ministerii : irrecuperabile autem sit, si Christianus in captivitatis afflictione deficiat. »

CAPUT XVIII.

Exempli autem causa unum de hujuscemodi factis commemoramus, in quo non minus in potentia miraculi, quam in opere misericordiæ refulsit. Cum venisset quadam vice ad partes Danorum, ubi ecclesiam novellæ Christianitati constructam habebat, in loco qui dicitur Sliasvich, vidit multitudinem Christianorum catenatam trahi captivam : inter quas una sanctimonialis, ut eminus illum conspexit, cum genuflexione et crebra capitis inclinatione tam illum venerari, quam ejus misericordiam pro sua redemptione precari videbatur. Et ut eam intelligeret fuisse Christianam, elevata altius voce cœpit cantare psalmos. Episcopus autem miseratione commotus, divinitus eam adjuvari cum lacrymis orabat. Ad cujus preces mox disrupta est catena de collo ejus, quæ vincta tenebatur. Ne tamen ipsa aufugeret, eam inter manus habentes pagani facile obtinebant. Tum sanctus episcopus anxio de illa motus affectu, tenentibus eam paganis plura diversi generis pretia pro ipsa cœpit offerre. Sed illi nullam conditionem suscipere volebant, nisi suum eis daret equum, quo ad propriam sellam uti solebat. Quod ille facere non detrectans, repente disilivit [*al.*, desiluit] de equo, et cum omni quam ipse ad eum habuit paratura pro eadem dedit captiva, redemptamque libertate donavit, et quo vellet abire permisit. Duplex, ut diximus, per hoc factum de se memoriale laudis relinquens, quod et virtute orationis suæ catenam fregerit, et simul hoc insigne opus misericordiæ demonstraverit.

CAPUT XIX.

Proinde juxta præceptum Apostoli, quo servum Domini jubet mansuetum esse ad omnes (*II Tim.* 2, 24), ita vixit, ut suis temporibus nullus, sicut ipse, Mosaicum illud assimilaverit, quo vir mitissimus super omnes homines fuisse describitur (*Num.* XII, 3). Aliquoties tamen sine ullo ejusdem mansuetudinis detrimento ita inquirendis vel discutiendis causis constans ac fixus in sua sententia mansit, ut a nemine posset in aliud deflecti. Quod autem diximus absque mansuetudinis detrimento hoc fieri, tam veraciter in illo adimpletum est, ut nil unquam iracundiæ vel commotionis contradicentibus ostenderit, vel verbis asperis contra eos egerit : sed familiaribus colloquiis et delectabili continentiæ gestu, cunctis sit amabiliter exsecutus quidquid intendebat : de ea tamen quæ illi inerat inflexibilitate animi, a quodam familiarius interrogatus, quæ infra habentur exposuit. « Quæcunque, inquit, agere debeo vel omittere, seu de omnibus futuris mihi eventibus, præsagium semper capio ex visionibus Domini ac decessoris mei Ansgarii. Solet enim mihi ipse apparens in qualitate vultus sui ostendere, qualiter me immiscere debeam rebus agendis ; et quidquid de illo sentio, nullam ad hoc exsequendum dissimulationem facere possum. »

CAPUT XX.

Fertur etiam antiquorum more sanctorum quædam fecisse miracula, frequenter videlicet dum iret ad Sueoniam, tempestatem maris orationibus suis sedasse, cæci cujusdam oculos illuminasse per confirmationem, quam episcopali more cum chrismate sacro in eodem faciebat. Sed et filium quemdam regis dicitur a dæmonio liberasse : cui etiam affirmationi hoc astipulari videtur, quod multis astantibus episcopis clamor ab ore vexati sæpius sonabat, Rembertum solum inter eos digne commissum egisse officium, ipsumque sibi esse cruciatui auctor vocis testabatur [a]. Sed quia nostris temporibus, ut dicit Psalmista, *defecit sanctus, et diminutæ sunt veritates a filiis hominum* (*Psal.* XI, 2), nec facile accipitur quemque ex modernis viris talia fecisse, sufficiat nos hactenus comprobasse, quod hic vir Domini sanctitatis apicem conscendit per eas virtutum species, quas in Evangelio Dominus ad beatitudinem properandam proponit : *Beati*, inquiens, *pauperes spiritu* (*Matth.* V, 3), etc., de octonario virtutum catalogo, quo significatur per resurrectionis gratiam spei nostræ implenda perfectio. Nec miracula illi defuerunt spiritualia, quæ etiam nunc in Ecclesia a fidelibus fieri testatur beatus Gregorius exponens verba Domini dicentis (*hom.* 29 *in Evang.*) : *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent ; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit ; super ægros manus imponent, et bene habebunt* (*Marc.* XVI, 17, 18). Sed de his singulis expositionem præfati doctoris percurrere longum est et non necessarium, cum homilia hæc continens in promptu

[a] Adamus in cap. 34 : *Hunc regis Luthewici filium Carolum esse arbitramur, qui novissimis archiepiscopi temporibus a regno depositus. Arnulfum germani sui filium accepit successorem.* Sane in Annalibus Fuldensibus et Bertinianis anno 873 malignus spiritus Carolum invasisse et graviter vexasse fertur, ob id scilicet quod contra patrem Ludovicum conspirasset.

habeatur, ad quam nos lectorem mittentes cœptum opus de vita domni Remberti consummare debemus.

CAPUT XXI.

Cui, cum jam senio gravari cœpisset, etiam continuus pedum dolor ad molestiam ei accessit : unde apud gloriosum primo regem Ludowicum, quo commendante episcopatum accepit, et postea apud filios ejus Ludowicum et Karolum hoc obtinuit, ut insignis vir Adalgarius, monachus videlicet de monasterio novæ Corbeiæ, ut supra retulimus, illi præstitus, ita in adjutorium illi confirmaretur, quatenus dum sese quælibet infirmitas præpediret, in ipso haberet solatium circandi episcopatum, placita adeundi, et quando exigeretur, in expeditionem, vel ad palatium cum comitatu suo proficiscendi. Nec [a] multo post, electionem succedendi sibi in ipso confirmari, et per manus acceptionem hominem regis illum fieri, et inter consiliarios ejus collocari obtinuit, assentientibus abbate et fratribus monasterii ejus, ac sancta synodo hæc omnia roborante. Post hæc etiam, velut expeditior a negotiis sæcularibus, omni instantia quotidie ampliare satagebat quidquid boni prius exercuit. Nec diu postea in hac vita duravit, cujus transitus ad Dominum subjuncto ordine factus esse perhibetur.

CAPUT XXII.

Anno pene integro ante obitus sui diem, quibusdam fidelibus suis secretius intimavit, multa sibi ostensa fuisse signa, quibus præsciret se in hac vita non diu mansurum, et quod eos quibus hæc loquebatur, in hac vita ultra non esset visurus. « Quædam, inquit, hujus rei præsagia mihi venerunt, quæ mihi non licet aliis indicare : visionem tamen hac nocte mihi ostensam vobis refero, qua evidentissime discessum meum præfiguratum esse intelligo. Videbatur enim mihi, quod in ecclesia quadam, muro firmissimo per medium intersepta, ego ex una parte muri fuissem, ex altera vero teneretur dominus et decessor meus Ansgarius : conspexique innumerabilem turbam utriusque sexus, more quærentium aliquid, hac illacque converti, nec quidquam ex eo quod quærebant potuisse inveniri. Quibus dominus Ansgarius : Quid, inquit, quæritis? At illi se annulum meum quæsisse respondentes, audierunt rursum ab episcopo, ut cessarent eum quærere, quando ipse secum esset illum habiturus. » Hæc dum quibusdam, ut diximus, narraret domnus Rembertus, ex hoc multisque aliis indiciis asseruit se esse certificatum, quod eodem anno de hac vita foret exiturus. Et ut memoria ejus audientium animis per verba quæ recedens discerct, arctius imprimeretur, hoc quod etiam ab eis amari noverat, admonitiones eis salutares fecit, non mediocriter verbis ejus in gratiam ædificationis profluentibus. Post hæc valedicens illis discessit ab eis, nec ulterius, ut ipse prædixit, eum viderunt. Qualiter autem somnium hoc, quod modo protulimus, evidenti effectu in obitu ac dispositione ejus, ut ipse intellexerat, completum sit, congrue eo loco enarrabimus, quo commemorandum erit, qualiter anima ejus ad cœlos sublevata sit, et quomodo corpus ejus sepulturæ traditum habeatur.

CAPUT XXIII.

Duodecim igitur diebus ante transitum suum perveniens ad ecclesiam Bremensem, ipso mox die infirmitate correptus est. Cumque per omnes horas infirmitas graviter cresceret, ipse semper psalmodiis et lectionibus sacris intentus, sese ad futurum de hac vita transitum sollicite præparabat. Et quanquam languoris immanitas corporeis viribis defectum ingereret, animo tamen semper invictus apostolicam prætendebat fortitudinem, de qua dicit : *Quando enim infirmor, tunc potens sum* (*II Cor.* XII, 10). Septimo ante obitum die ministerium sacræ unctionis cum oleo sancto ei fieri cœpit, et una cum communione corporis et sanguinis Domini usque in diem animæ exeuntis de corpore hoc salutare remedium omni die [b] percepit. Et cum jam migraturus esset de mundo, convocatis presbyteris et universis fratribus, veniam petivit de omnibus quæcunque fortassis in aliquem illorum peccasset. Et cum ipse vicissim reconciliationem fecisset omnibus Christianis, a quocunque in eum aliquid commissum fuisset, veniamque eis a Domino poposcisset; percepto corpore et sanguine Domini sacram animam [c] emisit. Tunc vero incredibilis gemitus omnium subsecutus est, maxime pauperum has inter fletus voces emittentium : Væ nobis, Pater sancte, quomodo jam post te vivemus, tuis eleemosynis in victu et vestitu hactenus sustentati? a quo deinceps hæc merebimur? Sed tibi, inquiunt, Christe supplicamus, ut anima servi tui sentiat te nunc memorem dictorum tuorum, quibus promittere dignatus es a te esse remunerandum, quicunque uni ex minimis tuis aliquid solatii in nomine tuo fecisset.

CAPUT XXIV.

Ipse autem vir Dei, cum adhuc viveret, humilitatis intuitu, præcepit ne in ecclesia sepeliretur : quod præceptum transgredi non audentes fratres ecclesiæ illius, sepelierunt eum foris basilicam prope tumbam [d] sancti Villehadi, extra murum ecclesiæ orienta-

[a] Aliter legit Adamus in cap. 38 : *Impetravit etiam, ut ipse illi in electione successor confirmaretur, et inter consiliarios regis locaretur, assentientibus fratribus et abbate monasterii ejus*, etc.

[b] Nempe mos in Ecclesia olim vigebat, ut unctio infirmorum, quæ viatico præmittebatur, per plures dies a pluribus presbyteris repeteretur. Lege notas Menardi in librum Sacramentorum.

[c] Adamus in cap. 37 : *Obiit autem anno Domini 888, indictione 76 cujus depositio* III *Idus Junii celebratur :* qui annus et dies certi esse videntur. Fallitur proinde Trithemius, qui Remberto annos duntaxat novem regiminis tribuit, cui annos tres et viginti cum mensibus quinque tribuere debuisset.

[d] Interjecto tamen muro seu pariete ecclesiæ. Nam sanctus Willehadus Bremensis episcopus primus, intra Bremensem basilicam sepultus, et in aliam a Willerico successore suo translatus est, ut patet ex Vita relata in sæculi III, parte 2.

lem : ipsumque sepulcrum postea super exstructo, et in honorem sancti Michaelis sanctorumque martyrum Stephani atque Viti dedicato oratoriolo, adornavit vir Adalgarius, de quo supra diximus, qui et sancto viro successit in pontificatum. Sicque completa est visio supra memorata, de sua et domni Ansgarii in una ecclesia detentione, sed muri medii interpositione ipsis ad invicem sejunctis. Est enim præfatum oratoriolum contiguum antiquæ ecclesiæ, muro tantum ejus orientali ex uno in aliud aditum intercludente ; et in ipso, ut diximus, novo oratoriolo domnus Rembertus sepultus est : in antiqua vero ecclesia domnus Ansgarius requiescit. Et hoc est quod ipse in visione ipsa dixisse videbatur, quod annulum domni Remberti secum habiturus esset, ipso videlicet domno Remberto per fidem et operationem bonam perfecto, non longe post cum ipso conjungi debente, tam in vicinitate sepulcri, quam beatæ requiei perceptione, sicut olim ipse divino Spiritu revelante prædixit. Per annulum quippe fides significatur, qua nobis imago Dei exprimitur : et quia ipso manus ornari solent, quibus operatio designatur ; recte per hoc ostenditur, ornamento fidei bonum opus semper inesse debere. Quod quia domnus Rembertus in sua conversatione commistis sibi semper exhibuit, recte in præsagio mortis ejus multitudo plebis annulum ejus quæsisse ostensa est : per quod significatum est, tempore mortis ejus eos qui illi fuere commissi, anxie desiderare, ut adhuc exemplis in illo perspectis perfrui mererentur. Sed hoc jam fieri non posse tempus expetebat requiei ejus, quam episcopus Ansgarius plebem a quærendo annulo compescens significavit, dum eum diceret secum esse habendum.

CAPUT XXV.

Suspensa est etiam super sepulcrum ejus lampas lignea, ut lumen continuum in ea ibidem haberetur : subtus ipsam vero in superficie sepulcri velamen jacebat expansum, in quo fertur præclarum contigisse miraculum ; quod in quantum ex relatione narrantium, vel memoria vel intellectu retinemus, ita gestum esse constat. Contigit quadam nocte conflagrasse eamdem lampadem, ac primo crebros carbones decidisse ex illa super velum memoratum, atque illico subsequi etiam casum totius lampadis, ipsamque supra idem velum totam comburi, absque ulla læsione ipsius veli. Quod nulli dubium esse debet ad declaranda merita servi sui Christum fecisse, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in æternum.

VITA SANCTI ANSCHARII

ARCHIEPISCOPI HAMBURGENSIS

AUCTORE SANCTO REMBERTO

(Vide *Patrologiæ*, tom. CXVIII, col. 959.)

ANNO DOMINI DCCCLXXXVIII.

AIMOINUS

MONACHUS SANGERMANENSIS.

NOTITIA HISTORICA IN AIMOINUM

(Fabric., Biblioth. med. et inf. Lat.)

AIMOINUS, sive AYMOINUS, notarius et monachus S. Germani de Pratis in suburbio Parisiensi, qui subscripsit diplomati dato an. C. 872, regni Caroli (Calvi) 32. Ejus libri II ad Bernonem abbatem, *de Inventione et Translatione corporis B. Vincentii*, Levitæ et martyris, ex Valentia Hispaniæ an. 864 ad monasterium Castrum diœcesis Albingensis in Gallia, versibus scripti hexametris, una cum *Epistola ad Theotgerum monachum et carmine* versum 60 heroicorum de eadem translatione exstant, cum Breulii Aimoino Historiæ Francicæ scriptore. Parisiis 1603, in-fol. in Boscii Bibliotheca Floriacensi, Lugduni 1605, in-8° ; et in Actis Sanctorum Januarii, tom. II, pag. 405 ; necnon in Mabillonii Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti, sec. IV, part. 1, p. 652. Liber *de S. Germani, episcopi Parisiensis, Miraculis* ab an. 846 ad an. 874, scriptus an. 892 ; in Jacobi Mosandri Appendice ad Surium 25 Julii ; in Actis Sanctorum 6 Maii, pag. 801, et in Mabillonii Actis Sanctorum Ord. Benedicti, sec. III, part. II, p. 104. *De Translatione S. S. Martyrum Georgii, Monachi, Aurelii et Nataliæ*, liber, et libri II *de eorum Miraculis*, apud eumdem Mabillonium, sec. IV, tom. II, pag. 45. Sunt etiam qui huic Aimoino tribuunt libro Miraculorum B. Mauri et Historiam inventionis corporum Placidi abbatis et sociorum ejus.

HISTORIA TRANSLATIONIS SANCTI VINCENTII

LEVITÆ ET MARTYRIS,

EX HISPANIA IN CASTRENSE GALLIÆ MONASTERIUM.

Duobus libris prosaicis scripta ab Aimoino *monacho S. Germani à Pratis, duobus item metricis.*

(Apud Mabill. Act. SS. ord. S. Bened.)

MABILLONII OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Libellos Aimoini duos de Miraculis S. Germani Parisiorum antistitis exhibui in sæculi tertii tomo II (*Vid. infra, col.* 1027) : nunc totidem libros de Translatione S. Vincentii ab eodem soluta oratione scriptos cum aliis duobus metricis exhibere juvat. Fuit is monachus cœnobii S. Germani a Pratis apud Parisios sub Gozlino abbate, qui ab anno circiter 850 eidem loco præesse cœpit, atque Aimoino ut miracula S. Germani perscriberet, mandavit. Hos vero libros Aimoinus scripsit ex relatione Audaldi monachi, istius translationis adjutoris, *cujus ab ore quæ dicuntur, accepit,* ex lib. I, cap. 2. Editi sunt quatuor isti libri a Jacobo Brolio Pratensi monacho in Supplemento Antiquitatum Parisiensium. Porro Aimoinus auditorem habuit Abbonem ejusdem loci monachum, qui de obsidione Parisiaca libros duos versibus cecinit, præmisso carmine dactylico ad Aimoinum præceptorem. Ex quo intelligitur, Aimoinum anno 888, quo Abbo scribebat, superstitem fuisse. Ejus obitus signatur in pervetusto Necrologio Pratensi his verbis : « v Id. Junii depositio domini Heimonis sacerdotis. » Diversus est is ab Aimoino Francicæ historiæ scriptore, qui fuit monachus Floriacensis sub Abone abbate.

2. Primus duos priores libros de Translatione S. Vincentii Bernoni Castrensi abbati (*abbé de Castres*) ejusque fratribus nuncupavit. Istud monasterium « anno Domini 647 Robertus, Anselinus et Daniel, tres viri pii et nobiles construxerunt in pago Albigensi, juxta fluvium Agouti sub regula S. Benedicti, » adjuvante Faustino strenuo ac prædivite milite, « qui monachus factus ecclesiam S. Benedicti a fundamentis magno sumptu ædificavit, et post mortem Roberti secundus monasterii abbas » evasit, ut legitur in ejusdem monasterii Chronico, quod typis vulgatum est in Spicilegii tomo VII. Eidem loco præfuit anno 870 Berno abbas undecimus, cui sequentes libros inscribit Aimoinus. Monasterium in ecclesiam cathedralem erectum est ab Joanne XXII, modo a sæcularibus canonicis occupatum.

3. Obiter observo, Guarnerium Resbacensem abbatem, qui in vulgatis indicibus omissus est, scripsisse opusculum metricum de S. Vincentio martyre hactenus ineditum, quod legi in ms. codice Gemblacensi sub hoc exordio :

Quis tua, Christe, salutifera,
Quæ facis omnipotens opera
Tradere non cupiat titulis, etc.

Deinde in consequentibus agit de cella seu monasterio S. Vincentii prope Hispalim his versibus :

Cella procul bidui spatio
Ab populi manet hospitio.
Sancta monastica religio
Degit in hoc velut exsilio,
Nullius indiget auxilio.
Sola Deo vacat hæc eremus,
Fert scopulos aridumque nemus
Mons supereminet aerius,
Oceanum videt inferius,
Nil monachis libet exterius.
Mons etiam capit ecclesiam,
Inter utrumque decus mediam,
Claustra decoris habent faciem.
Cuncta boni retinent speciem,
Et specie tenus almitiem,
Hic Vincentius armipotens.
Cui Dominus Deus omnipotens
Vincere carnifices tribuit,
Lipsana dum sua distribuit,
Nobilius caput exposuit.

Eo in loco Eugenius secundus Toletanæ sedis episcopus vitam monasticam egisse mihi videtur, quippe qui sagaci fuga urbem Cæsaraugustanam petens, illic martyrum sepulcris inhæsit, ibique studia sapientiæ et propositum monachi decenter incoluit, ut scribit Hildefonsus in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 13.

EPISTOLA AIMOINI

Ad domnum Bernonem *abbatem cœterosque sub eo fratres.*

Dignis memoria sanctis Patribus, domno abbati Bernoni, cæterisque sub eo fratribus, in pago Albiensi et monasterio beati Benedicti, quod Castrum cognominatur, sub ejus regimine, regulari studio Deo commilitantibus, Aimoynus peccator, almi Germani Parisiorum præsulis monachorum novissimus, præsentem prosperitatem, æternamque in Christo coronam.

Vestra, o amantissimi Patres, prudenti. necnon et imitabili simplicitate comperta, non miror quod libuit sanctitati vestræ mihi modico tantum injungere negotium : quatenus adventum beati levitæ et martyris Christi Vincentii ad vos, ejusdemque adventus supernæ admonitionis causam, litteris mandando posteris futurisque sæculis sciendum præberem. In quo etiam illud competenter exigitur : ut grandia paucis elucidem, seu pro vitando fastidio spatiosa brevi sermone contraham : quo omnibus legentibus hoc opus, Christo favente, probetur acceptius. Id quoque quemadmodum de miraculis

ejusdem sancti in itinere vel penes vos multiplici numerositate exhibitis, tantum ut ejus inventio, ejusque ad vos translatio certa dignoscatur, contingam. Sed quoniam me super hoc, quanvis indignum, dignanter tamen agressi estis, fiat Domini pia semper voluntas, ipsiusque sancti et egregii testis consequens pro me ac frequens apud eum oratio. A Neque fas sit me tot tantisque præceptoribus digna, licet ab immerito, postulantibus inobedientem reperiri : vestra quoque pro me sanctitate divinam supplicante clementiam, ut quod meritis non præsumo, sanctarum precum sublevatus auxilio, non ego quidem, sed gratia Dei mecum perficere possim.

INCIPIT LIBER PRIMUS

INVENTIONIS SIVE TRANSLATIONIS B. VINCENTII

LEVITÆ ET MARTYRIS,

Quæ celebratur VI Kal. Novembris.

CAPUT PRIMUM.

Anno octingentesimo quinquagesimo quinto Incarnationis Domini nostri Jesu Christi, regnante orthodoxo Francorum principe Carolo Hludowici Imperatoris filio, in parte quandam regnorum ipsius, in Aquitania scilicet et Monasterio, quod vulgari appellatione Conkittas vocitatur, Hildeberto cuidam monacho visio ostensa est, quam cœlitus monstratam sequentia declarabunt. Erat igitur idem vir simplex, ultra juvenilem ætatem tempus agens : senex moribus, ac sanctæ patientiæ studiis eruditus. Habitum etiam monasticum (quem præsertim a tempore sui sacerdotii inhianter desideraverat) adeptus, talem se totius religionis præbuerat actibus, ut etiam præcedentium hujus vitæ patrum sequens vestigia, multis et ipse foret in exemplum. Hic cum se aliquando post exsolutum vigiliarum debitum sopori dedisset, vox ei divina sic insonuit dicens : « Frater, vigilas? Cui respondenti : Domine, quid me vis facere? Surgens, inquit, vade, et aggrederet Valentiam Hispaniarum : ac perquire extra muros ejusdem civitatis locum sepulturæ Vincentii levitæ et martyris. Cujus corpus ecclesia quæ desuper fuit, a paganis ob malignorum civium et circum habitantium pravam conversationem destructa, ibi absque ullo religionis honore, nullo obstante tegmine, imbre madescit æthereo. Nam dignum est, scito, Dominique voluntas, ut idem gloriosus Dei amicus inde diligenter effossus, ad locum transferatur pacis cultusque legitimi. » Quibus dictis, mox a conspectu videntis illa cœlestis species hujusmodi visionem narrantis una cum voce subdicitur. Qui sopore depulso, et quod viderat vigilanti animo replicans, ad Dei rogandam pronus consurgit clementiam, quatenus per eum cunctorum opifex quod ostenderat, dignaretur explere.

CAPUT II.

Erat sane alius in eodem monasterio monachus B religiosus æque sacerdos et conversus [a] Audaldus nomine, speciali ei familiaritate connexus, ætate ac vitæ moribus pene consimilis, cujus ab ore quæ dicuntur, et multo etiam ampliora nos in fide accepisse confidimus. Ad hunc primus memoratus compresbyter Hildebertus accessit : et quod sibi revelatum fuerat secreta allocutione detegens, eum in hoc multis modis animando socium postulavit. Hortatur amicum, precatur dilectum : Dei sanctique martyris adfuturum repromittit solatium, necnon et pro laboris sudore æternæ recompensationis pollicetur præmium. Quibus vir devotus attenti pectoris arcano receptis, confestim verbis favens sodalis, assensum libentissime præbuit : præsertim cum idem a quodam nobili Hispaniensi viro, Berta nomine, C frequenter audierit, quod ejusdem sancti levitæ et martyris corpus ab eodem loco cultoribus desolato facile in quamcunque partem a quolibet asportari posset. Convenique utriusque animus ad tot terrarum intervalla percurrenda promptissimus, atque ad perferenda, si qua etiam adforent, impedimenta paratissimus. Itaque Blandino ejusdem loci abbati, reliquisque fratribus suæ voluntatis rem patefaciunt : a quibus hoc agendi seu perficiendi eos oportebat expetere consilium. Processit sane omnium qui convenerant communis in hoc validusque animi ardor : quorum scilicet mentes virtus illustraverat superna, et æqualis spei perflaverat lætitia.

CAPUT III.

D Hoc igitur accepto ardentibus duntaxat animis divino, quod est magis fatendum, consulto, paratis omnibus exeunt cum duobus tantum famulis, hilares procedentes ad locum et opus sibi cœlitus intimatum. Gradientibus autem eis, ac viam festino tramite accelerantibus, Hildebertus carnis incommodo pressus assumptum iter quanquam invitus reliquit. Audaldus vero mœstus ac deinde uno solo comite contentus, post multas, quas prolixum esset

[a] Conversi dicebantur olim apud monachos, qui ex sæculari vita ad monasticam convertebantur in adulta ætate.

expedire, paganorum insidias, pariterque tribulationum variarum pressuras, ducente se Christo audacter percurrens, tandem aliquando Valentiam superius nominatam civitatem aggreditur. Ubi diebus quatuor in ejus suburbio, a Christianis jam penitus derelicto, anxius dubiusque quid ageret immoratus, quinto die Zachariam quemdam Maurum, apud quem hospitabatur, conveniens, sciscitabatur ab eo privatim de re propter quam venerat, et utrum se in hoc adjuvare possit, denudatis secretis interrogat. Quo respondente se optime posse, atque locum ubi pretiosus Domini martyr jacebat, ipsiusque monumenti tumbam adhuc integram bene nosse: Eamus, inquit Audaldus, et videamus utrumne ita sit, quemadmodum testaris. Quo aiente: Quid mihi dabis pecuniæ, si quod quæris ostendero? Monachus ait: Parum quidem habeo: sed illud totum, vel certe exinde quantum petieris incunctanter appendam. Unde prædictus Zacharias superno instinctu, sanctique martyris, ut credimus, obtentu moderatus, non amplius quam quadraginta argenteos, solidos videlicet quinque postulavit. Quibus libenter tributis simul ierunt ad locum, ubi maceriarum ecclesiæ tantum patebant ruinæ, atque ipsius sepulcri situm, ut fuerat incontaminatum tituloque signatum, reperiunt: in quo erat super inscriptum, quod illic requiesceret sanctus levita et martyr Vincentius. Præclarorum quoque parentum nomina, patris Euticii, matris vero Enolæ, a quibus orbi agonista talis processerat, eidem epitaphio inter cætera refulgebant inserta. Ergo comperto seu denotato sarcophagi loco, die adhuc multo domum reversi sunt, glorificante Audaldo Deum ac benedicente, qui itineris sui incursum ita prospere direxisset.

CAPUT IV.

Proinde dum quies noctus membris præsertim humanis blanditur, accepto lumine consurgentes soli secreto revertuntur ad tumulum: inventumque miræ pulchritudinis vas marmoreum indique, ut decebat, studiose munitum, inopina facilitate, ultra quam dici posset, simul ambo viribus insistentes aperiunt. Quid præterea admirationis pro incredibili ejus integritate, quidve compunctionis seu lacrymarum, propter videlicet gaudium ac inexpertam aromaticæ suavitatis illic diffusam fragrantiam, memoratus ille monachus, tanti boni repertor, inibi tunc persenserit, ineffabile ipso jurejurando attestante habetur. Hoc tamen luce clarius fulget, quod hujusmodi signis veluti quibusdam vocibus promulgatum fuerit, quod is qui quærebatur Dei Martyr et Levita Vincentius esset inventus. Qui extra multiplices et admirandas suppliciorum ejus injurias ita, ut prælibavimus, integer liberque a putredinis labe repertus est, ut nullo modo in præparato sibi ad efferendum sacculo, nervis adhuc rigidis componi potuerit: nisi per artus, hoc ipsa cogente necessitate, complicatus dissolveretur. Quibus cum reverentia et timore perfunctis, ad hospitium deportatur, tempusque ac opportunitas exeundi patriamque revisendi præstolatur in dies.

CAPUT V.

Emptis denique palmarum ramis, et circa ipsum corpus ligatis, veluti hujusce rei gratia thesaurus occultaretur acquisitus, tantum tamque venerabile præmium levans, hoc onustus munere, hacque locupletatus margarita negotiator ille pauper ditissimus effectus, optatum iter dum tempus videt, resumit. Cui Dominus rursus ostendere volens, quod quæsiti Vincentii levitæ et martyris corpus invenerit, sub nocte quadam dum super universos eumdemque Audaldum sopor solito vehementior irruisset: Subito fulgor (haud dubium quin cœlo delapsus) omne replevit quo Sanctus inerat habitaculum: adeo ut hospes seorsum recubans nil aliud quam domum suam, volvente ignis edacitate, ardere putaret. Dumque clamores pavitans, quis ignem succendisset, emitteret, Audaldus veluti de itinere fessus, vix somni decussa quiete assurgit, vocesque clamantis hospitis accipens, rem cœlitus administratam, ipso perfusus splendore tacitus timidusque attendit. At ubi in se recollectus virtutem agnovit Altissimi, hospitem, utpote gentilitatis ritu ferocem, blando ne paveat demulcet affatu, ignem procul dubio a se accensum fuisse pronuntians. Hoc autem audito, ille se intra cubiculi sui claustra continuit: nec est permissus dignusque inventus, qui facti miraculi mereretur nosse mysterium.

CAPUT VI.

Monachus vero orto mane festine consurgens, quod residebat itineris conficere satagit. Unde post aliquot dies Cæsaraugustam civitatem properanter aggressus, a quadam Deo devota muliercula prope ipsius urbis mœnia domum habente, misericordia hospitandi, utputa peregrinus, illa nocte suscipitur. Quæ sollicita, dum in occultiore parte suæ domus vigilans et tacens quiesceret, adnimadvertit memoratum monachum ante sancti corpus lucentibus cereis psallenter adstare. Itaque pulsato nocturnali tempore signo, ad ecclesiam concita pergit: atque quod viderat per internuntium episcopo civitatis intimavit. Qui festinans sarcinam sibi un cum palmis pudore sublato deportari jussit, monachum autem comprehendi mandavit. Ille vero paulo ante de necessariis viæ sumptibus meditans, propter emendos panes, ministro, quia erat mutus, domi relicto, ad forum processerat. Episcopus namque diviso fasce, et quæcunque inerant universis coram expositis, reperit sanctum intrinsecus latens pignus, sacco diligenter insutum. Quod stupens nimiumque admirans, et æstimans omnino quod erat plane alicujus sancti martyris corpus, jussit illud auferri, atque in ecclesia beatæ Mariæ semper virginis (quæ est mater ecclesiarum ejusdem urbis) veneranter recondi: in qua olim sub Valerio pontifice idem martyr strenuusque athleta archidiaconii arcem insignis tenuerat.

CAPUT VII.

His ita dolo peractis, Audaldus horum nescius cum panis edulio domum regreditur: agnitoque (proh dolor!) hoc tristis facto, perculsus animi dolore ad eumdem episcopum, nomine Seniorem [a], lacrymis plenus accessit, conquerens cum eo de injuste sibi subducto corpusculo. Et meus, ait, meus fuerat ille propinquus, in partibus Hispaniarum nuper mortuus ac sepultus. Cujus cadaver inter reliquorum parentum meorum exanimes artus componere satagens, hæc terrarum spatia multis vexatus calamitatibus Christo propitio peragrans evici: atque illud non parvo xenio dato, ex paganorum placata feritate redemi. Sed proh nefas! inquit, offendi episcopum crudeliorem ethnicis. Quod enim eorum austeritas humanitus emollita pie quærenti concessit, hoc tua violentia improbe omnimodis exagitata rapit, impudenterque præsumit, et veluti insanus sanctum dicis corpus hominis peccatoris. Tunc episcopus inter hæc et alia nimis rapida permotus iracundia, monachum teneri præcepit: inexquisita tormentorum genera virgarumque ei livores repromittens, nisi de qua civitate vel loco eum furatus esset, seu quo nomine idem sanctus censeretur, exponeret. Quod cum cœpisset, ac crudelius carnifice turpiter exercere perstitisset, Audaldus volens nolens et valde diu cæsus, ac per testiculos tandem suspensus, quasi visus est confiteri quod ab Hispaniæ partibus illum deferret, quodque sanctus Marinus martyr (hoc invento vocabulo) nomen haberet. Sicque, ut reliqua transeamus, episcopo sacræ prædæ nefario invasore partim deluso, cum magno cordis ploratu fletuque plurimo pulsus, ad proprium locum monachus tristis verberibusque attritus revertitur. Quod monasterii sui fratres audientes, nec credentes, Audaldum mendacii redarguerunt; nomenque illi gyrovagi imponentes, a se sequestrando, jamque ipso etiam sponte exeunte, repellunt: et ubicunque libeat licentiam ei, imo necessitatem tribuunt commorandi. Qui ad cœnobium beati Benedicti, Castrum superius cognominatum, usque perveniens, ejusdem congregationis abbati, viro religioso, domno Gisleberto, cæterisque fratribus ibidem degentibus omnem sui itineris sive actus continentiam, qualiterque sibi sancti levitæ et martyris corpus sublatum fuerit, per ordinem explicavit. Qui nimirum attoniti, et pro his quæ dicebantur valde gavisi, Audaldum regulari more prius suscipiunt: ac deinde illi secundum, quamdiu viveret, habitandi locum concedunt. Simulque deliberant, tempus ad hoc congruum opperientes, quatenus tantum ad se decus quandoque superna opitulante gratia transferre satagerunt.

CAPUT VIII.

Exacto denique tempore, annis scilicet octo et semis evolutis, ad Cæsaraugustam, Salomone sibi familiarissimo Cerdaniensi comite mandate, ex se
A fratres mittunt, qui sancti levitæ et martyris corpus, procurante hoc ipso Salomone, reciperent, secumque Christo miserante deferrent. Salomoni namque hoc jamdudum compertum fuerat: (ut erat prudens atque boni cupidus) ad regem Majorem Cordubensem opportunitate accepta perrexerat, fingens inter reliqua, quod apud Cæsaraugustam civitatem parens ipsius, vocabulo Sugnarius, dum ab Hispaniæ partibus deferretur, a Seniore ejusdem civitatis episcopo violenter sublatus detineretur. Ille vero exceptis aliis donariis sponte oblatis, ut corpus reddi juberet solidis centum expostulatis, ad regulum sæpe dictæ civitatis, nomine Abdilam, chartam facere mandat: imperans ut ipse totidem quoque solidis sumptis Salomini comiti propinqui sui Sugnarii corpus restitui
B præciperet. Quibus sic expeditis, ac principum animis, taxata pecuniarum summa, lucratis, episcopus advocatur: et cur tantam in mortuum, imperatoria posthabita reverentia, exercuerit iniquitatem, velut reus majestatis, quique etiam nec sibi reveritus fuerit, districte inquiritur. Quo omnia negante, et quod id non fecerit, cum multis Dei sanctorumque juramentis affirmante, Audaldus accedens constanti animo episcopum fortiter convincere parat. Sed illis diu absque effectu, et, ut dicitur, muliebriter altercantibus postquam episcopus blandis sermonibus invitatus veritatem fateri noluit proponuntur ei tormenta: ut scilicet ligato pedibus ejus vel collo fune per circuitum civitatis traheretur, et sic illusus membratim demum dissiparetur. Et quanquam virtutes
C S. Vincentii, licet sub nomine sancti Marini, transacto præscripti temporis spatio illic frequenter ostensæ, animum illius in ejus amorem miro modo pertraxissent, minarum tamen horrore exterritus, quod gestum fuerat confitetur, et locum quo illud sacrum corpus erat humatum, non sine dolore ac gemitu aperit. Quo pervenientes monachi qui advenerant, tam pretiosum cœlestis doni talentum reperiunt, elevantque. Cumque unus illorum, Radbertus nomine, hæsitans dubitaret an is vel alius esset, atque loculum aperiendo certis signis Audaldo notis, hoc prius caute perspici debere contenderet, statim pede quem ad hoc promoverat, infirmatur, plurimum sibi formicante genu cum tibia. Quo signo reliqui satis certi de reddito corpore, illud ad deportandum apte componunt. Tantoque potiti desiderio, ac post
D paululum monacho pedis vigore pleniter recuperato cum hymnis et gratiarum laudibus (prout ratio et loci qualitas dictabat) exeuntes, ad propria redire Domino ducente disponunt: cui est honor et potestas, virtus et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Huc usque de sancti corporis inventione, seu repetitione: nunc autem quæ restant translationis et gestorum in ea miraculorum, sequens libellus cum subjecto excipiat prologo.

Ergo quia hactenus quæ circa hujus sancti levitæ et martyris inventionem seu corporis repetitionem gesta

[a] Seniorem Cæsaraugustanum pontificem, *rectis vitæ moribus* prædictum S. Eulogius presbyter Cordubensis prædicat in epistola ad Wilesindum Pampilonensem episcopum.

sunt, fideli stylo Christo duce digessimus : jam nunc quæ restant ipsius translationis et gestorum in ea miraculorum, brevi quemadmodum cœpimus tractatu sollicite videamus. Neque enim effugari lectorem, multo magis vero ad ea quæ dicuntur invitari, oportet qualiter etsi sermo incultus exasperat, saltem succinctus demulceat. Ideoque omne hoc opus in duo A etiam dividere voluimus corpora, licet quantitate exigua. Nobisque donari petimus, quidquid prætereunter in his excessimus : qui de multis pauca legentes, illa prorsus quæ fide ac relatione digna inventa habuimus, eis præsentibus qui viderant attestantibus, pii laboris studio ipso in loco scribere curavimus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Siquidem illis ad Balagivum oppidum, juxta nuvium Segarim, cursim pervenientibus, in quadam insula solo contigua resederunt. Statimque divulgatum est nobilis levitæ et martyris corpus adesse. Tunc conveniunt nonnulli munera et obsequia pro posse offerentes. Inter quos mulier dudum cæca adducta est, quæ humi ante ipsas reliquas prostrata, lumen sibi donari poposcit. Et aliquandiu flens ac in oratione persistens, visum cunctis qui aderant cernentibus recepit et semetipsam qualis venerat qualisque effecta esset admirans, aiebat : Gratias tibi Deus, tibique sancte martyr, qui me tuæ virtutis ubertate dignam duxisti.

CAPUT II.

Profecti autem inde ad Bergam castellum celeri cursu iter dirigunt. Ubi Dominus itidem præstito miraculo, quid meriti quidve gratiæ apud eum sanctus levita et martyr haberet, clementer ostendit. Nam inter reliquos gratissima ejus munera requirentes, adfuit quidam delatus claudus, totoque corpore ægrotus. Qui coram reliquiis (ut in talibus contingere solet) cœpit primum dolore valido affligi, et in pavimento volutari. Quod astantibus mirum videbatur : sed paulo post miserante Deo intercessionem beati Vincentii consolidatæ sunt bases pedum ejus, et directi gressus : ita ut lætitia sospitatis amica comitatus, per se ad suos sanus rediret.

CAPUT III.

Quia vero lucerna non debet abscondi, sed ut luceat super candelabrum poni, jam illud sanctum corpus tanto virtutum fulgore coruscum feretro aptantes, Salomone comite, prævio pacificoque ductore Cerdaniam usque venerunt. Ibi enim propter occurrentes, et necessariam itineris quietem, salubri consideratione aliquantisper stare decreverant. Intrantesque quamdam ejusdem provinciæ villam, quæ a priscis cultoribus nomen Albis accepit, imposuerunt illud super altare ecclesiæ beatæ Mariæ Virginis. Quo innumera multitudine utriusque sexus per biduum confluente, reperti sunt inter eos, contracti genibus duo, et una debilis mulier, cæcus unus, ac febricitantes seu energumeni, ejus sanctis meritis ab omni infirmitatum gravedine liberati. Nec audivimus, quod ullus quocunque debilitatis morbo invasus (si B fideliter accessit), se vel advenisse, vel certe sine remedii medicina recessisse doluerit.

CAPUT IV.

Pene igitur per singula mansionum loca patratis miraculis, ut verbi gratia in Livia duobus claudis erectis, et in Carcasona extra urbem in ecclesia sub ipsius Levitæ et Martyris veneratione Christo sacrata, dæmoniacis infirmisque aliis non paucis curatis, jamlæti Castrum quo tendebatur, præcipui Patris Benedicti monasterium appropinquant. Sed qualis fuerit tanta exceptione dignus, cum crucibus ac cereis, omnibusque congruis ornatibus ille monachorum splendidus apparatus, necnon et devotissimus populi concursus, reor superfluum, si exponi contendatur, Martyris itaque corpus servandum venerandumque C in ecclesia almæ genetricis Dei Mariæ ante ipsius cœnobii portam collocaverunt, ob devotam maxime feminarum frequentiam, quibus monasterii ipsius aditus ex antiqua Patrum ejusdem loci consuetudine denegatur. Decreverunt tamen novam basilicam in ejus honorem monasterio vicinam extruere : ad quam utriusque sexus personis devotis liber sit accessus.

CAPUT V.

Sed quoniam forte poterat dubitari de tali ejus inventione et optata delatione, hoc omnipotens Deus ad cumulum suæ bonitatis tali miraculo roborari voluit. In villa Vidcellas, a monasterio tribus duntaxat milibus distante, femina quædam ibidem adhuc degens, nomine Aitrudis, a vicino suo admonita est, D ut deposito lanificii opere, in occursum susceptionis beati Vincentii martyris cum aliis properaret. Quod illa facere recusans, cum cachinno dixit esse potius corpus cujusdam Mauri ethnici vel Hispani, quam martyris. Et extemplo omnium privata membrorum officiis contrahitur ; ac veluti cadaver miserabiliter in terram consternata, se mox expiraturam terribili voce proclamat : rogatque suos, ut ad sancti templum deferatur. Ubi curru delata, per dies novem, aspicientibus multis, eamdem percussionis debilitatem sustinens mansit : atque post alios novem saluti reformata, valens, ut nunc quoque valet, exivit.

CAPUT VI.

Enimvero frequentantibus locum plebibus, sive infirmis variis languoribus oppressis sanitatum me-

delam exquirentibus, a Cerdaniæ partibus quidam venientes, haud longe a monasterio propriis rebus exspoliati, nudi ad sanctum gemebundi flentesque perveniunt. Sed mirum in modum gratia supernæ accidit æquitatis, ut prædatores aliorsum fugere tentantes, adversa sibi protectione mirabiliter coacti, cum universis quæ abstulerant, ad eumdem locum festinanter accederent. Et sese mutuo intuentes spoliatores ac spoliati, isti timere, hi vero multo amplius mirari cœperunt : volentibusque populis in reos consurgere, supplices rogarunt, ne quid sibi mali ob Christi sanctique martyris amorem inferrent. Quo impetrato omnia restituerunt : et Deum sanctumque laudantes Vicentium, ad propria singuli repedant : isti de inventis, illi autem de venia gratis acquisita jocundi.

CAPUT VII.

Nec silentio prætereundum, quod pari admiratione dignum est. Quidam enim ex Camerensi pago, causa orationis, inclinato jam die adveniens, lanceam suam uni arborum, quæ sunt ante memoratæ basilicæ ingressum (servato religionis honore), innixam reliquit. Cumque ecclesiam sic exarmatus intrasset, et orationi devote insisteret, fur quidam lancea ejus rapta aufugit, domum suam non longe positam petens. Sed mente perturbatus, ad ejusdem viri tugurium, cujus erat hasta, infra triginta ferme leugas, jejunio, ac itinere per totam noctem fatigatus devenit. Cumque sitiens paululum aquæ peteret, mulier agnitam mariti hastam recepit, et furi reatum suum confitenti pepercit, non sine admiratione virtutis sancti Vincentii qui peregrini sui injuriam eo modo reparari curavit.

CAPUT VIII.

Quandoquidem de nova sancti Vincentii levitæ et martyris fabricanda ecclesia mentionem fecimus, congruum est huic loco novum referre miraculum. Ad hanc enim constructionem confluentibus pariter plus quam ducentis viris cum muneribus, præter mulieres, parvulos, et infirmos, inter quos fuit quidam cæcus rebusque pauper : qui ne in sancti servitio vacuus appareret, lapidem non parvum sibi ex itinere a ductore dari poposcit, atque illum subito levatum collo supposuit. Cumque a plebe stultitiæ argueretur, ut qui rem impossibilem propter pondus attentaret, asseruit se nunquam ab incœpto quieturum, donec munus assumpti lapidis ad novi templi S. Vincentii structuram detulisset. Nec mora, inter hæc verba, depulsa cæcitate visum recepit.

CAPUT IX.

Vir venerabilis Helisagar Tolosæ civitatis episcopus, his auditis virtutum signis, jure pastorali clerum populumque hortatus est, ut qui vellent ad sancti martyris orationem secum ire pararent. Qui dum decreto tempore pastor bonus ovium turmis circumseptus, a nono etiam milliario discalceatus, forma factus gregi, reverenter advenisset, quidam eorum digitos utriusque manus ab ipsa nativitate ita contractos et volæ hærentes habens, ut nunquam explicari seu extendi valerent, post orationes et lacrymas coram sancto martyre fusas, sensit eos solutos, manante tamen vivo cruore e locis, quibus prius inhæserant. Quo viso episcopus et universi qui cum eo erant, in laudes divinas prorumpunt, litanias, hymnos, et *Te Deum laudamus*, lacrymosa voce psallentes : ipsasque manus sanguine litas jam gaudio magno deosculantes.

CAPUT X.

Quidam argentum sibi ad aliquod opus necessarium in sinu absconderat. Quod inverecunde mulier in latrocinandi arte perita extraxit. Sed manus ejus ipsum argentum continens statim obriguit, ita ut eam nec aperire, nec ad se (cunctis videntibus) reducere valeret. Ipsa vero ad sancti Vincentii sacras reliquias confugiens, et ibidem cum fratribus aliisque fidelibus devote orans, curata est, manuque relaxata furatum argentum restituit.

CAPUT XI.

Alius cæcam habens filiam a nativitate, eam medendi fretus fiducia, ad sancti Vincentii divulgata passim patrocinia adducere statuit, et ad monasterium usque veniens, ubi comperit ipsum sacrum corpus, propter timorem paganorum Nortmannorum, ad remotiorem et tutiorem locum transportatum fuisse, crebrius ingemiscens dicebat : Miserere Christe, miserere, o beatissime Vincenti : miserere mihi misero, miserere huic filiæ meæ. His lacrymarum vocibus, superna (quæ non dormitat) ad miserandum excitata clementia, continuo obtinentibus magni agonistæ precibus et fide parentis, lumen restituit puellæ.

CAPUT XII.

Nortmannis autem (qui ad obsidendam Tolosam venerant) accedentibus, monachi sanctum revehunt corpus : dignisque, eo in loco ubi prius fuerat, officiis venerandum reponunt.

CAPUT XIII.

Rursus puella quædam a nativitate cæca, indubitanter credens interventu tanti martyris se posse lumen recipere, sororem rogavit, ut ad eum quantocius perduceretur. Quæ dum simul incederent, audierunt in terram procul remotam delatum fuisse. Ad quam propter rigorem hiemis et aspera juga montium non valentes pervenire, cæca sororem suam hortata est, ut ex cera quam secum tulerant, candelas conficeret, easque saltem ad locum quo sanctum corpus in itinere ad modicum pausarat, deferret. Audierat enim locum miraculis celebrem : ita ut etiam animalia ratione carentia illum contigentes debilia redderentur. Quod cum fecissent, atque se illic ambæ gementes prostravissent, fusa prece, quæ lucis nescia venerat mulier cœpit dicere se clare quæque aderant cuncta videre.

CAPUT XIV.

In eodem Albiensi pago fuit quidam piscator nomine Ubidandus, qui cum videret socios suos pisca-

tum purgentes, in præfato loco causa venerationis morari, eos increpabat dicens : Vellem arbores hujus silvæ universas adoraretis : qui omnium plateas viarum indiscreta consideratione, oratorii religione sacratis. Quibus dictis, illico petulans os ejus in aurem sursum convertitur, atque ultra quam dici potest monstruosum efficitur. Tuncque pœnitens ad prædictum locum cucurrit totoque extensus corpore se contumeliosum et blasphemum fuisse fatetur. Deinde ad ecclesiam, in qua sancti levitæ et martyris corpus excolebatur, velociter perrexit : eamque singulis horis diei vel noctis frequentavit, donec sanaretur.

CAPUT XV.

Hac itaque luce longe lateque diffusa, etiam a nativitate adducti cæci illuminabantur, surdis ac mutis sensus officia reddebantur, claudi curabantur, energumeni fugatis dæmonibus mundabuntur, et aliarum infirmitatum quacunque molestia aggravati præsentes absentesque sani efficiebantur. Unde paupercula quædam a multo tempore luminibus privata, cum ad sanctum martyrem duceretur, in medio itinere a ductoribus tædio et labore fessis derelicta, rogavit quemdam astantium, ut saltem candelas (suæ orbitatis munuscula) ante sancti martyris altare accensas offerret. Qui dum manu extensa eas accipere vult, ab ipsa muliere videntur : recollectoque brachio jam non ductorem, nec earum latorem quærit : sed hilaris et de die in diem clarius videns, iter cœptum etiam plerosque antevertens, perficit : et tandem ad sepulcrum beati Vincentii pervenit. Ubi candelis ardentibus, non per alium, sed per se oblatis, plenam oculorum aciem recepit.

CAPUT XVI.

Huic simile est miraculum in Rotenensi pago, qui vulgo Rodinigus appellatur, patratum. Quidam contractus genibus cum ad sanctum Vincentium adduceretur, a suis ductoribus ignavis, pigris et inhumanis in medio itinere solus et plorans derelictus est. Sed quia Dominus de quacumque necessitatis angustia ad se clamantium preces misericorditer exaudire non cessat, extemplo miseratur miserum, ac cœlesti perfusum medicamine, jacentem debilem facit erectum : adeo ut magnis passibus gradiens, suos desertores mox assequeretur. Illi autem tanto miraculo attoniti, seipsos accusare vehementerque redarguere cœperunt, quod cœlestis remedii beneficio dignum, ita pigri inclementesque deseruissent.

CAPUT XVII.

Consuetudo (ut meminimus) præfatæ congregationis fuit, ut feminæ omnes ab ingressu monasterii arcerentur. Idcirco ejusdem cœnobii fratres prudenter providerant, ut corpus beati Vincentii levitæ et martyris in basilica Dei genitricis Mariæ poneretur, ad quam liber erat mulierum accessus. At vero successu temporis, conventu hujusmodi per dies cessante, intulerunt illuc in seniorem monasterii

A ecclesiam, atque retro altaro beati Benedicti (donec ejus templum consummaretur) posuerunt. Post hæc mulier ab annis plurimis cæca conata est usque ad locum quo sanctus jacebat ingredi : sed quidam obvians, hanc repulit, atque retrorsum mœstam abire coegit. Quæ suspirans, ac ad cœlum oculos mentis erigens, sancti martyris sibi provenire supplex orabat solatium. Sicque inter lacrymarum flumina cæcitatem expulit.

CAPUT XVIII.

In quodam loco eidem cœnobio adjacenti, qui Waldarii cella nuncupatur, hoc memorandum enituit virtutis præconium. Secus etenim ipsum locum diffusis militum copiis, Monachi Hermengaudum Albiæ comitem adierunt : orantes ut ab hostium B invasione equorumque depastione sata condiminæ suæ protegeret. Nam in illis partibus pepauca exstant prata. Qui quatuor pallas ecclesiæ sancti Vincentii a pauperibus mulierculis oblatas præcepit assumi, et totidem baculis perticis alligari, atque in circuitu florentis agri affigi, quatenus eo signo a messis direptione hostes temperarent. Sed unus eorum tale signum despiciens, pallam unam cum baculo in terram excussit, et ab equo (quem in ipsa sata inducere nitebatur) versis calcibus in fronte percussus, spiritum exhalavit. Quo audito et per hostes diffamato, timor universos invadit, evidensque Dei judicium ac sancti martyris meritum ubique valens prædicatur a cunctis.

CAPUT XIX.

C Huic facto propemodum simile est quod sequitur. Nam domno Alberico monacho cum fratre Helia in pagum Impuriensem profecto, atque in villa suæ obedientiæ, quæ Garriculas nuncupatur, commorante, supervenerunt hostes, qui pagum villamque, nemini parcentes, depopulati sunt. Quinetiam equos ipsius Alberici abduxerunt, nec impetrare potuit ut saltem unus (quem robustiorem noverat) redderetur. Sed ipsemet equus qui postulabatur, quasi vindex duplicis injuriæ (raptus inquam, et justæ repetitionis), raptorem calcibus in nudo capite percussum, morti tradidit. Quo facto iniquitatis socii perterriti, non solum equos, verum etiam quicquid in eadem villa rapuerant, relinquentes aufugerunt.

CAPUT XX.

D Sequens exemplum de muto et surdo curato finem imponet. Georgius quidam vir illuster servum mutum et surdum habuit : qui cum ad sepulcrum sancti Vincentii levitæ et martyris duceretur, nec amplius a monasterio quam duodecim ferme millibus distaret, cœpit loqui, loquentesque absque impedimento audire. Tunc comites rogavit, ut eum cito ad locum, ob referendas sancto martyri grates perducerent. Quod et fecerunt ad gloriam et laudem Dei et Domini nostri Jesu Christi, qui sanctos suos mirabili potentia ubique triumphare facit : cujus honor et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA EJUSDEM AIMOINI

AD DOMNUM THEOTGERUM,

Ejusdem congregationis monachum.

Levitarum præcipuo domno THEOTGERO, juxta consonam sui nominis etymologiam Deum gerenti, *Aimoinus* comminister salutem dicit.

Laudabili charitati vestræ, mi dulcissime Theotgere, frequenti studio circa mei curam satagenti, in omnibus parere devotus existens, inclino me tuus camelus sponte, ad injunctum mihi abs te onus ferendum. Rem siquidem novam et pro sui brevitate A mirandam, prosaico opere expleto, me vestra dilectio de adventu beati levitæ et martyris Christi Vincentii facere cogit geminos rursus libellos : quos singulos tricenis modo versibus claudam, per denos etiam positis in unoquoque capitulis. Unde consultius eligo veluti recens scriptor videri, quam me vestro amori, mihi melle dulciori, quavis occasione ullo modo absentari.

Explicit Epistola.

INCIPIT LIBER PRIMUS,

Habens versus xxx.

CAP. I. *Quod Audaldus Hispaniam aggrediens, Valentiam usque pervenerit.*

Bis quadringentis, decies quinisque volutis,
Quattuor inque super ciclis a præsule Christo
Virgineo semperque sacro de germine nato,
Audaldus fuerat tali de nomine notus
In Castro monachus communi lege probatus :
Atque sacer sancti gestans Aaronis honorem.
Hic uno comite assumpto perpessus amara
Plura; sed in dulces convertens cuncta sapores,
Institit audacter quandoque Valentia civem
Quo se susciperet peregrino functus agone.

CAP. II. *Quod Zachariæ Mauro suum detexit secretum ; et quomodo Sancti reperit sepulcrum.*

Quod faceret Mauri Zachariæ culminis hospes,
Denudat secreta sui jam pectoris olli :
Esset quodque Dei levitæ martyris atque
Vincentii Hispanias solo delapsus amore :
Hinc precibus blandis animum mentemque relam-
Mercator Maurum cupidi nummis argenti. [bens,
Denique surgentes monumenti septa requirunt,
B Quæ manifesta nitent titulo hoc : Vincentius istic
Martyrii levita jacet fundatus honore.
Nomina namque genus signabant scripta parentum.

CAP. III. *Quomodo sub nocte ad monumentum pariter regressi, sanctum levaverint corpus.*

His igitur causis signorum nocte revisis,
Viribus admissis fodiunt, tumbamque recludunt.
Educuntque sacrum corpus famulante lucerna,
Indice cœlesti facti dulcedine veri.
Quæ super excrescens aromata cuncta subibat.
Cumque ligaturis expletis his opus esset,
Utitur Audaldus suta sindone cuculla.
Inde domum læti redeunt lucentibus astris,
Audaldo exspectante diem patriam repetendi,
Quod hilaris fecit nactus post tempus amicum.

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS,

Totidem continens versus.

CAP. I. *Quod sanctum corpus ad Castrum perveniens, honorifice sit susceptum.*

Cæsar in Augusta Senioris fraude relicta,
Omissis necnon aliis, ob dicere longum,
Ad Castrum, bellam patris cellam Benedicti,
Perveniat Christi martyr levitaque sanctus.
Cujus in adventu fuerint quæ gaudia, nullus
Ora gerens centum poterit depromere verbis.
A monachis pulchra serie susceptio qualis
Exstiterit, solus qui testis novit Iesus :
Aptis aurifluis ornatibus undique fusis,
Gemmivomo ad cœlos usque irradiante virore.

C CAP. II. *Quod mulier de eo primum dubitans contracta fuerit, ac deinde credens sanari meruerit.*

Tunc risisse fuit mulier, cui talia fastus,
Et sanctis corpus levitæ credere nolens :
Esse magis Maurum contendens forte putentem.
Protinus in terram membris prostrata caducis
Contrahitur, vitæ sublata spe fugientis.
Sed sancto deducta, fide nascente, medetur :
Et pedibus, plaustro veniens, curata recessit.
Primitus hoc signo tanta virtute patrato,
Post quoque quæ numerus nescit, sunt plura secuta,
Prosaico necnon partim sermone notata.

CAP. III. *Ubi sanctum corpus exceptum positum fuerit : et qualiter deinde retro altare sancti Benedicti locatum sit.*

A

Namque monasterii ante fores genitricis in aula,
Ista sub immenso gerebantur munere Christi :
Dum fieret sanctum templum proprio sub honore ;
Quo placidus demum migraret jure sepultum,
Masculus atque simul veniens quod femina adiret,
Interea placuit defluxa temporis urna
Inde levare sacrum corpus, digneque locari
Post altare pii Patris sancti Benedicti ;
Quo meriti pleno cultu veneratur honoris,
Assiduis signis virtutum rite coruscans.

Præstante Rege regum, et Domino dominantium Jesu Christo, bono et begnigno Salvatore mundi : qui eum Deo Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

DE TRANSLATIONE SS. MARTYRUM GEORGII, MONACHI, AURELII ET NATHALIÆ

Ex urbe Corduba Parisios,

Vide inter Opera S. Eulogii, Patrologiæ tom. CXV, col. 939.

DE MIRACULIS SANCTI GERMANI
LIBRI DUO,

Auctore eodem AIMOINO *monacho.*

(Apud Mabill. ibid.)

INCIPIT EPISTOLA AIMOINI MONACHI.

Studiosis in Christo piisque lectoribus salus et pax perennis ab Jesu omnium dominatore dominantium.

Quoniam non saturatur oculus visu, nec auris auditu, siquidem pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia ; hunc libellum miraculorum domni nostri Germani, elucentibus promicantem insignibus, per aliquorum manus minime dubito revolvendum. Hæc priscorum temporibus Danorum, Ragenarii scilicet ejusque sociorum, meritis ipsius sancti pontificis superno favore mundo concessa, ad aures usque serenissimi regis Caroli digna passim relatione pervulgata fluxerunt. Quibus ille gavisus, veluti eorum pretiositate se regnante munificentior redderetur orbis, mandavit ea solerti diligentia notari, atque ecclesiastico jure catholicis paginis aggregari. Tunc namque memorati sancti Præsulis Cœnobio præerat domnus et abbas vir venerabilis Ebroinus [a], Pictavensis ecclesiæ sedis episcopus. Hic regali censura injunctum sibi negotium quomodo perficeretur incumbens, duobus hoc delegavit agendum ejusdem B nostræ congregationis fratribus, maturitate pariter ac scientia provectis : qui pro sui quisque sensus ubertate seorsum scribentes, ediderunt exinde singuli singula opuscula. Quod utrumque a præfato domno antistite Ebroino aliisque recitantibus approbati placuit [*f.* non placuit], sed alterum alteri utcunque præferri. Idcirco mansit amborum inusitatus labor usque ad tempus domni Gozlini [b] ejusdem loci præcipui Patris. Quod cum sibi jam aliquorum quidem post tempus annorum ita compertum fuisset, præcipit mihi non ut sapientiori, sed ut manuali potius fratri, quatenus unum et duobus coadunarem corpusculum. Tantum ut si qua prosus invenirem superflua, reciderem : quæve minus compta, florentioris styli venustate, nihil extra veritatem faciens, poli- C rem. Quod ego fateor non viribus, nisi cœlitus datis, aut ingenio tumens arripui ; sed magis obedientia tanto primati debita fidens suscepi : merebarque mihi noxam criminis, si jubentis domini jussa prosequi negligerem.

INCIPIT PROLOGUS AIMOINI MONACHI.

Sicut laude dignos credimus eos, qui gesta vel miracula sanctorum, quæ divina virtus per eos operari dignatur, ad ædificationem fidelium scribere satagunt : ita absque dubio scimus culpari illos, qui D præ desidia ac torpore mentis ea litteris tradere ad profectum negligunt futurorum. Jam veluti a summo quotidie ad amorem Dei studiumque bene vivendi excitantur plurimi, legentes in libris facta sanctorum Patrum, eorumque ac si præsentia sacra cernentes miracula. Proinde unusquisque talenti donum habens timeat, ne forte audiat quod ille malus servus, qui acceptam pecuniam ac male humo defossam, ad Dominum sine usuræ lucris reportare non formidavit. Hoc non solum sponte agendum, verum etiam et cum injungitur, summopere injungentis est imperio parendum. Plura quidem ac stupenda dignaque relatu omnipotens Deus per eumdem beatum Antistitem præteritis nostrisque dignatus est patrare tempori

[a] Erat is summus capellanus Caroli regis, ut notavit Sirmondus ad capitulare tertium Caroli Calvi in Verno palatio habitum præsidente Ebroino.

[b] Et is Caroli Calvi cancellarius fuit post Ludovicum abbatem, dein mortuo Carolo episcopus Parisiensis, de quo rursus infra.

bus, quæ ob inertiam silentio sunt pressa, atque per incuriam scriptorum omissa. Tunc vero ea quæ noviter cunctarum rerum Conditori gratia ejusdem sanctissimi viri placuit operari, auxiliante Domino et ipsius sancti juvantibus meritis, jubente domno rege Ebroino antistiti ejusque monasterii rectori, A licet incompto atque inerudito, veraci tamen ac fideli sermone læti conamur perstringere, et ut veraciter sunt gesta, atque etiam in populo Nortmannorum jam vulgata tam præsentibus quam futuris legenda relinquere.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Anno incarnationis Domini Jesu Christi octingentesimo quadragesimo sexto, regis autem præcellentissimi Caroli sexto, cum regnum Francorum post obitum domni Ludovici imperatoris varias divisum esset in partes, et peccata populi crescerent, sanguisque sanguinem tangeret; Deo permittente, flagitiis quidem exigentibus actum est nostris, ut exteræ nationes e propriis egrederentur sedibus, videlicet gens Danorum, qui vulgo Nortmanni, id est Septentrionales homines appellantur : et superbo tumentique corde cum valido navium apparatu Christianorum fines intrarunt, qui huc illucque furentes, atque cum magna superbia cuncta gyrantes, cœperunt vastando per diversas insulas maris, donec nemine sibi resistente fluvium Sequanæ ingressi, Rotomaco [*Rouen*] sorte incredibili applicarent. Cumque in eadem civitate aliquantisper demorantes, regionis principes (quod absque ingenti contritione cordis effari nequivimus) ad bellandum pigros timidosque adverterent; exeuntes, a navibus, longe lateque diffusi, cœperunt utriusque sexus multitudinem trucidare, captivare, villas, monasteria, ecclesiasque depopulando cremare, totamque suæ libidinis immensitatem cum omni crudelitate in populum Dei debachando exercere : quousque ad locum, qui vocatur Caroli venna [a], ventis velisque suæ malignitati justo Dei judicio secundantibus, ultra spem securi navigando venirent. Tunc gloriosus princeps rex Carolus, quia propter subitaneum eorum ascensum ex toto non poterat, convocata aliqua sui exercitus parte, venit primum [b] ad monasterium Macharii Dionysii, ut ejus orationibus fultus, securius contra Dei suosque pergeret inimicos. Deinde ut erat, uti adolescens, animo armisque strenuus, ad supra dictum locum pugnaturus accessit; paratus non solum dimicare, sed etiam pro fide, proque defensione sanctæ Dei Ecclesiæ laudabiliter mori. Cujus adversarii cognoscentes adventum, deverterunt ad alteram prædicti fluminis ripam, ubi quædam parva tantum pars populi erat : quibus confestim in fugam versis, in insula quadam ejusdem fluvii ad opprobrium Christianorum plus minus indecim captivos B subdibus suspenderunt, multosque alios per domos et arbores confixerunt, atque nonnullos per villas camposque miserabili insecutione trucidantes peremerunt : ipsoque sacratissimo Paschali festivitatis sabbato Parisiis pervenientes, vacuam penitus ipsam urbem quondam populosam, et omnia in circuitu illius monasteria a suis habitatoribus deserta repererunt. Timor siquidem et metus universos invaserat, ut puta merito iniquitatis divino enudatos auxilio atque ideo mundanæ defensionis destitutos solatio. Quis, rogo, non doleret, antequam bellam committeretur, fugatum exercitum; antequam jaceretur sagitta, confossum; ante scuti-collisionem, ignominiose subactum ? Universorum namque ordo penitus in Ecclesia confusus atque a bonitatis studio permu- C tatus, hoc ipsa privatione bono usque ad existii fomitem digna satis ultione promeruerat. At pius Pater justus, deliquentium semper correctot, correctorumque clemens susceptor, non hoc intulit ut nos ob innumera delictorum nostrorum pondera crudelis damnaret, sed ut per immensam suæ largitatis benignitatem afflictos emendaret. Tunc, proh dolor ! sacritissimum beati Germani corpus de suo effossum sepulcro, in possessionem quandam ejusdem Ecclesiæ, quæ Cumbis [c] dicitur, delatum est. Sed quæ facundia quive sermo exponere potest, qualis dum hæc agerentur, quantusque in eadem Ecclesia exstitit luctus ? Senes itaque ac juvenes, pueri flebant et infantes, utpote nemo sese a lacrymis temperare valens. Similiter et aliorum corpora sanctorum in eodem D pago degentium extumulata, atque per diversa sunt loca deportata, exceptis duntaxat membris Macharii Dionysii sociorumque ejus martyrum : quæ licet a

[a] Caroli-venna, id est Caroli piscatura. Carolus Calvus in diplomate pro monasterio S. Dionysii apud Sirmondum in Notis ad Capitula : *Et solitum censum de venna, quæ est super fluvium Loch in pago Tellau*, etc. Caroli-venna locus erat prope *Rioilum*, a Carolo Martello piscatura instructus, ut constat ex litteris Ludovici Augusti, quas postea huic loco illustrando referemus; nec longe aberat Cella S. Germani, ex sequenti capite 6. Hinc colligimus fuisse locum illum, qui hactenus nomen hæsit vernacule *Chalevanne* ad Sequanam, paulum supra oppidum S. Germani in silva Ledia : a quo loco non longe distat vicus Rotoialus, seu Rioilus, vulgo *Rueil;* et Cella sancti Germani, *la Celle*. In quodam chartulario nostro Germanensi exstat *Arbitrium Roberti Abbatis S. Victoris datum anno* 1253 in gratiam Germanensium contra Dionysianos de molendino Caroli-vennæ ante annos duos ab illis erecto, et in Dionysiano item chartulario diploma Philippi tertii Francorum regis, quo justitiam *altam et bassam apud Caroli-vennam* monachiis Dionysianis cedit.

[b] Vides jam tum in more positum fuisse, ut rex Francorum bellum præliumve suscepturus S. Dionysio coram se suumque exercitum commendaret, quod posteri religiose observarunt. Lege caput 20 libri II de miraculis S. Dionysii infra ad annum 784.

[c] Cumbæ villa, *Combes la ville*, vicus in pago Briegio, sexto milliari a Lutecia Parisiorum, olim de jure monasterii S. Germani in codice Irminonis abbatis.

suis fuerint abstracta sepulcris, propter tamen regis præsentiam, non sunt tunc ad alia loca [a] transire compulsa. Statuerat quippe rex populo videlicet a se labente, ut vel jam dicti sancti martyris monasterium defenderet, eo quod divæ memoriæ genitor illius eum, cum esset parvulus, eidem sancto speciali traditione commendasset.

CAPUT II.

Hoc interea juxta narrationis ordinem inseratur, quod dum sanctum ejus moveretur corpus, cunctipotens Dominus dignatus est ostendere. Nam dum in effossione ipsius, et quomodo portari deberetur unanimes intenti essemus, cereis pro reverentia accensis, casu accidit ut unus, quem puer incaute tenebat, e manibus ipsius labens rueret, totoque privatus exstingueretur lumine : quem cum a solo idem puer cum omni velocitate levasset, lumen amissum ab altero mutuare cupiens, meritis tanti patroni actum est, ut statim in manibus ejus cereus illuminaretur exstinctus. Quod quidem mirum, nec ab re tamen ducimus, si ibidem ignis divinus resplenduit, ubi, quamvis lugubre, filius venerabatur lucis. Unde qui aderant universi gratias Deo referentes atque præclara pontificis merita collaudantes, cœperunt magis magisque in psalmodiis Deique laudibus esse devoti, quousque opus, licet triste, consummaretur honeste.

CAPUT III.

Num visio illa quæ aliquibus ipsius monasterii fratribus eadem nocte, qua beatissimum ejus corpus effossum est, antequam aurora subsequentis appareret diei, ostensa est, ut non dicatur omitti debet? Cum ergo ad fluvium Sequanæ sua quæque ad naves ferentes, prima ipsius noctis vigilia quidam perrexissent fratres, indeque ad monasterium jam remearent, apparuit eis secumque etiam comitantibus famulis tam immensus claritatis splendor super eam ecclesiæ partem, qua ejusdem sanctissimi viri corpus positum erat, ut claritati æquaretur diei, eademque ecclesia veluti igne supposito videretur cremari. Qui cum intra se nimium mirarentur, et eorum corda hujuscemodi considerationes stupefacta hærerent, visio paulatim deficiens disparuit. Pervenientesque ad monasterium sciscitati sunt, si aliquis Fratrum ea hora cum lumine super ipsam fuisset ecclesiam. Nemine tamen qui fuerit reperto, cognoverunt visionem angelicam divina virtute meritis sancti patratam, qui sua migratura ossa piosque cineres talis sibi claritatis concessa gratia invisere curavisset.

CAPUT IV.

Illud quoque insigne miraculum, quod ante biennium quo hæc acciderunt, cuidam monacho ipsius monasterii ætate moribusque grandævo ostensum est, minime oportet silere : cujus exempla actusque eximii si sequantur, plurimum prodesse poterunt ad salutem. Vidit isdem quadam nocte positus in sopore, beatum Germanum quasi suo egredientem de sepulcro, expeditum atque ad iter agendum præparatum. Qui veluti sciens eumdem esse beatissimum Dei famulum, interrogavit humili voce, quo tali processu abire disposuerit. At ille migraturum se ex eodem loco respondit. Quem rursus animo quidem timenti interrogans ait : Domine, et si tunc abieris, nos tantilli tui servuli quid postea faciemus? Cui quasi tristi vultu et cum magno mœrore, ut eidem fratri videbatur, ait : Et vos ex isto migrabitis loco, attamen vere cognoscetis quoniam et ego revertar, vosque miseratione divina simul cum tempore disposito remeabitis. Quam visionem verissimam fuisse, ea quæ consequenti fine sunt completa declararunt.

CAPUT V.

Nec illud quod cuidam in eadem ecclesia revelante Christo patefactum est, et silentio præterire debemus : quoniam dum prædicamus talia, excitantur audientium corda ad melliflua sanctorum deposcenda suffragia. Quidam vero religiosus ejusdem monasterii frater, cum alii completorio peracto festinarent ad requiem, quo fessa post diei laborem corpora lectulis reclinarent, sesse ille ante sepulcrum beati Germani peculiaris orationis causa projecit. Cumque diu cœlorum ac totius mundi Dominum pro suis exorans delictis, opem beati Germani cœterorumque sanctorum intento corde fidelibus cunctis deposceret (jam enim frequens paganorum rumor ad nostras certissime percrebuerat aures), ante quindecim fere dies adventus illorum hæc mirabilis sibi ostensa est visio. Nam ab oratione qui jacuerat surgens, apertis vidit oculis, ut olim totum mundum Pater Benedictus, sepulcrum beatissimi Germani veluti patefactum, ipsumque sanctissimum corpus indisruptis vestibus indutum, atque ministerio ut fuerat divino in ipso sarcophago ordinate compositum, quemadmodum ipse post paululum omnesque qui simul adfuimus, dolendum inspeximus. Sic Dominus, suo dilecto sanctusque Germanus ostendere voluit, quod in brevi peccatis facientibus nostris erat implendum. Nec visio prius quam visionis sequentia omnibus panditur.

CAPUT VI.

In memorato denique Caroli-vennæ loco ipsi Nortmannorum populi se victores seque superiores esse conspicientes, dum adhuc morarentur, exeuntes a navibus Cellam nostram, quæ contra vel secus eumdem locum posita est, cursu propero festinantes intraverunt. Unde miraculum quod illic tunc factum comperimus, optimum si narretur putamus. Namque in eadem Cella [b] ecclesiis apostoli Petri almique

[a] Lege tamen translationem Reliquiarum S. Dionysii in libro III de Miraculis S. Dionysii infra ad annum 784.

[b] *Cella Equilina* dicitur in codice Irminionis, quod non longe sit a silva Equilina. Hæc est Cella, quam Wandremarus Abbas S. Germano dedisse memoratur, hactenus de ure Cœnobii nostri vulgo *la Celle*.

Germani ignem terque quaterque supponere nitentes cum defecissent, eas incendere amborum meritis non valentes, claustra ejusdem Cellæ tandem egressi, horreum quod ibi erat juxta positum cremaverunt: ex quo tantus flammarum globus aeris alta petens ascendit, qui quasdam arbores ultra etiam jam dictam Cellam virentes incenderet, ipsas vero ecclesias intactas integras ut erant relinqueret. Cum insuper ventus australis validissime flaret, totumque fere incendium eamdem in partem projiceret, illico septentrionalis e regione spirans intumuit: atque in alterius partis latus australem mira conversione reflectens, omnem vim pariter retorsit. Ita mirabilis Deus, qui famulos suos secum fulgentes in cœlis semper mira communi pietatis gratia operatur in terris.

CAPUT VII.

Cum igitur sabbato paschali diffusa navium classis Parisius, ut supra relatum est, pervenisset, in crastinum cum suos jam sol lucifluos emitteret radios propria totum illustrans lampade mundum, e navibus prorumpentes, ipsam civitatem, ut præmisimus, vicinaque suburbana absque habitatoribus repererunt: ingressique monasterium beatissimi Germani, Dei fanum residuumque ecclesiæ, quod securitatis damno remanserat apparatum, contaminare, pollutisque manibus cœperunt destruere. Sed quia Domino miserante nec ibi virtus defuit ejusdem sanctissimi Patris, minime debent reticeri, quæ tunc illic totius mundi Creator ad laudem sui nominis gratia ipsius pontificis ostendere dignatus est miracula. Quæ quia nemo nostrum interfuit, penitus ignorabamus: postea tamen a fidelibus missis Ludovici Bejuvariorum regis, Kobbone videlicet aliisque quos ad principem Nortmannorum Horich nomine legationis causa direxerat, ea cognovimus: qui nobis illa fideliter narraverunt, quemadmodum ipsi (ut testati sunt) coram Horich præsentes ex parte viderunt, atque ex parte ab ipsis qui tunc in ipsa ecclesia, quando hæc gesta sunt, simul aderant Christianis audierunt. Nam cum trabes ecclesiæ miserrimus ille populus, quia erant abiegnæ, et idcirco habiles navigio, incidere tentavissent; tres ex maligno eorum numero ante altaris crepidinem beati Stephani, invalidi totius virtutis robore ruentes ceciderunt, atque confracti incredulas Deoque odibiles animas aliis timore perculsis exhalantes, perpetuas descenderunt ad umbras, ubi edax vermis eorum non morietur, et nimius eorum ignis non exstinguetur.

CAPUT VIII.

Cumque illud Dei templum a trabibus ita cessatum totumque simul depopularentur monasterium, accidit ut unus eorum etiam apud eos nefandissimus ad confessionem domni Germani strinctum gladium polluta gestans manu (mira quidem dicentur) deveniret, columnamque marmoream, quæ ibidem A orantibus ad dexteram sita erat, tredecies totiusque corporis adnisu veluti capulans hostem percuteret. Cui continuo ita manus dexteræ, qua columnam ipsam inciderat, virilitas evanuit, ut post illum diem (quemadmodum idem Kobbo vidit, qui et eas incisiones nobis ignorantibus præsens ostendit) usque ad infelicem ejus ex hac vita discessum semper immobilis aridaque et ut fuerat extensa permaneret: manubrium vero ferri ita manu compaginatum inhæserat, ut nunquam ab ea aliquo ingenio vel arte nisi cum cutis parte avelli potuerit. Qui tamdiu nimia vexatione compatientis corporis cruciatus est, donec miserrimam finiret vitam, plenus indignationis et iræ, manibus dæmoniorum devectus ad tartareas sedes cocyti fœtidumque lacum averni.

B

CAPUT IX.

Operæ prætium fore credimus, si et illud magnum narretur miraculum. Igitur dum ipsum sanctissimum oratorium a crudelissimi impie violaretur turba, tanta subito nebulæ est densitate repletum, ejusdemque obsceni violatores ita divini judicii cæcitate perculsi, quatenus illud metu ac tremore nimio pavefacti linquere cupientes, vix ostia vel fores per quas intraverant invenire valerent. Sicque in oberrando diutius fatigati, tandem erumpentes quantocius effugerunt, tali ab illo die tantoque pervas terrore, quo non ausi ulterius essent quacunque fœditate ipsam contaminare ecclesiam. Insuper et ita dysentiriæ morbo exinde (ut est vulgatum) sunt afflicti, ut dum quotidie morerentur, nullus ex tanta C multitudine se putaret evadere.

CAPUT X.

Interea simulato languore, legationis causa dirigunt ad præcellentissimum regem Carolum, ut eos cum pace fideles suscipiens, ad propriam dato regni tributo redire permitteret patriam. His ita placitis, rege quidem nolente, principibus tamen quibusdam (ut fatebatur) muneribus læsis, Ragenarius dux eorum, cunctique principes ad regem, qui tunc in monasterio Macharii Dionysii residebat, adducuntur: per deos, perque ea quibus maxime se protegi ac salvari putabant testantes numima vel arma, quatenus nequaquam ulterius vel fines sui regni nisi fortasse auxiliatores intrarent aut contingerent. Qui ita dimissi atque pro sui evasione quam minime D speraverant gavisi, pariter quo venerant accepta auri argentique imposita summa læti redierunt: sed revertentes, morbo quo in prædicta ecclesia perculsi fuerant quotidie deficientes cruciabantur, cruciatique nequissimas miserabiliter animas exspirabant, nemine quos secum habebant Christianorum hujusmodi plagam sentiente. In quibus omnibus Dei est consideranda potentia, ejusque pietas amplectenda, qui tam misericorditer salvat innocuos, tamque terribliter sanctos suos mirificando punit profanos.

CAPUT XI.

Quid in eadem ecclesia, postquam major pars

fratrum ab exsulatu reversa fuit, gestum est silentio premere non debemus. Necdum enim sacratissima beati viri ossa ad proprium fuerant reportata sepulcrum. Una namque noctium, custodibus ejusdem ecclesiæ dormientibus, antequam fratres ad referendas Deo laudes more solito exitarentur, auditur ab eisdem coram altari sancti Stephani strepitus dæmoniorum ingens, veluti hominum multitudo ad aliquid putaretur discurrens. Qui confestim surgentes, et cum lumine totam ecclesiam circumeuntes cum neminem reperissent, intellexerunt fraudem fallaciamque dæmonum fuisse; qui nimirum dolebant se expelli a sanctis sedibus templi, in quod, dum a perfidis permissum fuerat pollui, haud dubium quin aliquantulum juxta illud : *Et pilosi saltabunt ibi* (*Isa.* XIII, 21), intrandi licitum habuerint. Postquam autem sacri ejus cineres relati atque suo loco Christo favente sunt restituti, nihil tale in eadem basilica ipsius sanctitate promerente auditum est.

CAPUT XII.

Siquidem Ragenarius dux auctorque totius memorati mali, ante profanum Horich Nortmannorum principem cum ingenti superbia veniens, ostendit ei quod secum hinc asportaverat aurum argentumque multum : dixitque quod opinatissima Parisius civitatem captam haberet ; quodque mansionem Germani senis, quæ in eadem terra decentissima haberetur, intrasset ; insuper et quod omne Caroli regnum sibi ratione tributi subjugatum haberet. Horich autem dum talia non crederet, jussit jam dictus Ragenarius partem incisæ trabis monasterii domni Germani, seramque portæ Parisiacæ urbis ante eum in testimonium adduci. Præterea retulit ei quam bonam quamque fertilem uti omnibus repletam copiis invenisse terram : populum vero eam incolentem, ad dimicandum pavidum ac trementem : referebatque dicens quod majorem ibi mortui quam viventes haberent virtutem, nullumque invenerit sibi resistentem, præter Germanum senem mortuum. Hæc cum diceret, tremens illico ac pavens corruit in terram, atque terrifica cœpit voce clamare, Germanum coram assistere, eumque se baculo quem manu gestabat graviter flagellare. Quod videntes Horich scilicet universique sibi assistentes, ipseque Kobbo Luduwici regis illuc directus legatus, ex hoc quod acciderat stupore nimio permoti admirati sunt. Isdem vero Ragenarius sic humiliatus ac repente contritus, aliorum manibus cito sublatus recessit. Qui maximis per triduum tormentis ignominiose afflictus, præcepit tandem unam auream suæ similitudinis statuam fieri, atque per eumdem Kobbonem Germano seni deferri, spondes se, si evaderet, Christianum deinceps futurum, Deumque Christianorum indubitanter crediturum ; sed quia non erat ex ovibus Christi, idcirco quod petebat obtinere non meruit. Ita prorsus inflatus, quemadmodum nobis idem Kobbo manifestum fecit, ac totus turgidus exstitit, ut nec audibus, nec visus, nec odoratus, vel gustus in ejus corpore discerni potuerit. Sicque diffusis ad postremum visceribus medius crepuit, vitamque miserrimus mane finivit. Statua vero sacris oblationibus indigna, a quibus delegata fuerat retenta, veluti immundissima a mundissimo cordium inspectore refutata remansit.

CAPUT XIII.

Sed adhuc qualiter qui residui fuerant ex hac defecerint vita, prosequendo narremus. Ad eo sane die, quo monasterium almi præsulis Germani ingressi sunt, donec pœnaliter cuncti interirent, ita, ut diximus, turgenti sunt (Kobbone teste) viscerum inflatione perculsi; quatenus omnis eorum cœtus etiam in patria quotidie moriens periret, præter quos Horich postea jussit occidit. Timens etenim ipse ejusque optimates et populus pariter universus hujuscemodi morte pessima damnari, præcepit omnes qui residui erant, exceptis paucis fuga lapsis, quos nec mortis credimus evasisse exitium, decollari : eorumque capita veluti satisfaciens morbo, Christiano qui captivus illic erat populo tradi. Nam ita clades ingrassata Deo permittente sæviebat in plures, ut pene quicunque morbidum tangeret, exemplo eodem adtactus morbo et ipse deficeret. Insuper jussit cunctos captivos qui Christianitatis vocabulo censerentur, in regno suo perquiri, eosque cum libertate et honore absque alicujus contradictione in suam patriam reverti. Qui etiam hæc et alia ultra quam sint inserta dicebant. Nos tamen ea quæ a videntibus percepimus, solummodo ponere disposuimus ; magnum satis habentes, quod victoriam quam populi multitudo, communi obstante crimine, ex inimicis habere non potuit, beatus Germanus inclytus meritis, gloriosus miraculis, apud Deum tali donatus triumpho obtinere promeruit.

CAPUT XIV.

Quia vero duce Christo hucusque signorum dulcedinem sequentes processimus, nunc ordinem quo ipsius beatissimi corpus relatum sit dicere aggrediamur, his præmissis quæ in villa Cumbis accedentibus infirmis, ejus patrociniis donata cognovimus : quæ quo magis narrantur, eo amplius juvat a piæ narrationis tramite non discedere. Igitur cum quidam puer Dagenus nomine, ex familia ejusdem monasterii, surdus et mutus, omniumque membrorum officio destitutus, ad præfatam villam auxilio parentum deportatus fuisset, ita est subito meritis ipsius gloriosi pontificis pristinæ redditus sanitati, ut et loqueretur pariter et audiret : et qui paralyticus manibus devectus venerat alienis, ovans ac lætabundus tribus in se miris ostensis, propriis jam cœpit ire vestigiis. Namque a terra post paululum incolumis surgens, eum magna cordis alacritate illis qui aderant aiebat : Ecce, ecce adest beatus Germanus, per quem me totum Deo gratias agnosco curatum.

CAPUT XV.

Nec illud omitti debet, quod Christus ad laudem et

gloriam famuli sui largiri dignatus est, quod etiam audientibus proficere credimus. Fuerunt itaque in eadem villa duæ puellæ, longo tempore sic febribus valde vexatæ, ut vix jam pedibus incedere valerent, quibus nec ulla medicinæ ars eatenus potuerit subvenire. Quæ cum fiducia magna ad eamdem ecclesiam in qua sanctissima ejus membra posita erant pergentes, petierunt a custodibus ut saltem sub tanti pontificis venerabile corpus eis transitus præberetur. At illi fidem illarum plenam considerantes, promiserunt eas sicut humili petebant prece transire. Nec fides præmium distulit. Ita sane ipsius sancti corporis transito feretro ab eamdem infirmitate mox curatæ sunt, ut nullam exinde molestiam per idem tempus ulterius paterentur. Ergo mirabilis Deus in sanctis suis, qui non solum eos in præsenti gratiarum donis mirificat, verum et post mortem tantis beneficiorum muneribus eorum meritis largientibus præstitis miraculorum glorificat signis.

CAPUT XVI.

Post hæc cum ejus sacratissimum corpus a supradicta villa Cumbis ad monasterium reportaretur; quod tunc in via actum est manifestare placet in populis. Tanti denique præsulis beatissima membra monachis cum laudibus et hymnis ad proprium referentibus locum, contigit ut cereus qui præferebatur ardens, validissimo flante vento, etiam in laterna in qua positus erat, exstingueretur. Dumque cum equo ad villam quis propter ignem qui rursus debuisset accendi ire voluisset, cœlitus effulsit, ut omnibus qui aderant, tanquam exstinctus non fuisset, in eadem laterna rutilans appareret. Unde ad hujus rei testimonium in eodem loco a fidelibus crux lignea [a] ponitur : ut quod ibi tunc gestum est, quodque priusquam ad monasterium perveniretur geminatum miraculum, a transeuntibus futurisque non ignoretur generationibus.

CAPUT XVII.

Ventum est autem non paucis sanatis infirmis cum magnificentia et honoris obsequio ad Theodasium [b] ejusdem sancti villam : unde sequenti die comitantibus rursum virtutum prodigiis gratanter egressi, venerunt psallentes rectoque itinere gradientes usque ad fluvium qui vulgo dicitur Biber [c]. Quo transmisso venerabilis præsul et abbas ipsius monasterii domnus Ebroinus obviam venit, multique utriusque sexus, diversi gradus et ordinis cum crucibus et cereis, reliquoque sanctissimo apparatu cum eo : plebs quoque civitatis villarumque circumquaque non modica, cum omni alacritate ac devotione cordis universi currentes. Nam clerici magna cum voce Deum laudantes, singultu interdum quatiente psallebant : populi autem nunc præ immenso gaudio lacrymas fundentes, nunc vero præ cordis A jubilo exsultantes, innumeras Deo gratias referebant. Nec uberior mœstitiæ fletus in transmigratione, quam lætitiæ exstitit in reversione. Præfatus itaque antistes, aliique ad hoc delecti sacerdotes nobilesque viri, sacratissimum ejus corpus propriis humeris vicissim gestantes, reliquis omnibus ante et post feretrum cum laudibus et hymnis tripudiantibus bajulantiumque vestes attingere festinantibus, ad propriam deportaverunt ecclesiam. Cumque ad primam monasterii portam pervenisset, cœperunt hymnum *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*, cœlo resonante ante ipsum decantare, ponentes eum super altare sancti Stephani in eadem ecclesia principali. Ubi tandiu mansit, donec translationis ejus festus dies, quæ octavo Kalendas Augusta celebratur, B adveniret. Tunc accedens memoratus abbas domnus Ebroinus episcopus, tulit illum, et collocavit in suo sarcophago cum metu et nimia diligentia benedicentibus universis qui aderant ac laudantibus Deum.

CAPUT XVIII.

Denique postquam ejus sacratissimum corpus in suo est collocatum sepulcro, illam visionem silendo præterire non debemus, quæ cuidam fratri nostro in eodem cœnobio quadam nocte revelata est. Videbantur enim illi in sopere posito omnes fratres ipsius monasterii stantes in choro vestibus induti solemnibus, loquentes ad invicem quasi de his quæ acciderant malis : respicientesque contra orientalem ejusdem ecclesiæ partem, viderunt beatissimum C Germanum veluti in habitu militari ante altare sancti Stephani galeatum atque mirifice loricatum stantem, et uti ex campo certaminis armigeratum fessumque venientem : aspiciensque cunctos, interrogavit usitato gentis nomine, ubi essent vel quo abiissent Nortmanni ipsius templi violatores, patriæ dissipatores, qui sua aliorumque sanctorum membra effodi compulissent. Cui humili satis (ut decebat) responso dixerunt, quia recessissent. Tunc venerabilis Pater, Bene, inquit, et Deo gratias respondit. Deinde in sedili quod ante memoratum altare paratum erat, ut eidem videtur fratri, residens, vocavit eos jussitque ut sese ad deponendum ea quæ portabat arma militaria juvarent. Interea quod aspiciebatur defecit. Nos vero tali habitu talique visione præfiguratum animadvertimus, quod jam veraciter factum esse co- D gnoscimus, ultionem dumtaxat a sancto viro ex inimicis cœlitus reportatam : cujus interrogatio eorum perditionis declaratio fuit. In armorum quoque deponendorum adjuvatione colligimus, quod eum, immo nosmetipsos bene juvando adjuvare debeamus, ne talia nobis aut illi pro nobis ultra proveniant.

CAPUT XIX.

Nunc igitur paulisper considerare libet, quam me-

a Crux ista inter Quinciacum et Villam-Novam S. Gregorii collocata dicitur.

b Theodasius, *Thiais*, vicus hactenus cœnobio Pratensi subjectus, altero milliari supra urbem, haud procul a Sequana. *Theodaxium* vocatur in codice Irminonis.

c Biber amnis, vulgo *la rivière de Bièvre*. Sequanæ miscetur ad urbem.

tuenda sint omnipotentis Dei judicia ; quanta sit A longanimitas atque justitia piissimi Creatoris nostri, vere terribilis in consiliis suis, patiens et æquissimus in universis operibus suis : qui si iratus servis suis negligentibus fuerit, cito illis pœnitentibus placatus reconciliabitur, atque visibilibus sive invisibilibus prostratis hostibus, pacem contritis corde cum victoria dabit. Sic de populo Israelitico sæpe legimus ; sic nostris temporibus frequenter audivimus ; sicque in nobis ipsis ejus pietatis gratia experti sumus. Ipse est enim Deus repellens et destruens, irascens et miserans, commotorumque contritiones sanans. Attendendum etiam beatissimus Germanus quantum sit glorificandus, quantumque venerandus, qui sic misericorditer juvat ad se cum fiducia confugientes, sicque terribiliter justis, quod est fatendum, meritis B percutit adversantes. Et quia longum ac difficile est per singula ejus virtutes retexere, maxime cum et antequam nasceretur ita dilectus gratusque Deo ut Joannes in utero matris exsultans inventus sit, cui virtus miraculi famulatrix exstiterit, placet in ejus laude hoc in loco paucis ludere versibus, sitque prioris libelli finis.

Hic est Germanus, voluit quem mater in alvo
Perdere, præsumptis haustibus atriferis.
Sed quia vitali fuerat respersus olivo,
Non potuit sanctum commaculare malum.
Nam fuit egregia genitus de stirpe parentum,
Qui quondam terris, nunc super astra nitet.
Optat enim fragili si quis dum carne manebat
Nosse fuit qualis, hic sua gesta legat.
Et cœlos postquam conscendit, quanta per ipsum
Gesserit Omnipotens, promere lingua nequit.
Linquitur hoc illi bibulas qui solus arenas,
Ac pelagi guttas dinumerare valet.
Hortor enim cunctos, maculat quos actio vitæ,
Hujus opem precibus poscere sæpe piis.
Debilis ad cujus venit si turba sepulcrum,
Inde means rediit sana favente Deo.

Cui nunc et semper gratias agamus, qui nos meritis hujus fidelissimi sui præsulis de tot tantisque malis eripuit, quique nobis quotidie innumerabilium donorum beneficia ejus suffragiis præstat, faciens magna et mirabilia sine numero : cui sit honor et potestas, decus et imperium per infinita sæcula sæculorum, Amen.

INCIPIT PRÆFATIO LIBRI SECUNDI.

Quia prioris libelli metas, optatum propinquantes C portum, Christo sermonis vela regente, attigimus ; acceptum ducimus ea modo miraculorum subnectere signa, quæ postea Dominus per ejusdem pontificis merita gloriosa dignatus est pandere. Illa quoque quæ rursus in ipsius sancti nostraque peregrinatione sunt facta, non incongrue addenda censerentur, nisi forte pudoris esse viderentur. Scilicet qui castigationis divinæ posthabitis eruditionibus, tempus emendationis necnon et fructum correctionis parvipendentes, ad hoc iterum prolapsi sumus, ut longiorem demum exsulationem dignissima expulsione pateremur. Sed absit ut vel nostra tacendo inaccusata pallietur iniquitas ; aut cœlestis qua sanaremur, nobis clementer adhibita quo non præconetur, reticeatur benignitas ; vel etiam tanti pontificis humanæ saluti largita virtutum gratia immemorata transiliatur.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Sancti vero corpus dum revectum, atque ordine supra digesto suo est in loco restitutum, accessit ex pago Oximensi [d'*Hyesme*] quædam paupercula mulier, nomine Hirmintrudis. Hæc per novem annorum curricula contractionis calamitate oppressa, de loco ad locum, nisi aliorum manibus delata, nequaquam incedere valebat. Cumque eam Dominus per gloriosum antistitem Germanum curare voluisset, nocte quadam superveniente, vidit duas sanctimoniales virgines præclaris vultibus coram se assistere, deferentes sibi panem et lac, signum futuræ sanitatis, hortantesque ut comederet : molestia namque infirmitatis fatigata obdormierat. Cumque comedisset ex his quæ attulerant, dixerunt illi : Surge et quomodocunque potes, Parisius ad sepulcrum beati Germani ire festina : cujus munere noscas te ex propria corporis debilitate curandum Quæ longo D ægritudinis vinculo de sua desperata salute, putavit se vano somni phantasmate deludi. Idipsum et parentes, quibus hæc retulerat, dicebant. Sed alia iterum nocte prædictæ virgines eidem apparentes, cum quadam indignatione, blando quidem sermone eam allocutæ dixerunt : Gaude, in proximo est enim ut cureris. Et quare quo tibi præcepimus non isti? valde igitur saltem nunc, nec moram feceris. Porro expergefacta mulier, auxilio tandem fratris asello levatur, sicque ante tumulum tanti patroni delata exponitur. Permissa itaque est in atrio ejusdem ecclesiæ ipsa nocte requiescere. Sed priusquam mediæ noctis spatium transmitteretur, evigilans, quasi quodam medicamine delibuta, per seipsam aggreditur ecclesiam, fratribus jam ex more vigiliarum solemnia celebrantibus. Interea membra sibi male cohærentia cœperunt resolvi, atque in antiquum mox officium reverti : quæ pro anxietate cordis corporisque relaxatione

magnas instituit voces emittere, ut omnes qui aderamus audivimus : factoque mane, illi Domino beati Germani precibus miserante propriis concessum est ambulare vestigiis : sicque per iter quo venerat rediens, omnibus bonum sibi largitum narrabat.

CAPUT II.

Nec illud præterire debemus quod simili modo factum contigit miraculum. Nam inter cæteros ex diverso properantes, venit quidam juvenis ex pago Bajocasino [*de Bayeux*] vocabulo Hildemodus, qui ita renibus contractus tribus continuo exstiterat annis, ut eo ipso dolore genuum ac tibiarum seu pedum privaretur officio : isque multa venerabilium sanctorum circumiens loca, quo pristinam illorum suffragiis recuperaret sospitatem, a nullo prorsus destinatus est sanari. Supra dicta autem sanctissimi pontificis imminente celebritate, a quodam venerabili viro per soporem est admonitus, ut monasterium ejusdem sanandus adiret. Qui nihil de visione dubitans, eo die qui eamdem præcedit solemnitatem, nono Kal. Augustas, cum ascellaribus venit ante sancti Patris sepulcrum, jaciens se pronus in terram. Cumque diutius pro sui recuperatione Deum beatissimumque præsulem intentissime exoraret, subito cœpit coram oculis omnium illic adstantium membra prolixa ægritudine torpentia gemens extendere. Nec mora. Statim namque surrexit benedicens Deum, sanctumque glorificans Germanum : et non solum ipse, verum et qui præsentes eramus, omnisque frequentia populi qui convenerat, pariter benediximus Domino, qui talia meritis sui confessoris dignabatur concedere.

CAPUT III.

Illud quoque quod divina bonitas eodem vespere ad famam nominis tanti viri ostendere voluit, reticeri non debet quin inter cætera narretur miraculorum insignia. Fuit quidam puer (ut putabatur) duodennis, de pago Aurelianensi et familia beati Patris Benedicti, qui de matris vulva in lucem renibus contractus ac genibus proruperat ; nec aliter se ullo modo movere poterat, nisi manibus nitens semivalidum promoveret corpusculum, insuper et ita ab ineunte ætate, officio loquendi privatus adoleverat, ut more ipsius lingua potius strepitum, quam verborum exprimeret sensum. Qui cum ad beati Caronis [*S. Chéron*] Martyris sepulcrum, qui juxta oppidum situm est Karnotinum [*Chartres*], a quolibet gratia pietatis deportatus fuisset, interventu ipsius sancti Caronis pedes ejus, contractione genuum perseverante, a posterioribus solummodo sunt disjuncti. Inde vero ad patrocinia almi patroni nostri quandoque perductus, obtentu misericordiæ permissus est ad sancti pontificis confessionem manere. Cumque jaceret fratribus jam in ecclesia vespere psal- A lentibus, cœperunt mox nervi atque nodi a nativitate contracti corporis resolvi, necnon et ad usum ambulandi divina miseratione per beati viri suffragium aptari : qui cum fide venienti impetrare potuit quod natura vitiata negaverat.

CAPUT IV.

Non enim debent esse (quod longe a fidelibus sit) oneri, quæ Christus suis sanctis amicis dignatur largiri. Nam qui gesta virtutesque eorum qui jam cum Domino in cœlesti regnant Hierusalem audire renuit, ipse procul dubio sibi testis exsistit, quia nondum ad illorum perfecte suspirat consortium. Contra vero qui recolit, legit vel audit ; ille utique, licet in terris adhuc positus, concivem illorum se evidenter esse demonstrat in excelsis. Igitur ex quadam pos- B sessione ipsius beati viri, quæ in pago Pinciacensi [a] sita Prunidus dicitur, fuit quidam homo nomine Adoardus, ita oculorum privatus lumine, ut illi continua nox esset, nec quidquam lucis haurire posset. Hic ad sancti pontificis festivitatem manibus, utpote cæcus, aliorum deductus, ad sacra missarum solemnia inter reliquos qui convenerant devotus adstabat : et ecce subito antequam Evangelium legi inchoaretur, cœpit ab ejus oculis magnus quasi lacrymarum fluxus mirum in modum manare. Cumque diu hoc ageretur, et ipse rivulorum fontem de suis maxillis crebra manus adhibitione extergeret, superno mox respectus intuitu, incipit paululum splendoris inspicere. Deinde gratias agens toto devotionis affectu, solo prostratus obnixe precabatur, ut sibi jam par- C tim reseratum lumen plenius redderetur. Nec ejus sunt preces apud Altissimum cordis inspectorem sanctumque frustratæ visum. Statim namque exauditus, pristinum recepit visum : missarumque peracta solemnitate, venit jam clare videns ante poliandrum [*id est* sepulcrum] beatissimi confessoris glorificans Deum, qui sibi ejus precibus, per tot annorum curricula luminis ademptam reddiderit dignitatem.

CAPUT V.

Ut igitur castigantis nos inæstimabilis divinæ bonitatis miseratio evidentius prædicetur, illa quæ rursus in ejusdem sancti ac nostra peregrinatione, ut meminimus, facta sunt miracula persequamur, etsi non sermone verborum copia phalerato, virtutum tamen speciositate colendo. Non post multos denique D annos, iteratis sæpius malis, suscitavit nobis Deus sævissimam earumdem gentium persecutionem qua nos merito affligeret, afflictosque ut pietatis pater emendationem compelleret. Nam quemadmodum prospera a recto tramite per mentis elationem aliquando deviant, ita et adversa per contriti cordis humilitatem ad nostri nos custodiam revocant. Sola enim vexatio intellectum dabit auditui. Hujus itaque persecutionis orto flagello, sanctorum circumquaque

[a] Pinciacum, *Poissy*, locus sexto milliari infra civitatem Parisiorum, S. Ludovici regis natalibus illustris, a quo non longe distat Prunidus, *Prunay*. Pinciacensis pagus longe extendebatur. Complectebatur siquidem villam *Magedon*, recentioribus *Meudon*, paulo infra eamdem civitatem, ex codice Irminonis ; *Surisnas*, vulgo *Suresnes*, ex diplomate Caroli cognomento Simplicis, etc.

jacentium corpora non solum a sepulcris instaurato dolore effossa, verum etiam et ad proprias possessiones sunt hac illacque devecta. Cumque paratum fuisset quo sanctissimi corpus Germani ad superius dictam villam Cumbis iterum ferri deberet, illud nos quod tunc ibidem gestum est miraculum dicere juvat. Quidam autem nostrum, nomine Adalarius, monachus et sacerdos, sic per tempus continua renum fatigatione debilis factus exstiterat, quo nullo modo per se vel ad modicum, nisi uno et præsertim duobus sustentatus baculis, incedere valeret. Quibus adductus venit ad ecclesiam inter reliquos gemens: accedensque ad sancti præsulis corpus jam ad efferendum feretro aptatum, studuit unus nec tardior quidem esse portantium. Et hoc divino suffragante auxilio precibus sancti sublevatus, relicto, imo, ut ipse post aiebat, oblito baculorum officio, vicissim peregit, usquedum ad præfatam Cumbis villam vinculo infirmitatis solutus pertingeret. Quo in loco beati corporis gleba super altare venerandum exposita, ipse gratias agens ad omne quidquid voluit sanus evasit.

CAPUT VI.

Deinde contigit post aliquod evolutum temporis spatium, ut illuc quispiam dæmonio plenus adduceretur, quem quatuor ferme viri tenere vix possent. Maligna quippe vigebat virtute, eratque ex ipsius sancti familiæ colonibus, atque de villa supra memorata Prunido. Advenit ergo manibus violentorum impulsus, tergiversatione reluctante hostis, Justi præsentiam nimium formidantis. Itaque multas illi adjurationes juxta consuetudinem exorcismi quidam nostri fecerunt, dantes insuper et haustum aquæ benedictæ. Sed ut in eo potius apostolici viri meritum præfulgens panderetur, universis ab eo tandem quiescentibus accessit ultima ejusdem exorabilis medicina. Qua depulsa callidi pervasoris morbida fœditate, omnis in eo incolumitas sensus vigore restituto informatur. Iniquissimo siquidem habitatore projecto, liber exivit captivus ab angue: remansitque non solum quatuor, sed uno minus homine valens.

CAPUT VII.

Adducitur et quædam femina utramque manum gestans aridam. Hæc olim pro qualibet sibi adhæsibili infirmitate ad sanctæ Mariæ [*Notre Dame de Moussy*] basilicam, quæ ibi prope sita est, annuale votum juxta suæ paupertatis modulum ex dimidii denarii quantitate constituerat. Sed adveniente Dominicæ Resurrectionis die, emit inde, blanda diei subripiente occasione, edulium carnis, atque comedit, parvipendens melius non vovere, quam post votum vota non reddere: statimque ut sole clauso gratia soporis cubilis sui secreta petivit, ita manibus voti violatricibus ea in nocte contrahitur, quemadmodum emortuo in eis operandi officio, palmarum A intima ungues producti penetrare viderentur. Quæ mane facto veniens, dum ante altare in quo sanctum quiescebat corpus statuta fuisset, sic post modicum emendato delicto, ut fuerat prius, sana regreditur: nec gloriosa domina gloriosum dedignata est Germanum consortem seu reparatorem sui habere miraculi.

CAPUT VIII.

Ut autem taceamus de reliquis ea tempestate per eumdem sanctum in eodem loco patratis miraculis, dicatur nunc illud de quodam cæco mirabiliter curato, qui dum alieni gressus solatio fuisset attractus, suam illic per dies exorando præstolabatur salutem. Nam et solitus erat alia nescio quadam intercurrente infirmitate, multas crebrius quam subitas B cum gemitu doloris effundere voces. Unde aliquando quasi importunus, et qui ecclesiæ silentiis esset inquietus, a quibusdam correptus, nimis mœrens aliorsum ire disponens recessit; destinavitque animo, ut ad quamdam ecclesiam in villa Ruoilo [a] in ipsius sancti honore dicatam, quia prope erat, diverteret; ibique dum tempus sui veniret miserendi maneret. Quod cum prævio se ducente fecisset, antequam ejusdem basilicæ januam intraret, lumen oculorum recepit: moxque tanta cœlitus sibi data visitatione jocundus, ad eumdem sanctum videns laudesque vociferans Cumbis revertitur. Fuit itaque gaudium fratribus universisque inibi conversantibus, atque per omnes circumquaque non modica admirationis lætitia. Hi ergo a quibus exasperatus recesserat, pœnitentes aiebant, se et alios tali facto commonitos, C ad pauperum debiliumque importunitates patientes esse debere.

CAPUT IX.

Hinc Helagiam, generosi sanguinis feminam, inter reliquos illuc venisse sanandam, simulque sanatam rediisse videamus. Hæc ita suffocationis molestia per prolixi temporis cursum elanguerat, ut nec saltem divinis aliquando interesse cupiens officiis, dum solius tantum legeretur Evangelii lectio, durare pedibus stando valeret. Neque hanc Dominus piis sancti carere voluit beneficiis. Quæ diebus plurimis alieno portatu subvecta, eam in qua ipsius erat corpus frequentans ecclesiam, cum cereis necnon et aliis oblationibus piissimum ex animo venerabatur patronum. Cumque terminus quo ejus devotionis labor D remunerari deberet, divinitus jam præfixus incumberet, statim cœlesti perfusa medicamine, tanta corporis valentia ante ejusdem sancti præsentiam donatur, quatenus Deo ipsique beatissimo gratias agens reparata saluti exsultans rediret.

CAPUT X.

Dignum ducimus quod in sequentibus rythmo continetur recolendum interserere miraculum. Nortmanni vero apud eumdem locum qui dicitur Oscellus [b], in

[a] Interpres Gallicus hunc locum interpretatur de vico *Ruyau* diœcesis Senonicæ, cujus tamen vici ecclesia S. Juliano vota est. Neque explicandus videtur hic locus de Rioilo vico pagi Pinciacensis ad Sequanam, cujus vici fit mentio in diplomate Ludovici Augusti, infra: nam istius loci ecclesia S. Petro sacrata dicitur.

[b] Istius loci meminit Carolus Galvus in libello pro-

quadam Sequanæ insula residentes, Parisius sæpedum prorsus placebat, navali excursu veniebant. Redimebantur ergo omnia in circuitu vicina monasteria, ne illorum sævitia impositis ignibus cremarentur; studebantque præterea vicissim equis, quatenus aliquos nobilium gratia pecuniæ capere possent. Unde veluti ex mitissimi viri domni Luduwici [a] abbatis redemptione, non modicum et incomparabile acquirebant lucri negotium. Et quotiescunque tale quid agere disposuissent, dissimulabant se multis diebus ante, nullatenus quoquam ire, ne cui illorum furtivus innotesceret adventus. Proinde decreverant mutua silentique consideratione Parisius sive ad nostrum aliquando percurre locum; omnesque ibidem sub malefida securitate commorantes insperate decipere. Restiterant siquidem in eodem monasterio qui ipsum custodirent fratres fere viginti. Quibus matutinale orto jam crepusculo Paschalis sacrosanctæ festivitatis officium celebrantibus, adsunt Nortmanni, qui Parasceve die equis ascensis iter arripuerant veniendi. Quos quidam nostrorum equites paulisper pervenientes, eorum eis quamvis sero malignum nuntiaverunt adventum. Illis autem non credentibus, sed magis laudibus divinis insistentibus, pagani sine mora insequentes venerunt, cunctosque ut erant in ecclesia circumcinxere psallentes. Tunc, quod magnum fuit declinandi subsidium, clausis in eorum oculis ecclesiæ portis, omnes sese in quæque latibula vel puteos immergentes absconderunt; quo non ex omnibus nisi unum equo fidentem, tanti præsulis suffragantibus meritis interficerent. Itaque fugientes, ante conspectum ipsorum ibant. Nec aliter inquam verissime, nisi ut quidam illorum ante enudatos etiam gladios, cum esset dies, illæst transierunt. Quibus ita angelica administratione salvatis, interfectis prænuntiis atque aliis in circuitu et in medio monasterii ex famillia plurimis, omnia veluti spurcissimi invasores quæque in ecclesia vel extra invenerant diripientes; cum proventus exsultatione. cellario fratrum igne supposito, reversi sunt. Tunc universi de qualibuscunque quibus se abdiderant egressi latebris, concurrente etiam hinc inde populo civitatis, subverterunt tantum Spiritus sancti gratia ignis ardorem, jam ad cuncta consumenda, spatia altiora petentem. Neque, quod postea nostris iterato contigit delictis, locus tunc penitus crematus disperiit.

CAPUT XI.

Cæterum ut sit memoria Justi cum laudibus, ad ea quæ in Novigento [b] villa nostra super Maternam fluvium sita dum ibi moraretur, dumque inde reverteretur facta dedicimus, sed non ad cuncta vertamus sermonem. Nam si camus per singula, exuberans erit modus in pagina. Contigerat ergo terrore paganorum ultra Parisius jam et castelli Milidonis [*Melun*] terminos excurrentium, sanctissimum, corpus ab Acmanto [*Esmant*] quo nuper delatum ablerat, illuc transferri. Homo igitur ex eadem villa illa infirmus per annos ut vix incedere posset, totoque corpore nulla sibi subveniente medicina debilitatibus adveniens- candelam secum detulit, munus fidei, pretium sanitatis. Sed antequam illam accendere conatus quod cœperat peregisset, quæsitum, videntibus qui aderant universis, e cœlo respectus donum percepit. Ergo si regni cœlorum inæstimabilis magnitudo cujuslibet quantitate pretii emi potest, multo magis vera fide sanitas corporis. Tantum enim Christianus accipit, quantum credit. Confestim siquidem oblato munere sanatur, atque domus suæ limina gaudens revisit.

CAPUT XII.

Erat ibidem sane concursus infirmorum hinc inde confluentium plurimus: quorum causas ut sic breviter colligam, cæci gaudebant videntes, claudi ambulantes, curati diversi febricitantes, atque plurimi variis corporum contagiis liberati gratias agebant lætantes: singulisque largiebatur remedii gratia, prout digni inveniebantur medicantis clementia. Ita quoque dumtaxat ut qui vespere debilis adveniret, mane facto sæpissime incolumis exiret. Inter quos puerulus de pago Stampensi [*d'Etampes*] insanus defertur: habebat enim contractione nervorum membra damnata. Qui a matre deportatus, deprecatur ipsa obnixe, ut se cum puero ea nocte in eadem basilica, in qua sancti præsulis corpus venerabatur, emanere liceret. Deinde hora ejusdem noctis adveniente, ut putabatur, jam media, puer, matre nesciente, solus adsurgens, per eamdem ecclesiam pedum cohæsione utcunque soluta ambulare tentabat. Evigilat mulier, gaudetque de nati visa salute: sicque ipsa atque sequenti nocte eodem in loco transacta, totus post biduum sospes affectus, genitrice jocunda recessit.

CAPUT XIII.

In eadem denique Novigento villa quæ et quanta fuerint (ut paulo supra retulimus) sanitatum charismata ejus bonitatis munere advenientibus exhibita, sine crimine fatemur nos ignorare. Quam vero fuerint innumera, ille qui dedit cooperator piissimus, solus novit Jesus. Ideo ad id quod ardet animus transeuntes, ejus reversionem mente hilari exponere festinemus. Fratres igitur qui illic aderant

clamationis adversus Wenilonem Senonum archiepiscopum. *Deinde contra paganos*, inquit, *ad insulam loci qui Oscellus dicitur perrexi.*

[a] Quidam imperitus in codicibus mss. hoc loco reposuit *Hilduini*, advertens nullum id nominis Ludovicum abbatem eo tempore Cœnobio S. Germani præfuisse. At retinendum nomen Luduwici seu Ludovici abbatis monasterii Dionysiani, qui ab Nortmannis captus ac pretio dato liberatus est. Lege Vitam S. Faronis in sæculo II.

[b] Novigentum Artaldi appellant, vernacule *Nogent l'Artaud*, in pago Briegio ad Maternam seu Matronam fluvium; habetur in codice Irminonis, nuper prædo vulgo dicto *Amblainvillers* commutatum.

sanctissima ejus corporis membra custodientes, una cum ipso loci ruinas saltem invisere festinantes egressi; Nortmannis jam amico pacis fœdere regno eductis, iter reversionis læti suscipiunt : fuitque eis in revertendo navalis congruus apparatus. Unde Maternæ fluvium pariterque Sequanam enavigantes, venerunt citra Biberis ac Sequanæ confluentia portum facientes : eductumque sacratissimum corpus navi, excepimus illud multi utriusque sexus et ordinis ibidem congregati, ut miraretur vix clericos ad eum tollendum accedere posse. Nam ex sui quondam episcopii domo, canonici primi uti pontifici adsistentes exceptionis peregere ministerium, hujus antiphonæ congruam jubilantes melodiam : *O quam venerandus es, egregie Germane confessor, qui terrena contempsisti, et cœli januam exsultans petisti! Modo victor fulges in virtute cœlesti, ideoque supplices te exoramus, ut intercedas pro nobis ad Dominum Deum nostrum.* Factaque geniculatione, ac ratione Dominica et missa pro universis solemniter dicta, ex monasterio sancti Petri necnon et beatæ Genovefæ virginis religiose accedentes clerici, eumdem sequentes ordinem cœperunt sancto humeris suscepto corpore hanc psallère antiphonam dicentes : *Iste est Germanus pontifex maximus, qui per supernam gratiam divina dans miracula, promissa sumens munera, vivit perenni gloria.* Deinde nos uti decebat servulos corruentes, salutationis novum habentes hymnum, verenter adfuimus : surgentesque a solo dignissima ejus reverentia prostrati jacueramus, post orationem et collectam, jam cuidam, contractæ feminæ ac cæcis duobus collato sanitatis benificio, quo unaquæque videlicet exceptio propro decoraretur miraculo, ita concrepantes intulimus :

Ave , præsul benedicte, ave nunc piissime,
O Germane, venerande Pater et eximie,
Plebis temet cum fideli comitantis agmine,
Veni jam, veni benigne, redi pastor optime,
Oves proprias require, ac paci restitue,
Nec tristari ultra sine de sublato pignore.
Deplorabat te cessisse dominum Lutecia,
Se plangebat et lugebat caruisse gloria,
Quam adplaudet recepisse jam tua præsentia.
Heu quam flebant et gemebant servi tui monachi,
Et caterva populorum cuncta nimis propria,
Cum fuisses exsul loco a tuo, sanctissime !
Quis illorum sermo valet planctus fari cordium,
Atque simul expedire fletus amarissimos
Quod sacerdos pietatis pulsus esset impie.
Qui si cessit feritati paganorum rigidæ,
Necnon loco vel ultrici flammæ ; tamen adfuit
Votis dignis famulorum præsens in periculis.
Unde juvat nos adire illud dictu nobile.
Quod stupendum et mirandum inferat miraculum,
Pro quo dignæ confessori referantur gratiæ.
Itaque dum illucessit Paschæ dies splendida,
Dumque laudes celebrarent matutinas Monachi,
A Circumdantes se paganos miro ludunt ordine.
Nam ut cunctos glorientur se cepisse miseri,
Utque gyro mox vallarunt omnes fere proximo,
Te precante liberantur prope capti servuli.
Dumque nullus sese putat habere superstitem,
Gladiatam evasisset qui Danorum aciem ;
Omnes se de locis mergunt additis incolumes.
Cerneres tunc lacrymantes non loquentes invicem,
Dum de necis quasi fauce se viderent surgere.
Vota solum cordis dabant tacita dignissime,
Unus tantum præpeditur cæcæ mortis obice,
Atque telo perforatur hostis velossime,
Ne tanto summus careret pontifex libamine.
Salve clemens, hinc precamur, salve præsul agie,
Omnem clerum te colentem cum devoto populo
B In præsenti ut mereamur uti prece commoda,
Hincque celsi paradisi regnum nobis obtine,
Quo simul tecum psallamus Patri laudes Domino,
Atque stoti Trinitati consonantes angelis,
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.
Cœli tuæ pleni manent atque terra gloria.
Osanna qui benedictus in excelsis venerat.
Gloria sit Deo Patri atque laus Altissimo,
Honor, virtus et potestas Jesu Christo Domino,
Dignitas et unus apex sit quoque Paraclito, Amen.

Quo ad finem usque ita completo, fuimus jam licet ex adverso proximi partim adustæ, nec non et permultum dissipatæ civitati, cujus demolita facies nos omnes in dolorem adducens, competenter exegit
C psallare : *Aspice, Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis, sedet in tristitia domina gentium, non est qui consoletur eam, nisi tu Deus noster.* Multi namque canentes, plures vero cernebantur plorantes : sicque processimus in pratum [a] usque, quod sub est monasterio. Eramus vero mœrentes, quod postea quam propriam intraveramus tellurem, nullas ut antea ostensas noveramus virtutes, sed ecce subito ex tanta populi multitudine unus procurrens accessit. Habebat enim causa pœnitentiæ ferri circulum in brachio, ut solet fieri, aretissime obvolutum. Jamque tempus increverat ex quo illi casu propriam occidenti matrem, hujusmodi pœna accesserat. Qui vociferans et tanti viri pietatem sibi adjutricem expostulans, ut manum ad feretum, quo sancti sacrum bajulabatur corpus, pallium saltem
D desuper contingere cupiens protendit, illico ferrum de brachio exsiliens mirandum crepuit, ita ut in aera sursum evolans videretur a multis. Quæ res nos universos hilariores efficiens, nonnullos etiam in lacrymas præ gaudio movit. Sed et caro armillæ hujusmodi asperitate in profundum exesa, quod gestum erat pretiosum pandebat miraculum.

CAPUT XIV.

Advenerat et quædam mulier adjumentis fidei comitata, quæ a cunabulis ita nuncupata, dicebatur

[a] Hinc monasterium dictum *S. Germani de Prato*, non tamen ante sæculum XI, si bene adverti, recentius *de Pratis*.

Electa. Hæc prorsus, ut nobis quasi eadem adhuc infirmitate dolens aiebat, ita per decem annorum curricula manus dexteræ ariditate contabuerat, quo nullo modo vel ad os eam porrigendi posset habuerit. Accedens itaque cœpit magnæ humilitatis precibus supplicare, quemadmodum sibimet tantum sub ejusdem sancti corporis feretro, ut eramus in ambulando, transitus concederetur. At ubi vix intromissa (erat enim compressio populi multa) transisset, sic illius aridæ manus debilitas extemplo curatur, quatenus omni recepto vigore, solitum propriæ actionis exerceret officium. Hanc namque vidimus incolumem, et Meroldum qui venerat cæcus, necnon et Aldegundem videntes.

CAPUT XV.

Pervenimus ergo psallentes nimia lassitudine ac solis ardore fatigati hora quasi sexta ad monasterii januam. Annus autem circuli resurgentis Christi octingentesimus sexagesimus tertius; dies vero mensis quarto decimo Kalendas computabur Augustas. Tunc hymno *Te Deum laudamus* incœpto, intravimus ecclesiam, deponentes idem sacro-sanctum corpus A super ipsum in quo prius jacuerat sepulcrum. Deinde concinentes antiphonam: *Laudem dicite Deo nostro omnes sancti ejus, et qui timetis eum pusilli et magni, quoniam regnabit Dominus Deus noster omnipotens, gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei*, facta oratione ad pro omni qui convenerat cœtu peracta missarum celebritate, intulimus illud in sancti Symphoriani cryptam, ubi primum migrans [a] quieverat, atque post ejusdem sancti martyris altare in præparato sibi tumulo venerandum posuimus. Unde evolutis temporum spatiis, atque monasterio jam ex parte reædificato, adveniens gloriosus semperque pius rex Carolus ejusque regni consors Richildis regina, simulque pater et pastor noster domnus Gauzlinus [b] abbas et Jngelvinus episcopus, aliique B præsules sive regni sui principes, retulerunt eadem sanctissima membra cum laudibus et hymnis ad propiis locum supulcri. Ubi auxiliante Deo et Domino nostro Jesu Christo, socia Spiritus sancti gratia, multi usque hodie venientes ejusdem sancti Pontificis meritis sanantur infirmi ad gloriam et laudem sanctæ et individuæ Trinitatis in sæcula sæculorum, Amen.

[a] Ergo id quod scribit auctor anonymus in libro Translationis superius edito, S. Germani corpus humanum fuisse primitus *in porticu ecclesiæ S. Vincentii*, explicandum est de sacello S. Symphoriani, quod hactenus exstat in atrio ecclesiæ.

In codice Irminonis abbatis exstant litteræ donationis paulo recentiori manu scriptæ, quibus Brunardus quidam ingenuus tradit *duos mansos propriæ hereditatis suæ beatissimo Præsuli Germano, sitos in villa ipsius sancti Pon-* C *tificis nomine Celciaco in pago Stampinse, eo tenore, ut de reditu et censu quod exinde exierit, queat lumen haberi ante sanctum ejus sepulcrum. Actum Parisius anno regni* x *Karoli, Kal. Aprilis, Abbate Gozlino.* Ex quibus apparet Gozlinum jam præfuisse monasterio anno 850, Hic subjiciendum est diploma Ludovici Augusti cognomento Pii, quo discimus situm Karoli-vennæ, cujus meminit Aimoinus superius initio libri I de miraculis S. Germani, ex ipsa originali membrana descriptum in hæç verba.

ACTA TRANSLATIONIS S. SAVINI MARTYRIS

AUCTORE AIMOINO

(Apud Marten., vet. Script. et Mon. ampl. Collect. tom. VI, p. 806, ex ms. illustrissimi domini *Chauyelin*, regiorum sigillorum custodis.)

OBSERVATIO PRÆVIA.

Acta translationis S. Savini martyris suppeditavit nobis codex antiquis illustrissimis domini *Chauvelin*, regiorum sigillorum custodis, ab annis circiter 800 axaratus. Aimoinus, illorum auctor, alter nobis non videtur a celeberrimo illo Aimonio Parisiensis S. Germani a Pratis monasterii asceta, qui tempore Caroli Calvi librum de inventione et translatione sancti Vincentii aliaque conscripsit. Et certe id non obscure in fine præfationis, ubi S. Savini *domnique mei Germani*, inquit, sanctitate, adjuvari se postulat.

In hoc autem opusculo duo præsertim occurrunt observanda. Primum, illustrem virum Baidulum clericum palatinum Majoris monasterii Turonensis abbatem, apud eruditos hactenus ignotum, S. Savini corpus ex ecclesia a Wandalis olim diruta, quamplurimis retro annis omnino deserta, ac vepribus et spinis obsita proprium Ceresiacum prædium transtulisse, ubi, ædificata in honorem genetricis Dei D Mariæ basilica, canonicos posuit et dotavit, variis beneficiis cumulavit. Secundo, locum illum, *posita ibi monachorum norma*, longe cultionem ac venerabiliorem evasisse, quippe *domus omnis cum ecclesia nobiliori atque ampliori schemate* consurrexit. Id auctoritate simul ac pietate Caroli Magni factum tradunt, qui monasterium regia magnificentia constructum restauratori ordinis monastici in Gallia Benedicto Anianensi abbati regendum commissit, ubi, congregata maxima monachorum caterva, Benedictina religio ita floruit, ut ad varias inde congregationis subsecutis temporibus diffusa fuerit. Ex S. Savini quippe monasterio ad restaurandam in Augustodunensi S. Martini cœnobio disciplinam cum sancto Hugone et sedecim aliis monachis assumptus est maximus ille Berno, qui postea Gignacensi, Balmensi ac demum Cluniacensi congregationi abbas præfuit : idque petente ac procurante Badilone comite, Æduensis asceterii restauratione, cujus olim,

ut conjicimus, Baidulus propinquus, S. Savini basilicam construxerat ac dotaverat.

Porro hæc Acta conscripsit Aimoinus ad petitionem Hucberti abbatis S. Savini, qui a vulgatis ha- A ctenus hujus cœnobii indicibus exsulavit, quique post Dodonem Benedicti Anianensis discipulum et successorem collocandus videtur.

AIMOINI PRÆFATIO.

1. Vere crediderim hoc tam parvum quam magnum hujus sequentis operis sacramentum mihi divina sanctique Savini præcipui testis Christi miseratione donatum : parvum dico quantitate voluminis, magnum vero reverentia martyris. Nam et talia ne legentium auditorumque sensibus fastidienda sint, paucis oportet innotesci. Et utinam, licet immeritus presbyter, is talis inveniar, qui et sancto deferam, ipsiusque amplexandæ congregationi, memorando videlicet ejus cœnobii Hucberto abbati, et sub eo pie colendis Patribus, aliquid eum honore futurum relinquam, utque ad sancti martyris laudem vestramque jucunditatem fieri possit, illius, domnique mei Germani sanctitate, vestrarumque orationum solamine, Dei sanctique Savini amici me supplex imploro juvari.

INCIPIT TRANSLATIO.

2. Ea sane tempestate qua Wandalorum populatio, B ut usque nunc ex antiquitate refertur, in vicinas exterasque longe lateque sæviebat nationes, ecclesia quæ desuper corpus erat beatissimi martyris Christi Savini, diruta, ipseque locus ita desolationi habitatorum absentia traditus est, ut eremi vastitate obsitus, per multum inhabitabilis desereretur annorum cursum. Quod et si aliqui, pauci duntaxat, restiterant vicini incolæ, et quorum manus ad hoc reparandum minime sufficerent. Tempus namque profusum transiit, sed non memoria oblita est loci : qui licet incultus, priscorum tamen volvebatur per or a sacratus, beatique Savini corpori scientissime dedicatus. Cumque longioris ævi defluxo jam spatio, Omnipotens et locum restaurari, et sanctum manifestius recoli disposuisset, quomodo acciderit gratum in brevi dicere C fuit.

3. Cum igitur quoddam pecus cujusdam coloni hominis aliquando aberasset a grege, ille, animali in pascualibus non invento, remotiora silvarum, de pecore desperatus, agressus est loca, repertoque extra pecoris vestigio, cœpit sequi donec spinarum ruborumque asperitate longius arceretur ab incœpto. Sed quod est pro perditis rusticorum pauperum, laborem quamvis gravem evincere persistens, ferro veprium omniumque stirpium sibi nocentium dextera lævaque impedimenta succidens, ad locum tandem sic desudans prorupit, in quo quadrupede quod quærebat jacenti conspecto, accessit, eum commovens, sed pecus ullo modo se levare non potuit. Obruerat enim intrans ejusdem olim basilicæ septa, taliter debile jacens, quatenus omnibus contractum D membris, nec assurgere, nec incedere penitus valeret. Brachiis tamen illud impositum portavit ad domum, vicinis gesta replicans universa.

4. Crescebat itaque hujusmodi narratio per dies atque dilatabatur prolixe. Manebat quidem de sancto, et ejus ecclesia vivens adhuc, ut præmisimus, fama : sed catenus quo fuerit in loco, mortuis jam qui noverant, ignorabatur. Non tamen deerant, qui a videntibus priorem ejusdem basilicæ statum, ea quæ tunc quasi nova dicebantur, se antea crebrius audisse certissime faterentur.

5. Interea quidam presbyter, nomine ac merito Bonitus, his diligentia attentis, institit divino sanctique martyris amore conductus, ecclesiam martyrii reconstruere, locumque ut est hodie habitationi restruere. Quod autem inter cætera unum ibidem miraculum a Bonimio sacerdote ipsius Boniti nepote comperimus, sufficiens ad id quod agitur interponere judicavimus. Aiebat enim inter hæc quæ ab eodem suo avunculo referri de sancto sæpius asserebat, quasi modo idem Bonitus equum sibi quondam furtim subtractum interpellatione domni Savini recuperare meruerit. Equo siquidem perdito, quid faceret, frenum necnon et sellam accepit, atque ante sancti tumulum sic increpitans, mœrensque projecit : Te, inquit, sancte martyr, cultui seu venerationi ecclesia tibi refecta, pro parvo possim et laborando restituere, tu, proh nefas, equum mihi tuis meritis, ut poteras, non custodisti. Equidem servio ecclesiam, num patior? Quod si rectum videtur, Deus discernat, tuque perpende, mihique equum restitue. Hæc et plura postquam sic veluti juste querelans intulit, reversus ad domum, nocte superincumbente, placido se sopori donavit, deinde galli voce somni torporem linquere monentis evigilans, officium nocturnale atque matutinale ante sancti sepulcrum reverenter solito complevit. Quo peracto, dum se ab ecclesia domui redderet, equus nuper furatus, nullo se regente, mox in facie præsto fuit, dominique præsepium, utpote notum repetens, stabulum cursu ingreditur : quod presbyter cernens, Domino sanctoque ejus martyri Savino grates rependens, studiosiorem se deinceps circa Dei martyris cultum exhibuit.

6. Erat denique vir prosapia clarus, rebus inclytus. Baïdilus clericus palatinus abba Majoris mona-

sterii Turonensis, hæreditaria ibidem juxta in villa A nuncupante Cerisio, jure propinquitatis possidens prædia : qui hujusmodi dum advenisset, agnitis negotiis, incipit prudenti animo audita meditari, atque si taliter esse vulgata possent sagaci perquisitione scrutari ; cumque ex præsentium et antiquorum relatione, insuper et miraculorum attestatione, idque etiam loco pandente, rem verissimam esse collegisset, conatibus piis sedulisque anhelare, quo et sibi ex sancti martyris parte cederet gratia, et sancto martyri ex suarum portione rerum amplificaretur dignitas. Quid inquam ? In eodem prædio, quod non antea molitus fuerat, in honore Virginis matris Christi, divinitus ardens condis, sacratque basilicam, habitationes facit, clericos imponit, necessaria cuncta exornat, demum vero ad sancti tumulum B cum fiducia, omnisque obsequii diligentia supplex accedens, celebratis officiis missarumque solemniis, Deum sanctumque postulans martyrem, ut illi quod nisus fuerat concedere perficere, tantum tamque copiosum pignus a loco in quo jacebat cum tremore psallens assumpsit. Ibat ergo feretro corporis supposito, gaudenter exsultans, nulla sibi in sancto opere impediente difficultate, quousque ad reverendam egregio martyri quam paraverat perveniret urnam ; in quo pretiosum, gratias agens divinas, corpus honeste recondens, dotem ecclesiæ ipsique martyri, totumque prædium familiamque donavit. Itaque Deum, quod suis annuerit votis, sanctumque Savinum magnifice laudans, gratulans exivit et ovans.

7. Cæterum dum vixit non cessavit conferre mu- C nera, augere beneficia, quibus locus ditaretur et cresceret. Plures quoque nobilium ejus actus eximios imitati, addiderunt thesauros, contulerunt alodos, multisque donis locus effulsit, positaque ibi monachorum norma, redditur quanto cultior, tanto prorsus venerabilior. Erat autem et est situ habilis, silvarum arborumque fructuosarum amœnitate jucundus, cum pratis et vineis, aqua et molendinis.

8. Ergo monachis post divinum persolutum officium, operibus manuum, quod suum eorum est, sollicite studentibus, domus omnis cum ecclesia nobiliori ampliorique schemate consurgit. Quorum bonitatis ordinisque religio, Deo sanctoque martyre suffragante, illic talis exstitit, quæ multorum et maxime magnatorum mentes ad recolendum dun- D taxat muneradumque locum dulciter invitaret. Talis floruit, talis cum bonarum actionum fructibus hactenus vernat, talis quæso et opto in Jesu Christo permanet.

9. Nec illam aliis omissis silendam reor quæ post venerabilem ejus corporis translationem præcipua facta fuisse dignoscitur virtus, ad ipsius sanctam evidentissime declarandam sanctitatem, et quia locum unde transpositus fuerat, etsi corpore, non tamen tuitione reliquerat. Presbyter vero inde cum per eamdem viam qua sancti martyris corpus translatum venerat, plaustrum musto onustum minaret, antequam domum pervenisset, ducilis a fundo karralis egressus in terram, nemine considerante, prosiliit : attamen mustus haud minus quam si obturatum esset foramen, nec una fluerat gutta, stetit, perventumque ad receptaculum plaustrum cum fuisset, presbyter accedens, et tonnam hanc inde si quiddam fecisset circumspiciens, animadvertit aperto foramine ducilem abesse, æstimans pavensque nihil in ea musti remansisse, famulos vehementi furore commotus arguere cœpit, et quare hoc minime providerint acriter ut tristis invehere : dumquo amaro nimis animo sic loquitur, unus retro recurrens ducilem a terra non longe jacentem recepit, atque ad patentem qui erat in tonna pertusum applicuit. Quo apposito, priusquam intro poneretur, impetus musti e regione prosiliens, ad barbam et pecius porrigentis ducilem usque volavit. Presbyter autem et qui astabant, pro hoc quod visu mirabile ostensum fuerat, attoniti stupuerunt, vocesque hymnidicas omnium Factori ejusque sancto martyri Savino in cœlum levatis manibus cum jubilatione dederunt. Sacerdos vero sub eadem summa qua illud in tonnam posuerat, vino recepto, ampliori voto et ore grates lætus exsolvit. Hoc et alia idem Bonimius a præfato Bonito avunculo suo frequenti relatu se accepisse fatebatur.

10. Sed quid plurima de sancto scribentes conferemus ? Nunquid illum majoris meriti ex hoc faciemus ? Ut si, verbi gratia, de Giboldi cursis inseramus perdibus sese introrsum ad invicem respicientibus, moxque sancti precatu superna miseratione directis ; ac de vinea illa juxta quam ejus corpus pausatum fuit, nec prius inde remotum, donec eadem ipsi daretur vinea ; vel de alio in somnis commoto a Franciæ partibus adveniente, manumque aridam diu habente, atque interventu martyris illic extemplo curato ; aut etiam de cæco ab annis triginta lumine oculorum privato, qui post trecentorum sexaginta mensium curricula ibidem illuminatus videns hilarisque recessit. Hæc et similia benignitate martyris ad ejus limina debilibus concessa, si modo, ut dixerim, superfluo exsequi incipiant, sanatorumque nomina, patrias villasque in quibus sunt nati vel ex quibus advenerunt, si disposuero recitare, me sobriis lectoribus avidisque auditoribus tædium inferre non abnego. Est autem mensura discretionis in divinis et hagiographis servanda scripturis, et si pauca de ipso referamus, nunquid ejus meriti virtutisque gratiam ex paucis mutilabimus dictis ? Hoc autem precamur sufficiat dictum, paucisque roboratum, quod beatus Savimus ita decenter translatus, pretiosus ac gloriosus habetur martyr Christi. Quod tam ipse quamque omnes Christum confitentes, rire confessores appellantur, cuidam ex eodem monasterio Deo subique devoto per revelationem spiritus ostendere voluit, se martyrem ob sanguinis pro Christo effusionem malle vocari.

11. Est enim meritis dives, precibus potens ,

ipsum rogemus, ipsumque humiles imploremus, quatenus ad eum qui se martyrem fecit, atque in cœlestibus martyrii præmio coronavit, pro nostra animæ corporisque salute intercedere dignetur, ut A ejus sanctorumque omnium orationibus crimina nostra idem Dominus solvat peccata seu commissa relaxet universa, gloriam vitamque conferrat sempiternam in sæcula sæculorum. Amen.

RATPERTUS

SANGALLENSIS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA IN RATPERTUM.

(Apud Pertzium, Monumenta Germ. Hist., tom. II.)

S. Galli celeberrimæ abbatiæ in Helvetia incunabula et casus describere, desinente sæculo nono, Ratpertus aggressus est (*a*), quod incœptum dien sæculo undecimo Ekkehardus IV, sæculo duodecimo Burchardus, sæculo decimo tertio Conradus de Fabaria, sæculo decimo quarto Christianus Kuchimeister prosecuti sunt, opere pro addiscenda medii ævi indole apprime accommodo.

Ratpertus Tiguro ortus, post medium sæculi noni in S. Gallo monasticam vitam amplexus est, magistros sortitus Marcellum et Isonem, ac condiscipulos S. Notkerum balbulum, Tutilonem, Hartmannum, Waltramum et Salomonem postea Constantiæ episcopum, viros illius ævi nominatissimus. Præfectus posthac ipse scholis, tam indefesso studios litteris incubuit, ut nec cura corporis, nec communi prece ab eis averti se pateretur, quippe tam raro domo egressus, ut integro anno duos calceos non attereret, diurnas psalmorum preces non frequentans cum dicto : *bonas missas facimus, si alios facere eas docemus.* Cum ei incumberet fratres ob commissa a superiore ex regulæ S. Benedicti præscripto ad fustigationem condemnatos, columnæ alligatos flagellis cædere, id munus in hujusmodi otiosos et inutiles acriter exercebat. Extremo decumbentem quadraginta canonici, ejus quondam discipuli, qui de multis Alamanniæ ecclesiis festum S. Galli celebraturi huc convenerant, invisere, quorum quilibet se pro eo defuncto triginta missas Deo oblaturum spondebat. Obii die 25 Octobris, circa annum 900. Ex iis quæ scripserat, supersunt præter hos Casus aliquæ chartæ traditionum, plures hymni sacri abs Jodoco Mezler Canisio traditi publicandi, et versio latina Vitæ S. Galli ab ipso ad usum populi rhythmo Teutonico concinnatæ. Stylus ejus, etsi tersior sit ac ætas ejus in plerisque ferebat, nihilominus B teutonismos et modos loquendi ex bibliis, liturgia et regula S. Benedicti mutuatos refert, ac quasdam rusticæ Latinitatis voces a scriptoribus sæculi VI et VII libris invectas habet. Pro more auctorum medii ævi vera narrans fallitur in dominibus propriis, aut aliquibus circumstantiis, quos infidæ memoriæ lapsus relata referentibus, et librorum ope destitutis accidisse nemo mirabitur. Primævus Casuum horum textus autori coævus est ; is reperitur in codice n. 614. canonibus Remedii episcopi, et ordinibus Romanis colligatus ; est scriptus ornate et correcte mendis scriptoris manu coæva emendatis. Huic codici tanta fidelitate studui inhærere, ut neque in voce, nec syllaba, nec littera ab eo secederem, litteris majusculis, et interpunctionibus exceptis, quæ, utpote obsoletæ, non videntur esse in recusis retinendæ, etsi illis quibus Romanos subinde usos fuisse fragmenta nostra codicum sæculo VII vetustiorum docent, satis conformes sint. In his enim C antiquissimis paginis pro commate punctum in medio lineæ, pro puncto speciem quandam puncti interrogationis positam, et numeros antecedens et subsequens punctum habere videmus. Habentur Ratperti Casus etiam in cod. n. 615, sed cum is de cod. n. 614 descriptus reperiatur, et sæculum VIII non superet, seponendum eum esse judicabam. Ratperti Casus primo edidit Melchior Goldastus 1606 Francofurti, secutus fidem sex codicum, sed recentiorum. Quæ causa est, quod in ejus editionem menda irrepserint, quæ, cum neque editores subsequentes ad codicem primigenium recurrerent, identidem recusa videmus.

In S. Gallo, 1824.

ILDEPHONSUS VON ARX,
Bibliothecarius.

(*a*) Notitias suas hausit ex Vitis SS. Columbani, Galli, et Otmari, ex antiquorum Patrum traditionibus, librisque et chartis authenticis apud S. Gallum adservatis ; sui denique temporis historiæ pars ipse non parva fuerat. PERTZ.

RATPERTI
DE CASIBUS MONASTERII S. GALLI
LIBER.

INCIPIT TEXTUS DE ORIGINE ET DIVERSIS CASIBUS MONASTERII SANCTI GALLI EDITUS A RATPERTO [a].

1. Postquam beatissimi viri, sanctus videlicet abba A Columbanus cum beato Gallo reliquisque discipulis suis, divinæ charitatis fervore succensi, relicta Hibernia, parentibus spretis prediisque paternis, per maria diversa Hiberniam transmearunt, et Gallias advenerunt, Sigibertum illius provinciæ regem adierunt. Qui, cognito eorum desiderio, devotissima mente famulis Christi concessit, ut ubicunque vellent, Dei servitio congruum sibi locum eligerent, et, ut illis placeret, incolerent; se vero in cunctis necessitatibus fautorem illis esse promisit. Quod et copiosissimi implevit. Ingressi igitur heremum quæ Vosegus nominatur, locum invenerunt antiquitus cultum, sed tunc vetustate conlapsum penitusque destructum, aquis tamen calidis speciosum, nomine Luxovium [b]. Protinus vero ibi cellulas construentes, felici vita B Christoque amabili conversatione usque ad tempora Sigiberti junioris filii [c] Hiltiberti, nepotis videlicet Sigiberti, perduraverunt.

Qui etiam benignissimam erga Sanctos habuit mentem. Sed Brunnehildis avia ipsius Sigiberti, uxor autem prioris Sigiberti, plena dæmonis, tenebrarum socia, lucis inimica, omnibus bonis contraria, non passa est Sanctos in illo consistere regno, nec requievit, donec eos inde perturbaret. Qui relicta terra illa spretaque diaboli filia, ad Lotharium regem pervenerunt. A quo benignissime suscepti, cum honore, ut cupiebant, ad Theodebertum regem Austrasiorum sunt perducti. A quo accepta potestate, per Alemanniam locum eligendi aptum divinæ servituti, Tuconiam [d] advenerunt, quæ est ad caput laci Turicini; ubi cum consistere C vellent, populumque ab errore dæmonum revocare — nam adhuc idolis immolabant — Gallo idola vana confringente [e] et in lacum vicinum demergente, populus in iram conversus, non sine multo et ignominioso damno sui generisque futuri, Sanctos exinde perpulerunt. Inde iter agentes, pervenerunt ad castrum quod Arbona [f] nuncupatur, juxta lacum Potamicum, ibique a Willimaro presbitero honorifice suscepti, septem dies continuos cum gaudio permanserunt. Qui a Sanctis interrogatus, si sciret locum in solitudine illorum proposito congruum, ostendit eis locum jucundissimum ad inhabitandum, nomine Brigantium [g].

Ibique reperientes templum olim Christianæ religioni dedicatum, nunc autem dæmonum imaginibus pollutum, mundado et consecrando in pristinum restituerunt statum, atque pro statuis quas ejecerunt, sanctæ Aureliæ reliquias [h] ibidem collocaverunt. Cellulas vero ibidem construentes, ibique degendo Christo servire volentes, prohibiti sunt a populo, cujus pars major adhuc erroribus diabolicis illudebatur. Indeque expulsus auctore Cunzone duce, sanctus Columbanus cum suis ad Agilolfum regem Longobardorum perrexit, sancto videlicet Gallo infirmitate detento in illis partibus derelicto. Quem etiam ob laborem itineris putans sanctus Columbanus ægritudinem simulare, officium illi altaris interdixit, dum ipse Columbanus in hac vita mansisset. [i] Hæc autem omnia quisquis plenius scire cupit, et quædam in hoc opusculo sequentia, a nobis vero ex aliqua parte contacta, in libris actuum eorumdem sanctorum [j] plenissime digesta reperiet. Nos vero, ut cœpimus, ex notis quæ sunt necessaria pauca ex parte tangamus, et ad intacta citius, Deo donante, properemus. Igitur beatus Gallus post felicis discessum magistri studiose cœpit inquirere locum in heremo ex alia parte castrii [k] præfati Alpibus contiguo divinis famulatibus aptum, quem et inventum aquis planitieque jucundum, duce quodam Willimari pre-

[a] Ratpertus (*Rathgeber*) constanter vocatur et non Ruhpertus (*Ruhebringer*) vel Rudpertus (*Larmmacher*). Is Tiguro se natum prodit hisce codici Tiguri asservato de SS. Felice et Regula inscriptis versibus :

Obsecro, da veniam patriam repedare gradatim,
Quam cupiens Felicem visere curro propinquam,
Germanamque ejus, quæ Regula jure vocatur.

[b] *Luxeuil* in comitatu Burgundiæ.

[c] Sigibertus junior filius Theodorici II, Childeberti II nepos, Sigiberti I pronepos fuit.

[d] Hodie *Tuggen* ad ostia Lintomagi.

[e] Ionas in Vita S. Columbani Wodani idola fuisset scribit Ratpertus in S. Galli cantilena Iovis, Ekkehardus IV Iovis et Neptuni.

[f] Hodie *Arbon*, Romanis Arbor felix, a S. Gallo tribus horis distans oppidum.

[g] Hodie *Bregenz* in supremo lacus Potamici sinu.

[h] Divæ hujus, quæ et Argentorati colebatur (*Gallia Christiana*), nulli scriptores sacri meminere ; videtur his in terris Romanorum tempore martyrium passa.

[i] Hæc post vocem *ægritudinem* a scriptore omissa alia manus coæva adposuit, secutaque indolem Teutonicæ linguæ pro *maneret* scripsit *mansisset*.

[j] Iste liber adhuc dum adest in bibliotheca S. Galli, n. 553.

[k] Nempe Arboris felicis.

sybiteri diacono, cum gratulatione suscepit non minima, ipsumque locum jejuniis et orationibus consecrando, cellulam ibidem, in qua ipse et cum eo Domino servituri commanerent, celeriter ædificavit Interea prædicti ducis Cunzonis filiam, sponsam [a] videlicet regis Sigiberti, spiritus malignus invasit, quem cum episcopi a rege directi, quorum etiam credebat sanctitati, ab ea expellere non potuissent, sed etiam cum ignominia ab eo expulsi fuissent, beatus Gallus non prima, sed jam secunda legatione atque humillima supplicatione ab eodem duce suscepta, locum in quo puella vexabatur, presbytero comitante, devenit, hostemque malignum oratione præmissa a pervasa domo imperiosa voce potenter ejecit, patrique puellam reddidit sanam, statimque ad dilectæ solitudinis chariorem rediit aulam. Præfatus igitur rex audiens puellam a passione tanta sanatam, suis eam præsentari jubebat aspectibus. Quæ interrogata a principe memorata de causa salvationis suæ, sanctum virum cum actibus suis, et beneficiis circa se per illum exhibitis ordine pandit, adjiciens et rogans, ut ipse cum suæ gratia pietatis dignaretur fovere. Quod rex benigne suscipiens, cujus heremi hospes exstiterit, inquisivit, comperiensque narrante puella aliisque fidelibus viris, ex parte ad regiam potestatem, aliunde vero ad possessionem nobilium viliorum [b] pertinere herenum ın qua Sanctus commanebat cum suis, protimus partem regiæ potestati cedentem præfato Sancto sua auctoritate contradidit [c], et constituit, ut tam ipse quam posteri ejus ibidem, scilicet ejus exemplo Domino servituri locum præfatum cum circumjacentibus silvarum commodis per regium auctoritatem deinceps firmissime retinerent. Et ut a nullo hoc imposterum destrui valeret, propriæ auctoritatis firmissima conscriptione munire decrevit, quod, ut bene cogitavit, optime perfecit. Cunzoni quoque duci præcepit, ut cum omnibus eidem heremovicinis necessitatibus sancti Galli sedulus ac studiosus fautor existeret, et in ædificiis, et in qualibuscumque rebus illius indigeret solatio, quod et devote complevit. Qua auctoritate talique firmitatis conscriptione locus iste tutus ab adversariis usque ad tempora Pipini et Caroli permansit. Religiosos etiam viros, qui eumdem sanctum in sua susceperunt, ejusdemque heremi jus hereditarium illi potestativa manu concesserunt, subter notare curavimus; quorum nomina hæc sunt: Willibertus videlicet presbyter, et Talto vir illustris, Tagoberti scilicet regis camararius et postea comes ejusdem pagi a quibus idem sanctus, cum in corpore viveret, eum augmentatione hujus loci non parva, maxima veneratione habitus est.

2. At postquam de corpore spiritum transmisit ad astras, a successoribus istorum locus iste ob amorem Sancti similiter augmentatus est usque ad tempora Caroli [d]. Taltonis vero filius fuit Thiotolt, cujus filius Pollo, Pollonis autem filius Waldpertus; qui genuit Waldrammum. Ipse vero Waldrammus [e] locum istum in omnibus ob amorem sancti Galli augere desiderans regularemque inibi vitam instituere cupiens, Otmarum sanctum virum a Victore, Rhetiæ Curiensis comite, impetravit, eique cellam præfatam cum omnibus ad eam pertinentibus commendavit, abbatemque constituit, ut in Vita ipsius plenissime continetur. Postea vero tempore procedente atque statu monasterii in melius proficiente, præfatus Waldrammus eumdem abbatem Otmarum Pippino regi præsentavit, ipsique regi monasterium, quod adhuc hæreditario jure in sua tenebat potestate, cum ipso pariter abbate contradidit. Ea videlicet causa, ut ipse abbas ejusque successores idem monasterium regia auctoritate retinentes, nullius deinde violentia premerentur, sed tantummodo regum jussionibus obedirent. Quod benivolus princeps benigne suscipiens, statim hujus causæ conscriptionem fieri præcepit; scilicet ut monachi ejusdem loci deinceps potestatem haberent abbatem eligere sibi, atque solis tantummodo regibus subjacerent. Quam conscriptionem suæ auctoritatis signaculo confirmavit [f], atque abbatem ipsum in sua remisit; qui idem monasterium per annos 40 feliciter rexit, Waldrammo prædicto 20 annis solatium illi præstante. Postea vero, ob quam causam, et quando, et qualiter idem abbas a Warino et Ruadhardo [g] exsilio damnatus, ad perpetuam sit coronam perductus, in libris Vitæ ipsius, qui scire desiderat, pleniter degesta reperiet. Post hæc vero Sydonius Constantiensis præsul, qui et monasterium, quod Auva [h] nominatur, in sua potestate habebat, instigantibus præfatis comitibus, cœpit inquirere monasterium nostrum, et in potesta-

[a] Multum negotii hæc sponsa, quam auctor Vitæ S. Galli Frideburgam nominat, eruditis Sigibertum sponsum adinvenire non scientibus facessebat.

[b] His, nempe Taltonibus illa silvæ pars, quæ humilior et Thurgoviæ locis cultis proximior erat, adpertinebat, quæ cum rotundum quoque montem complectebatur, cellam S. Galli attingebat, quæ hinc, incertis quoque et indefinitis finibus, jam in illorum, jam in regis fundo sita esse dicitur.

[c] Post devictos anno 497 Alamannos mahnam Helvetiæ partem fisco regio cessisse, liquet ex hac, et aliis donationibus, quas reges Francorum parthenoni Sekingensi in Glarona, Tigurino in Uri, monasterio Murbacensi Lucernæ, nobilibus Alsatis circa Windonissam, Lucernam, et Werd contradidere.

[d] Nempe Martelli.

[e] Waltrammus, ut charta anni 779 testatur, tribunus erat territorii vicini; is ex uxore Waltrada genuit Waltbertum, qui præcipitato anno cum matris ac fratrum assensu S. Gallo vineas, agros et ecclesiam in Rumanishorn (nunc *Romishorn*) contulit, et jus in sylva monasterio vicina lingua cædendi, porcos pàscendi, et runcando novalia moliendi.

[f] Neque hoc, neque supra memoratum donationis diploma supersunt.

[g] Warinus trium pagorum lacum Potamicum ambientium comes erat, Thurgoviæ, Linzgoviæ, et Hegoviæ. *Codex Trad. S. Galli.* Et Ruadhart anno 769 legitur comes in Baar. *loc. cit.* Quis utrorum Welforum stirpi adnumerandus sit, incertum.

[h] Augia dives in insula prope Constantiam sita.

tem episcopatus redigere. Quibus, ut illi solatio essent, beneficia promisit, atque donavit [a], Warino videlicet Vina, et Turinga, et Engi, Ruadhardo vero Antolvinga et Uzinhaha, Miloni autem advocato ipsius monasterii, ut illi solatium subtraxisset [b], sextam villam, quæ Heimbach nuncupatur, contradidit. Quam ob rem præfatus Sydonius, quod nequiter cœpit, auxiliantibus iniquis principibus pessime ad sui, ut postea res docuit, damnationem perfecit, monasteriumque ipsum in jus episcopatus redegit. Igitur prædictus episcopus fratres in monasterio sancti Galli multis injuriis semper afficiens, quodam die etiam majoribus ibi, si aliqui essent sibi contrarii, afflicturus calumniis, monasterium turbulentus ingreditur, et cum ante confessionem [c] sancti Galli quasi oraturus constitisset, quid in mente habuerit, pœna corporis et illuvies ventris, ut in Vita sancti Galli scriptum est, manifestavit: quo redundante supplicio ad Auvam perlatus, de cloaca corporis vitam exalavit plenam miseriis.

3. Post cujus obitum Johannes, monachus Augensis, Constantiæ episcopus ordinatus, amborum regimen suscepit cœnobiorum. Qui tres nepotes suos educavit, quibus honorem suum in tribus illis loci situm post suum discessum distribuere cogitavit. Quo agnito, fratres utriusque cœnobii episcopum pariter adierunt, rogantes ut privilegia eis apud principem acquireret, ac potestatem eligendi abbates, se vero, si hôc fieret, eosdem illius nepotes sibi abbates electuros polliciti sunt. Quod ille consensit, ac se facturum promisit. Tempore vero transacto, Carolus rex cum Hildigarda conjuge sua Romam profecturus, Constantiam advenit. Tempus vero opportunum se invenisse existimantes, utriusque monasterii fratres pro prædicta necessitate principem adeunt, ejusque clementiam interpellant. Rex vero episcopum, quid de hoc illi placeret, interrogavit. Episcopus autem æternæ beatitudinis gaudia illum exinde percepturum respondit, si talem et tantam securitatem famulis Christi absque ulla perturbatione Domino serviendi concederet. Quod audiens rex gavisus est, et protinus utriusque cœnobii fratribus, sancti Galli scilicet et Augensis, firmissima auctoritate privilegium optatum contradidit, ac scripta emunitatis ad hæc eadem retinenda fieri præcepit, quæ signaculo suæ auctoritatis firmavit [d], constituens atque præcipiens, ut post mortem episcopi monachi prædictorum monasteriorum potestatem haberent sibi eligendi abbates, et ut nulli absque regibus deinceps essent subjecti. Fratres igitur læti redierunt in sua. Episcopus autem cartas utrorumque, quas rex fieri præcepit, secum retinuit. Cum igitur idem præsul finem sibi præsentis vitæ cognosceret imminere, assumpta Augensium fratrum carta ad ipsum monasterium devenit, cartam autem fratrum de monasterio sancti Galli in scriniis Constantiensis Ecclesiæ dereliquit, eo quod noluissent nepotem illius sibi abbatem, sicut pridem promiserant, eligere. Senserant enim cartam a rege datam multum esse depravatam, et multo aliter, quam rex juberet et res eorum indigeret, esse conscriptam. Idcirco nepotem illius sibi abbatem eligere neglexerant. Similiter autem et fratres alterius monasterii fecerunt. Postquam igitur præfatus episcopus vita excessit, Augenses quemdam senem presbyterum et monachum, nomine Petrum, sibi elegerunt abbatem cum consilio Hildigardæ reginæ, cujus etiam adminiculo res apud illos ita perstitit, quia a Geroldo comite, germano prædictæ reginæ, locus ipse maxime constitit et augebatur. Nostri vero [e] Waltonem concœnobitam, virum sapientem, sibi abbatem, rege permittente, constituerunt. Sed non in finem res ita permansit, ut in sequentibus manifeste declarabimus.

4. Post obitum vero Johannis episcopi Egino episcopii Constantiensis jura suscepit, qui mox omnia insidiarum genera circa monasterium nostrum exercere non metuens, sicuti Sydonius sanctum Otmarum, ita et iste Waltonem persequi cœpit abbatem, quatenus iterum perverso more antecessorum suorum episcopatui subjiceret monasterium. Hujus igitur rei gratia optimatibus regis prædia et pecunias contulit infinitas, illosque ad consensum suum provocans, muneribusque, ut scriptum est, etiam sapientum obtutus excæcans, quod nequiter cœpit, illorum adminiculo pessime complevit; iterumque monasterium non æqui observatione episcopio subjici fecit. Carolus vero serenus augustus, cum voluisset prædictum abbatem cum episcopo pacificare, eo videlicet pacto, ut episcopi præcepto obediens, abbatis locum in monasterio ageret; præfatus Waldo, non valens diutius præsens intueri tantam dejectionem suorum, tale fertur regi dedisse responsum : *Cum enim*, inquit, *semel manus vestræ dominationis ingressus, tantæ celsitudinis merui dominio sublimari, nequaquam posthæc dum horum trium digitorum vigorem integrum teneo,* — nam scriptor erat eximius, — *vilioris personæ manibus me subdere decrevi.* Itaque cum consensu ipsius imperatoris ad vicinum monasterium, quod Auva nominatur, ibidem episcopo pactum hoc initum fuit.

[a] Asservantur adhuc chartæ, quibus S. Galli cœnobium villas has acquisivit. Viniæ de anno 754, Duringæ prope Buchhorn de 752, Uzinahæ ad lacum Tigurinum de 745.

[b] Teutonismus pro *subtraheret*.

[c] Hodie presbyterium.

[d] Ex hoc diplomate Vuramsiæ civitate, 8 Id. Mart. anno 12 regni dato erroris convincitur Ratpertus. Non enim cum Joanne, sed abs Joanne proabbate cum Sidonio

[e] Hic in codicis nostri margine manu sæculi XIII hæc adduntur : *Rupertum sibi constituerunt abbatem, quo post unum annum defuncto Waltonem*, etc. Rupertum quoque Hermannus Contractus, et tres abbatum catalogi sæculis XI, XII, XIII conscripti abbatibus S. Galli annumerant, a quibus e contra Constantienses episcopos Joannem, Eginonem, et Wolfleozum excludunt.

commoraturus, devenit. Ubi postea abbas electus A atque ordinatus, ad ultimum monasterium sancti Dionysii [a] suscepit regendum.

5. Tunc prædictus episcopus assumens quendam presbyterum forensem [b], nomine Werdonem, obtulit eum ad nostrum monasterium, ut abbatem illum constituisset; ne, si de monachis eisdem aliquem ordinasset, res ab eo aliquatenus cedere videretur. Quem tamen monachi in tali habitu commanentem minime susceperunt abbatem. Quod cum sensisset idem Werdo, cum conversatione habitum mutavit, et tunc demum monachicis indutus vestimentis susceptus, atque, ut decreverat episcopus, abbas est ordinatus. Tunc vero, quodam perversæ fidei pacto inter episcopum et abbatem contra monachorum necessitates effecto, res nostræ magis ac magis in deso- B lationem vergere cœperunt, cum hi qui tutores esse debuerant, afflixissent, et nullus esset ex nostris, qui eos prohibere potuisset. Habuerunt autem adhuc fratres monasterii nostri firmissimum emunitatis præceptum, quod beatæ memoriæ domnus Pippinus rex illis scribi jusserat, propriaque manu firmatum contradiderat, in quo etiam multum confisi sunt: quod etiam idem episcopus maximo studio sæpius investigabat, sed invenire non poterat. Ipsum quoque præceptum, quod superius a Carolo imperatore sub Johanne episcopo factum monstravimus, adhuc in Constantiæ scriniis detentum, a monachis non recipiebatur, eo quod, ut superius diximus, depravatum atque contra imperatoris præceptum illorumque necessitatem fuisset conscriptum. Contigit autem tempore quodam Wolfharium Reminsem episcopum, C legatione a domno Carolo sibi injuncta, justitias in Rhetia Curiense faciendas [c], ad ipsum pagum venisse, indeque reversum ad nostrum monasterium devenisse, ibique, prout illis facultas erat, benigne susceptus, devoto servitio sustentatus est.

Quem cum non lateret calumnia et injustitia, quas passi sunt incolæ monasterii nostri, prædictum emunitatis præceptum sibi ostendere rogavit, quod cum vidisset ac perlegisset, hortatus est eos, ut per aliquem fidum hominem firmitatis cartam domno imperatori dirigerent, se vero res eorum notas imperatori facturum, atque auxilium illis præbiturum promisit. Cujus consilio consentientes, cuidam vasallo imperatoris, nomine Engilrammo, in cujus fide multum præsumebant, ipsam cartam immo totius D securitatis [d] spem commendaverunt. Qui etiam in altario sancti Galli juravit se ipsam cartam regi perlaturum, atque ipsis monachis cautissime esse redditurum; quod, suadente diabolo, aliter quam promisisset [e] effecit. Denique discedente eo de monasterio atque secum cartam portante, episcopo res innotuit, qui protinus directis illi muneribus non parvis, præfatum cartam, sicut diu cupivit, accepit atque in suam potestatem redegit. Statim vero cupiens penitus omnem spem securitatis nostris auferre, ad ipsum monasterium venit, atque cautissima investigatione perquisivit si alicubi aliquod exemplar ipsius cartæ inveniri potuisset [f]. Quod cum nequaquam invenisset, quia omnino non erat, delatum est ei, quod Amalgarius [g] monachus et diaconus eam exemplari tradere voluisset. Cujus facti licet ille securus esset, tamen nequaquam de hoc aliter apud episcopum se potuit excusare, nisi in altario sancti Galli cum juramento firmaret, nec se eam ullo modo habere scriptam, nec in aliquo loco scire esse conscriptam. Tunc demum episcopus, securus suæ voluntatis effectus, rediit in sua, atque monachis nostris, qui secum soliti erant commorari, quasi ob aliam causam a se foras transmissis, sepe memoratam cartam ignibus tradidit atque in favillam redegit, ut postea res nobis innotuit.

Temporibus vero transactis, Egino episcopus finem vitæ presentis accepit anno ab incarnatione Domini 813, anno autem imparii [h] Caroli serenissimi augusti 46. Post cujus obitum episcopatum Constantiensis Ecclesiæ adeptus est Wolfleoz, monasterii sancti Galli cœnobiota.

6. Werdone vero abbate postea vitam finiente, Cozbertus, ejusdem congregationis monachus, a fratribus est abba electus, et ordinatus, vir statura procerus, sapientia quoque morumque dignitate præcipuus, anno ab incarnatione Domini 816, anno autem imperii Hludowici imperatoris, filii præfati Caroli augusti, tertio [i]. Cum igitur Wofleoz episcopus more antecessorum suorum etiam causas monasterii suæ subjiceret ditioni, incolæ monasterii, quasi in proprio fratre et converso, consolationem in eo se habere posse confisi sunt; ille vero non solum mitior cæteris non existens, aliqua in parte illis de quibus venit pepercit, sed etiam, in quantum potuit, more Hieroboam digitum suum dorso antecessorum suorum erga sibi subjectos grossiorem exhibere tentavit, monachosque de quibus exivit, cessante priorum exemplo, affligere non destitit. Quæ omnia, quanta et qualia fuerint, non decet memoriæ tradere; tamen necessaria huic textui subnectimus, sed et paucissima. Idem namque episcopus, cum omnes monasterii causas sibi, ubicunque vellet, adferri jussisset, nihilominus ad libitus suos sæpius idem monasterium invisens, omnes ibidem ministeriorum consuetudines ad suas detorserat voluptates. Denique cellario cunctisque similibus monasterii

[a] Parisiis anno 796. *Mabillon. Annal.*

[b] Id est sacerdotem sæcularem.

[c] Hunc Wolfharium sub Carolo M. missum dominicum egisse testatur Marlot in Hist. Rhemensi.

[d] Id est, jus liberæ electionis abbatum.

[e] Per Teutonismum ponitur Plusquamperfectum pro Imperfecto.

[f] Idem Teutonismus.

[g] Amalgerum officia portarii, cellerarii, præpositi obiisse chartæ traditionum testantur. Eum ante altare aureum sedulo orare consuevisse, scribit Ermenricus in Cod. n. 265.

[h] Melius regni Francici.

[i] Seu quarto.

officinis laicales præfecit personas, sibi forinsecus ministrare solitas; nullusque eorum qui ad hæc eadem ministeria constituti fuerant monachorum, vel intrare aut de his aliquatenus habuit potestatem tractare vel habere [a]. Quare contigit, non solum alia necessaria, sed etiam victum, supremum videlicet corporis sustentaculum, omnino fratribus defecisse. Tantæ igitur causa necessitatis Hludowicum piissimum imperatorem fratres de monasterio sancti Galli adierunt, ejusque clementiam suæ miseriæ solamen esse poscebant. Episcopus quoque eodem tempore præsens aderat, coepiscoporum confisus solatio, aliorumque familiarium regis, quos omnes suæ partis sciebat esse adminiculatores monachorumque adversarios. Maximam tamen suæ pertinatiæ fiduciam habuit in quadam carta, quæ diabolicis machinationibus a quodam diaboli ministro conscripta, non solum idem monasterium, sed et alia loca non pauca falsissime canebat [b] ad episcopii partes quasi hereditario jure pertinere. Monachi vero econtra nullam eo tempore suæ securitatis cartam habuerunt, una, ut prædiximus, concremata, alia vero, sicut etiam præfati sumus, quam suscipere ob aliquam causam monachi noluerunt, ab episcopo detenta. Cum vero altercatio inter episcopum et monachos oriretur coram principe, episcopum petiit: ut sua carta coram imperatore legeretur, et secundum eam res dijudicarentur. Ipsam autem, quam supra commemoravimus, mendis plenissimam præferre [c] cogitavit. Sed divina pietas suis, quibus humana deerant solatia, superna dignata est, intercedente sancto Gallo, conferre subsidia. Denique episcopus, cum de manibus proprii ministri suæ voluntatis se putaret accipere cartam, immo sancti Galli famulos destruendos invidiosam decipulam, non eam quam voluit, sed proficuo nobis errore aliam cartam imperatori cunctisque principibus, causæ penitus ignarus, coram designavit, quam ab imperatore Karolo sub Johanne episcopo nobis factam, sed a nostris antecessoribus ob alicujus infandæ additionis maculam non receptam supra memoravimus. Quam cum piissimus imperator suscepisset, sigillumque sui patris recognoscendo intuitus esset, venerando deosculatus est, circumque adstantibus similiter ho- A noris causa deosculandum contradidit. Deinde carta traditur legenda.

Cum vero audisset episcopus contra suum decretum cartæ procedere textum, protinus recusavit istam, asserens perversam, aliamque cupiens suæ perversitatis in præsentiam adferre scripturam. Quod benivolus imperator non consensit, sed tantæ auctoritatis firmitatem monachis restituendo contradidit, ut liberi ad sua redeuntes, potestatem deinceps eligendi abbates haberent, nullamque potestatem episcopi absque magisterii causa spiritalis super eos deinceps haberent; excepto quodam censu quem de monasterio ad episcopatum persolvi debere singulis annis, hoc est unum equum et unam unciam auri [d], supra memorata carta [e] asserebat. Insuper B etiam præfatus princeps ad augmentum securitatis eorum cartam emunitatis sua auctoritate illis contradidit [f]. Quibus peractis, monachi cum suo abbate Gozperto ad monasterium rediere letantes, episcopo nihilominus ad sua cum tristitia redeunte. Gozpertus vero abbas una cum suis ad monasterium rediens, omni studio satagebat circa communem fratrum utilitatem omnem sui laboris inpendere sollertiam, nostræ in omnibus rebus congregationis ubicunque potuit commoda cumulando; ad augmentum quoque nostri monasterii, veteri destructa, novam sancto Gallo cœpit ædificare basilicam, quæ hodie rationabili proceræque magnitudinis statura cernentibus apparet constructa [g], anno videlicet incarnationis Domini 830, Hludovici vero imperatoris C 17. Quam utique spacio septem annorum ad plenum ædificando perduxit, annoque nono dedicationem ipsius basilicæ perpetravit, convenientibus ad idem monasterium Wolfleozo, ad cujus diocesim pertinebat, Constantiensi episcopo, unaque Oadalricho Basiliensi episcopo, Erlebaldo [h] quoque Augensis monasterii abbate [i] cum aliquantis suæ congregationis fratribus præsente manente [j] aliisque Alamannorum principibus non paucis. Dedicatione igitur ipsius basilicæ gloriose cœpta et non sine signorum claritate honorifice peracta, postea præfatus abba Gozpertus in omnibus monasterii nostri utilitatibus sine cessatione se studuit exercere. Librorum enim, quorum maxima penuria [k] in nostro loco

[a] Lege: *tractandi vel habendi.*

[b] Lege: *cavebat.*

[c] Lege: *proferre.*

[d] Is idem census, quem monasteria libera regi persolvebant.

[e] Voces *Adulterata a Joanne* adscripsit postea Ekkehardus IV.

[f] Superest hoc diploma Aquisgrani 6 Kal. Febr., anno 2 imperii, indict. 9 datum.

[g] Ejus ichnographia haud dubie a regis architecto Gerungo delineata, et Gozberto diacono missa, et pedes 3 1/2 longa, et 2 1/2 pedes lata adhuc superest. Winiharius et Isenricus monachi operi præerant, columnæ lapideæ omnes immensis molibus advectæ fuere. *Epistola Ermenrici.*

[h] Pro Erlebaldo anno 838 defuncto putant aliqui ejus successorem a Ratperto fuisse nominandum.

[i] Quæ sequuntur usque ad vocem *dedicatione* diversa D manu, coæva tamen, scripta sunt.

[j] Hujus translationis acta a S. Galli monacho e Scotia oriundo conscripta, Ratperto in bibliotheca evolvere proclive erat. *Vide catalogum librorum sæc.* IX.

[k] Attamen aderant Romano charactere sæculis V, VI, VII exarati, ut tum ex residuis fragmentis, v. g., Virgilii, Evangelii, etc., tum ex novem codicibus rescriptis, tum et ex nota *antiquum, antiquissimum, vetus, vetus valde, legi non potest* multis codicibus in catalogo bibliothecæ sæculi IX adjecta manifestum fit. Sæculo quoque VIII S. Galli ascetas libris scribendis jam insudasse, testantur multi ex hoc ævo superstites codices, præcipue epistolæ S. Pauli n. 70 et liber prophetarum n. 44, ac ea quæ Ratpertus de scriptore Waltone habet.

usque ad illius tempus exstiterat, tantam copiam ille patravit, ut locus iste ex eorum multiplicatione non parum excresceret. Qui, quales, et quot fuerint, qui diligentius quæsierit, invenire poterit.

7. Tempore vero procedente idem abbas, cum jam ætatis gravitatem corporisque infirmitatem non sufficere crederet ad instantium necessitatem negotiotiorum, a Hludowico clementissimo augusto impetravit ut Bernwicus monachus noster, successor illi existeret; quod statim, ut ille postulavit, effectum est. Ordinatus est vero Bernwicus abbas vivente Gozperto, anno incarnationis Domini 837, Hludowici autem imperatoris 24. Post hæc vero Hludowicus imperator 12. Kal. Jul. de hac luce migravit anno incarnationis Domini 840. Eodem etiam anno facta est solis eclypsis 3. Non. Maii in vigilia ascensionis Domini [a]. Post obitum vero Hludowici imperatoris maxima discordia orta est inter filios ejus, Hlotharium, qui primus fuit ætate, et Hludowicum et Carolum. Itaque Hlotharius cum esset ætate primus, potentia utique et multitudine populorum post se declinantium cæteros præcellebat. Cum igitur, ut diximus, maxima pars populorum Hlotharium sequeretur, contigit et Bernwicum nostrum abbatem illius partis fuisse adminiculatorem. Nec minus interea Hludowicus Alamanniam penetrans, singula loca suæ suorumque dicioni subjecit; indeque abbatem in nostro monasterio constituit Engelbertum, monachum nostrum. Qua re contigit, ut sicut regna, ita et monasteria diversis erroribus atque laboribus quaterentur. In tantum autem major pars populorum Hlotharium sequebatur, ut quidam principes Alamannorum cum exercitu magno Hludowico obviam pergerent, eumque, ne fines illorum intraret, prohibere vellent. Cum quibus protinus pugnam validam commisit, et maximam eorum partem prostravit, reliquos vero omnes in fugam convertit; et sic ad fratrem suum Carolum pervenit. In quibus terminis Hlotharius cum maximo exercitu aderat contra fratres suos, Hludowicum et Carolum, et ipsi contra illum. Die autem constituta, commissum est prælium validissimum, atque miseria plenum, et Domino disponente juniores exstiterant victores anno incarnationis Domini 841.

Ergo hac miserabili consummatione belli peracta, protinus Hludowicus abbatiam sancti Galli Grimaldo [b] destinavit atque contradidit. Qui statim eam, in quantum valuit, causa regiæ auctoritatis obtinuit.

8. Postquam vero divisio regni patrata est, et pax inter germanos reges firmata est, Grimaldus abba ad monasterium sancti Galli veniens, honorifice atque omni obsequelæ suavitate a fratribus ejusdem monasterii susceptus est, atque devota illorum servitute sustentatus. Causa autem extitit, quam nemini miram puto videri, fratres nostros tristitia non parva agitari, eo quod securitas electionis eorum, quæ tam multis, ut ante prædiximus, laboribus sepe difficillime fuerat, adquisita, tam facile de eorum potestate deficiebat excussa. Sed hujus tristitiæ, Domino juvante, jocunda venerat medicina. Nam prædictus Grimaldus prioribus [c] semper idem monasterium protegere atque erga illud clementer agere consueverat. Quam causam loco et potestate accepta non minuerat, sed augebat magis caritatem, quam suæ potestatis declarans magnitudinem. Qua confidentia monachi eum flagitare cœperunt, ut sicut in illo immunitatis privilegium amiserunt, ita cum illo pristinæ securitatis recuperarent augmentum. Quam petitionem ille gratissime suscipiens, studioseque complens, a rege Hludowico permissione illis adquisita concessit, ut statim sibi eligerent, qui post ipsum illos illorumque omnia procuraret, et postea nullam suæ securitatis et propriæ electionis dubitationem haberent. Qui protinus gratanter hanc benedictionem [d] suscipientes, Hartmotum elegerunt, scientia et moribus nobilitateque præclarum, eumque Grimaldus secum ad regem perduxit. Qui cum manibus regis a Grimaldo fuisset contraditus, benigneque ab eo susceptus, protinus a regia potestate ipsum sancti Galli locum cum omnibus ad illum pertinentibus suscepit post Grimaldum secunda vice [e] regendum; eo videlicet pacto, ut post obitum Grimaldi hæc eadem electionis stabilitas a rege concessa et in Hartmoto cœpta, deinceps stabilissime præsentibus cæterisque ad eundem locum futuris signaretur, et firmaretur mansura. Quo peracto, Grimaldus abba cum Hartmoto lætus, lætantibus pariter fratribus, ad monasterium rediit.

Post hæc igitur Grimaldus regularem in nostro monasterio vitam omni sagacitate mentisque alacritate instituere cœpit. Cujus rei curam, quia ipse sepius regalibus fuerat occupatus officiis, Hartmoto injunxit, ut spiritalis structuræ ædificia in fratribus fundaret, et non minus etiam exteriora officinarum necessaria studiose construeret.

Quam indictionem Hartmotus benigna mente suscipiens studioseque perficiens, cum prius monachi colerent officinas suæ utilitati incommodas, non multo tempore succedente, omnia nostri claustri habitacula [f], quamvis prius cœpta, pulcherrime ad

[a] Has temporum consignationes omnes veras esse indaganti patebit.

[b] Grimaldus in regia aula educatus et bene doctus (*Epistola Ermenrici*) habuit fratres Wettinum monachum Augiensem, et Thietgaudum archiepiscopum Trevirensem (*Mabillon*). Factus archicapellanus, et tribus abbatiis prælatus, Sangallensem omnibus prætulit. (*Epistola Ermenrici Aug.*)

[c] Id est, antequam abbatiam S. Galli obtinuerat.

[d] Id est donum.

[e] Nempe secundo post abbatem commendatarium loco.

[f] Monasterium non instar palatii longis tractibus ædificiorum, sed tanquam villa, separatis domibus, construxit Hartmotus; majori ex parte ichnographiam supra citatam secutus. Edita habetur hæc monasterii S. Galli delineatio in Mabillonii Annal. Benedict. tom. II, pag. 870. Versus autem Leonini illam exponentes habentur in Canisii lect. antiq.

perfectionem, ut modo cernimus, perducta venienti Grimaldo consignavit. Nec non etiam singulare eidem abbati domicilium cum omnibus necessariis ad illud pertinentibus utilissime pulcherrimeque [a] construxit. Quare Grimaldo apud nostros sepius demorante, contigit nostri provectus non parum excrescere suavitatem. Sed sicut nox et dies sibi alternatim successerunt, ita adversa cum prosperis se sepius miscuerunt, talesque vices variaverunt. Venerabilis namque Constantiensis ecclesiæ præsul nomine Salomon, cum suæ sedis dignitatem non solum non minuere, sed etiam in omnibus vellet religiose accumulare, ad nostrum monasterium nuntios direxit, censum, ut sepius præfati sumus, nefanda conditione ex monasterio ad episcopii partes condictum sibi restitui inquirens. Quæ pertubatio fratres aliqua ex parte inquietavit ; maxime cum ille census ob hoc a Hludowico imperatore [b] ita fuisset concessus, ut ipsum monasterium et ab episcopi et ab omnibus sæcularibus potestatibus, absque solis regibus, fuisset absolutum. Grimaldus autem abbas cupiens omnia utrobique cum pace et caritate finiri, claustra ingrediens monasterii, principes fratrum ad se convocavit ; a quibus inquirere cœpit cur censum, sicut scriptura ipsorum continebat, ad episcopatum non persolverent ? Tunc Hartmotus præ cæteris respondens : *Non merito*, inquit, *debemus hunc censum sicut hactenus fecimus persolvere.* Grimaldus dixit : *Unde debet cessare census istius ad episcopatum donatio ?* Hartmotus respondit : *Quia illa securitas, et illa immunitas, quam nobis iste census liberam, regum donante clementia, usque huc fecit, a nobis penitus ablata est.* Grimaldus dixit : *Ob quam causam, et per quem eadem libertas vobis ablata est ?* Hartmodus respondit : *Utique propter vos ; quia enim vobis in beneficium traditi sumus, ideo episcopo censum persolvere non debemus. In vestræ enim dominationis servitute nobis sufficere credimus, et ideo in diversa partiri nequimus.* His auditis, Grimaldus ex illo tempore cœpit cogitare rogantibus Hartmodo et reliquis fratribus atque cum illis pertractare, qualiter ipsum monasterium et ab istius census, et ab omni inquietudinis liberaretur molestia. Quod ita peractum, in sequentibus Deo miserante monstrabimus. Exinde igitur utriusque loci rectores, episcopii videlicet et monasterii, cum sibi subjectos perquirere cœperunt, qualiter salubritas pacis inter utrumque locum ita statueretur et firmaretur, ut absque discordia quandoque liceret utriusque Christi servitio inherere. Cum

A vero hujus consilii prolixitas sepius utrimque pertractaretur, tandem salubri consilio reperto, rectores præfati consentientibus partis utriusque familiis invenerunt, et decreverunt, ut quædam possessiones de monasterio ad episcopatum contraderentur ; per quarum donationem monasterium ab episcopatu segregaretur, ab omni census molestia deinceps redderetur securum. Quod decretum ab episcopo et abbate inventum, placuit ambobus, episcopii videlicet filiis et monasterii incolis. Interea contigit Hludowicum, piissimum regem, publice placitum suum habere in villa quæ dicitur Ulma, præsentibus filiis suis aliisque regni sui principibus. Ad quod placitum istius conventionis causa perlata est. Et cœpit exinde rex sollerter et caute cum suis cogi-

B tare atque pertractare. Cumque summates [c] qui aderant, in bonam partem causam declinare [d] studerent, tandem piissimus princeps ab episcopo et abbate monachisque qui aderant, inquisivit : Si utraque pars, monachorum videlicet et clericorum, in hac re consentiret ? Responsum est ab abbate et monachis qui aderant, in hac voluntate se cunctamque illorum congregationem persistere. Similiter et episcopus interrogatus, pro se suisque similem reddidit istius consensus responsionem. Rex vero cum ambarum partium conspiceret unitatem, sese huic pacto interposuit medium, atque in semet omne negotium assumens, cum manu sua potestative res predictas ad episcopatum contradidit, atque cum ipsa manu similiter potestative ab episcopio monasterium abstulit penitusque diremit, ita ut deinceps

C nullam potestatem episcopi in rebus ejusdem monasterii haberent, neque in censu neque in ulla alia simili causa, preter spiritalem tantummodo episcopalis officii dignitatem ; sed pura mente ex hoc et deinceps licentiam haberent monachi idem [e] Deo servire, nullique sæculari potestati, nisi solis regibus subjacerent. Hæc confirmatio cum regia auctoritate circa utramque partem fuerit [f] stabilita, oriebatur et alterius similis causæ necessitas in præsenti, quæ et protinus in eodem concilio penitus finiebatur. Nam cum ipsa loca ita unitate fuissent antea copulata, ut velut uni semper viderentur cædere potestati, hujus causa communionis quidam hereditatem suam ad Constantiam census debito cædentem monasterio contradiderunt, et econtra

D tributarii monasterii eandem tributariam hereditatem ad episcopatum contradiderunt. Et ut in hoc etiam penitus omnis dissensio auferretur idem rex

[a] Palatium hoc, posthac *Pfalz* dictum, et marmoreis columnis et picturis deauratis ornatum erat, regiis architectis et pictoribus Augiensibus opem ferentibus, ut codex coævus n. 397 hisce testatur :

Splendida marmoreis ornata est aula columnis,
Quam Grimoldus ovans firmo fundamine struxit
Ornavit, coluit, Hludowici principis almi
Temporibus, multos lætus feliciter annos.
Aula palatinis perfecta est ista magistris.
Insula pictores transmiserat Augia clara.

[b] Istum censum post Carolum M. et Ludovicum pium Ludovicus ejus filius ratihabuit diplomate Franconofurt anno 1 regni, 14 Kal. Nov. indict. 12, dato et adhuc superstite. Ludovici pii confirmatio conventionis hujus (superstes adhuc) data est Aquisgrani 3 Non. Jun. anno Imp. 5, indict. 11.

[c] Id est optimates.

[d] Id est *vertere.*

[e] Nempe *Ibidem.*

[f] Lege *fuisset.*

de parte monasterii, consentientibus abbate et fratribus, quasdam res ad Constantiam condonavit; ea videlicet ratione, ut omnia quæ tunc in potestate monasterii erant, vel a præfatis tributariis illuc delegata, vel qualicunque modo ibidem confirmata, postea sine ullius contradictione personæ firmarentur ibidem in perpetuum permansura.

His vero ita a clementi rege omni cum consensu compositis, jussit idem rex suæ auctoritatis præceptum utrique parti ad perpetuam confirmationem istius pacti statim in præsenti conscribi. Et ut cautius hæc eadem firmitatis scriptura communiretur, præcepit primitus tantummodo dictatam et in aliqua scæda conscriptam sibi præsentari. Et cum ille causam comprobaret, tunc demum cancellario præcepit, in legitimis cartis conscribere præfati pacti confirmationem [a]. Et cum perscriptæ fuissent, propriæ manus auctoritate eas confirmans, unam episcopo cum suis, aliamque abbati monaschisque contradidit perpetue firmitatis sine aliqua eversione ita retinendas indicio. Quisquis autem vult scire quantæ fuerint causæ ob redemptionem prædicti census et monasterii securitatem, et præterea ob tributariorum prædictorum reconciliationem ad episcopatum contraditæ, legat in cartis supra memoratis, et invenire poterit quod quærit. Præterea rex piissimus Hludowicus statim jussit monachis fieri aliam cartam firmissimæ immunitatis, ut post Grimaldum deinceps potestatem in perpetuum haberent eligendi sibi abbates, nullique hominum nisi solis regibus subjacerent; et in eadem carta conscribi jussit regia dona sibimetipsi secundum consuetudinem aliorum monasteriorum securitate præditorum quotannis ventura, id est, duos caballos et duo scuta cum lanceis. Et sic etiam istam cartam sua manu confirmatam proprioque anulo consignatam monachis tradens [b], lætos eos in sua redire permisit.

9. His ita Deo disponente peractis, Grimaldus abbas omnia monasterii negotia Hartmoto commendans, ipse securus regali se frequentabat exhibere præsentiæ. Hartmotus itaque cum fratribus tandem optatæ securitatis quiete percepta, operibus necessariis totis studebat insistere; atque inprimis templum Dei in honore sancti Galli constructum, variis cœpit ornamentis decorare et sublimare. Principio vero tumbam sancti Galli [c] rum reliquis altaribus et A analogio [d] atque confessione ita innovari, maximaque ex parte totum ex integro fecit ædificari, sicut hodie videtur et cernitur. Præterea coronis [e] argenteis, aliisque diversis luminaribus pariter cum multimodis variorum ornamentorum splendoribus ipsam magnopere studuit insignire basilicam. Absidam [f] quoque post altarium sancti Galli ita honorifice pictura deaurata, sicut in præsenti videmus, ipso composuit tempore. Librorum etiam non parvam copiam sub eodem abbate Hartmotus composuit; quorum nomina hæc esse scias [g]:

* Quinque libros Moysi, Josue, judicumque in volumine 1. Regum libros 3 in volumine uno. * Tres libros Salomonis, et librum sapientiæ, vel Jesu, Job et Tobiam in volumine uno. * Paralipomenon, Ju- B dith, Hester et Hesdram, Machabeorumqne libros 2 in volumine 1. * Omnes prophetas in volumine 1. * Epistolas Pauli, Actus apostolorum, 7 Epistolas canonicas, et Apocalypsin Johannis in volumine 1. * Sancti Augustini super Johannem partem 2 et 3. * 22 libros de civitate Dei in duobus voluminibus. * Augustini de civitate Dei libros 15 in vblumine 1. * Contra Faustum manicheum libros duos in volumine 1. * 82 quæstiones, et contra adversarium legis et prophetarum in volumine 1 [h]. * Augustini super psalmos 6 volumina. * Item de eisdem libris in voluminibus duobus excerpta valde necessaria. * Libros 12 confessionum sancti Augustini. Ejusdem libros 7 de baptismo. * In Genesim ad litteram libros 12. Sancti Ambrosii contra Arrianos liber 1, et epistola ejus, et sancti Augustini contra eosdem in C volumine 1 pusillo. * De doctrina Christiana libri 4 in volumine 1. Recapitulationes sancti Augustini. Lectionarium ad basilicam [i]. * Duo volumina epistolarum sancti Hieronimi. * Omelias Johannis Crysostomi, et de compunctione cordis, ac reparatione lapsi in volumine 1. Sancti Hilarii super Matheum volumen 1. * Collectarios [j] duos in singulis voluminibus de adventu Domini usque in pascha. * Sancti Ambrosii episcopi in evangelium secundum Lucam in volumine 1. * Ejusdem in epistolas Pauli volumina 2. Ejusdem de bono mortis, et Hieronimi in Apocalypsin Johannis in volumine 1. Victorini de sancta Trinitate. Librum sancti Clementis. Passionales [k] duos in duobus voluminibus. * Cassiodori super omnes psalmos in tribus voluminibus. Bedæ su-

D

[a] Datum Hulmam palatio regio 11 Kal. Aug., anno 21, regni in orientali Francia, indict. 2.

[b] Datum est hoc diploma Ulmæ eodem anno, et die ac præcedens, ast manifesto errore pro 2 Kal. in eo positum legitur 11 Kal.

[c] Vox Tumba hic loculum argenteum in sacelli formam fabricatum denotat, in quo in processionibus S. Galli ossa circumferebantur. *Hymnus Ratperti de S. Gallo in Canisii lect. antiq.*

[d] Erat pulpitum, de quo conciones habebantur, et evangelium missæ legebatur.

[e] Id est orbis argenteus, de quo plures dependebant lampades, unde vox *Kronleuchter*.

[f] Fornices hanc chori absidam constituentes, spiris convoluti erant. *Ichnographia sæc.* IX.

[g] Indicem subsequentem Ratpertus ex cod. msto n. 267 mutuatus est, ubi hunc titulum præfert: *Hos libros patravit Grimoldus abba in monasterio S. Galli in diebus Hludowici regis Germanie cum adjutorio Hartmoti præpositi sui per annos* 30 et *unum*. Codices * præfixum habentes in bibliotheca nostra adhuc exstant.

[h] Codex altefatus n. 267 habet *in voluminibus duobus*.

[i] Codex Raperti n. 614 addit *sine evangeliis*.

[j] Id est collectiones sermonum SS. Patrum per anni circulum in choro, et durante prandio legendorum diebus Dominicis ut in cod. 103, p. 253 notatur.

[k] Sic vocabant libros SS. martyrum cruciatus prosequentes.

per Cantica canticorum. Collationum patrum tertiam et quartam partem. * Regulam sancti Benedicti et reliquorum Patrum in volumine 1. Explanationem super lectiones in volumine 1. Libros æthimologiarum Isidori in volum. 1. Josephi de antiquitate Judaica libri 12 in volum. 1. * Item libros 4 in volum. 1. * Item ejusdem de bello Judaico libri 7 in volum. 1. Excerpta de Pompeio in volum. 1. Gesta Alexandri in volum. 1. Librum ymnorum optimum. * Grammaticam Prisciani in volum. 1. * Librum canonum. Passionalem apostolorum. Passionem sanctorum Sergii, et Bachi. Chronicam Eusebii, et Hieronimi [a] * Tractatum Origenis in epistolam Pauli ad Romanos. * Rhabani episcopi in posteriorem partem Hieremiæ prophetæ volumen 1. * Item epistolas Pauli apostoli, et 7 epistolas canonicas in volumine uno [b] Actus apostolorum, et apokalipsin in volum. 1. * Vitam sancti Columbæ in volum. 1. Item Job, Tobiam Judith et Hester in volum. 1. * Visiones Wettini et Baronti.

Præterea etiam idem Hartmotus sub Grimaldi temporibus ipsa fratrum necessaria [c], in quantum potuit, meliorare studuit et augere. Quod tunc constitutum, usque hodie similiter permanet firmum. Temporibus etiam illis, exigentibus meritorum ejus insigniis, corpus sancti Otmari de ecclesia sancti Petri festive sublatum, in basilicam sancti Galli cum debita laudum honorificentia est perlatum, presente Grimaldo, abbate et archicapellano regis Hludowici, et Salomone Constantiensis ecclesiæ episcopo, cum cætero innumerabili populo 4 feria sub octavo Kalendarum Novembrium die [d] anno incarnationis Dominicæ 864. Collocatum est autem corpus sancti viri in ecclesia sancti Galli juxta altarium sancti Johannis Baptistæ, ubi magna miraculorum abundantia meritorum ejus claruere præconia, usque dum nova sibi ædificata basilica [e], quæ statim in brevi tempore est peracta, tumbaque argento et auro sibi parata, honorifice in eam sancti viri exuviæ sunt perlatæ. Quæ basilica etiam post, tempora Grilmadi ab Hartmoto abbate, ita ut hodie videtur, aucta est atque constructa, tumba videlicet et altari plenius decoratis.

Post hæc igitur temporum transeunte curriculo, Grimaldus abbas cum jam ætatis plurimos dies haberet, cœpit sedulo in nostro monasterio commorari, cupiens reliquum vitæ suæ tempus cum quiete trans- D A igere, et in Christi ducere servitute. Hartmotus vero, præcipiente Grimaldo, omnes labores et itinera, sive ad curtem, sive in expeditionem et ad omnes alias necessitates, vice illius strenue complevit, omniumque curam negotiorum in semet accepit.

Ipse autem Grimaldus, cum alia loca et monasteria suæ dicioni habuisset subjecta, in hoc monasterio præcipue cupiens finem dierum suorum exspectare, cœpit studiosissime monachicis se exercere disciplinis, et licet habitu non esset, conversatione tamen, et voto monachus existebat. Orationibus sepius insistebat, elemosinarum largitatem solus præ ceteris possidebat, in tantum, ut pater pauperum vocaretur et esset.

His itaque aliisque similibus bonarum virtutum B profectibus cottidie crescens, senex et plenus dierum in confessione veræ fidei de hac luce, Domino vocante, altitudinem conscendit, ut credimus, lucis perpetuæ, atque in eodem monasterio cum omni honore et debita veneratione sepultus, requiescit in Domino. Contigit autem transitus ejus Idibus Juniis 6, feria in primo ortu solis anno incarnationis Dominicæ 872. Rexit autem monasterium nostrum feliciter per annos 30 et unum.

Præmia tantorum cui dona, Christe, laborum
Huicque polum tribuas, qui sydera celsa crearas,
Mattheus, Marcus, Lucas, pariterque Johannes
Sint illi comites, quorum celebrabat honores [i].

Post obitum vero Grimaldi fratres juxta promissam sibi licentiam protinus cum maximo unanimitatis C consensu Hartmotum sibi elegerunt abbatem. Cum quo pariter quidam de senioribus fratrum ad piissimum regem Hludovicum devenerunt. [j] Qui cum eorum consensum et desiderium comperisset, sicut prius disposuit, Hartmoto monasterium cum omni securitatis libertate contradidit, nulla addita vel interposita causa, per quam aliquomodo ulterius violari potuisset hujus securitatis integritas. Hartmotus vero cum fratribus ad monasterium rediens, optimi se pastoris et patris perfectione studuit ubique et undique exercere. Nam licet præteritorum maxima pars ille fuisset laborum atque bonorum, tamen nunc quasi incipiens, cumulum et augmentum solitorum desiderabat augere meritorum. Nam parietes basiliciæ sancti Galli, et in choro et foris chorum, et posteriora templi, sicut modo cernuntur pictura D deaurata, idem eodem in tempore fecit ornari et

[a] In Ratperti codice 614 erasus est titulus libri, quem codex 267 his verbis recenset : *Vitas patrum, quas dicunt majores.*

[b] Iste liber in cod. 267 non legitur.

[c] Nempe victus et vestitus.

[d] Conveniunt optime annus, feria, et dies mensis.

[e] Sacella basilicæ nomine sæpe veniunt.

[f] Id est, sive ad regis aulam, sive in bellicas expeditiones.

[g] Eidem etiam reliquit libros suos, quorum 33 volumina recenset codex 267 sub hoc titulo : *Istos autem libros domnus Grimoldus de suo dedit ad S. Gallum.* De illorum uno hæc habet iste index : *Psalterium glossatum, quod ipse Grimaldus Notingo Brixiensi episcopo primum, post vero Engilberge regine dedit, et per Rihbertum magistrum aliud restituit.* Engilberga uxor erat Ludovici II regis Italiæ a Carolo Crasso in Alamanniam (forte S. Gallum) in exsilium missa. *Annal. Bertiniani ad annum* 882. Videtur idem esse psalterium, quod in Italia sub nomine Engelberga celebratur.

[h] Sortitus hoc epitaphium :

Hic manet interius divine legis amator,
Grimoldus humilis templum hoc qui condere jussit

(nempe S. Otmari). *Cod. sæc.* IX. *n.* 397, *p.* 52.

[i] Versus hos alio tenore, et abs Ekkehardo IV correctos exhibent codex n. 615, sæc. XIII, et editio Goldasti.

[j] Nempe moris erat, cum neoelecto partem eligentium cum baculo abbatiali regem adire.

comi [a]. In aliis præterea ædificiis, ut cerni poterit in præsenti, plurimum nostro monasterio decorem suis temporibus ipse patravit; et, ut plurima breviper comprehendam, ubicumque fuit, sive intus, sive foris, sive apud divites, sive apud mediocres, Domino donante sapientiaque a Deo sibi concessa nostra omnia cautissime providente, nos semper securi extiteramus. Librorum quoque quos ille ad communem monasterii utilitatem suo tempore patravit, hæc sunt nomina [b].

Lectiones evangelii, quem librum auro et argento ac lapidibus pretiosis ornavit. Lectionarium elephanto [c] et auro paratum. * 35 volumina beati Gregorii in Job in sex corpora divisa. Collectaria duo de pascha usque ad adventum Domini. * 7 libros sancti Augustini in heptateucum. Sancti Ambrosii de fide contra arrianos libros 3 in volum. 1. * Item ejusdem libri 3 proprie de spiritu sancto, et unum de incarnatione Domini, et alium de laude sanctorum in volum. 1. * Vitam sancti Martini in volumine uno. * Vitam sanctorum Galli et Otmari in volum. 1 * Vitam sancti Silvestri in volumine uno. * Instituta patrum, quas nuncupant vitas patrum minores, in volum. 1. * 20 duas omelias Gregorii super Ezechielem prophetam in volum. 1. * Ambrosii de officiis libri 3 in volumine uno. Sancti Augustini de magistro, et ejusdem epistolas. Item de gratia et libero arbitrio. * Collectanea Flori presbyteri de voluminibus sancti Augustini in epistolam Pauli ad Romanos in volum. 1. * Sancti Augustini de utilitate credendi, et bono naturæ, et scoliam Cyrilli de incarnatione Domini, et paucas quæstiones. * Polihystorem Solini in volum. 1 * Altercationes Attici et Cretoboli ad parvum tempus non poterat inveniri, pro qua, antequam inveniretur, scripta est alia, et additus est ei liber sancti Augustini de vita Christiana et altercatio Ecclesiæ et Synagogæ. Collectanea Flori in epistolam ad Corinthios secundam, et ad Hebreos [d]. * Decreta pontificum Romanorum in volumine uno. Regulam sancti Basilii, et ceterorum. Alios quoque libros, proprii causa videlicet usus, jocunda patravit scriptura; quos similiter post finem dierum suorum sancti Galli servitio perpetualiter contradidit retinendos; imprecans etiam ilii non parvæ dedecus confusionis, si quis præsumpserit aliquam partem eorum de monasterio sancti Galli

A abstrahere, illiusque servitio eos auferre [e]. Nomina vero eorundem librorum sunt hæc. * Quinque libri Moysi, Josue, judicumqne in volum. 1. * Regum libri 4 in volum. 1. * Psalterium de Hebraico translatum [f]. Proverbia Salomonis, ecclesiastes, et cantica canticorum; item liber sapientiæ, et Jesu filii Sirach, et paralipomenon libri duo in volumine uno. * Job, Tobias, Judith, et Hester in volum. 1. Esdras, Neemias, et Machabeorum libri 2 in volum. 1. * Esaias, et Hieremias in volum. 1. * Ezechiel, et 14 prophetæ, et Danihel in volum. 1. * Evangeliorum volum. 1. Reliquorum librorum novi testamenti volum. 1. Bedæ libelli duo de natura rerum, et temporibus. * Item unus grandis, et alia argumenta computandi in volum. 1. Regula sancti Be-
B nedicti, et martyrologium Bedæ; et ymnarius, nec non et omeliæ Cæsarii in volum. 1. * Ethimologiarum Isidori volum. 2. Medicinalis liber unus. Glossa in epistolas Pauli. Super lectiones volum. 2. Super evangelia volum. 2. * Volumen Orosii. Martiani de nuptiis Mercurii et philologiæ libri 2. Item de 7 liberalibus artibus libri 7, Boethii 5 libri philosophicæ consolationis in volum. 1. Item alii 5 in altero volumine. Inter hos etiam unam mappam mundi subtili opere patravit, quam inter hos quoque libros connumeravit [g].

Post obitum vero Hludowici piissimi regis in partem Caroli, filii ejus, nostro monasterio pertingente cum cetero regno, omnes immunitatis cartas a patre ejus Hludowico nobis condonatas, ab ipso
C clementissimo filio ejus Carolo Hartmotus abba nobis renovari fecit, atque illius auctoritate iterato conscribi [h].

Neque hoc silentio prætereundum est, quantum de regalibus donationibus ad nostrum monasterium fuisset illo tempore concessum. Denique [i] præfatus piissimæ memoriæ rex Hludowicus, vivente abbate Grimaldo, locum qui dicitur Mecchinga, ad monasterium sancti Galli æternæ causa remunerationis regia auctoritate contradidit [j].

Post cujus obitum, Grimaldo quoque defuncto, Carolus clementissimus rex, filius ejus, Hartmoto intercedente quandam possessionem regiæ potestatis in pago Turgoiense, sitam in loco qui dicitur Roholvesriuti, sancto Gallo in perpetuam possessionem

D

[a] Codex n. 615, sæc. 13 his addit: *Iste etiam Hartmotus velum optimum, quod adhuc hodie in quadragesima ante crucem extra chorum appenditur, per manus sororis sue nomine Richlin textum donavit.*

[b] Indicem subsequentem Ratpertus ex eodem codice n. 267 descripsit, omisso titulo, qui sic habet: *Hos vero libros idem Hartmotus post Grimoldum abba constitutus sub Hludowico supradicto rege, et filio ejus Karolo imperatore in diebus regiminis sui fecit conscribi.*

[c] *Ebore* addidit manus coæva. Insignes hi duo libri tempore reformationis subducti. (*Vadian de collegiis*) dein periere.

[d] Adjungit syllabus librorum in n. 267: *Nunc sunt inter manus.* Ex quibus verbis liquet, syllabum hunc Ratperti casuum libro esse vetustiorem.

[e] Earum aliquæ sic sonant: *Auferet si quis, damnetur mille flagellis, judicioque Dei succumbat corpore pesti.* Cod. n. 19. *Et si quis et hos auffert, gyppo scabieque redundet.* Cod. 46.

[f] Codex perrarus.

[g] Libri hi etiam catalogo bibliothecæ inscripti leguntur, qui in duplo nono sæculo confectus exstat.

[h] Datum est hoc diploma anno 877, 15 Kal. Sept., anno Karoli primo regni illius, indict. 10, sine loco.

[i] Pro *etenim.*

[j] Datum Franconofurt regio palatio Non. Oct. anno 29 regni, Indict. 10. Villæ Mechingen et Guttingen palatio Potamo vicinæ sunt.

condonavit, quod et protinus suæ auctoritatis conscriptione firmavit [a].

Quendam etiam montem situm in Hretia Curiense, in quo constructa est basilica sancti Victoris martyris, cujus et nomine vocatur idem locus Mons Victoris, ipso tempore ad monasterium sancti Galli contradidit, firmitatisque cartam regia auctoritate exinde fieri jussit [b], rogante Eusebio Scottigena, qui ibidem per 30 annos spontanee clausus Domino serviebat; anno vero incarnationis Dominicæ 884, pridie Kalend. Februarii de hac luce ad lucem migravit perennem [c].

Postquam vero idem Carolus Italiam ingressus pacifice eam suo subjugavit imperio, alium etiam locum in pago supra dicto similiter regiæ auctoritatis dominio cædentem, nomine Stamheim, cum omnibus ad illum pertinentibus sancto Otmaro imperatoria contradidit potestate, hujusque donationis firmitatem imperialis scripti præcepto firmissime corroboravit [d]. Sed et illius, quam supra memoravimus, donationis imperatoriam denuo jussit scribi commemorationem, quod factum est, ut imperavit [e].

Postquam autem idem mitissimus imperator Carolus omnibus Italiæ Germaniæque populis suavissimo ordine imperavit, rogante Hartmoto et efficiente Liutwardo episcopo atque archicancellario imperatoris, quandam abbatiolam in Italia sitam, olearum et vinearum feracem, quam tunc idem Liutwardus in beneficio habebat, cui nomen est Massin, ad monasterium sancti Galli imperatoria auctoritate contradidit; eo quoque pacto, ut idem Liutwardus tempore vitæ suæ sub usufructuario ipsas res possideret, censumque de ipso loco, sicut ipse condixit, singulis annis ad monasterium prædictum persolveret, hoc est vel 6 laguenas de oleo, vel 60 solidos de argento; post obitum vero Liutwardi ipsæ res sine ullius contradictione perpetualiter ad jus pertinerent monasterii. Cujus rei carta protinus firmissime sua auctoritate est scripta atque firmata, atque ipso imperatore jubente, super altarium sancti Galli est posita, ubi hodie Deo volente cum pace tenetur [f].

Igitur venerabilis abbas Hartmotus post tantorum, ut supra commemoravimus, perfectionem laborum cupiens etiam finem suæ clarissimæ administrationis aspicere propriis oculis, jam quoque ætate requiem poscente, cœpit sedulo ab imperatore deposcere, et cum fratribus quærere, quatenus ipse ab his laboribus liberaretur, et alius in ejus locum subrogaretur, cujus ætas et valitudo apta existeret A ad supportandos varios casus, qui nunc etiam prioribus ampliores variantur in mundo. Cujus rei consensum neque apud imperatorem, neque apud monachos facile potuit invenire. Sed cum ille diutissime et omnimodo in hac persisteret petitione, ætatis suæ sepius causando gravedinem, tandem difficillime adquisitam istius petitionis ab imperatore suscepit promissionem. Proinde lætus cœpit ad hæc ipsa negotia congruens inquirere tempus. Aliquanto vero temporum transeunte curriculo, contigit domnum imperatorem de Italia redeuntem nostrum intrare monasterium; ubi cum maxima laudum honorificentia cunctorumque non parva lætitia fuisset susceptus [g], ipse etiam lætus triduo ibidem permansit. Tunc vero venerabilis abbas Hartmotus oportunum B tempus suæ voluntati occurrere credens, imperatoris clementiam, ut suæ promissionis memor existeret, studiosissime cœpit flagitare. Piissimus vero princeps nullius preteritæ immemor vel dictionis vel promissionis, volens et abbatis petitioni annuere, et monachis in omnibus satisfacere, illorum concessit arbitrio, ut quem vellent, de suis abbatem sibi eligerent, Hartmoto videlicet successorem. Quæ res a fratribus audita maximæ tristitiæ et lacrimarum pariterque intermixtæ lætitiæ seminarium existebat: tristitiæ, quia a tanti patris dominio, ipso vivente, se abstrahere cordetenus recusaverunt; lætitia vero, quia idem clementissimus imperator, cum rem finiri necessitas exegisset, non per suos nuntios absens, sed per seipsum nostras causas maluit confirmare atque statuere præsens.

C Cum igitur hæc, ut diximus, necessitas, imo etiam dignissima utilitas, rem finiri exigerent, omnes pariter senes et juvenes a primo usque ad ultimum, Domino donante, communi consilio atque una voce Bernardum sibi elegerunt abbatem, virum nobilitate et juventute præclarum; cujus sapientia et moribus atque benignitate et regia servitia peragi, et se cum omnibus suis fidissime protegi confidebant. Cujus rei notitia cum ad imperatorem fuisset perlata, protinus ipse conventui eorum dignatus est interesse, ibique inprimis Hartmotum, ut sepissime postulaverat, honorabiliter atque cum magna gratiarum actione a pondere tantorum liberum donavit esse laborum, sed non destituit a magisterio ibidem degentium. Postea vero omnibus Bernhardum sibi D abbatem poscentibus, statim in præsenti benignissimus princeps eorum desiderium audiens, Bernhardo monasterium cum congregatione commendavit, ip-

[a] Tradita fuit hæc villa prope Wilam Thurgoiæ sita (*Rossrüti*) anno 878, 16 Kal. Aug. Indict. 11, regni Karoli 1.

[b] Diploma, quo Carolus Crassus monasterium Scotorum in monte S. Victoris prope Feldkirih situm S. Gallo donavit, datum est anno 883, 9 Kal. Oct. anno Imp. in Italia 1, in Francia... Post annos duos idem Carolus in eodem S. Victoris monasterio hospitale pro 12 peregrinantibus Romam de bonis villæ Raitinis (*Rotis*) fundavit Potama 17 Kal. Maii anno 885, indict. 3 anno regni 8, imperii 5.

[c] Eumdem diem Eusebii emortualem habet necrologium in cod. 915, sæc. 10.

[d] Quod anno 880. 9 Kal. Dec. indict. 12, anno regni in Francia 5, in Italia 1, scriptum est.

[e] Altera curtis Roholvesrüti traditio conscripta est Papiæ 5 Non. Oct. indict. 2, anno 883, imperii in Italia 3, in Francia 2.

[f] Jam ab aliquot sæculis desideratur autographum hujus diplomatis.

[g] Has susceptiones regum Jodocus Mezlerus collegit, et in lect. antiq. Canisii edidit.

sumque abbatem constituit. Qui inter alia plurima consolatoria verba hoc etiam intulit promittendo [a] se numquam hanc securitatem nobis ablaturum, tantummodo si inter nostros valeat inveniri, qui ad hoc officium idoneus possit existere. Omnibus vero rationabiliter constitutis, domnus imperator omnes ibidem conversantes lætos efficiens, ipse quoque lætus de monasterio abscessit.

Contigit autem ista ordinatio circa finem anni ab incarnatione Domini 883, 6 feria, 8 Id. Decembris, indictione prima, anno vero Caroli imperatoris tertio [a], super omnia vero regnante Domino nostro Jhesu Christo, cui est honor et gloria per indeficientia sæcula. Amen.

[a] Hanc temporis definitionem optime sibi convenire deprehendet curiosus lector.

RATPERTI POEMATA VARIA.

I.

VERSUS DE FESTIVITATE SANCTI GALLI.

(Vide tom. LXXXVII Patrol., col. 35.)

II.

VERSUS AD SOLEMNEM PER CAMPOS ET MONTES PROCESSIONEM DE RELIQUIIS SANCTI GALLI.

(*Vide tom. LXXXVII Patrol., col.* 46.)

III.

IN FESTIVITATE SANCTI OTHMARI.

(*Vide ibid., col.* 55.)

IV.

VERSUS DE SANCTO MAGNO.

(*Vide Patrol. ibid., col.* 44.)

V.

AD EUCHARISTIAM SUMENDAM.

(*Vide ibid., col.* 40.)

VI.

VERSUS AD REGEM SUSCIPIENDUM.

(*Vide ibid., col.* 40.)

VII.

LITANIA AD PROCESSIONEM DIEBUS DOMINICIS.

(*Vide ibid., col.* 39.)

VIII.

AD REGINAM SUSCIPIENDAM.

(*Vide ibid., col.* 41.)

IX.

AD DESCENSUM FONTIS.

(*Vide ibid., col.* 41.)

X.

HILDEGARDÆ EPITAPHIUM.

[Apud Gold. Alam. Rerum Script. pag. 85.]

Hoc jacet in tumulo Christi dignissima virgo
Hildigarda nitens moribus egregiis.
Hæc fuit eximii Ludovici filia regis,
Mentem sponte suam voverat illa Deo.
Bis denos octo vitæ compleverat annos
Migrans ad Sponsum virgo beata suum.

XI.

DE CAPELLA QUADAM.

[Apud Gold., ibid.]

Condidit hoc sanctum stabili fundamine templum
Cum genitore pio Ludovico principe terræ
Hildigarda potens Christi clarissima virgo,
Cui Deus æternæ concedat gaudia vitæ.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

HINCMARUS RHEMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

(Operum Continuatio.)

EPISTOLÆ.

OPUSCULA ET EPISTOLÆ IN CAUSA HINCMARI LAUDUNENSIS.

JOANNES VIII, PONTIFEX ROMANUS.

EPISTOLÆ ET DECRETA.

FINIS TOMI CENTESIMI VIGESIMI SEXTI.

Périgueux, imprimerie DUPONT et C., rue Taillefer. — Jn. 79.

a vol. 126
2126
-1973

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.
2126.